13
11 H
37

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET ILLV-
ſtriſſimo, Principi ac Domino,

DN.

ANSELMO CASIMIRO,

S. SEDIS MOGVNTINÆ ARCHIEPISCOPO ELECTO,

S. Rom. Imper. per German. Archicancellario, PRINCIPI ELECTORI

MAXIMILIANVS SANDÆVS
Gubernationem felicem.

ÆStimaui ego ſemper plurimi Iurisprudentiam, *Diſciplinam, inter humanas, dominatricem, & Regiam: dignam Principe, qua Politico, qua Eccleſiaſtico: immò, neceſſariam. Cum vtriuſque ſit, negotiis publicè intendere: iuridicundo praeeſſe: cauſſas cognoſcere: Leges condere: certè, intelligere: Legationes oppreſſorum admittere: improborum fraudes deprehendere: iniquorum rapacitatem impedire: controuerſiis finem imponere. Quæ tam ſine Prudentia-Iuris ſolerter fieri poſſunt, quam ſine equeſtri iumentum, quo vehimur, artificioſe in gyrum agi.*

> Iurisprudentia ἐπιστήμη βασιλική, καὶ τῶν βασιλέων.
> Scientia Regia, & Regum.
> Officia Principis, Eccleſiaſtici, & Politici.
> Iurisprudentiæ neceſſitas.

Verum, non is tantum eſt fructus Iurisprudentiæ, quæ, vt Iuſti, atque Iniuſti ſcientiam, ita rerum humanarum, ac diuinarum notitiam complectitur. Quapropter, non humi ſemper repit inter humana, ſed altius caput attollit, adſurgens ad Diuina; ſed per humana. Non pacem ſolum terrenam, ceu finem, habet, ſed cæleſtem quoque. Non externam tantummodò Rempublicam, ſed interiorem etiam, quæ animo inhæret, rectè componit. Quod quidem facit Iurisprudentia, ſi Theologiæ auxiliarem dexteram aduocet. Qua manu-

> Iurisprudentiæ finis.
> Pax externa.
> Pax interna.

 ductri-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ductrice, demonſtrat: quæ obligatio ſubditum Principi nectit, eandem ἀναλόγως, Deum inter ac hominem reperiri. Quæ leges contractuum ſtringunt in commerciis eos, qui conueniunt, iiſdem eſſe obnoxium quemlibet, qui cum Deo quadamtenus contrahit. Neminem autem eſſe in hominum numero, præſertim, ſi Chriſtianis ſacris ſit initiatus, qui non frequenter contractum humano ſimilem cum Deo celebret: atque idcirco eidem ex contractu obligetur.

Argumentum Theologiæ Iuridicæ.

Iuriſconſultus Chriſtianus.

Quod ipſum ex Contractuum, qui in vſu verſantur, variis conditionibus, quas Ius, *tam Pontificium, quam Cæſareum, per diuerſos titulos ſuggerebat, fuſius deduco ſex iſtis libris, quibus* Iuriſconſultum Chriſtianum *informare, efformareque, dum exprimere ſum conatus, fuit conſilium. Quamobrem* Theologiam Iuridicam *illos indigito. Eam autem annis ſuperioribus, à me conſcriptam, & è cathedra in Academicorum conſeſſu, Herbipoli, quæ eſt Franconum Athenæum, explicatam, nunc primum, hoc initio Præſulatus Celſitudinis Veſtræ, ac ſub Auguſto, beneque ominato Eius nomine, & Patrocinio, publici iuris facio.*

Electus Princeps Anno M. DC. XXIX. VI. Aug.

Cauſſa dedicandi.

Quod animi mei decretum hominem neminem reprehenſurum ſat ſcio, qui Te *ſpectabit,* Anſelme Caſimire, *Princeps Reuerendiſſime, ac illuſtriſſime. Cum enim in librorum Tutelari Domino attendi potiſſimum debeat iudicium, à naturæ quadam acrimonia formatum, & temperatum ſapientia, cui adhæreat rei, de qua diſputatur, cognitio haud vulgaris; id in Celſitudine Veſtra, quam ſit accuratum, acre, perfectum, non ignorarunt Eccleſiæ Metropolitanæ Moguntinæ ſapientiſſimi Curatores, qui è tot præclaris, & Imperio à virtute, ac prudentia notis Collegis ſuis,* Te *vnum iudicarunt digniſſimum eo munere, quod, vt ritè ad Maiorum, Sanctiſſimorum Præſulum exemplum, adminiſtretur, diuino penè iudicio pollentem Antiſtitem poſtulat.*

Quid ſpectetur in libri Patrono.

Iudicium Principis.

Penè diuinum requiritur in Archiepiſcopo.

Æſtimatio communis de Principe.

Talem Te *æſtimauit Clerus, Nobilitas, Populus, quorum incredibili applauſu, ac totius patriæ congratulatione in Sede Archiepiſcopali es collocatus.*

In Te

In Te autem, Princeps Illuſtriſsime, quantoperè excellat Pruden- [illegible] quæ in Theologia noſtra pertractatur, & in actione non minus, ac vſu, quam in ſpeculatione conſiſtit, manifeſtum fecit, [illegible] in varijs adminiſtrationis commiſſæ, ac legationum officijs, [illegible] bonorum ſecunda admurmuratione ſpectata induſtria, ac ſe- [illegible]. Et quid nam aliud expectaretur ab eo, quem adoleſcentem, tum in Germania Herbipolis, Academia florentiſſima: tum in altrice ingeniorum excellentium Italia, Romæ Collegium Germanicum, Sapientiæ, ac Virtutis Palæſtra, & Bononiæ Iuriſperitorum exedra; politiori literaturæ, Philoſophiæ, Legibuſque, tam Pontificiis, quam Cæſareis operam gnauiter dantem, ob ingenij, iudicijque nobilitatem ſuſpexit, coluitque.

Prudentia Iuris in Præſule Eccleſiaſtico.

Officia præclarè obita antè electionem.

Studium in Germania & Italia.

Grammat. Philoſophię, Iuriſprud. Theologiæ.

Talibus eruditum inſtitutionibus Præſidem diuinitus obtigiſſe Moguntiæ, vel hoc nomine; Aureæ gratulor ei equidem, totique Imperio impensè. Ac Tibi, imprimis, Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime Princeps, hoc regiminis auſpicatò initi, exordio felicitatem diuturnam ab eo, à quo omnis poteſtas, veraque felicitas, flagrantiſſimè precor: & mecum Societas Ieſu vniuerſa. Herbipoli Franconum. Kal. Septemb. Anno Chriſtiano M. DC. XXIX.

Adprecatio.

Reuerendiſſimæ & Illuſtriſſimæ
Celſitudinis Veſtræ
deuotiſs.

Maximilianus Sandæus.

ARGVMENTVM
OPERIS TOTIVS.

SVnt conciones omninò quinquaginta. In quibus diſſeritur de multiplici obligatione, inter Hominem & Deum, ex Contractibus omnis generis, qui in Iure, & Pontificio, ſeu Eccleſiaſtico: & Cæſareo, ſeu Politico reperiuntur. Habitæ ſunt pleræque Herbipoli Franconum, in Templo Academico, coram diſciplinarum diuerſarum Doctoribus, ac Studioſis, Sapientiæ Candidatis. Nunc recognitæ ab Auctore, & ſecundum ſeriem, tum Euangeliorum Dominicalium, tum Titulorum de Contractibus, digeſtæ, eduntur primò in Germania.

APPRO-

APPROBATIO
R.P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS
Prouinciæ Rhenanæ Superioris.

THeologiam Iuridicam à P. Maximiliano Sandæo, *Societatis* Ieſu *Theologo conſcriptam, atque à deſignatis ad id Theologis lectam, & approbatam, Ego* Ioannes Copperus, *Societatis* Ieſu *in Prouincia Rhenana ſuperiore Præpoſitus Prouincialis, conceſſa mihi poteſtate ab Admod,* R.P.N. Mutio Vitelleſco, *Præpoſito Generali, typis excudi permitto, Herbipoli VII, Aprilis, Anno* M.DC.XXIX.

JOANNES COPPERVS.

SENECA

SENECA,

Libro de animi tranquillitate cap. 3.

NON is ſolus REIPVBLICÆ prodeſt, qui candidatos extrahit: & tuetur reos: &, de pace, belloque cenſet. Sed, qui IVVENTVTEM exhortatur: qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute inſtruit animos: qui ad pecuniam, luxuriamque curſu ruentes prenſat, ac retrahit: &, ſi nihil aliud certè moratur: in priuato publicum negocium agit. An ille plus præſtat, qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus Prætor adeuntibus Aſſeſſoris verba pronunciat: quam, qui docet, quid ſit IVSTITIA, quid Pietas, quid Patientia, quid Fortitudo, quid Mortis contemptus, quid Dei intellectus, quantum bonum ſit bona conſcientia?

INDEX

INDEX
LIBRORVM ET COMMENTATIONVM.

PROLEGOMENA.

In quibus declarantur nonnulla ad Iuſtitiæ Diuinæ ac contractuum humanarum notitiam neceſſaria.

COMM. I. DEO *maximè conuenit Titulus* IVSTVS.

Ex ſacris oraculis.

Iuſtus Dominus: & Iuſtitias dilexit: Æquitatem vidit vultus eius. *Pſal.* 10.8.

2. DEO *maximè conuenit Titulus* IVSTVS.

Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: Æquitatem vidit vultus eius. *Pſal.* 10. 8.

Ex eruditione profanâ.

3. INTER DEVM *& hominem celebrari ſolenniter contractus.*

Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iacob fœdus nouum, non ſecundum PACTVM quod pepigi cum Patribus eorum. *Ierem.* 31.32.

4. *Partitio generalis contractuum & ſingulorum definitione.*

LIBER PRIMVS.

De obligatione Hominis erga Deum ex contractu Conducti & Locati.

SEV

Ex Titulis, ac Iure Dei Conductoris & Locatoris.

COMM. I. *Deus Conductor.*
Homo Locator.

Conuentione facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. *Matth.* 20. 2.

2. *Deus Conductor.*
Homo Locator.

Sicut dies Mercenatii *dies eius.* Iob. 7. 1.

Ex contractu locationis nonnulla, tum ad fidei confirmationem contra hæreticos, Theologicè, tum ad doctrinam ſubtiliorem ſcholaſticè, tum ad morum informationem tropologice; tum ad piorum conſolationem Aſcetice colligit Iuriſconſultus Chriſtianus.

3. *Deus Conductor.*
Homo Locator.

Deducitur ex contractu locationis, non peccare contra ius Chriſtianum, qui Mercedis intuitu, opera pietatis exequitur.

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Pſal. 118, 112.

4. *Homo Locator.*
Deus Conductor.

Sicut dies Mercenarij dies eius. Iob. 7. 1.

Ex contractu locationis deducitur, honeſtum eſſe metum locationis operarii, ne condicta Mercede priuetur.

SEV

De affectu Mercenarij.

5. *Homo Locator.*
Deus Conductor.

Sicut dies Mercenarij dies eius. Iob. 7.1.

Ex contractu Locationis ſtabilitur Mercedis cœleſtis inæqualitas.

6. *Homo Locator.*
Deus Conductor.

Sicut dies mercenarij dies eius. Iob. 7. 1.

Contractus locationis inter Deum & hominem demonſtrat, cœleſtis gloriæ mercedem poſt hanc vitam iuſtis non differri.

7. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit,* Iacobi 5. 4.

Docetur Paterfamilias, quomodo iura contractus locati & conducti ſeruanda ſint, contra Fraudatores Mercenariorum.

8. Peccata, impoſturæ, doli, fruſtrationes conductorum operarios mercede debita defraudantium.

Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox, maleficis & adulteris, & periuris, & qui Calumniantur Mercedem Mercenarii. *Malach.* 3. 5.

9. Officium iuſti conductoris erga ſuos Mercenarios.

Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue: & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat. Tobiæ 4. 15.

10. Officium liberalis conductoris erga ſuos Mercenarios.

Auaro nihil ſceleſtius. Eccleſ. 10. 2.

11. Officium humani conductoris erga ſuos Mercenarios.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.

Et lingua eucharis in bono homine abundat. Eccl. 6. 5.

12. Officium conductoris diligentis.

Paterfamilias exijt primo manè conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20. 1.

13. Ex contractu locationis colligit Theologus Scholaſticus Deum iuſtiſſimum conductorem in hac vita etiam, ſtatim mercedem debitam reddere.

Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane. Deut. 25. 14. *Sed ſtatim ei mercedem reſtitue.* Tobiæ 4. 15.

14. Ex contractu locationis, Magiſtri vitæ ſpiritualis multa ad virtutum exercitationem incitamenta eliciunt.

15. *Deus Conductor.*
Homo Locator.

Ex contractu locationis conficit Theologus, augeri mercedem operariorum, ex difficultate & labore operum.

Vnusquisque propriam mercedem accipit ſecundum ſuum laborem. 1. Corinth. 38.

16. Ex conditionibus contractus locati & conducti deducitur, cumulatam mercedem deberi conſtanter laborantibus, nullam ante tempus condictum, opus deferentibus.

Bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo, metemus, non deficientes. Ad Galatas 6. 9.

17. *Deus Conductor.*
Homo Locator.

Ex contractu locationis colligit Iuriſconſultus Chriſtianus, Deum neminem abſque cauſſa domo eiicere.

Egredere & abi. Cant. 1. 7.

18. QVID pro Medicorum prærogatiua contra Iuriſconſultos ex contractu locationis adducant Archiatri.

19. *Homo Locator.*
Deus Conductor.

Ex contractu locationis elicit Iuriſconſultus Chriſtianus dari opera ſupererogationis.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Lucæ 17. 10.

20. *Deus Locator.*
Homo Conductor.

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Luc. 8 5.
Homo plantauit vineam & locauit eam colonis. Lucæ 20. 9.

Homo DEI COLONVS.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De obligatione hominis erga Deum ex contractu Negotiationis: Paſtoritij: Societatis: Aduocationis: Promiſſionis: Donationis.

SEV

De Titulis & Iure Chriſti

Negotiatoris: Paſtoris: Socii: Aduocati: Promiſſoris: Donatoris.

21. *Chriſtus Mercator.*
Sanguis Pretium.
Homo Merces.

Empti eſtis pretio magno. 1. Cor. 6. 20.
Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Lucæ 18. 31.

22. *Chriſtus Mercator.*
Sanguis Pretium.
Homo Merces.

Empti eſtis pretio magno. 1. Corint. 6. 20.

23. *De obligatione hominis erga Deum, ex contractu inter Seruum & Dominum.*

In qua ex titulo paſtoris deriuatio titulo Domini, docetur arctiſſimum eſſe obligationis nexum, inter hominem tanquam ſeruum, ac pecudem, & Deum, velut ſupremum Paſtorem, ac Dominum. Denique de iure paſtoritio, & gregis officio diſſeritur.

Ego ſum paſtor bonus. Ioan. 11. 14.

24. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu ſocietatis.*

In qua declarata natura, & conditionibus ſocietatis, inter homines conſuetæ: deducitur, vtiliorem multo eſſe ſocietatem cum Deo. De cuius initio, progreſſu, fine, commodis, contrahendi formulis, & modo conſeruandi hanc ſocietatem, eiuſque diſſolutione fuſius agatur.

Plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ioan. 16. 20.

25. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu inter Aduocatum & Clientem.*

Chriſtus Aduocatus.
Homo Cliens.

In qua probatur, tum Spiritum Sanctum, tum Chriſtum Aduocatum & Patronum generis humani agere: perfectiſſime autem conditiones omnes boni Aduocati Chriſto conuenire: Et quanta hinc fiduciæ, & clientelaris ſeruitii obligatio.

Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Ioan. 16. 7.

Si quis peccauerit Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum Iuſtum. 1. Ioan 2. 1.

26. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu promiſſionis.*

In qua diſſeritur de promiſſionum diuinarum magnitudine, ſecuritate, multitudine. Tum vero etiam de diſcrimine, quod in promiſſionibus Dei ac mundi cernitur.

Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Ioan. 16. 25.

27. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu Donationis.*

In qua deprædicata incredibili liberalitate, & donorum variorum in homines effuſione, docetur, quæ ſit natura donationis diuinæ: quam gratuita: quam tempeſtiua: quam per ſe firma: licet variis de cauſſis ob hominum ingratitudinem reſcindatur.

Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre. Ioan. 15. 26.

LIBER TERTIVS.

De obligatione hominis erga Deum ex contractibus innominatis.

Do, vt des.
Facio, vt facias.
Do, vt facias.
Facio, vt des.

28. *De primo contractu innominato Do, vt Des.*

Date & dabitur vobis. Lucæ 6. 38.

29. *De obligatione hominis erga Deum ex ſecundo contractu innominato.*

Facio vt facias.

In

In qua demonſtratur, quidnam Deus à prima rerum molitione in gratiam omnium, & à cuiuslibet conceptu ad interitum, tum vniuſcuiuſque, tum mundi fecerit, & facturus ſit, cum pacto vt homo viciſſim, quod ſui eſt muneris, faciat.

Compelle intrare. Lucæ 14. 23.

30. *De obligatione hominis erga Deum, ex tertio contractu innominato:*

Do vt Facias.

In qua diſſeritur, tum de donis ad ſanctificationem peccatoris requiſitis, tum de aliis gratuitis Dei beneficiis: & oſtenditur hæc dari, vt homo ſtrenuè faciat, quod eſt muneris proprii.

Gaudium erit coram Angelis DEI *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Lucæ 15. 7.

31. *De obligatione hominis erga Deum ex quarto contractu innominato:*

Facio vt Des.

In qua tractatur, quam admirandis modis Deus faciat quoſdam homines idoneos, ad officia ipſis ab æterno deſtinato: & quid faciat in ſeculi mancipiis, vt ſua ſeque dent liberaliſſimè, & vocantem ad religionem promptè ſequantur.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Matt. 4. 20. *In verbo tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.* Lucæ 5.

LIBER QVARTVS.

De obligatione hominis erga Deum, ex contractu: mandati: Mutui: Vſurarum: Empti: Venditi.

SEV

Ex Titulis, & Iure Dei

Mandatoris: Mandatarii: Mutuatoris: Trapezitæ creditoris: Debitoris.

32. *De contractu inter Mandatorem & Mandatarium.*

Deus Mandator.

Homo Mandatarius.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 5. 20.

33. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu mutui, & vſurario.*

In qua docetur, licitum eſſe paciſci cum Deo de Vſuris, & illis ex Mutuo, Deo dato exſpectare. Adhæc: quibus ex rebus Deus det vſuras disquiritur. Denique, probatur, quod homo ſit mutuator: Deus fœnerator. Accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat Diſcipulis ſuis, vt apponerent: & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos: & ipſos benedixit, & iuſſit apponi. Et manducauerunt & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia. *Matth. 15. Marci 8. 6.*

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem reddet ei. Prouerb. 19. 17.

Homo Mutuator.

Deus Vſurarius.

34. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu fœneratitio trapezitarum.*

In qua diſceptatur, quaſnam pecunias homo in bonis ſuis habeat, vt illas exponere poſſit menſariis, ac fœnus expetere. Simulque oſtenditur, quod cum Deus eſt Mutuator, homo debeat eſſe Vſurarius.

A Fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7. 20. *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam: & ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam?* Lucæ 19. 23.

35. *Deus Mutuator.*

Homo Vſurarius.

De obligatione hominis erga Deum ex contractu Venditi & Empti.

In qua declaratur, quando, quomodo, quoties homo ſit venundatus. Quantum ſit peccati debitum. Æquo id perſolui poſſit.

Quantum debes Domino meo? Lucæ 16. 5.

36. *Homo*

36. *Homo Debitor.*

Deus Conductor.

De obligatione hominis erga Deum, ex contractu mercenario Emptionis.

In qua explicatur, An, & quatenus cœlum ſit venale. Quo ære poſſit coëmi & à quibus. Quot nominibus homini iuſto tanquam Mercatori debeatur? Denique ſitne in hoc contractu Deus Debitor: Homo, Creditor, quamque id certum?

Ingreſſus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes. Lucæ 19. 45.

Deus Debitor.

Homo Creditor.

Liber Qvintvs.

De obligatione hominis erga Deum ex contractu Depoſiti: Fideiuſſoris: Aſſecurationis: Stipulationis: Commodati: Pignoris.

Sev

Ex Titulis, & Iure Dei

Depoſitoris: Depoſitarii: Fideiuſſoris: Stipulatoris: Aſſecuratoris: Commodatoris: Commodatarii. Oppignoratoris.

37. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu depoſiti.*

In qua, Deum, vt Depoſitorem, Hominem, vt Depoſitarium exhibemus, & quam multiplex illi ſit commiſſum depoſitum ex ſacris profaniſque declaramus.

O Timothee Depoſitum cuſtodi 1. Tim. 6. 20.

Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum. Lucæ. 18. 11.

Deus Depoſitor.

Homo Depoſitarius.

38. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu depoſiti.*

In qua hominem vt Depoſitorem Deum, vt Depoſitarium repræſentamus: & quam multiplex fideliſſimo cuſtodi committi debeat Depoſitum, diſquiritur.

Scio, cui credidi, & certus ſum quia potens eſt Depoſitum meum ſeruare in illum diem. 2. Timoth. 1. 12.

Quanto iis præcipiebat magis, tanto magis plus prædicabant. Marci. 7. 36.

Homo Depoſitor.

Deus Depoſitarius.

39. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu Fideiuſſionis.*

In qua ex Fideiuſſionis, & natura, & qualitatibus, deducitur quantopere genus humanum ſibi æternũ obligauerit Chriſtus Dominus, ob Fideiuſſionem longe periculoſiſſimam, ac damnoſiſſimam in eius gratiam præſtitam.

Gratiam Fideiuſſoris non obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Eccleſiaſtici. 29. 20.

Quodcunque ſupererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi. Lucæ. 10. 35.

Fideiuſſor Chriſtus.

40. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu aſſecurationis.*

In qua explicatur quantæ vtilitatis contractus ſit aſſecuratio. Eum inter Deum & hominem eſſe initum. Quæ homini ſit facta de gratia, amicitia Dei, & ſalute ſua ſecuritas. Vnde ea oriatur. An omnium eadem. Quæ argumenta ſecuritatem pariant.

Satagite vt per bona opera veſtra, certam veſtram vocationem & electionem faciatis. 2. Petri. 1. 10.

Ite oſtendite vos ſacerdotibus. Lucæ. 17.

Deus Aſſecurator.

41. *De obligatione hominis erga Deum ex ſtipulatione.*

In qua agitur de variis interrogationibus ac reſponſionibus, quibus per modum ſtipulationis per ſe: paruuli per Patrinos cum Deo conuenerunt abrenunciantes Mammonæ, & pompis eius.

Saluos nos fecit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio ἐπερώτημα, ſtipulatio in Deum. 1. Petri 3. 21.

Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ. Matth. 6.29.

Stipulator Homo.

42. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu commodati.*

In qua declaratur, quo pacto, Deus commodatorem agat, Homo commodatarium, qui commodato vitam accipiat ad certos vſus, ſuo tempore reſtituendam ſecundum leges contractus de commodato.

Amice commoda mihi tres panes Lucæ. 11. 5.

Noli flere. Lucæ 7.13.

Deus Commodator.

Homo Commodatarius.

43. *De obligatione hominis erga Deum ex contractu commodati:*

In qua Annæ Samuelis exemplo docetur, commodandum eſſe Deo primogenitum. Quis autem & qualis ille ſit diuerſorum reſpectu enucleatius declaratur.

Ego commodaui eum Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. 1. Reg. 1.18.

Licet Sabbato curare? Lucæ 14. 4.

Homo Commodator.

Deus Commodatarius.

44. *De obligatione Hominis erga Deum ex contractu Pignoratitio.*

In qua demonſtratur quotuplici pignore, ad ſpei, ac fiduciæ humanæ firmitatem Deus promiſſiones ſuas ſanciuerit. Sigatè autem, & copioſius agitur de Eucharistia, Pignore ſalutis, Amoris, Vnionis, Gloriæ.

Chriſtus cuius Filius eſt? Matthæi 22. 42.

Accommodari poteſt Dominicæ: infra octauam corporis Christi.

Lemma.

O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur: & gloriæ futuræ nobis pignus datur.

Pignorator Devs.

45. *De obligatione Hominis erga Deum ex contractu pignoratitio.*

In qua declarantur, quam ob cauſſam Sacramenta, eorumque characteres, & in iis collata gratia rectè dicantur pignora.

Dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. 2. Corinth. 1. 22.

Liber Sextvs.

De obligatione Hominis erga Deum ex contractu Matrimonii.

Sev

Ex Titulo, ac Iure Chriſti

Sponſi & Mariti.

46. *De Matrimonio inter Verbum & Humanitatem.*

In qua facta participatione Matrimonii generatim, demonſtratur in Incarnatione interceſſiſſe ea, quæ in connubiis apud mortales ſunt præcipua.

Dicite filiæ Sion Rex tuus venit tibi manſuetus. Matthæi 21. 5.

47. *De contractu Matrimonii inter Verbum & Humanitatem.*

Sev

De Matrimonio allegorico.

In qua repetitis prius antiquorum patrum votis ſuſpiriis, querelis, diſſeritur de conſenſu ſponſi ac ſponſæ: de cohabitatione vtriuſque & Fide maritali perpetuò ſeruatâ.

Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus? Matth. 11.3.

48. *De contractu Matrimoniali inter verbum & humanitatem ſiue de Matrimonio Allegorico.*

In qua expoſitis primum variis incarnationis imaginibus, diſputatur de dote, paraphernalibus, ac muneribus nuptialibus, humanitati liberrime, à Patre æterno tanquam dilectiſſimæ filiæ adſignatis.

Non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti Ioan. 1. 27.

49. *De contractu Matrimoniali inter verbum & humanitatem, ſeu de Matrimonio Allegorico.*

In qua

[illegible] de A[illegible]his, donatione propter nuptias, [illegible] dotalibus, Corona, vnctiu[illegible]e, velo nuptiali, idem de conuiuio, de [illegible]m tempore: tædis nuptialibus: tædifero, lucernis, Thalamo Sponſi a[c] Sponſæ, denique de Epithalamio.

Videbit, omnis caro ſalutare Dei. Lucæ 3.6.

50. *De nuptiis Sophiæ ſcripta in gratiam Academicorum Herbipolenſium.*

51. *Modus Chriſtiane ac fructuoſe ſtudendi Iurisprudentiæ.*

FINIS.

INDEX
PRO CONCIONATORIBVS
PER ANNI DOMINICAS.

DOminica Septuageſimæ. *Pagina* 25. Commentatione I.

Conuentione facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Matth. 20.2.

Dominica Septuageſimæ 38. Comment. II.

Sicut dies Mercenarii dies eius Iob. 7.1.

Dominica Septuageſimæ. 46. Comm. III.

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem Pſal. 118. 112.

Dominica Septuageſimæ 53. Comm. IV.

Sicut dies Mercenarii dies eius. Iob. 7.1.

Dominica Septuageſimæ 62. Comment. V.

Sicut dies Mercenarii dies eius. Iob. 7.1.

Dominica Septuageſimæ 73. Comm. VI.

Sicut dies Mercenarii dies eius Iob. 7.1.

Dominica Septuageſimæ 82. Comm. VII.

Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & exclamor eorum in aures Domini *Sabaoth introiuit Iacobi 5.4.*

Dominica Septuageſimæ 89. Comm. VIII.

Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox, maleficis & adulteris, & periuris, &, qui Calumniantur Mercedem Mercenarii. Malachiæ 3.5.

Dominica Septuageſimæ 95. Comm. IX.

Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue: & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. Tob. 4.15.

Dominica Septuageſimæ 98. Commen. X.

Auaro nihil ſceleſtius. Eccleſ. 10.9.

Dominica Septuageſ. 109. Comment. XI.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, Et lingua eucharis in bono homine abundat. Eccleſ. 6.5.

Dominica Septuageſimæ 124. Commentatione XII.

Paterfamilias exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20.1.

Dominica Septuageſimæ 136. Comment. XIII.

Non morabitur opus mercenarii tui apud te vſque mane. Deuter. 24.14. Sed ſtatim ei mercedem reſtitue. Tob. 4.15.

Dominica Septuageſimæ 146. Comment. XIV.

Dominica Septuageſimæ *Pagina* 149. Comment. XV.

Vnusquisque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. 1. Corinth. 3.8.

Dominica Septuageſimæ 172. Commentat. XVI.

Bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo, metemus, non deficientes. Ad Galatas 6.9.

Dominica Septuageſimæ 183. Comment. XVII.

Egredere & abi. Cantic. 1.7.

Dominica Septuageſimæ 190. Comment. XVIII.

Dominica Septuageſimæ 193. Comment. XIX.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui

tis: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus. Luca 17. 10.

Dominica Septuageſimæ 204. Com. XX.

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Luc. 8. 5.

Homo plantauit vineam & locauit eam colonis. Luca 20. 9.

Dominica Quinquageſimæ 217. Commen. XXI.

Empti eſtis pretio magno. 1. Cor. 6. 20.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Luca 18. 31.

Dominica Quinquageſimæ 237. Comment. XXII.

Empti eſtis pretio magno. 1. Corinth. 6. 20.

Dominica ſecunda poſt Paſcha 252. Comment. XXIII.

Ego ſum Paſtor bonus. Ioannis 11. 14.

Dominica III. poſt Paſcha 262. Comment. XXIV.

Plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ioan. 16. 20.

Dominica IV. poſt Paſcha 281. Comment. XXV.

Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Ioannis 16. 7.

Si quis peccauerit, Aduocatus habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. 1. Ioan. 2. 1.

Dominica V. poſt Paſcha 300. Comment. XXVI.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16. 23.

Dominica VI. poſt Paſcha infra octauam Aſcenſionis 315. Comment. XXVII.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre. Ioan. 15. 26.

Dominica I. poſt Pentecoſten. Dominica SS. Trinitatis 329. Com. XXVIII.

Date & dabitur vobis. Luca 6. 38.

Ipſi honor & gloria. Rom. 11.

Dominica II. poſt Pentecoſten 344. Comment. XXIX.

Compelle intrare. Luca 14. 23.

Dominica III. poſt Pentecoſt. 363. Comment. XXX.

Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Luca 15. 7.

Dominica IV. poſt Pentecoſt. 375. Comment. XXXI.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Matt. 4. 20.

In verbo tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Luca 5.

Dominica V. poſt Pent. 386. Commentat. XXXII.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Matt. 5. 20.

Dominica VI. poſt Pent. 407. Comment. XXXIII.

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſsitudinem reddet ei. prouerb. 19. 17.

Accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent: & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſsit apponi. Et manducauerunt & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia. Matth. 15. Marci 8. 6.

Dominica VII. poſt Pentec. 429. Comment. XXXIV.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7. 20.

Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam: & ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam? Luca. 19. 23.

Dominica VIII poſt Pentecoſt. 445. Comment. XXXV.

Quantum debes Domino meo? Luca. 16. 5.

Dominica IX. poſt Pentecoſt. 471. Comment. XXXVI.

Ingreſſus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes. Luca. 19. 45.

Dominica X. poſt Pentecoſt. 489. Comment. XXXVII.

O Timothee Depoſitum cuſtodi. 1. Tim. 6. 20.

Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum, ſicuti cæteri hominum. Luca 18. 11.

Dominica XI. poſt Pentecoſt. 506. Comment. XXXVIII.

Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt Depoſitum meum ſeruare in illum diem. 2. Tim. 1. 12.

Quanto iis præcipiebat magis, tanto plus prædicabant. Marci 7.36.

Dominica XII. Poſt Pentecoſt. 518. Comment. XXXIX.

Gratum Fideiuſſoris non obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam Eccleſiaſtici. 29. 20.

Quodcumque ſupererogaueris, ego, cum rediero reddam tibi Lucæ. 10.

Dominica XIII. Poſt Pentecoſt. 532. Comment. XL.

Satagite vt per bona opera veſtra, certam veſtram vocationem & electionem faciatis 2. Petr. 1. 10.

Ite oſtendite vos ſacerdotibus Lucæ. 17.

Dominica XIV. Poſt Pentecoſt. 546. Comment. XLI.

Saluos nos fecit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bona interrogatio, ἐπερώτημα ſtipulatio, in Deum. *1. Petri. 3. 21.*

Non poteſtis Deo *ſeruire & Mammonæ Matth. 6. 24.*

Dominica XV. Poſt Pentecoſt. 561. Comment. XLII.

Amice commoda mihi tres panes Lucæ. 11. 5.

Noli flere Lucæ. 7. 13.

Dominica XVI. Poſt Pentec. 172. Comment. XLIII.

Ego commodaui eum Domino *cunctis diebus quibus fuerit commodatus* Domino. *1. Reg. 1. 28.*

Licet Sabbato curare? Lucæ. 14. 4.

Dominica XVII. Poſt Pentecoſt. 585 Comment. XLIV.

Chriſtus cuius filius eſt. Matthæi. 42.

Accommodari poteſt Domini. ç infra octauam corporis Chriſti.

Lemma.

O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur: & gloriæ futuræ nobis Pignus datur.

Comment. XLV.

Dedit *Pignus ſpiritus in cordibus noſtris 2. Corinth. 1. 22.*

Dominica I. Aduentus. 608. Comment. XLVI.

Dicite *filiæ Sion Rex tuus venit tibi manſuetus Matth. 21. 5.*

Dominica II. Aduentus. 622. Com. XLVII.

Tu qui venturus es, an alium exſpectamus Matth. 11. 3.

Dominica III. aduentus 434. Com. XLVIII.

Non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti eius Ioann. 1. 27.

Dominica IV. aduentus 649. Comment. XLVIIII.

V*idebit omnis caro ſalutare* Dei, *Lucæ. 3. 6.*

De *nuptiis Sophiæ.* 670.

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM.

A.

Abailardus.
Abbas.
Abraham Bzouius.
Andreas Veſalius.
Andreas Capella.
Adamus Saſbaut.
Albertus Magnus.
S. Ambroſius.
Albutius.
Alenſis.
S. Anſelmus.
Angelinus Gazæus.
Alionius.
Attico.
Athanaſius.
Accurſius.
Adrianus.
Aloyſius.
Auerroes.
Alexander de Alexandro.
Alcibiades.
S. Auguſtinus.
Alcaſar.
Andreas de vega.
Ariſtoteles.
Ananias.
Angelus.
S. Antoninus.
Aquila.
Ariſtophanes.
Azor.
Azo.
Anaxandridas.
Athenæus.
B. Antonius.
Athanaſ. Conſtantinop.
Alphõſus Salmeron.
Aluarez.
Anſonius.
S. Antonius.
Anaſtaſius.
Anton. Nebriſſenſis.
Antonius Spinellus.
Antonius Dauroultius.
Aloyſius Lipoman.
Agellius.
Adrianus.
Antonius Mirandulanus.
Arias.
Aponius.

B.

Beda.
S. Baſilius.
Bernardus.
Benedictus Iuſtinianus.
Boëtius.
Bartolus.
Baronius.
Bonauentura.
Bellarminus.
Baſſus.
Bythius.
Bernardinus.
Budæus.
Blondus.
S. Bernardus.
S. Bonauentura.
S. Benedictus.
Beza.
Billius.
Bourgeſius.
Baldus.
Bencius.
Buſæus.
Brutus.
Berchorius.

C.

Caſſiodorus.
Campenſis.
Caietanus.
Cato.
Carthuſianus.
Caſſiodorus Willermannus.
Caſſianus.
Caluinus.
Caſtro.
Carolus Regius.
Caſpar Sanctius.
Carolus Scribanius.
Cantacuzenus.
Cancellarius Pariſienſis.
Chryſoſtomus.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Cleantes.
Cornelius à Lapide.
Conradus.
Chriſtophorus à Caſtro.
Columella.
Cyrillus Hieroſoly.
Cotta.
Chriſt. Browerus.
Claudius Victor.
Cyprianus.
Conſaluus Silueria.
Commirolus.
Coſterus.
Crombecius.
Couarruuias.
Chriſto. Gillius.
Cæſar.
Climacus.
Cicero.

D.

Damaſcenus.
Decius.
Dionyſius.
Driedo.
Dominicus Bannez.
Druthmarus.
Durandus.
Dauid Pareus.
Didacus Lopez.
Diodorus.
Dominicus Soto.
Delrius.
Demoſthenes.

E.

Ægidius Coninck.
Ægidius Rom.
Ælianus.
Eraſmus.
Euſebius Emiſſenus.
Epiphanius.
B. Ephrem Syrus.
Euthymius.
Epictetus.
Rab. Elias.
Eugubinus.

Fran-

Digitized by Google

F.

Franciſcus Bencius.
Franciſcus Garzia.
Franciſcus Paulnus.
Franciſcus Turrianus.
Franciſcus Feuardentius.
Fran. Labata.
Franciſcus Sacchinus.
Franciſcus Coſterus.
Franciſcus Philelphus.
Fran. Vatablus.
Franc. Romæus.
Franciſcus Ribera.
FernandusRebellus.
Fulgentius.
Fulgoſus.
Fonſeca.

G.

Gagneius.
Galenus.
Gabriel.
Galatinus.
Gagnetus.
Gerſon.
Genebrardus.
Goffretus.
S. Gregorius.
Gualterus.
Gulielmus.
Gratianus.
Guidaçerius.

H.

Haymo.
Heſychius.
Hugo Vict.
Harpocalion.
Henricus Stephanus.
S. Hieronymus.
Hieronymus Platus.
Hector Boëtius.
Hieremias Drexelius.
Horatius.
Homerus.
Hegeſippus.
Herodotus
Henriquez.
Hieronym. Floravantius.
Hoſtienſis.
S. Hilarius.
Hugo Cardinalis.
Hugo Ætherianus.
Heraclides.
Herodianus.
Hypocrates.
Horatius Turſelinus.
Honorius.

I.

Ianſenius.
Ioan. Pineda.
Ioan. Gerſon.
Ioan. Mariana.
Ioan. Crombetius.
Ioan. Azor.
Ioan. Magerantinus.
Ioan. Ferdinandus.
Ioan. Bourgeſius.
Ioan. Dauid.
Ioan. Malderus.
Ioan. Bunderus.
Ioan. Salas.
Ioan. Baptiſta.
Ioan. Vilalpando.
Ioan. Faber.
Iacobus Payua.
S. Ignatius.
Irenæus.
Ionathan Chaldęus.
Iacobus Valentia.
Iſidorus Clarius.
Iodocus Clictouęus.
Ioſephus.
Iulius Mazarinus.
Iulius Nigronius.
Iſodorus
Iuſtinus Martyr.

K.

Kemnitius.
Kuardus.
Kottenſis.

L.

Lactantius.
Laurentius.
B. Laurentius Iuſtianus.
Laertius.
Leontius.
Lipſius.
Labeo.
Leonclauius.
Leonardus Leſſius.
Lelius Biſciolus.
Liuius.
Leonardus Marius.
Ludouicus de Pōte.
Ludouicus Richeonus.
Lycurgus.
Langius.
Ludolphus Carthuſianus.
Luiſius.
Lorinus.
Lampridius.
Lindanus.
Lyſander.
Lyranus.
Lucas Brugenſis.
S. Leo.
Liuius.
Lopez.
Lucianus.

M.

Martinus Becanus.
MarcusSocci.
Marſilius.
Maior.
Macharius Ægyptius.
Magiſter Lombardus.
MartinusCromerus.
B. Macharius.
Maldonatus.
S. Maximus.
Martinus Cantepratenſis.
Martinus Roa.
Macrobius.
Martialis.
Medina.
Molina.
Minutius Felix.
Michael Baius.
Michael Aignanus.
Matthæus Rhaderus.
Myſon.

N.

Nauarrus.
Nazianzenus.
Nauclerus.
Nicolaus Serarius.
Nicophorus.
Nyſſenus.
Nicetas.

O.

ORigenes.
Oneſſinus.
Oppianus.
Orgelitanus.
Oſorius.
Oſtienſis.
Ouidius.
Oſorius Iunior.
Oecumenius.

P.

PArthenius Litigioſus.
Paludanus.
S. Paulus.
Paulus Salodius.
Paulus Comitolus.
Paulus Laymannus.
S. Pachomius.
Pagnuinus.
Panormitanus.
Phauorinus.
Pelagius.
Petrus Bembus.
Petrus Caniſius.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Toloſanus.
Peretius
Petrus Matthæus.
S. Petrus Chryſologus.
Petrus Damianus.
Plautus.
Platus.
Petrus Lombardus.
Paulus Fuſchus.
Peraldus.
Plutarchus.
Platina.
Philo.
Primaſio.
Pammachius.
Prateolus.
Proſper.
Philippus Melanchthon.
Philippus Valeſius.
Philippus Greueus.
Procopius.
Pontanus.
Potius.
Paulinus.
Pius. V.
Phalaris.
Primaſius.
Phocion.
Plinius.

Q.

QVIRINVS Salazar.
Quintilianus.

R.

RAlbach.
Rebellius.
Richardus Pompolitanus.
Remigius.
Rosvveidus.
Ruffinus.
Rupertus.
Reginus.
Rab. Kimhi.
Rab. Abraham.
Rudolphus.

S.

SAnderus.
Salmeron.
Saluſtius.
Sedulius.
Silueſter.
Stobæus.
Scotus.
Suetonius.
Suarez.
Suidas.
Silius Italicus.
Seneca.
Statilius.
Sotus.
Sebaſtianus Banadius.
Soto.
Scoppius.
Sembronius Aſtellio.
Simeon Metaphraſtes.
Solon.
Surius.

T.

TAbiena.
Tarzius.
Tapperus.
Tertullianus.
Theodoretus.
S. Thomas Cantuarienſis.
Thomas Sanchez.
Thomas de Kempis.
Thomas Titelmannus.
Theodorus Mopſueſtenus.
Tacitus.
Terentius.
Thuanus.
Turrecremata.
Toletus.

V.

VAtablus.
Volateranus.
Virgilius.
Valentia.
Varro.
Victoria.
Vlyſſes Aldrouandus.
Vlpianus.
Vilagula.

X.

Xenophon.

INDEX
SACRÆ SCRIPTVRÆ.
TESTAMENTVM VETVS.

GENESIS.

CAP. PAG.

14. EGo protector tuus & merces tua magna nimis 39. 49.

49. Non auferetur ſceptrum de Iuda & dux de femure eius donec veniat qui mittendus eſt &c. 613

4. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra 85

18. Clamor Sodomorum & Gomorrha multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggregatum eſt nimis 85.

31. Iacob diligentiſſimus paterfamilias cum eſſet paſtor die noctuque aſtu vrebatur &c. 128.

22. Per memetipſum iuraui, quià feciſti rem hanc, & non pepercisti filio propter me, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum. 141.

3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. 623

3. Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis. 185

4. Ecce eiicis me. Quid commerui? 186

11. Poſuit eum in paradiſo voluptatis vt operaretur, & cuſtodiret illum. 204

2. In quocunque die comederis ex eo, morte morieris. 258

6. Videns quod multa malitia eſſet in terra &c. 325.

1. In principio creauit Deus cœlum & terram. 345.

26. Benedicentur in te omnes gentes, eo quod obedieris & cuſtodieris mandata mea. 386

4. Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius. 474.

3. De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: 525.

43. Ego ſuſcipio puerum, de manu mea require illum. 530

EXODVS.

9. DOminus iuſtus, ego & populus meus. 1.

19. Hæc dices domus Iacob, & annumerabis filiis Iſrael, vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis: ſi audieritis pactum meum, eritis mihi in peculium, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens Sancta. 14

20. Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis & non peccaretis. 59

22. Si pignus à proximo tuo acceperis, veſtimentum ante ſolis occaſum reddes ei, ipſum enim eſt ſolum quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud, in quo dormiat: ſi clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum. 77

12. Viduæ & pupillo non nocebitis: ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me: & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus: percutiamque vos gladio. 85

5. Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut prius: ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas, & menſuram

laterum, quam prius faciebant, imponetis ſuper eos, nec minuetis quicquam, opprimantur operibus, & expleant ea 87.
Ibid. Quare non impletis menſuram laterum ſicut prius, nec heri, nec hodie. 87
15. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro. 87
2. Ego dabo tibi mercedem. 95
21. Si paupertate compulſus, vendiderit ſe tibi frater tuus, non opprimes eum ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit. Mei enim ſerui ſunt, & ego eduxi eos &c. 115.
3. Viſitans viſitaui vos. 132
33. Oſtende te inquit Moſes mihi. 134
20. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. 210
6. Locutuſque eſt Dominus ad Moſen & Aron, & dedit mandata ad filios Iſrael. 386.
15. Si obedieritis mandatis eius: 386
214. Dabo tibi legem & mandata. 386
22. Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in cuſtodiam & ab eo qui ſuſceperat, furto ablata fuerint, ſi inuenitur fur, duplum reddet. 503

LEVITICVS.

19. NOn morabitur opus Mercenarii tui apud te vſque mane 30.75.76.77.83.84.97.
24. Educ blaſphemum extra caſtra. 210
19. Non peiurabis in nomine meo. 210
25. Si mutuauerit apud vos manus aduena atque peregrini, & attentatus frater tuus vendiderit ſe ei. 240.
25. A fratre non accipias vſuras, non amplius quam dediſti &c. 443.

NVMERI.

27. PRouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc 260
18. Ego pars & hereditas tua 321

DEVTERONOMIVS.

22. DEi perfecta ſunt opera & omnes viæ eius iudicia. 1.
5. Oſtendit vobis pactum ſuum, quod præcepit, vt faceretis. 14
33. Quaſi primogenitum tauri pulchritudo eius; cornua rhinocerotis cornua illius &c. 577
18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies. 614
4. Caue ne aliquando obliuiſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum. 14
24. Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui. 30.76.83,
32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. 59
25. Non alligabis os boui trituranti. 111
23. Non trades ſeruum Domino ſuo qui ad te confugerit. 116
32. Percutiam & ſanabo. 180
5. Non vſurpabis nomen Dei tui fruſtra. 210
32. Nonne ideo quia Deus vendidit eos. 223
28. Ibi venderis inimicis in ſeruos & ancillas. 225.
49. Inde paſtor egreſſus eſt lapis domus Iſrael. 254
28. Benedictus eris ingrediens & egrediens. 260
23. Non offeres mercedem proſtibuli: nec precium canis in domo Domini. 343
31. Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? 454
24. Cum repetes à proximo tuo rem aliquam quam tibi debet non ingredieris domum eius. 468
4. Cuſtodite mandata Dei veſtri. 493
32. Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore. 515.
8. Obſerua & caue, ne aliquando obliuiſcaris Domini Dei tui & negligas. 523
32. Deum qui te genuit dereliquiſti & oblitus es. 524

IOSVE.

1. NOn recedat volumen legis huius ab ore tuo 392

LIBER

Digitized by Google

LIBER IVDICVM.

1. *Sicut feci ita reddidit mihi* DOMINVS 118.
2. *Iratusque Dominus contra Iſrael &c. & vendiderunt hoſtibus* 223
8. *Dominare noſtri tu & filius tuus* 255
4. *Addiderunt filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini & obliti ſunt Dei ſui.* 525

RVTH.

1. *Dominus vobiſcum* 113
2. *Conſanguineus, homo potens & magnarum opum Booz.* 127

LIBRI REGVM.

1 Reg.13. *Inueni Dauid virum ſecundum cor meum* 580
2.Reg.23. *Dixit Deus Iſrael mihi, loquutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum, iuſtus Dominator* 2
4.Reg.23. *Fecit malum coram Domino iuxta omnia quæ fecerant patres eius* 84
1.Reg.26. *Quodcunque inuenerit manus tua, da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid* 87
1.Reg.25. *Non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem* 87
2.Reg.24. *Ego ſum, ego peccaui, & ego Paſtor male feci.* 187
1.Reg.15. *Quia proieciſti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus.* 187
1.Reg.15. *Sit Dominus noſter nobiſcum ſicut fuit cum patribus noſtris.* 187
1.Reg.15. *Vſque quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum?* 187
3.Reg.8. *Si auerſione auerſi fueritis, vos, auferam Iſrael de ſuperficie terræ.* 187
4.Reg.24. *Iratus fuit Dominus contra Ieruſalem & Iudam donec proiiceret eos à facie ſua.* 187
3.Reg.21. *Qui venundatus eſt vt faceret malum.* 223
ibid. *Eo quod venundatus ſis vt faceres malum in conſpectu Domini.* ibid.
1.Reg.3. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* 249
2.Reg.5. *Tu paſces populum meum Iſrael* 255
1.Reg.18. *Egrediebatur & intrabat in conſpectu populi* 262
2.Reg.3. *Vt ſciret exitum tuum & introitum tuum* 262
1.Reg.2. *Noli timere ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis* 321
1.Reg.2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum* 325
1.Reg.15. *Non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus eius aliquid:* 402
Ibid. *Pœnitet me, quod conſtituerim Saul Regem* 402
Ibid. *Nunquid vult Dominus holocauſta.* 403.
1.Reg.15. *Recenſui quæcumque fecit Amalech,* 454
1.Reg.2. *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commodaſti Domino.* 573

LIBRI PARALIPOMENON.

1.Par.19. *Da mihi ſapientiam & intelligentiam vt ingrediar* 262
2.Par.12. *Iuſtus eſt Dominus* 2
2.Par.15. *Vos ergo confortamini, erit enim merces operi veſtro* 39
1.Par.vlt. *Vere tua ſunt omnia, & quæ de manu accepimus dedimus tibi* 290
2.Par.36. *Fecitque malum coram Domino Deo ſuo* 84

ESDRAS.

2.Eſdr.9. *Tu Domine* DEVS *impleſti verba tua, quoniam iuſtus es. Tu iuſtus es in omnibus, quæ venerunt ſuper nos, quia veritatem feciſti, nos autem impie egimus* 2

TOBIAS.

3. *Iuſtus es Domine & omnia iudicia tua iuſta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia & veritas & iudicium* 2
4. *Quicunque tibi aliquid operatus, ſtatim ei mercedem reſtitue: Et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat* 83 96.
3. *Nunquam cum ludentibus miſcui me* 210

4. *Ex ſubſtantia tua fac Eleemoſynam* 334
4. *Si multum tibi fuerit* 334
4. *Præmium bonum tibi theſaurizas* 335
4. *Qui coniugia ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & ſua mente excludant, in his habet poteſtatem Dæmon* 525

IVDITH.

3. *PRopter hoc nos vendidit Deus in manibus eorum* 223

ESTHER.

14. *IVſtus es Domine: & nunc non eis ſufficit, quod duriſſima nos opprimunt ſeruitute ſed robur manuum ſuarum idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promiſſa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te* 2
6. *Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus conſecutus eſt* 95

IOB.

38. *QVis eſt pluuiæ pater? aut quis genuit ſtillas roris &c.* 580
5. *Naſcitur homo ad laborem, ſicut auis ad volatum* 346. & 27
7. *Peccaui, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum* 353
22. *Abſtuliſti pignus fratrum tuorum ſine cauſſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus* 458
21. *Qui detrahit alicui rei* 484
21. *Deus ſeruauit filiis illis dolorem patris* 484
31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine* 494
6. *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix* 515.
9. *Eſt enim hominis vita omnis nauigatio* 533
9. *Si venerit ad me non videbo eum, ſi iuſtificare me voluere, os meum &c.* 542
31. *Quid faciam quando ad iudicandum venerit Dominus* 542
7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram & ſicut dies Mercenarii dies eius* 27
8. *Heſterni quippe ſumus & ignoramus quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſuper terram* 31
22. *Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris, aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita.* 35
7. *Mercenarius præſtolatur finẽ operis ſui.* 53. 76.
38. *Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis.* 73
24. *Nudis & incedentibus abſque veſtitu & eſurientibus tulerunt ſpicas.* 92
10. *Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* 135
11 *Vir vanus in ſuperbiam erigitur & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* 256.
35. *Porro ſi iuſte egeris, quid donabis ei: aut quid de manu tua accipiet.* 290
41. *Quid ante dedit mihi & reddam.* 322

LIBER PSALMORVM.

10. *IVſtus Dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* 2. 4.
111. *Miſericors & miſerator & iuſtus.* 3
4. *Filii hominum vſque quo graui corde.* 580
50. *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te conuertentur.* 606
114. *Miſericors Dominus & iuſtus & Deus noſter miſeretur.* 3
79. *Oſtende nobis Domine faciem ſuam & ſalui erimus. Deus meus ne tardaueris. Veni Domine & noli tardare.* 622
118. *Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum.* 3.
128. *Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorũ.* 3
144. *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis.* 3.
21. *In te proiectus ſum ex vtero* 616
4. *Cum inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* 4.
5. *Domine deduc me in tua iuſtitia.* 4
61. *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti.* 626
7. *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.* 4
118. *Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me.* 4
30. *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.* 4. 511
34. *Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam Domine Deus meus* 4
142. *Domine exaudi orationem meam auribus percipe obſecrationem meam.* 4.

9. *Quo-*

Digitized by Google

[illegible] Q[illegible] [illegible]um & cauſſam meam, [illegible] [illegible]m, qui iudicas iuſtitiam 5
70 D[illegible] [illegible]or iuſtitiæ tuæ ſolius 5
5[illegible] Ex[illegible] [illegible] [illegible]a iuſtitiam tuam 5
34 [illegible] [illegible] meditabitur iuſtitiam tuam 5
[illegible] Iuſ[illegible]a tua ſicut montes Dei 6.7
44. D[illegible]x[illegible] iuſtitiam & odiſti iniquitatem 7
70. Potentiam tuam & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia; Deus quis ſimilis tibi? 7
88. Firmetur manus tua & exaltetur dextera tua 7
118. Iuſtitia tua iuſtitia in æternum 7
49. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos 290
71. Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde. Mei pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei 12
89. Quoniam mille anni ante oculos eius, tanquam dies heſterna quæ præteriit 31
43. Propter te morte afficimur tota die 42
118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, in æternum propter retributionem 47.49
30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te 50
102. Qui refert in bonis deſiderium tuum 50
106. Animam eſurientem ſatiabit bonis 50
18. Timor Domini ſanctus permanent in ſeculum ſeculi 55
89. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ & præ timore tuo iram tuam dinumerare. 59
7. N[illegible] conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis 59
118. Confige timore carnes meas 59
108. Hoc opus qui detrahunt mihi 76
[illegible]2. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]us ſum apud te, & ego ſemper [illegible] 110
126. N[illegible] Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam 150
127. Beatus es & bene tibi erit 158
[illegible] Vouete & reddite 175
118. Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ [illegible] 185
26. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea 185.
72. Conuertere anima mea in requiem tuam 185
5. Ne proiicias me à facie tua 186
26 Vultum tuum Domine requiram 186
18. Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum 186
8. Dimiſi eos in deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis 188
144. Deus prope eſt omnibus inuocantibus ſe 190
94. Hodie ſi vocem eius audieritis 211
127. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ &c. 615
30. Redemiſti me Domine Deus veritatis 234
47. Vendidiſti populum tuum ſine precio 236
17. In te eripiar in tentatione 239
43. In te inimicos noſtros ventilabimus 234
23. Domini enim terra & plenitudo eius 246
49. Cognoui omnia volatilia cæli. 256
31. Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus 259
120. Dominus cuſtodiet introitum tuum & exitum tuum 260
72. Mihi adhærere bonum eſt 272
62. Adhæſit anima mea poſt te 272
44. Propterea benedixit eum Deus in æternum 292.
26. Dominus illuminatio mea & ſalus mea 321
144. Oculi omnium in te ſperant Domine 330
111. Diſponit ſermones ſuos in iudicio 337
145. Fecit cælum & terram & omnia quæ in eis ſunt. 345
44. Ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud 345
17. In Deo tranſgrediar murum 347
59. In Deo faciemus virtutem 347
72. Ad nihilum redactus ſum & neſciui 364
21. Spes mea ab vberibus matris meæ 369
103 Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. 375
77. Mandata eius exquiram 387
88. Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint 387
102. Miſericordia Domini ab æterno & vſque in æternum 390
118. Mandata tua meditatio mea eſt. 394
1. In lege eius meditabitur die ac nocte 394

****

118. Ego

118. *Ego autem exercebor in mandatis tuis* 395
ibid. *In mandatis tuis exercebor* ibid.
36. *Os iuſti meditabitur ſapientiam & lingua eius loquetur iudicium* 396
34. *Lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam.* 396
118. *Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua* 396
Ibid. *Mandata tua deſiderabam.*
Ibid. *Mandata tua elegi.*
Ibid. *Mandata tua concupiui.*
Ibid. *Meditabor in mandatis tuis.*
Ibid. *Leuaui manus meas ad mandata tua.*
Ibid. *Mandatis tuis credidi.* } 396
v.66.ib. *Ideo dilexi mandata tua ſupra aurum & topazion.* 396
Ibi.v.127. *Mandata tua non ſum oblitus* 396
102. *Memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.* 397
18. *Tu mandaſti mandata cuſtodiri nimis* 397
Ibi.v.146. *Clamaui ad te ſaluum me fac vt cuſtodiam mandata tua* 397
118. *Seruaui mandata tua & teſtimonia tua* 399
35. *Inebriantur beati ab vbertate domus tua Domine* 416
36. *Tota die miſeretur & commodat* 420
Ibid. *Mutuabitur peccator & non ſoluet* 420
21. *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum* 452
36. *Iuſti hæreditabunt terram* 474
83. *Miſericordiam & veritatem diligit* Dominus 481
54. *Extendit manum ſuam in retribuendo* 484
118. *Auerte oculos ne videant vanitatem* 494
140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo* 494
129. *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* 502
21. *Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ* 511
21. *In te ſperauerunt patres noſtri* 511
5. *Lætentur omnes qui ſperant in te* 511
17. *Deus meus adiutor meus* 511
24. *Non erubeſcam quoniam ſperaui in te* 511
117 *Bonum eſt ſperare in Domino quam ſperare in principibus.* 513
33. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt* 523
117. *Circumdederunt me ſicut apes* 524
9. *Non eſt in conſpectu eius* Deus 525
85. *Multæ miſericordiæ & verax* 181
5. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper* 525
110. *Miſericors & miſerator* Dominus *eſcam dedit timentibus ſe* 526
38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis.* 529
18. *Ab occultis meis munda me* 542
2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes.* 551

PROVERBIA SALOMONIS.

28. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui* 134
23. *Fili mi præbe mihi cor tuum* 580
31. *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent illum in portis opera eius.* 157
12. *Ne diſciplinam patris abiicias fili.* 179
23. *Ne, quæſo te, intuearis vinum cum ſplenduerit in vitro color eius* 212
3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum tuarum da ei.* 333
2. *Fili mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te* 398
17. *Malus obedit linguæ iniquæ* 494
11. *Qui ambulat fraudulenter reuelat arcanum: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum.* 491
15. *Iter pigrorum, quaſi ſepes ſpinarum* 515
1. *Timor Domini initium ſapientiæ* 59
14. *Timor* Domini *fons vitæ, vt declinet à ruina mortis* 61
13. *Vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare* 96
12. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas* 110
12. *Viſcera impiorum crudelia* 111
6. *Sex ſunt quæ odit* Dominus. 210
12. *Abominatio eſt Domino labia mendacia,* 210.
19. *Qui loquitur mendacia non effugiet.* 210
1. *Quia vocaui & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* 211
1. *Fili mi ſi lactauerint te peccatores* 258

31. *Qua*

17. Quæ guſta[illegible] & vidit quia bona eſt negociatio 2[illegible]4
4. Iuſtorum [illegible] quaſi lux &c. 367
3. Fi[illegible] hæc ab oculis tuis 397
15. Fœneratur [illegible]omino qui miſeretur pauperis, & [illegible]ncem reddet ei 425
13. Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum o[illegible]gat: qui timet præceptum in pace verſa[illegible]r 483
8. Timor Domini odit malum. 526
6. Non ſpondeas ſuper virtutem tuam amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus &c. 528
1. Stultus homo plaudit manibus cum ſpoponderit pro amico ſuo 528
7. Tollet veſtimentum eius, qui fideiuſſor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo 528
6. Fac ergo fili mi, quod dico, & temetipſum libera 528
1. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo. 528.
20. Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato 542

ECCLESIASTES.

1. Oculus non impletur viſu, nec auris auditu 185
12. Deum time & mandata eius obſerua 364
6. Vir cui dedit Deus diuitias. 335

CANTICA SALOMONIS.

5. Manus tuæ tornatiles plenæ hyacinthis. 330
5. Aperi mihi ſoror mea, amica mea 323
2. En ipſe ſtat poſt parietem 525
8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem 536

LIBER SAPIENTIÆ.

12. Cum ſis iuſtus omnia iuſte diſponis. 3
2. Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ 3
5. Iuſti autem in perpetuum viuent & apud Dominum eſt merces eorum. 39
2. Neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ nec indicauerunt honorem animarum ſanctarum 48
1. Os quod mentitur occidit animam 210
1. Cuſtodite vos à murmuratione 210
1. Spiritus S. Diſciplinæ effugiet fictum & corripietur à ſuperueniente iniquitate 325
8. Hanc amaui à iuuentute mea & quæſiui 415
1. In maleuolam animam, non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis 467.
3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis 513

ECCLESIASTICVS.

24. Qui elucidant me, vitam æternam poſſidebunt 606
15. Qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet illum 616
36. Da mercedem, domine ſuſtinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. 624
25. Timor Domini initium dilectionis eius 59
1. Radix ſapientiæ eſt timere Dominum, & rami illius longæui 61
11. In die bonorum ne memor ſis malorum, & in die malorum ne memor ſis bonorum: quia facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vires ſuas 79
7. Non lædas ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam 84
34. Panis egentium vita pauperis eſt. 85
ibid. Qui defraudat illum homo ſanguinis eſt 85
ibid. Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum 85
14. Nonne aliis relinques dolores & labores tuos in diuiſione ſortis, da & accipe & iuſtifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum. 98
7. Non lædas ſeruum, ſeruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua 118
33. Si eſt tibi ſeruus, ſit tibi quaſi anima tua 119
2. Patientia iuſtus probatur 180
2. Crede Deo & recuperabit te 190
38. Honora medicum 191
27. Loquela multum iurans &c. 210
2. Væ duplici corde & labiis ſceleſtis 210

5. Suſur-

5. *Suſurratori odium, & inimicitia & contumelia* 210
5. *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui* 212
9. *Virginem ne conſpicias* 212.&494
27. *Sicut in medio compaginis palus figitur: ſic & inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum.* 218
13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea* ibid.
2. *Aufer iram à corde tuo.* 258
7. *Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te* 258
13. *Si communicabit aliquando lupus cum agno: ſic peccator iuſto* 260
44. *In tempore iracundiæ facta eſt reconciliatio* 321
15. *Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te* 397
20. *Hodie fœneratur quis & cras expetit* 443
31. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere malum & non fecit* ibid.
9. *Ne reſpicias mulierem multiuolam* 494
Ibid. *Noli circumſpicere in vicis ciuitatis* ibid.
Ibid. *Auerte faciem à muliere compta* ibid.
25. *Omnis plaga triſtitia cordis* 497
29. *Fideiuſſoris non obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam* 521
20. *Gratia fatuorum effundentur* 525
39. *Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis eius* 525
23. *Omnis homo qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens in animam ſuam & dicens: quis me videt? tenebræ circumdant me* 526
29. *Repromiſſorem fugit peccator & immundus* 526
29. *Vir repromittit de proximo ſuo, & cum perdiderit reuerentiam derelinquetur ab eo* 527
Ibid. *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes.* ibid.
Ibid. *Recupera proximum ſecundũ virtutem tuam, & attende tibi ne incidas* ibid.
10. *Pecuniæ obediunt omnia.* 529
5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu* 542
13. *Quæ communicatio ſancto homini ad canem.* 559

ISAIAS.

28. *Manda, remanda: manda, remanda: expecta, reexſpecta, modicum ibi, modicum ibi* 624
7. *Vt ſciret reprobare malũ & eligere bonum* 84
26. *De mane vigilabo ad te* 132
62. *Omnia opera operatur in nobis Dominus* 136.
41. *Ecce merces eius cum eo* 143
63. *Torcular calcaui ſolus* 143
9. *Tradam Ægyptum in manum crudelium Dominorum* 189
63. *Ipſi ad iracundiam, prouocauerunt & affixerunt Spiritum Sancti eius* 325
1. *Derelinquetur filia Sion ſicut vmbraculum in vinea* 189
14. *Prope eſt vt veniat tempus eius, & dies eius elongabuntur* 623
34. *Fit cubile draconum* 189
3. *Pro eo quod eleuata ſunt filiæ Sion, decalcauit Dominus verticem filiarum Sion* 210
55. *Venite & emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac* 233
52. *Ipſe ædificabit ciuitatem, & captiuitatem meam dimittet, non in precio neque in muneribus* 243
50. *Nunquid abbreuiata eſt & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere?* 251
2. *Cognouit bos poſſeſſorem* 259
50. *Deus dedit mihi linguam eruditam*
33. *Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum.* 325
1. *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me* 325
28. *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum* 349
56. *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum melius* 419
65. *Ecce ſcriptum eſt coram me, non tacebo, ſed reddam & retribuam* 454
58. *Diſſolue colligationes impietatis* 458
1. *Erit veſtra fortitudo vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla & ſuccendetur vtrumque* 466
41. *Ne timeas, quia ego tecum ſum ne declines* 515

4[illegible] [illegible] iniquitates tuas propter me [illegible]

1[illegible] [illegible], quia oblita es Dei ſaluatoris [illegible] 525

5[illegible] [illegible] noſtras tulit, & dolores noſtros [illegible] 529

5[illegible] [illegible] mihi? ſlemus ſimul, quis [illegible] meus? Dominus Deus auxi-lia[illegible] meus? 558

4[illegible] Quis nunciat ab exordio, vt ſciamus, & à principio, vt dicamus, Iuſtus es? non eſt n[illegible] annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones noſtros 3

45. Nunquid non ego dominus &c. Deus Iuſtus & ſaluans non eſt præter me 3

16. Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto 7

28. Coagulatum eſt ſtratum ita vt alter decidat, & pallium breue operire vtrumque non poteſt 32

40. Ecce Dominus veniet merces eius cum eo 39

33. Quis habitare poterit de vobis cum igne deuorante? 59

37. Et erit opus iuſtitiæ pax 76

IEREMIAS.

8. EXpectauimus pacem & non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido 624

32 Emi agrum ab Hanameel filio patrui mei 550

12. Væ qui domum ſuam ædificat in iniuſtitia, & cœnacula ſua in iudicio, amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem eius non reddit ei 84

1. Vigilabo ego 132

23. In Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium & iter mendacii 152

31. Fœmina circumdabit virum 626

14. Nolite audire verba Prophetarum, quia ipſi falſo prophetant vobis 152

5. Curauimus Babylonem & non eſt curata 189

25. Dereliquit quaſi leo tabernaculum ſuum 189

15. Non ſedi cum conſilio ludentium 210

5. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum. 212

2. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te 256

5. Equi amatores & emiſſarii facti ſunt 259

17. Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens 260

9. Aſcendit mors per feneſtras 494

17. Maledictus homo qui confidit in homine 511

12. Iuſtus quidem tu es Domine ſi diſputem tecum, veruntamen iuſta loquar ad te 312

23. In diebus illis ſaluabitur Iuda & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter 3

31. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iacob fœdus nouum 13

Threnor.1. Migrauit Iudas propter afflictionem & multitudinem ſeruitutis: habitauit inter gentes, nec inuenit requiem 87

Threnor.3. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea 271

Threnor.3. Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ 525

Threnor.1. Iuſtus eſt Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui 3

BARVCH.

2. IVſtus eſt Dominus in omnibus operibus ſuis, quæ mandauit nobis 3

EZECHIEL.

17. VRbs negociatorum 264

33. Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit 177

16. Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornica es ideo egredere 184

16. Zelus meus recedet à te vt non iraſcar 188

18. Ecce ego extendam manum ſuper te, auferam iuſtificationes tuas, dabo te in manus odientium te 189

25. Pro eo quod plauſiſti manu interficiam te 210

18. Conuertimini & agite pœnitentiam, ab omnibus iniquitatibus veſtris 211

33. Conuertimini, Conuertimini à vijs veſtris peſſimis 211

18. Cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua & fecerit iniquitatem 474

9. Signa Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fuit in medio eius 525

DANIEL.

4. Dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud 246
12. Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti 419
4. Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime. 454
4. Forſan ignoſcet 543
9. Iuſtus eſt Dominus in omnibus operibus ſuis, qua fecit, non enim audiuimus vocem eius 3
3 Iuſtus es in omnibus qua feciſti nobis. Et vniuerſa opera tua & via tua recta, & omnia iudicia tua vera 3

OSEAS.

7. Euertitur vt ſit abſque Vigo 256
14 Quoniam ad amaritudinem concitauerunt Deum ſuum 325
12. Tota die mendacium vt vaſtitatem multiplicat 563

IOEL.

2. Conuertimini ad Deum in toto corde veſtro in ieiunio, in fletu & in planctu 211
3. Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, Filios Iuda & filios Ieruſalem vendidiſtis filiis Græcorum, vt longe faceretis eos de finibus ſuis 225
1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo 525

AMOS.

6. Qui dormitis in lectis eburneis & laſciuitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem pſalterii, bibentes vinum in phialis & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſephi fratrum ſuorum ſeruientium, atque laborantium. Quapropter nunc migrabūt in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium 88

IONAS.

3. Quis ſcit, ſi Deus miſereatur? 543

NAHVM.

3. Vendidit gentes in fornicationibus ſuis 223.

HABACVC.

Apparebit in finem & non mentietur: ſi moram fecerit expecta illum qui veniens veniet &c. 614

SOPHONIAS.

3. Dominus iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem, mane iudicium ſuum dabit dabit in lucem & non abſcondetur. 3

AGGÆVS.

2. Adhuc modicum & ego commouebo cœlum, & terram & mare & aridam &c. & veniet deſideratus gentibus 614
2. Et ego commouebo cœlum terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes 624

ZACHARIAS,

2. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei 278

MALACHIAS.

3. Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit Dominus Exercituum 83

MACHABÆORVM.

2. Mach. 1. Domine Deus omnium creator, terribilis & fortis, & Iuſtus & miſericors: qui ſolus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus & omnipotens 3
1. Mach. 1. Iuncti ſunt nationibus & venundati vt facerent malum 223

TESTAMENTVM NOVVM.

MATTHÆVS.

CAP. PAG.
15. Cor eorum longè eſt à me 580
20. Conuentione facta ex denario diurno 27
20. Tolle quod tuum eſt 27.33.39.486.
20. Quod iuſtum fuerit dabo vobis 27

6. Nemo

6. *Nemo potest duobus Dominis ſeruire* 32

20. *Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum* 33

5. *Exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis* 39

3 *Hic eſt filius meus dilectus* 576

20 *Voca operarios & redde illis mercedem* 40.82

28. *Ecce ego vobiſcum ſum cunctis diebus, vſque ad conſummationem ſeculi* 590

5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* 45

19. *Ecce reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* 48.& 385

6 *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis, quod patrem veſtrum qui in cælis eſt* 52.401

10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere* 56

3. *Genimina viperarum quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira* 59

16. *Filius hominis reddet vnicuique ſecundum opera eius* 68

20. *Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem à dextris meis, vel à ſiniſtris, non eſt meum dare vobis* 72

16. *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua* 76

10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo* 83

24. *Percutit ſeruos & ancillas & alligat onera grauia & importabilia* 111

19. *Omnis qui reliquerit fratres aut agros, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit* 140.412

6. *Vigilate & orate* 150

19. *Qui poteſt capere capiat* 162

20. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* 167

10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit* 173

25. *Si vis perfectus eſſe, vade vende vniuerſa quæ habes* 203

5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam quia ipſi ſaturabuntur* 205

12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum ocioſum &c.* 209

5. *Ego dico vobis non iurare omnino* 210

5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis non mæchaberis: Ego autem &c.* 212

20. *Vidit alios ſtantes in foro* 231

26. *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua* 236

26. *Is enim effuſus eſt in remißionem peccatorum* 239

5. *Ne forte tradat te aduerſarius tuus indici, & iudex tradat te miniſtro.* 246

13. *Simile eſt regnum cælorum homini negociatori.* 264

6. *Si non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet vobis* 303

7. *Si quid patrem petieritis in nomine meo dabit vobis* 303

25. *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare* 325

17. *Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur, niſi in oratione & ieiunio,* 342

5. *Eſtote perfecti ſicut pater veſter perfectus eſt.* 377

19. *Magiſter bone quid faciendo vitam æternam poßidebo* 384

19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata* 463

15. *Væ vobis Scribæ & Phariſei* 387

23. *Væ vobis quia eſtis vt monumenta* 387

7. *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea comparabitur viro ſapienti.* 397

4. *Venite poſt me* 399

9. *Sequere me* 399

23. *Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum* 400

6. *Cum facis eleemoſynam noli tuba canere* 401

11. *Iugum meũ ſuaue eſt & onus meum leue* 404

11. *Regnum cælorum vim patitur* 404

12. *Ecce mater mea & fratres mei* 412

25. *Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui* 416.486

6. *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra.* 424

25. *Quod feciſtis vni ex fratribus meis minimis mihi feciſtis* 425

25. *Venite benedicti patris mei* 426

6. *Et dimitte nobis debita noſtra* 447

18. *Redde quod debes: & miſit eum in carcerem* 459

19. Si vis

19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata* 463
6. *Si non remiſeritis hominibus peccata ſua, nec pater veſter remittet peccata veſtra* 463
15. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia &c.* 524
24. *Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit* 525

MARCVS.

3. *Qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſsionem in æternum* 310.
16. *Qui non crediderit condemnabitur* 302
10. *Magiſter bone quid faciendo vitam æternam poßidebo.* 384
9. *Omnia credenti poßibilia ſunt* 404

LVCAS.

4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius* 292
2. *Volumus à te ſigna videre* 300
12. *Anima habes multa bona.* 335
11. *Gloria in excelſis Deo.* 340
3. *Magiſter quid faciemus* 353
18. *Quid vultis vt faciam vobis.* 360
18. *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes* 381
19. *Ecce dimidium meorum bonor. do pauperibus* 383
11. *Væ vobis qui oneratis homines oneribus quæ portare non poſſunt.* 387
13. *Si pœnitentiam non egeritis ſimul omnes peribitis* 340
7. *Debitores duo erant cuidam.* 430
12. *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt: theſaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat* 510
23. *In manus tuas commendo ſpiritum meum* 513
22. *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum* 512
12. *Ignem veni mittere in terram, quid volo niſi vt accendatur?* 526
7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* 541
23. *Hodie mecum eris in paradiſo* 542
6. *Et ſi mutuum dederitis his à quibus ſperatis recipere quæ gratia eſt vobis?* 44.45
12. *Quis putas fidelis eſt diſpenſator & prudens?* 66
10. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* 83
32. *Si diligitis eos, qui nos diligunt quæ & vobis eſt gratia.* 108
2. *Erant in eadem regione paſtores vigilantes & cuſtodientes ſuper gregem ſuum* 128
1. *Viſitauit nos oriens ex alto. Benedictus Dominus Deus Iſrael quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ* 132
13. *Neſcio vos vnde ſitis* 153
6. *Laboranti dabit mercedem bonam, confertam & coagitatam* 154
9. *Nemo imponens manum ſuper aratrum & reſpiciens retro aptus eſt regno cœlorum* 175
17. *Qui fuerit in tecto, & vaſa eius in domo, ne deſcendat tollere illa, & qui in agro ſimiliter non redeat retro* 174
17. *Quis veſtrum habens ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi ſtatim tranſi &c. Sic & vos* 194
8. *Exiit ſeminare ſemen ſuum* 204
6. *Væ vobis diuitibus &c. Væ vobis qui ſaturati eſtis &c. Væ qui ſurgitis mane ad ebrietatem* 211
21. *Attendite vobis ne forte grauentur corpora veſtra crapula & ebrietate.* 122

IOANNES.

17. *Pater iuſte mundus te non cognouit* 4
1. *Gloriam eius, quaſi gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis* 626
1. *Non quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* 631
1. *Ecce Agnus Dei* 630
1. *Quotquot receperant eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* 15
4. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* 15
6. *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet* 15.321
6. *Domine ad quem ibimus verba vitæ æternæ habes* 15.187
18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo* 38
14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* 72

1[illegible]. [illegible]ate d[illegible]m l[illegible]cem habetis 75
9 Me oport[illegible] operari opera eius, qui miſit me d[illegible]ne[illegible] venit nox, quando nemo poteſt [illegible] 75
12. S[illegible] o [illegible] locu[illegible] ſum, ille iudicabit eum in [illegible] o die 84
1[illegible]. Si non veniſſem & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo 84
7. Qui ſitit veniat & bibat. 162
6. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. 205
10. Ego ſum vitis vos ſarmenta 205
15. Pater meus agricola eſt 204
10. Ego ſum paſtor bonus 252
10. Cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit 260
6. Nemo venit ad me niſi pater, qui miſit me, traxerit eum 267
14 Alium Paracletum dabo 283
7. Nunquam ſic locutus eſt homo 292
15. Si manſeritis in me & verba mea in vobis manſerint, quæcunque volueritis petetis & fiet vobis 303
12. Qui mihi miniſtrat me ſequatur 308
11. Ego ſum reſurrectio & vita 321
16. Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis 416
Ego ſum fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam 321
13. Scitis quid fecerim vobis? exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis 359
18. Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo 384
12. Si quis mihi miniſtrat me ſequatur 399
11. Magiſter adeſt & vocat te 442
Ibid. Nonne dixi tibi ſi credideris videbis gloriam Dei 442
14. Qui diligit me diligetur à patre meo 475
4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei non ſitiet 536
14. Venit princeps huius mundi & in me non habet quicquam 538

Acta Apostolorvm.

11. ERant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum & fractione panis. 593
20. Attendite vobis & vniuerſo gregi. 128
15. Reuertens viſitemus fratres in quibus prædicauimus verbum Domini quomodo ſe habeant 133
17. In ipſo mouemur, viuimus & ſumus 136
20. Et adquiſiuit Eccleſiam ſanguine ſuo 239
9. Saule, Saule quid perſequeris 269
1. Promiſſionem patris per os meum 304
3. Quod autem habeo hoc tibi do 337
8. Date & mihi hanc poteſtatem 338
4. Domine tu qui feciſti cælum, mare & omnia quæ in eis ſunt. 345
11. Quid faciemus viri fratres 353
9. Domine quid me vis facere? 353
13. Quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam 355
16. Quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum colens Deum audiuit, cuius Dominus aperuit cor 355
20. Oportet meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit, beatius eſt magis dare quam accipere 441
7. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum
8. Si forte tibi remittatur 543

EPISTOLA PAVLI APOſtoli ad Romanos.

8. QVi proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam omnia cum illo nobis donauit 589
8. Quos prædeſtinauit hos & vocauit: & quos vocauit hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit 596
1. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid, ſecundum carnem: qui prædeſtinatus eſt filius Dei &c. 612
7. Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi ſit cum alio viro 618
3. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum ex fide Ieſu Chriſti 8

8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore* 58
11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Ipſi gloria in ſecula ſeculorum amen* 136
1. *Tradidit Deus in deſideria cordis eorum in paſſiones ignominiæ* 189
1. Detractores Deo odibiles 210
12. *Non voſmetipſos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim mihi vindicta: ego retribuam dicit Dominus* 515
1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* 525
8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei* 544
8. *Si ſecundum carnem vixeritis morìemini,* 212
7. *Scimus quia lex ſpiritualis eſt. Ego autem* 221
3. *Poſuit Deus Chriſtum propitiationem per fidem in ſanguine ipſius* 239
8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet non eſt eius* 246
8. *Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam* 265
3. *Et iuſtificauit per ſanguinem Chriſti* 239
5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris* 266
8. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei* 284
8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram* 285
8. *Quid oremus neſcimus, ſicut oportet* 287
11. *Qui prior dedit illi & retribuetur ei* 290
11. *Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia* 322
8. *Vbi ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro* 367. 478
2. *Non auditores legis iuſti ſunt, apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* 397
1. *Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum* 457
5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia* 462
6. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei æterna vita* 479
8. *Itaque iam non eſt ſeruus ſed filius* 486
8. *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neq; virtutes, neque inſtantia, neque futura, neq; fortitudo &c. poterit nos ſeparare à caritate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro* 545

EPISTOLA PRIMA AD Corinthios.

5. *EGo plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit: itaque neque qui plantauit, eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementũ dat Deus. Qui autem plantat & qui rigat vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipit & ſecundum ſuum laborem.* 65
11. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini* 593
13. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* 597
6. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit: quod ſi dormierit vir eius, libera eſt, cui vult nubat: tantum in Domino* 618
3. *Omnia veſtra ſunt* 589
13. *Poſtquam factus ſum vir, euacuaui quæ ſunt paruuli* 626
3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, & argentum, lapides precioſos, lignum, fœnum, ſtipulam. Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuiuſque opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet, ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem* 65
4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico* 65
1. *Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? & qui altari deſeruiunt, cum altari participant: ita & Dominus ornauit ÿs, qui Euangelium annun-*

[illegible] viuere 66
3. Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium 67
15. [illegible] minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus: Gratia autem Dei ſum id, quod ſum. & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum 67
9. Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cum per ſe non eſſem ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem: iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cum ſine lege DEI non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant: Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus, vt omnes facerem ſaluos. 68
9. Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam, ſi nos nobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus 192
6. Nolite errare, neque fornicarii &c. 212
9. Si Euangelizauero nō eſt mihi gloria &c. 339
15. Abundate in omni bono opere 367
15. Gratia eius in me vacua non fuit 372
10. Fidelis eſt Deus qui non patitur, nos tentari ſupra id, quod poſſumus 404
15. Seminatur in corruptione, ſurgit in incorruptione, &c. 417
12. Quoſdam quidem poſuit DEUS in Eccleſia Apoſtolos, ſecundo prophetas, &c. 439
9. Corpus tuum caſtiga, & in ſeruitutem redige. 454
4. Quid enim habes quod non accepiſti. 460
9. Si volens hoc ago, mercedem habeo, 475
2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. 475
7. Tempus breue eſt. 476
1. Factus eſt nobis ſapientia & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio. 4
10. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini eſſe participes & menſæ Idolorum. 33
3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet. 39
15. Abundate in omni bono opere, ſcientes, quod labor veſter non inanis in Domino. 46
15. Quotidie morior propter gloriam veſtram. 47
7. Qui iungit Virginem ſuam bene facit, & qui non iungit melius facit. 161
7. Eſſe ſanctum corpore & ſpiritu. 162
7. Beatior erit ſi ſic permanſerit. 164
7. Qui in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini, qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Precio empti eſtis nolite fieri ſerui hominum. 247
6. Quæ autem participatio iuſtitiæ cum iniquitate, quæ ſocietas lucis ad tenebras. 260
9. Per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii eius Ieſu Chriſti. 266
3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis. 269
1. Gaudeo in paſsionibus Chriſti. 269
4. Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filii eius Ieſu Chriſti. 276
12. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem. 336
9. Hi qui in ſtadio currunt omnes quidem currunt. 486
9. Me ſeruum feci ut plures lucrifaciam. 487
3. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. 500
13. Caritas nunquam excidit. 536
4. Neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit. 542
4. Nihil mihi conſcius ſum ſed in hoc non iuſtificatus ſum. 544

EPISTOLA SECVNDA ad Corinthios.

9. FActi ſumus paruuli in media veſtrum tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas

mas noſtras, quoniam cariſſimi nobis facti eſtis 582
1. *Dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris* 585
1. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris* 596
5. *Qui efficit nos in hoc ipſum Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus* 597
6. *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial? quæ pars fideli cum infideli: qui conſenſus templi Dei cum Idolis?* 33
4. *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* 49
3. *Dei enim ſumus Adiutores* 134
9. *Multiplicabit ſemen veſtrum, & incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ* 140
6 *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* 476
9. *Vt in omnibus locupletati, abundetis* 140
3. *Vnuſquiſque mercedem accipiet, ſecundum laborem* 141
11. *Sunt operarii nonnulli ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti* 151
12. *Virtus in infirmitate perficitur* 180
13. *Gaudete, perfecti eſtote* 377
10. *Nolo autem vos fieri ſocios Dæmoniorum. Non poteſtis bibere calicem Domini & Dæmoniorum* 268
1. *Siue autem tribulamur &c. ſcientes, quod ſicuti ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationum* 270
5. *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos* 263
8. *Si voluntas prompta eſt accepta eſt* 334
2. *Hilarem datorem diligit Deus* 475
5. *Factus eſt peccatum* 530
1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ* 544
13. *Vos ipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate* 544

EPISTOLA AD Galatas.

6. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.*
5. *Manifeſta ſunt opera carnis* 212
3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus ipſe maledictum* 234
4. *Nos fratres ſecundum Iſaacc promiſſionis filii ſumus* 305
6. *In Chriſto neque circumciſio aliquid valet, neque* 373
4. *Si filius & heres per Chriſtum* 474
6. *Itaque dum tempus habemus operemur bonum* 476
4 *Quod ſi filius & heres per Deum* 486
3. *Pro nobis factus maledictum* 529

EPISTOLA AD Epheſios.

5. *Fructus lucis eſt in omni bonitate & iuſtitia & veritate* 5
1. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis Sancto* 597
5. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* 619
5. *Erunt duo in carne vna* 619
1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti & immaculati* 33
6. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto. Non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino & non hominibus: ſcientes, quoniam vnuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.* 116
5. *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur* 209
5. *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria* 212
2. *Et qui eramus aliquando longe, facti ſumus prope in ſanguine ipſius* 239
1. *Et per ſanguinem eius habemus redemptionem* 239
2. *Ipſius ſumus factura* 345
2. *Creati in operibus bonis, vt in ipſis ambulemus: ipſius enim factura ſumus* 373

EPISTOLA AD Philippenſes.

3 ET reformabit corpus humilitatis noſtra configuratum corpori claritatis ſua 27
1. Teſtis enim mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in viſceribus Ieſu Chriſti. Filioli quos iterum parturio &c. 582
2. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis 40
3. Videte canes, videte malos operarios 153
2. Omnia facite ſine murmuratione 210.
2. Si qua conſolatio in Chriſto 266
4. Sed omnia poſſumus in eo qui nos confortat 404
4. Omnia poſſum in eo qui me confortat 505

EPISTOLA AD Coloſſenſes.

1. ET pacificauit Chriſtus per ſanguinem crucis ſuæ, quæ in terris ſunt, ſiue quæ in cœlis 239
1. Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt 269
2. Et vos cum mortui eſſetis in delictis & præputio &c. quod aduerſus vos erat Chyrographum decreti 291
2. Donans vobis omnia delicta, delens, quod aduerſus nos erat Chyrographum 451
2. A Chriſto deletum Chyrographum contrarium vobis, & ablatum de medio & affixum cruci 463

EPISTOLÆ AD Theſſalonicenſes.

1. IVſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem his, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini requiem nobiſcum 18
2. Ipſe autem Dominus noſter Ieſus &c. exhortatur corda veſtra, & confirmet 283

EPISTOLÆ AD Timotheum.

4. PIetas ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ 18
4. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt 606
5. Dignus eſt operarius mercede ſua 40
1. Ob quam cauſſam hæc patior, ſed non confundor: ſcio enim cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare illum diem 47
5. Non infrenabis os boui trituranti 111
4. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple 150
4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ 154. & 179.
1. Noli erubeſcere teſtimonium noſtri, neque me vinctum eius.
2 Vnus autem eſt Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus 237
1. Noli negligere gratiam Dei, quæ eſt in te 439
Ibid. Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei 439
6. O Timothee depoſitum tuum cuſtodi.
4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex 18.44
2. Solicitè autem cura teipſum probabilem exhibere Deo 153
11 Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem 220
2. Non coronabitur niſi qui legitime certauerit 419
2. Quæ audiſtis à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus 431
1. Certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare 486
4. Repoſita eſt mihi corona 487
1. Bonum depoſitum cuſtodi per ſpiritum ſanctum qui habitat in nobis 502
1. Scio cui credidi & certus ſum 508

EPISTOLA AD Titum.

2. ILle dedit ſemetipſum vt nos redimeret 217
2. Vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, iuſtè & piè viuamus 370
1. Non mentitur Deus 585
3. Saluos nos fecit Dominus per lauacrum regenerationis renouationis Spiritus ſancti, vt iuſtificati gratia 474
2. Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei 511

EPISTOLA AD Hebræos.

9. IRrita quis faciens lege Moſi, ſine vlla miſeratione, duobus, vel tribus teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem Teſtamenti duxerit 15
10. Quanto magis putatis deteriora mereri, ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratia contumeliam fecerit 593
6. Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri 18.44
11. Fide Moſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem 48
6. Impoßibile eſt mentiri Deum 585
9. Habemus redemptorem per fidem in ſanguine ipſius propter remißionem peccatorum 239
9. Et ſanguis eius emundat noſtras cõſcientias 239
12. Aſpicientes in auctorem fidei qui propoſito gandio ſuſtinuit crucẽ confuſione contempta 271
9. Non in manufacta ſancta Ieſus introiuit 283
7. Quare ſaluare in perpetuum poteſt accedente, per ſemetipſum ad Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis 284
6. Impoßibile eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte 325
13. Mementote Præpoſitorum veſtrorum, obedite eis, & ſubiacete: niſi enim &c. 528

EPISTOLA IACOBI Apoſtoli.

1. ACcipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe 18
5. Fratres ſi quis à vobis errauerit à veritate & conuerterit quis eum; ſcire debet &c. 606
1. Patientia perfectum opus habet 76
5. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit 86.92
2. Geneſis 22. Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, filium offerens ſuper altare 140
4. Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem ſuum, detrahit legi & iudicat legem 210
2. Ex operibus autem iuſtificatur homo non ex fide tantum 368
1. Eſtote factores verbi & non auditores tantum fallentes vosmetipſos 397
2. Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno 474
1. Beatus vir qui ſuffert tentationem 486
1. Apud Deum non eſt mutatio nec vicißitudinis obumbratio 515

EPISTOLA PETRI Apoſtoli.

4. VNusquisque ſicut accipit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes boni diſpenſatores multiformis gratiæ Chriſti. Si quis loquitur quaſi ſermones DEI: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat DEVS. 66
3. Vos fratres, præſcientes cuſtodite illud ne inſipientium errore traducti euadatis à propria firmitate. Creſcite vero in gratia, &c. 597
4. Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. 210
1. Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis. 238
1. Redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis. 250
4. Communicantes Chriſti paßionibus. 270
2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. 359
4. Qui patiuntur ſecundum voluntatem DEI, fideli Creatori commendent animas tuas in benefactis. 509
1. Magna & precioſa nobis promiſſa donauit. 274
1. Per quem maxima & precioſa nobis promiſſa donavit. Vt 304
1. Obſerva vos fratres tanquam aduenas & peregrinos vos à carnalibus deſiderijs. 212
1. Fratres ſatagite, vt per bona opera veſtra certam vocationem & electionem faciatis. 546

EPISTOLÆ IOANNIS Apoſtoli.

4. Perfecta charitas foras mittit timorem. 58.59

[illegible] [illegible] tatu. 134

[illegible] [illegible] 210

1 [illegible] vos ab omni peccato. 239

[illegible] [illegible] lamus &c. ſocietatem [illegible]. 266

[illegible] [illegible] amus vobis, vt & vos [illegible] ha. [illegible]. 266

[illegible] [illegible], quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus mentimur 274

3 [illegible] qui natus [illegible] ex DEO peccata non facit, quoniam &c. 536

5 [illegible] quia omnis qui natus eſt ex Deo non peccat. 536

1. Similes ei erimus, quia videbimus eum ſicut eſt. 275

2. Si quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem. 283

2. Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, ſed & ſi quis peccaverit aduocatū habemus apud Patrem. 292

1. Hæc eſt fiducia quam habemus ad eum quia quodcumq; petieritis. 302

2. Et hæc eſt repromiſſio quam ipſe pollicitus eſt nobis vitam æternam. 304

2 Ipſe eſt propitiatio pro peccatis. 321

3. Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit quoniam ſemen Dei in ipſo manet. 382

2 In hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſervemus. 397

2 Qui dicit ſe noſſe eum & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. 397

2. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulavit ambulare. 398

5. Mandata eius grauia non ſunt. 404

3 Quicquid petieritis, accipiemus ab eo. 405

2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. 405

3. Qui ſeruat mandata eius in illo manet. 405

5. Hæc eſt Charitas Dei vt mandata eius cuſtodiamus. 405

Ibid. Hæc eſt Charitas vt ambulemus ſecundum mandata eius. 405

6. Hæc eſt caritas Dei, vt ambulemus ſecundum mandata eius. 398

APOCALYPSIS
Ioannis.

16. IVſtus es Domine, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti. 4

22. Ecce venio cito & merces mea mecum eſt. 39

6 Dignus enim fuit Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, honorem & gloriam, & benedictionem. 41

14. Sequuntur Agnum quocunq; ierit. 73

6. Vſquequo Domine (ſanctus & verus) non iudicas & vindicas ſanguinem de iis, qui habitant in terra. 86

Vltimo Apocal. Ecce venio cito & merces mea mecum eſt. 145

22. Ecce venio cito & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua. 154

14 Amodo dicit Spiritus vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos. 154

2. Eſto itaque fidelis vſque ad mortem & dabit tibi coronam vitæ. 154

2. Vincenti dabit manna abſconditum. 154

2. Vincenti dabit edere de ligno vitæ, &c. 154

29. Mittetur in ſtagnum ignis. 212

18. Mercatores ſui erant Principes terræ. 221

1. Lavit nos à peccatis noſtris. 239

19. Rex regum, & Dominus dominantium. 255

22. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc. 367

22. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet DEVS partem. 493

FINIS.

THEO-

THEOLOGIA JVRIDICA.

PROLEGOMENA,

In quibus declarantur nonnulla ad Juſtitiæ diuinæ, ac Contractuum humanorum notitiam neceſſaria.

COMMENTATIO I.

DEO MAXIME CONVENIT TITVLVS, JVSTVS.

Ex ſacris oraculis.

Iuſtus Dominus : & Iuſtitias dilexit : Æquitatem vidit vultus eius. Pſal. 10. 8.

NIHIL eſt omninò quod Principem magis deceat, quàm JVSTITIA: nihil, quod ad ſocietatem humanam, vel conglutinandam, vel conſeruandam, ne diffluat, ſit æque neceſſarium, ac illa virtus:

Virtus Principum IVSTITIA.

ἥ τ' ἀνδρῶν ἀγορὰς, ἠ μὲν λύει, ἠδὲ καθίζει
Quæ cœtus hominum cogit, ſoluitq́, viciſsim.

Cogit, ſi adſiſtat ſemper: ſoluit, ſi vel modico tempore exulet. Hæc eſt JVSTITIA, ſine qua Principes ſimiles aiebat Alfonſus Rex Aragonum, iis qui morbo caderent comitiali. Nam, cum animæ materia (hypoſtaſim dixerim aut ſuſtentaculum) ſit ſola JVSTITIA, quâ tenditur ad vitam: quid reſtat Principibus ſublata JVSTITIA, quæ eſt vitæ quaſi nutrimentum, & cibus? Quocirca illam ſupremo Principi Deo, Dominantium Domino, & Regi Seculorum Immortali denegare verbo vel ſcripro, pluſquam temerarium eſſet. Quod è ſacris, profaniſque hoc initio Commentationum de juſtitiæ contractibus ſtabiliendum eſt.

Alfonſus Aragonius.
Ant. Panorm. de reb. Alf.
Ænea. Syl. de dict. Alf.

FREQVENTISSIME equidem, DEVM JVSTVM ab hominum genere quocunque in diuinis litteris cognominari animaduerto. Atque, vt hinc ſumam exordium. Pharao, licet improbiſſimus, veritate adigente, aduocatis, ſibique adſiſtentibus, Moſe & Aarone: Peccaui, aiebat, etiam nunc: DOMINVS JVSTVS: ego, & populus meus impii. Exod. 9. 27.

DEVS ab hominum omni genere Iuſtus prædicatur.
Pharao Exod 9. 27.

Moſes, ſeruus DEI, & titulorum Diuinorum notitia, ſi quis alius excellens Deuteronomii 22. 4. *DEI perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia* : hoc eſt, ſunt

Moſes Deut. 22. 4.

iuſta & æqua vniuerſi eius opera, idiotiſmo Hebræo, quo & viæ pro actionibus, & abſtractum pro concreto ponitur, præſertim ſi ſit emphaſis. DEVS fidelis, & abſque vlla iniquitate, IVSTVS, & RECTVS. Quo loco, vt obſeruat Cornelius de lapide ſeptem epithera, & attributa DEI, ſeu totidem tituli exprimuntur. Primus eſt, MAGNIFICVS: præceſſerat enim: Date magnificentiam Deo noſtro. Secundus, IMMVTABILIS, quem indicat nomen originale, cuius vice, Interpres vulgatus habet Dei: Hebraice eſt צור TSVR, id eſt, Petra, Rupes, Saxum immobile, tum ob ſtabilitatem, immutabilitatem, fidelitatem in promiſſis, ac pactis conuentis ſeruandis: tum, quoniam firmiſſime communit ac toborat cultores ſuos, & in ſe ſperantes. Tertius, PERFECTVS in omnibus operibus. Quartus, FIDELIS, vt nemo dubitet cum DEO contrahere. Quintus, SANCTISSIMVS: hoc enim ſignificat; Abſque vlla iniquitate. Sextus, IVSTVS. Septimus, RECTVS qui nec gratia, nec muneribus, nec odio, nec blanditiis à recto & æquo dimouetur.

David lib. 2. Reg. 23. Rex David 2. Reg. 23. verbis ſuis nouiſſimis: Dixit DEVS Iſrael mihi, loquutus eſt FORTIS Iſrael: Dominator hominum, IVSTVS Dominator. Quæ præmittit, vt oſtendat, quam ſecurum ſit cum eo paciſci. Nam ſubdit: Nec tanta eſt domus mea apud DEVM, vt pactum æternum iniret mecum firmum in omnibus, atque munitum.

Principes Iſrael. Lib. 2. Paral. 12. 6. Principes Iſrael poſt deuaſtationem factam per Seſac regem Ægypti: IVSTVS eſt Dominus. Qua conteſtatione adeo delectatus eſt DEVS, vt ilicò Ægyptium ſubmoueret, dixeritque: *Non ſtillabit furor meus ſuper Ieruſalem, per manum Seſac.*

Leuitæ lib. 2. Eſdr. 9. 8. 33. Leuitæ 2. Eſdræ 9. *Tu Domine* DEVS, *impleſti verba tua, quoniam* IVSTVS *es.* Iterumque *Tu* IVSTVS *es in omnibus, quæ venerunt ſuper nos: quia veritatem feciſti, nos autem impie egimus.*

Tobiæ c. 3. 2. Nicol. Serar. comm. Tob. Tobias in precationis ardentiſſimæ exordio: IVSTVS *es Domine: & omnia iudicia tua iuſta ſunt. Et omnes viæ tuæ, Miſericordia, & Veritas, & Iudicium.* Quæ dum exponit Nicolaus Serarius, recte monet: Vias Domini, nimirum, illius operationes omnes eſſe *Miſericordiam*; quia ſemper ad intelligentis commodum creaturæ & vtilitatem agit Dominus. Eſſe *veritatem*: quia nunquam à ſeipſo, quia ſumma, & prima veritas eſt, diſſidet. Suis in promiſſis conſtantiſſimus ſemper, & certiſſimus eſt. Eſſe *iudicium*: quia vnicuique ſemper, quod vllo modo debitum, rependit. Quis eum iſtiuſmodi conductore non libenter paciſcatur?

Eſth. c. 14. 7. 8. Eſther, confugiens ad Dominum ob imminens populo DEI periculum, IVSTVS *es Domine. Et nunc non eis ſufficit, quod duriſſima nos opprimunt ſeruitute: ſed robur manuum ſuarum, idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promiſſa, & delere hereditatem tuam, & claudere ora laudantium te.*

Pſalmiſta. Pſal. 10. 8. Pſalmiſta frequenter admodum Pſ. 10. 8. IVSTVS *Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Quomodo non diligat iuſtitias, qui natura iuſtus eſt? Quomodo non patulis ſemper & minime conniuentibus oculis curet ne quid à recto exorbitet, qui rectitudinis eſt regula nunquam detorta?

Iuſtitia in plurali. Pſal. 10. 5. Pſal. 17. 23. Pſal. 18. 19. Pſal. 35. 7. Sed myſterio non caret, quod in plurali Iuſtitias diligat. Non enim ita multiplicatè exprimi ſolent aliæ virtutes, non prudentiæ, temperantiæ, fortitudines. An quia ratio iuſtitiæ ad alterum eſt & inter plures? An quia Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes? An, vt varia iuſtitiæ ratio in diuerſis iuſtis indicetur, & multiplex ratio diuinorum iudiciorum, quæ numero plurali non raro efferuntur? An quia, vt commen-

commentatur Augu[illegible]nus, iuſtitiæ pro iuſtis hominibus accipiuntur. *In multis autem iuſtis quaſi multa iuſtitiæ videntur eſſe, cum ſit vna* DEI, *cui omnes participant. Tanquam ſi vna facie [illegible] intuatur plura ſpecula, quod in illa ſingulare eſt, de illis pluribus pluraliter redditur. Propterea [illegible] ad ſingularitatem ſe refert dicendo*; Æquitatem vidit vultus eius. *Fortaſſe [illegible] eſt poſitum*: Æquitatem vidit facies eius: *ac ſi diceretur*; Æquitas viſa eſt [illegible] eius: *id eſt*; *in eius notitia. Facies enim* DEI *eſt potentia, qua dignis innoteſcit. Aut [illegible]*, Æquitatem vidit facies eius, *quia non ſe præbet cognoſcendum malis ſed bonis*: & ipſa eſt Æquitas, ſicut eſt JVSTITIA. vnde & in ſingulari dicitur, *amare iudicium*, Pſal. 36. 28. & Pſal. 98. 3 & *Iuſtitiam. Pſal.* 44. 8.

Hebraicè ita legitur ישר יחזו פנימו: *iaſchar iecheru phanemo*: quod vertere poſſis: *Rectum*, ſiue *iuſtum videbunt facies eorum*: id eſt Sancti videbunt DEVM, qui rectus, æquus, ac Iuſtus eſt: aut potius qui eſt ipſa rectitudo, & JVSTITIA: ac proinde dum Iuſtitiam amat, ſemetipſum amat.

Pſal. 111. 4. Miſericors & Miſerator & JVSTVS.

Pſal. 114. 5. Miſericors Dominus & JVSTVS & DEVS noſter miſeretur.

Pſal. 118. 137. JVSTVS es Domine & rectum iudicium tuum.

Pſal. 128. 4. Dominus JVSTVS concidit ceruices peccatorum.

Pſal. 144. 17. JVSTVS Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Sapiens ſapientiæ 12. 15. *Cum ſis* IVSTVS, IVSTE omnia diſponis. Virtus enim *Sapiens*
tua, id eſt potentia, Poteſtas, Fortitudo: eſt enim Græcè ἰσχὺς, IVSTITIÆ *initium* *Sap. 12. 15.*
eſt, ἀρχὴ, quod exponi poteſt, principatus, vt potentia ſuum principatum IVSTITIA moderetur: vt non dicat, quod improbiſſimi hominum Sap. 2. 11. ἔστω ἡ ἡμῶν ἰσχὺς νόμος τῆς δικαιοσύνης: ſit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ.

Iſaias cap. 41. 26. *Quis nunciauit ab exordio, vt ſciamus, & à principio vt dicamus*: IVSTVS *es? non eſt neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones noſtros.* Quo loco IVSTVS videtur Dei. Sic enim ſæpe DEVS ab Iſaia vocatur, vt obſeruat Caſpar Sanctius, dum dicitur IVSTVS Iſrael.

Capite 45. 21. *Nunquid non ego Dominus, & non eſt vltra Dominus abſque me?* DEVS IVSTVS, *& ſaluans non eſt præter me.*

Jeremias cap. 12. 1. JVSTVS *quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: veruntamen iuſta loquar ad te.*

Cap. 23. 6. *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum*, DOMINVS IVSTVS *noſter.*

Lamentans Propheta Threnorum 1. 18. IVSTVS *eſt Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.*

Baruch 2. 9. IVSTVS eſt Dominus in omnibus operibus ſuis, quæ mandauit nobis.

Daniel cap. 3. 27. IVSTVS es in omnibus quæ feciſti nobis. Et vniuerſa opera tua vera. Et viæ tuæ rectæ. Et omnia Iudicia tua vera.

Cap. 9. 14. IVSTVS Dominus DEVS noſter in omnibus operibus ſuis, quæ fecit, non enim audiuimus vocem eius.

Sophonias cap. 3. 5. Dominus IVSTVS in medio eius non faciet iniquitatem: mane, mane iudicium ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur.

Nehemias. Domine DEVS omnium Creator, terribilis & fortis: IVSTVS & miſericors: qui ſolus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus IVSTVS & omnipotens. 2. Machab. 1, 25.

Chriſtus patrem alloquens: Pater IVSTE mundus te non cognouit Ioan. 17. 25
Angelus aquarum, IVSTVS es Domine, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti. Apocal. 16. 5.

DEVS IVSTVS à Iuſtit. a.

Quanta conſpiratio Moſis & Prophetarum, Legis antiquæ & nouæ in aſſerendo titulo IVSTI cum de vero DEO ſermo eſt? A IVSTITIA autem DEVM cognominari IVSTVM quis ambigat? vt vero Scriptura-diuina exprimat illam DEO maximè cordi eſſe, vocatur in ea DEVS-IVSTITIÆ, ſiue vt auctor omnis Iuſtitiæ, etiam Angelicæ & humanæ, ſiue vt poſſeſſor ſuæ.

DEVS IVSTITIÆ. Iuſtitia humana à Deo deriuata. Iuſtitia, Ius.

Pſalmographus Dauid: *Cum inuocarem exaudiuit me* DEVS Iuſtitiæ *meæ*, Pſal. 4. 2. An Iuſtitiæ in me productæ, & conſeruatæ? Ita Iuſtitiam ibi accipiunt Origenes, Chryſoſtomus, Heſychius: nam liberationem ſe obtinuiſſe à calamitatibus propriis gloriatur, ob Iuſtitiam: nempe quæ denominet IVSTVM coram DEO. An DEVM *Iuſtitiæ ſuæ* vocat, id eſt Iuris ſui? Nam cauſam Dauidis innocentis tuebatur DEVS, & eripiendo à perſecutionibus inimicorum declarabat illum IVSTVM, & innoxium. Ita illam formulam exponunt Euthymius, Theodoretus, atque è recentioribus, Campenſis, Genebrardus, Ianſenius, Caietanus, Vatablus, Arias, Eugubinus: ad hæc, Rab. Kimhi, & R. Abraham: Præterea Ionita Rapicius, & Gagneius, placetque Lorino.

Iuſtitia qua DEVS iudicat.

Pſalmo 5. 9. *Domine deduc me in Iuſtitia tua.* Nimirum, quâ iuſtè iudicas, abiiciendo rebelles, ſuſcipiendo ſupplices, damnando impios, remunerando Iuſtos, vt Caſſiodorus & Haymo exponunt. Vel quâ iuſtus ſum, non coram hominibus duntaxat, ſed coram te potiſſimum; quod probatur Auguſtino. Solet enim aliquando Dauid exigere à DEO, vt ſe exaudiat, vel etiam iudicet, atque liberet ſecundum iuſtitiam propriam.

Pſal. 7. 9. Iudica me Domine ſecundum Iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.

Pſal. 118. 121. Feci iudicium, & Iuſtitiam non tradas me calumniantibus me.

Alias appellat DEI Iuſtitiam Pſal. 30. 2. In te Domine ſperaui non confundar in æternum, in Iuſtitia tua libera me.

Pſal. 34 24. Iudica me ſecundum Iuſtitiam tuam Domine DEVS meus; & non ſupergaudeant mihi.

Pſal. 142. 1. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua exaudi me in tua Iuſtitia.

Iuſtitiam propriam adducit, vt ſignificet, inique & immerito ſe ab hoſtibus vexari: Iuſtitiam Dei, vt illa contra aduerſarios ſit tutus.

Huc etiam ſpectat, quod dicatur DEVS diligere Iuſtitiam. Iuſtus Dominus & IVSTITIAS dilexit Pſal. 10. 8.

Ipſum etiam dilectum ſibi filium voluit eſſe, ac dici nobis IVSTITIAM. Factus eſt enim nobis Sapientia & IVSTITIA, & ſanctificatio, & redemptio 1. Cor. 1. 30.

Hoc modo fortaſſe ſumitur IVSTITIA Pſ. 4. 2. Cum inuocarem, exaudiuit me DEVS Iuſtitiæ meæ: vt nominet Dauid DEVM Iuſtitiæ ſuæ: id eſt Domini ſui CHRISTI, qui factus eſt nobis Iuſtitia, exemplaris meritoria, effectiua. Quem ſenſum inſinuant ibi Origenes, & Euthymius.

Nobiliſſimus etiam typus CHRISTI SALVATORIS dictus fuit *Rex Iuſtitiæ*. Ita Paulus ſuggerit, qui diſputans de Melchiſedecho, ab interpretatione vocis argumentum deſumit, vt oſtendat Melchiſedechum fuiſſe aptiſſimam Chriſti figuram.

Nam,

Digitized by Google

Nam, *interpretatur*, inquit, *Rex Iuſtitiæ.* Siquidem מלך *Melech* Regem ſignificat. צדק *Sedech* iuſtitiam.

Magnitudo huius Regis fructus, tanquam lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate, vt loquitur S. Paulus ad Epheſ. 5. 9. Ex quo loco S. Hieronymus contra Marcionem argumentatur, & confirmat DEI veri Iuſtitiam. Ponticus enim ille, Creatorem quidem IVSTVM eſſe dicebat, alium vero neſcio quem DEVM, CHRISTI patrem tantummodo bonum. Paulus namq; adfirmat, fructum lucis non ſolum eſſe in bonitate, ſed in IVSTITIA, & veritate. Vbi itaque bonitas eſt, ibi & IVSTITIA: vbi Iuſtitia, ibi conſequenter & veritas. Apud bonum ergo CHRISTI patrem, vt ipſi quoque fatentur eſt veritas, apud ipſum, & non apud alium, vt Apoſtolus docet IVSTITIA eſt. Addit CHRISTVM ipſum, Bonitatem, Veritatem, & Iuſtitiam nuncupari: Bonitatem in eo, quod non ſecundum opera, ſed ſecundum miſericordiam, det gratiam credentibus in ſe. IVSTITIAM in eo quod vnicuique retribuit id quod meretur. Veritatem dum ipſe ſolus cauſſas creaturatum, rerumque omnium cognoſcit.

S. Paulus ad Epheſ. 5. 9.

Dicitur idem DEVS, bonus ſemper, ac verax, iudicare Iuſtitiam Pſal. 9. 5. *Quoniam feciſti iudicium, & cauſſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas* IVSTITIAM. Hebraicè, *Iudicans Iuſtitiam*, vel *Iudex Iuſtitiæ* שפט צדק *ſcophet tsedech.* Emphaſim habet ea formula, & ſignificat, DEVM ſolere iudicare Iuſtitiam, vt Lorinus ibi animaduertit, atque id DEO eſſe maxime proprium. Apud homines qui Iuſtitiæ ſunt adminiſtri, aliquando ignorant, nonnunquam negligunt, quandoque etiam affectibus in contrarium acti, aliud iudicãt, quam Iuſtitiæ regula præſcribit. DEVS ſciens ac volens iuſtam ſemper fert ſententiam inquit Chryſoſtomus.

DEVS iudicat Iuſtitiam.
Index Iuſtitia

Denotat etiam iudicare Iuſtitiam, amorem ſingularem Iuſtitiæ, vti ſeſſio in throno auctoritatem: Tu autem Domine Sabaoth inclamat Ieremias qui iudicas iuſtè. Poteſt ſane ſemper iuſtè iudicare, quia eſt Dominus Sabaoth: id eſt, exercituum, cuius potentiæ ac efficacitati nemo poteſt reſiſtere. Singularis eſt notatio Saluiani lib. 2. de prouidentia: Loquutionem præſentis temporis: *Qui iudicas*, innuere quod hoc tempore à DEO iudicium exerceatur. Quod autem alibi dicitur: *Iudicabit orbem terræ in æquitate*, de futuro, æternoque iudicio dici. Idem autem eſt in æquitate, quod in Iuſtitia, cum Græcè legatur δικαιοσύνη.

Ierem. 11. 20.
Pſal. 35. 13.
Pſal. 9. 9.

Dei noſtri Iuſtitię ſunt rectę Pſ. 18. 9. Quod Tertullianus legit iura Domini recta.

Iuſtitia recta

Annuntiabunt cœli Iuſtitiam eius, populo, qui naſcetur quem fecit Dominus Pſal. 21. 32. vbi Nicephorus & Euthymius volunt eam Iuſtitiam ſignificari, quam exercuit CHRISTVS in Principe huius mundi, ſæuo illo generis noſtri Tyranno, qui iniuria ſemper ac damno homines affecerat. Plures exponunt de mandatis diuinis, quæ iuſſi ſunt Apoſtoli prædicare Matth: vltimo. 20. Thomas eam intelligit quæ ex fide eſt IESV CHRISTI ad Philippenſes 3. 9. Qui factus eſt nobis IVSTITIA. 1. Corinth. 1. 30. non ex operibus naturaliter factis, quam dum quærunt ſtatuere Iudæi Iuſtitiæ Dei fiunt extorres, Roman. 10. 3. At Richardus Pompolitanus eam Iuſtitiam denotari putat, qua cuique pro meritis reddetur præmium, ac æqua merces, Matth. 16. 27. Nonnulli illam qua DEVS præſtat, quod pollicetur.

Tertull. lib. de pudici: cap. 6.
Quæ Iuſtitia Dei annunciandа.

Meritò Dauid in huius admirationem virtutis raptus exclamat: *Domine memorabor* IVSTITIÆ *tuæ ſolius* Pſal. 70. 16. *Exultabit lingua mea* IVSTITIAM *tuam* Pſal. 50. 16. *Lingua mea meditabitur* IVSTITIAM *tuam, tota die laudem tuam* Pſal. 34. 28. Verum cum non ſit linguæ, meditari: ſicut nec oris meditari ſapientiam vt ſcribitur Pſal. 36. 30.

Lingua meditatur IVSTITIAM DEI.

36.30. ſed ſolius mentis aut cordis; quomodo id linguæ adſcribit ſapientiſſimus Pſaltes? An, quia, Meditari lingua dicitur, quando meditata loquitur? reſpondet enim cordi lingua: & os ſapientum eſt in corde ipſorum Prouerb. 16. 23. *a* An, ſicut ſermonem, ita linguam vnam interiorem eſſe, & non tantùm exteriorem conuenit? *b* An *Meditari* idem eſt quod *modulari*? *c* An *Meditari lingua* cenſetur, quando ſubmiſſe loquitur? vt Genebrardus exiſtimat. Dicit igitur Regius vates lingua mea conſentiente corde, meditatè loquetur, modulabitur, extollet IVSTITIAM tuam tota die laudem tuam: nunquam de illa tacebo: illius nunquam non recordabor: illam ſemper euehere conabor.

a Ita S. Thomas exponit.
b Ita Pet. Lõbardus, Hugo Ruffinus, Bruno diſſerunt.
c Vt Beda & Haymo interpretantur.

IVSTITIA ſicut montes DEI Pſ. 35. 7.

SED quid attinet eam attollere? Nonne, *Domine* IVSTITIA tua, ſicut montes DEI Pſal. 35. 7 Chaldæus legit IVSTITIA TUA DEVS *excelſa ſicut montes fortes*: benè ad ſenſum: nam montes altiſſimi ſunt fortiſſimi. Aquila vertit δικαιοσύνη σου ὡς ὄρη ἰσχυρά vis videre altitudinem huius IVSTITIÆ? Confer illam cum Iuſtitia humana, & Angelica: quod facit ingenioſè.

Bernard. De verbis Iſa. ſer. 5. Iſa. 6. 2.

S. Bernardus Sermone 5. de verbis Iſaiæ, ſimilem illam faciens capiti, quod alis tegebant Seraphim: ſicut & pedes diuerſis alis ab ijſdem tectos vocat Iudicia abyſſi.

Quis nobis reuelabit hoc caput, inquit mellitiſſimus Doctor & pedes iſtos quos geminis alis Seraphim velant? duabus pedes; Non eſt corporalis diuina ſubſtantia, nec in formam hominum membris diſtincta corporeis. Spiritus eſt DEVS: & quæ de eo dicuntur, ſpiritualiter veſtiganda niſi ſpiritus ipſe qui nouit omnia quæ in eo ſunt, & ſcrutatur alta DEI? Ego enim opinor ipſa eſſe quæ in hoc loco capitis nomine deſignantur. Itaque ſecundum hunc ſenſum, Caput eius, Maieſtas eius, poteſtas eius, ſempiterna virtus atque diuinitas. Caput eius iuxta illud propheticum: Iuſtitia ſicut montes DEI. Nempe quod ſequitur iudicia tua abyſſus multa: non incongrue fortè videbitur pedum poſſe appellatione ſignari: ſunt enim velut quidam pedes eius inueſtigabiles viæ eius, inſcrutabilia iudicia eius, profundum ſapientiæ, & irreprehenſibilis quædam ſed incomprehenſibilis diſpoſitio eius. Ad hos pedes ipſum quoque Dominicæ incarnationis myſterium ſpecialiter cognoſcitur pertinere & omnis pariter operatio noſtræ ſalutis. Cernere eſt quam ſit iuſtitia illa ſublimis, quam ſicut montes DEI propheta eſſe miratur. Noſtra enim (ſi qua eſt) humilis iuſtitia recta forſitan ſed non pura, niſi forte meliores nos eſſe credimus, quam patres noſtros qui non nimis veraciter, quam humiliter aiebant: omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ mulieris.

Quomodo enim pura iuſtitia vbi adhuc non poteſt culpa deeſſe? Recta proinde interim videri poteſt iuſtitia hominum, ſi tamen peccato non conſentiant, vt non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modo recta, ſed etiam pura fuit, quamdiu ei datum eſt nec ſentire peccatum. Ceterum & hæc ipſa quoniam firma non fuit, & puritatem facile perdidit, & nec ipſam quoq; retinuit rectitudinem ſuam. Sane apud Angelos recta, pura & firma eſt iuſtitia, ſublimis quidem, ſed adhuc longe inferior quam diuina. Non enim priuata eſt eis, ſed â DEO collata: vt natura ipſa quod ex ſe eſt, non modo iuſtitiæ, ſed etiam iniuſtitiæ capax inueniatur. Nunquid non iſta eſt prauitas quædam quam in Angelis ſuis vera illa Iuſtitia inueniſſe? Non enim iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, ait is qui Iuſtitiam DEI minime ignorabat. Nec ait omnis homo: ſed omnis viuens, forte vt nec ipſos Angelicos eum noueris ſpiritus excepiſſe. Viuunt enim & ipſi tanto verius, quanto propius aſtant ei apud quem eſt fons vitæ.

Nihilo-

Miſericordias etiam Iuſti ſunt, ſed ex eo, non coram eo, muneie eius, non in eius comparatione. Ipſe enim ſibi Iuſtitia eſt, cuius voluntas non tam æqua quam ipſa æquitas, & vtraque non aliud quam ipſa ſubſtantia eſt. Illa ergo Iuſtitia veriſſimè ſicut mons eſt quæ recta eſt, quæ puta eſt, quæ firma eſt, & vt ita dixerim etiam ſubſtantia eſt, quanta enim in hoc capite latet altitudo? quanta gloria eſt, quantaque ſublimitas in hoc vmbroſo & condenſo monte repoſita?

Non minus ingenioſa eſt de hac re diſſertatio Doctoris Angelici ad illa Pſalmi 35.6. Domine in cælo Miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes: IVSTITIA Tua ſicut montes DEI: Iudicia tua abyſſus multa. Docet autem, DEVM operari in nobis, quicquid operatur ex IVSTITIA, quando reddit promeritis: ex *Veritate*, quando reddit quod promiſit: ex *Miſericordia*, quando excedit merita, & promiſſa. IVSTITIAM eſſe *Altam*, quia nemo tantum meretur, quin DEVS plus reddat: *Veritatem* autem *altiorem*, quia DEVS promittit, & ſoluit quæ nunquam meruimus: vt Incarnationem, & tam multa alia ſpectantia ad Redemptionis humanæ myſterium: *Miſericordiam* porro *altiſſimam*, quia ea quæ cogitare non poſſumus, largitur: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit* DEVS *iis, qui diligunt illum* 1. Cor. 2. 9.

S. Thom. in Pſal. 35. 6 7.

An idcirco Montibus IVSTITIA comparatur, VERITAS nubibus, Cælis MISERICORDIA, in quibus eſt ordo ſecundum altitudinem minorem, & maiorem?

Huc ſpectant tot alia in Pſalmis ac Prophetarum oraculis, quibus Deo maxime cordi eſſe IVSTITIAM & in illo reſidere, aut potius non eſſe aliud quam DEVM ipſum ſatis ſuperque comprobatur.

Deo cordi eſt IVSTITIA.

Pſalmo 44. 8. *Dilexiſti* IVSTITIAM *& odiſti iniquitatem*. Quod Lactantius legit Dilexiſti IVSTITIAM, & odio habuiſti INIVSTITIAM. Quo loco, verbum *Dilexiſti* in originali eſt ardens ac vehemens :. & (vt obſeruat Ioannes Pineda lib. de rebus Salomonis) aliquid tenerum, molle & adfectione plenum. Quod multo ante inſinuauit, vim vocis Latinæ pendens S. Bernardus ſcribens, ad Eugenium: *Parum eſt Iuſtitiam tenere, niſi &* diligas: *qui tenent, tenent; qui* diligunt, *zelantur. Amator* Iuſtitiæ, *inquirit* Iuſtitiam, *& proſequitur eam. Porro omnem Iniuſtitiam perſequitur.*

Lact. lib. 4. c. 13.
אהב.
Ioan. Pined. lib. de reb. Sal. lib. 5. c. 4.
Bernard. lib. 3. de conſid.

Eadem voce Originali indicatur amor Iuſtitiæ peculiaris, & odium iniuſtitiæ Iſa. 61. 8. *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto.* Monet autem egregie Baſilius dilectione illa ſignificari inſitam à natura Iuſtitiæ adfectionem, & abalienationem ab omni Iniuſtitia. Quod DEO magis, quam Salomoni aut vlli hominum conuenit. Idcirco enim DEO nullus eſt ſimilis.

Iſa. 61. 8.
Baſil. in Pſal. 44.

Potentiam tuam, & IVSTITIAM Tuam DEVS, *vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia*: DEVS *quis ſimilis Tibi?* Pſal. 70. 19.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: IVSTITIA, & Iudicium præparatio ſedis tua. Pſal. 88. 15.

IVSTITIA Tua, IVSTITIA in æternum, & lex tua veritas. Pſalm. 118. 7. Dicitur DEVS noſter *Loqui iuſtitiam*. Iſa. 63. 1. *Germinare iuſtitiam* Iſa. 61. 11. *Vocare in Iuſtitia*. Hoc enim DEO proprium, hic illius titulus maxime honorificus: hæc conſtans illius functio.

Quam ſplendide ſemper triumphat Paulus in deprædicanda *DEI IVSTITIA*? quàm ſolicitè ſemper vel minimam iniuſtitiæ ſuſpicionem amouere conatur? Imò

Ivstitiæ demonſtrationem tanquam finem Incarnationis verbi proponere videtur ad Roman. 3. 25. *Quem propoſuit DEVS propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem* Ivstitiæ Svæ, *propter remiſsionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione* DEI, *in hoc tempore, vt ſit ipſe* Ivstvs, *& Iuſtificans eum qui eſt ex fide* Iesv Christi.

Sexcenta ſunt alia, quę Deo non minus Ivstitiam, quam Sapientiam, Miſericordiam, Bonitatem, & reliqua *Attributa* vt vocant Scholaſtici adſcribunt. An æquè propriè illi conueniat ſi ſpectetur Ivstitia Pecvliaris à Iuriſconſultis celebrata, & Philoſopho cognita, poſtea examinabitur. Nunc hoc ſtatuatur: Negari non debere, Ivstitiam Deo conuenire, illumque Ivstvm, quam, quem maximè, prædicandum.

Commentatio II.

DEO MAXIME CONVENIT TITVLVS Jvstvs.

Iuſtus Dominus; & Iuſtitias dilexit: Æquitatem vidit vultus eius. Pſal. 10. 8.

Ex Eruditione profanâ.

Sapientes omnes Iuſtitiam DEO adſcribunt.

Insitam à natura notitiam indicat Profanorum cum ſacris Auctoribus conſpiratio, quæ hîc eſt maxima. Ivstitiæ Diuinæ aſſertores tot ſunt, quot olim habiti ſapientes, ſiue illi Philoſophorum, ſiue oratorum, ſiue Poëtarum nomine celebres. Aliquorum dicta minus vulgaria, & in quibus energiæ nonnihil adferamus in Ivris-consvltorvm gratiam.

Cleantes inter Stoicos eximius, qui Theogoniam, ſiue Deorvm Genitvram ſcripſit, ita de Deo magnificè:

Εἰ τὸ ἀγαθὸν ἐρωτᾷς μ' οἷόν ἐσ', ἄκουε δή
Τεταγμένον, δίκαιον ὅσιον, εὐσεβές
Κρατοῦν ἑαυτοῦ, χρήσιμον, καλὸν, δέον
Αὐστηρὸν αὐθέκαστον, ἀεὶ συμφέρον,
Ἄφοβον, ἄλυπον, λυσιτελὲς, ἀνώδυνον,
Ὠφέλιμον, εὐάρεστον, ἀσφαλὲς φίλον
Ἔντιμον, ὁμολογούμενον.....
Εὐκλεὲς, ἄτυφον, ἐπιμελὲς, πρᾶον, σφοδρόν,
Χρονιζόμενον, ἄμεμπτον αἰεὶ διαμένον,
Ἀνελεύθερος πᾶς, ὅστις εἰς δόξαν βλέπει,
Ὡς δὴ παρ' ἐκείνης, τευξάμενος καλοῦ τινός

Lipſius lib. 1. Phyſ. l. Stoic. Diſſ. 10.

Quæ ita reddit I. Lipſius in Phyſiologia Stoica.

Si quale ſit Bonvm *rogas, ita accipe.*
Eſt ordinatum, iuſtum, & eſt ſanctum, pium,
Sui potens, commodum alijs, pulchrum, decens,
Rectum atque conſtans, ſemper autem conferens
Expers metu, dolore, curis omnibus,
Iuuans benignum, ſtabile, amicum, amabile,
Honore dignum, confitendum .....

Et

Digitized by Google

Et glorioſum, non ſuperbum, quod gerit
Curam omnium, placens, & viribus valens
Æui vetus, Culpæ inſcium, ſemper manens.
Ab illis ille, opinionem qui adſpicit,
Tanquam duce hac venturus ad veri ſcopum.

Non poteſt verius, nec illuſtrius, in tam obſcura errorum nocte, ſicut neq; Plato, qui in Theæteto adfirmat: *DEVM* nullo vnquam, vel vſpiam modo iniuſtum eſſe, ſed plane *IVSTISSIMVM*. Additque, quod notes velim; Nihil *DEO* ſimilius reperiri poteſt quicquam, quam qui inter nos *IVSTISSIMVS* fuerit.

DEVS Iuſtiſſimus Plat. in Theæt.
DEO quid ſimillimum.

Penſandi ſunt verba Platonis, habent enim ſingularem energiam: οἵ οὐδαμῇ, οὐδαμῶς ἄδικος ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος. Nuſquam & nunquam iniuſtus: quantum poteſt *IVSTISSIMVS*.

Quid Peripateticæ princeps? Quod in naui Gubernator, quod in curru Auriga, quod in choro præcentor, quod denique *LEX*: id eſt, ipſa *IVSTITIA* in ciuitate: & *DVX* in exercitu, nimirum *IVSTISSIMVS IVDEX*, hoc eſt *DEVS* in mundo. Quod imitatus Boëtius, canit ſuauiſſime.

Ariſt. lib. de Mundo.
Boeth. 46.

Sedet interea Conditor altus
Rerumque Regens flectit habenas
Rex, & Dominus: Fons & origo
LEX, & ſapiens ARBITER ÆQVI.

Quare monet ſerio apud Poëtam, vt reſpiciant ſceleſtati hanc *IVSTITIÆ* normam

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma: *Virg. 1. Æneid.*
At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.

DEVS eſt, vt canit alius *Silius Ital. lib. 6.*

IVSTITIÆ rectique dator, qui cuncta gubernat.

Et *DEOS* vniuerſe reſpiciens Ouidius

Aſpiciunt oculis Superi mortalia IVSTIS. *Ouid. lib. 13. Metamor.*

quaſi, quicquid cum Diuinitate ſiue vera, ſiue falſa cognationem habet à *IVSTITIA* non poſſit eſſe alienum. Imo *IVSTITIA DEOS* fieri, qui homines erant opinabantur Romani: Pietate & *IVSTITIA* Principes Dij fiunt inquit Auguſtus apud Senecam.

Senec. in Lud.

FVIT autem omnibus olim, quamuis perditiſſimis tam alte hæc de Deo impreſſa notio, vt facilius fuerit reperiri, qui cæteras illi perfectiones: imo, ipſum *ESSE*, quam *IVSTITIAM* negauerint. Non putabatur abſurdum Atheis quibuſdam: quorum Magiſtri nominantur Protagoras, Diagoras, Melius, Cyrenaicus, Theodorus *DEI* exiſtentiam vel in dubium vocare, vel pernegare omnino: ea fortaſſe potiſſimum inducti ratione:

Omnium vox profanorum, DEVS IVSTVS.
Athei
Cic. lib. 1. de nat. Deor.

Quod, cum multa in vniuerſo contingere animaduerterent, quæ minus cum *IVSTITIÆ* norma, prout ipſi præconcipiebant, conuenire viderentur, ſatius ſit, dicere. *DEVM* nullum eſſe: quam agnoſcere aliquem & confiteri, quem *IVSTVM* eſſe, nequeas adfirmare.

Plutar. lib. 1. de plac. c. 7.
Lactant. lib. 1. inſt. cap. 2.
Lib. de ira c. 9.

Sed ô miſelli? Ex ipſo hoc capite *DEVM* eſſe aſtruimus. Si enim Deum è medio tollas, *IVSTVM* etiam omnium *IVDICEM* è medio tollere neceſſe erit. Quis n. alius hominum *IVDEX* poteſt conſtitui? Sed, quis tam inſanus, modo rationis micam habeat, vt *IVDICEM* è rerum natura exturbandum putet, velitue, ſi homo eſt. Sic

Euſeb. lib. 14. de Demon. c. 6
Theodor. lib. 3. Græcan. Aff.
Contra Atheos.

namque ſimul virtutum præmium, vitiorumque ſupplicia aufferet. His ſublatis, fœliciorem eſſe in ſceleribus enutritum, iiſque tantum deditum : quam, qui virtutibus dat operam, fit conſequens. Quod quam ſit à ratione alienum omnes intelligunt, qui aliquid intelligunt. Ideoque iuſti in beſtias degenerare iuuat, ex ipſa Iuſtitiæ ratione, quam omnes homines animo impreſſam, & anticipatam habent *DEVM* aliquem eſſe deducitur.

S. Thom. 1. par. quaſt. 2.

Ariſtotelis error circa Dei prouidentiam. Libr. magnor. Moral. 108. circa finem.

Ariſtoteles ſane, res mira, ne *DEO IVSTITIAM* denegaret, non dubitauit aſſerere, contingentia quædam, & fortuita ad *DEVM* minime referenda eſſe. Si fortuitus caſus, inquit, eſſet Deo tribuendus, eſſet *INIVSTVS*, cum frequenter accidat, flagitioſos homines fortunatos eſſe, & res omnes bene illis euenire : Contra vero ſtudioſis plura aduerſa, tam in bonis fortunæ, quam vitæ accidunt. Quocirca exiſtimauit tantus Philoſophus, potius prouidentiam circa res quaſdam, quæ ab hominum non pendent arbitrio *DEO* eſſe denegandam, quam *IVSTITIAM*.

Prouidentia Diuinæ oppugnatores.

IDEM vehementiſſime apud Ciceronem agit Cotta in tertio de natura Deorum : vbi adfirmat, Deo ne *INIVSTITIÆ* inſimuletur, neglectum rerum humanarum potius eſſe tribuendum, procurationem earundem, & prouidentiam ſingularium denegandam.

Cotta apud Cicer. diſputatio.

Telamon, inquit vno verſu totum locum conficit : Vtrum Dij homines negligant. Nam

Si curent, bene bonis ſit : male malis.

Quod nunc abeſt. Debebant illi quidem omnes bonos efficere, ſiquidem hominum generi conſulebant. ſin id minus bonis certe conſulere debebant. Cur igitur duos Scipiones fortiſſimos & optimos viros in Hiſpania Pœnus oppreſſit ? Cur maximus extulit filium conſularem ? Cur Marcellum Annibal interemit ? Cur Paullum Cannæ ſuſtulerunt ? Cur Pœnorum crudelitati corpus Reguli eſt præbitum ? Cur Africanum domeſtici parietes non texerunt ? ſed hæc vetera & alia permulta : Propiora videamus. Cur auunculus meus vir innocentiſſimus in exilio eſt ? Cur ſodalis meus interfectus domi ſuæ Druſus ? Cur temperantiæ, prudentiæq; ſpecimen ante ſimulacrum Veſtæ Pontifex maximus eſt Q. Scæuola trucidatus ? Cur etiam ante tot Ciuitatis Principes à Cinna interempti ? Cur omnium perfidioſiſſimus C. Marius P. Catulum præſtantiſſimâ dignitate virum mori potuit iubere ? Dies deficiat ſi velim numerare quibus bonis male euenerit, nec minus ſi commemorem, quibus improbis optime. Cur enim Marius tam fœliciter ſeptimum Conſul domi ſuæ ſenex eſt mortuus ? Cur omnium crudeliſſimus tam diu Cinna regnauit ? At dedit pœnas, prohiberi melius fuit impedirique ne tot ſummos interficeret, quam ipſum aliquando pœnas dare.

Infra Anaxarchum Democritum à Cyprio Tyranno excarnificatum legimus. Zenonem Eleatum in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate cuius morti illachrymari ſoleo Platonem legens ? Videſne igitur Deorum iudicia. Si videient res humanas diſcrimen eſſe ſublatum. Diogenes quidem Cynicus dicere ſolebat : Harpalum, qui temporibus illis felix prædo habebatur contra *DEOS* teſtimonium dicere, quod in illa fortunâ tam diu viueret. Nimirum, Iniuſtitiæ quædam vmbra, quam illi *IVSTITIA* ſoli, ſiquidem eſſet, tenebrarum tantillum inducere nō debere. cenſebant omnes *DEOS* vel aufferebat, vel cognitione, prouidentiaque orbabat. Hoc enim minus malum exiſtimabatur, delirantium illorum ſapientum iudicio.

Deo conuenire debere.

In eundem ſcopulum impegerunt alii plures è veteribus, qui ita ſtatuebant apud ſe, &

ſe, & ſpargebant in vulgus. Si quis eſſet *DEVS*, ei imprimis, tanquam rerum conditori & curatori *IVSTITIA* conueniret. Hæc autem ſi adſiſteret ei, quem *DEVM* dicimus, bonis, ac piis & *IVSTITIÆ* cultoribus bene eſſe: malis, impiis, & iniuſtis male. Contrarium ſæpe euenire, cum animaduerterent, ne *DEVM INIVSTVM* appellarent (tantum refugiebat ab hoc animus) Fortunam accuſabant nonnulli, tanquam iniuſtam & iniquam: quæ improbis vt benignam matrem, bonis, velut auaram nouercam ſe præberet. Alii eandem, vt cæcam & temerariam laceſſebant conuitiis, quod nunc bonos, nunc malos nullo diſcrimine, aut extolleret, aut præcipites daret.

quam quod maxime, IVSTITIAM. Clem. libr. 5. Strom. Epiphan. hæreſ. vlt. Nazianz. or. 1. de Theol. Ambroſ. 1. offic. c. 3. Theodor. li. 6. Græca. affectio. Saluian. lib. 1. de prouiden. Nyſſen. lib. 8. de Philo. ca. 3. & 4. Euſebius lib. 15. de præpar. Euang. cap. 4.

Quod ſi bonis è ſententia res ſucceſſiſſet: aut omnium opinione inſignite improbus dediſſet pœnas, quoniam Iuſtitiæ regulas ſeruari exiſtimabant, & *IVSTVM* dici poſſe *DEVM*, illum eſſe ac viuere, ſimulque operis illius autorem deprædicabant: negaturi iterum, poſtquam *INIVSTITIÆ* ſuſpicio pulſaſſet animum, aut contigiſſet aliquid contra quam æquum iuſtumque eſſe rigidi illi cenſores pronunciarent. Nimirum, *DEVM* tollere, quam illi *IVSTITIAM* detrahere rationi magis conſentaneum eſſe opinabantur.

Eſtis io *Superi* cantabat Statius poëta, cum conualuiſſet à periculoſo morbo, vir probitatis eximiæ Rutilius Gallicus. Contra vero

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato, paruo,
Pompeius nullo. Credimus eſſe DEOS?

Inclamabat alter. Mortuus erat ciuis reipublicæ vtilis, quem Conſul viuere diutius debuiſſe iudicabat: ſubito negabat *DEOS* eſſe: id enim ab illorum *IVSTITIA* alienum videri non ambigebat. Itaque in morte Tibulli amici Ouidius

Cum rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo
Sollicitor nullos eſſe putare DEOS.

Eandem hanc cauſam dubitationem mouiſſe Claudiano, ex eius, qui adhuc ſuperſunt, & leguntur, verſibus conſtat: Confirmatum autem ſe in *DEI* fide, ex *IVSTITIÆ* quodam effectu in iiſdem inſinuat.

Claudiani Impia dubitatio.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cum diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi
Præſcriptoſque maris fines: annique meatus
Et Lucis, noctiſque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata DEI, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci
Qui variam Phœben alieno iuſſerit igne
Compleri, Solemque ſuo: porrexerit vndis
Littora: tellurem medio librauerit axe
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem: lætoſque diu florere nocentes
Vexarique pios, rurſus labefacta cadebat
Relligio: cauſſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius: vacuo, quæ currere ſemina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortuna, non Arte regi, quæ Numina ſenſu

Ambiguo, vel nulla putat, vel neſcia veri
Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
Abſoluitque DEOS....

Ciceroni Deus Improuidus, ne ſit Iniuſtus.

Ciceroui quoque, ne *INIVSTVM DEVM* faceret, Ignorantem & Improuidum exiſtimare placuit. Fuit enim Ciceronis error vt multorum fert opinio, de quo S. Auguſtinus lib. 5. de ciuitat: cap. 9. *DEVM* futurorum contingentium cognitionem non habere: ſed illa à Caſu & Fortuna dependere: Nimirum, metuebat, ne ſi illa *DEO* præcognita certo, & infallibiliter concederet, aliqua illi *INIVSTITIÆ* nota inureretur, cum tam multa, contra quã æquum eſſe opinabatur, euenirent.

Lib. 2. de Diuinat. diſputans cum Q. fratre.

Hinc omnem diuinationem incertam eſſe dicebat. Ita docuit Lib. 2. de diuinat: diſputans cum Q. fratre, qui libro primo illam defenderat. Nihil eſt, inquit Cicero, tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quam Fortuna, vt mihi ne in *DEVM* quidem cadere videatur vt ſciat, quid caſu & fortuito futurum ſit. Vtitur autem argumento, quo Ariſtoteles lib. 1. de Interpretatione Cap. 8. probare nititur, In contra dicentibus ſingularibus de futuro contingenti non eſſe vnam veram, alteram falſam determinate, his verbis. Si enim *DEVS*, ſcit, certo illud eveniet. Si certo eueniet nulla Fortuna eſt. Eſt autem Fortuna. Rerum igitur futurarum nulla præſenſio.

Sublata præſcientia tollitur prouidentia.

Ex quibus cõſequi neceſſe eſt, iſtiuſmodi effectuum, & operationum prouidentiam *DEO* non competere. Cum enim prouidentia ſit cura rerum futurarum, & circa illarum diſpoſitionem verſetur: Conſtat ſine præſcientia earundem eſſe non poſſe. Itaque, qui dicit *DEVM*, non certe præſcire futura: neceſſe eſt vt fateatur, earum etiam rerum prouidentiam illum non habere. Quod Ciceroni viſum fuit magis conforme, quam *INIVSTITIAM* illi tribuere.

Si tamen Cicero in ea fuit ſententia. Ciceronem enim defendunt multæ, quæ in lib. de Natura Deorum habet, vbi plane Stoice de prouidentia ſupremi Numinis loquitur. Stoici autem, & omniſcium, & prouidum, & curatorem eſſe, atque etiam ſingulorum aſſerebant, vt demonſtrat I. Lipſius lib. 1. Phyſiolog. Stoicæ à diſſertat.

Porro illud etiam animaduerto obſeruatum à Deo caris & ſapientiſſimis viris, ſiquandoque neceſſe ſuit Plebeiorum dubitationes de Prouidentia diuina proponere, vt ſummopere cauerent, ne ſuſpicionem aliquam, de *INIVSTITIA* habere viderentur. Nota ſunt illa Ieremiæ 12. 1. *IVSTVS quidem TV es Domine, ſi diſputem tecum. Veruntamen iuſta loquar ad TE. Quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus, qui præuaricantur & inique agunt? plantaſti eos & radicem miſerunt, proficiunt, & faciunt fructum. Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.*

Dauid. Pſal. 72. 1.

Cum idem argumentum tractaret Rex Dauid, ſententiam prius de bonitate diuina, quæ *IVSTITIÆ* ſemper eſt iuncta firmandam cenſuit: Cum quiquid *IVSTITIÆ* diuinæ detrahitur ſacrilegè omninò Deo denegetur. *Quam bonus*, inquit, *Iſrael* DEVS *his qui recto ſunt corde! Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.*

Eſt itaque longè certiſſimum, de quo abſque ſacrilegio dubitari non poteſt, DEVM nuſquam, & nunquam vlli eſſe iniurium, ſed quantum poteſt id eſt, ſummè iuſtiſſimum: vt merito gaudere poſſimus, & nobis gratulari quod cum eo contractus celebremus, cui non minus profani, quam Deo ſacri homines acclamant, *IVSTVS* es Domine in omnibus vijs tuis, & Sanctus in omnibus operibus tuis.

COM-

COMMENTATIO III.

INTER DEVM ET HOMINEM CELEbrari ſolenniter Contractus.

Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iacob fœdus nouum, non ſecundum Pactum, *quod pepigi cum Patribus eorum.* Jerem. 31, 32.

FRVSTRA multis diſputaretur de obligationibus inter DEVM & Hominem ex contractibus, niſi perſuaſum eſſet, poſſe Contractum inter hominem ac Deum intercedere. Id itaque primo ſtabiliendum eſt. Ad quod operoſa, longave diſceptatione haud opus, cum DEVS toties ſe inire fœdus, paciſci, conuenire cum homine conteſtetur, vt nihil fere in ſacris occurrat frequentius. *Contractus inter DEVM & hominem. Fœdus. Pactum. Conuentio.*

Sed illuſtris omninò eſt locus ille apud Ieremiam cap. 31. & neſcio an vllus alius illi ſit conferendus, in quo tam clarè ac copioſè duplicis pacti fiat mentio. Egerat Propheta de captiuorum in Babylone ærumnis, & ſpe liberationis futuræ, quam deriuat artificioſè ad ſeruitutis alterius longe magis calamitoſæ diſcuſſionem, nempe Diabolicæ ac peccati, à qua eximendos ſpondet, multo felicius, quam ex Ægypto patres illorum educti fuerint: *Ecce inquit dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum* Pactum *quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti*: Pactum *quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum dicit Dominus.*

Dum *Fœdus*, & *Pactum* audio, contractum duorum vel plurium concipio. Quid enim eſt fœdus? An non mutua pactio inter duas pluresue partes certis verbis, ritibuſque celebrata qua ſeſe inuicem ſanctè obligant, ad certa commoda mutuo præſtanda? Duo autem pacta nominat Propheta, vetus & nouum. Et vniuerſe duo celeberrima ſunt paciſcendi genera, quibus *DEVS* vſus eſt, altero quidem ante Filii *DEI* Incarnationem, altero poſtquam homo factus eſt. Quæ, quamuis modo differant, & quibuſdam circumſtantiis, in eo tamen conueniunt, quod cauſſæ fuerint obligationis, ac proinde manifeſte declarent, paciſci poſſe *DEVM* ac hominem. *Fœdus.*

Quod clariſſimè oſtendit *DEVS* in ſolenni illa celebratione contractus, quam cum Abrahamo habuit, adhibens ritus omnes, qui à paciſcentibus olim expoſcebantur. Idem factum, die quinquageſimo poſt exitum de Ægypto in monte Sina, quando cum toto populo Iſraelis iterum pactus eſt. Vtrobique fuere paciſcentes, ibi *DEVS* per Fæcialem Angelum & Abraham: hic *DEVS* idem, per Mediatorem Moſen, & Populus Iſrael: Vtrobique lectæ ſunt conditiones, quidnam addiceret certo *DEVS* promittens: quid poſtularet viciſſim à Populo: quid ille dare vellet, quid hi facere deberent: vtrobique fuit pacti confirmatio & roboratio per aſſenſum partis vtriuſque verbis aut ſignis expreſſum: tum etiam Sacrificium in quo victima cæſa exhibetur ad comminationem mortis illi inferendæ, qui prior pactum fregiſſet. *Ritus Pactorum. Gen. 15. Exod. 19.*

Hanc enim ob cauſam accepit Abraham DEI iuſſu vaccam triennem, & capram trimam, & arietem trium annorum, & turturem quoque & columbam, qui- *Ritus Contractus cum A-*

brahamo initi.

bus per medium diuiſis, & poſitis altrinſecus, cum Sol occumberet, vice DEI inter diuiſiones illas clibanus fumans, & lampas ignis pertranſiit, quaſi *DEVS* more hominum ſe ſubiiceret pœnæ, ſi contractus leges violaſſet. Sacrificauit deinde Abraham, vt tanquam ſigillo contractus initus firmaretur.

Solennitas Contractus montis Sina. Exod.19.3.

In monte autem Pacti ſeu Fœderis, quomodo Sina merito vocatur, non minori ſolennitate res peracta eſt. Aduocat initio Dominus Moſen, tanquam voluntatis ſuæ interpretem, ac ſequeſtrum, mandatque: Hæc dices domui Iacob & annunciabis filiis Iſrael. Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis: Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale & gens ſancta. Venit Moſes & conuocatis maioribus natu populi expoſuit omnes ſermones, quos mandauerat Dominus. Erant autem decem præcepta ad morum inſtitutionem, ſeruandamque caritatem erga *DEVM* & homines Exod. 20. deinde alia nonnulla, quæ Iudicialia dicuntur, quoniam ad Iuriſdictionem reipublicæ pertinebant, & recenſentur Exod. 21. 22. 23. Tandemque Ceremonialia, & quæ Religionem ſpectabant, quæ à cap. 25. enarrantur.

Hæc poſtulabat *DEVS*, vt daret, quæ non niſi per conuentionem transferre volebat. Populus autem vnanimi conſenſu, imo voce ad illa præſtanda fidem fecit, ſeque ad illa ſeruanda obligauit: Omnia verba Domini, quæ loquutus eſt, faciemus, & erimus obedientes: Ecce partis vtriuſque conſenſum. Sed quia contractum hunc voluit *DEVS* litteris perfici, ſcripſit Moſes omnes ſermones Domini. Quo abſoluto, inſtitutum eſt ſacrificium, ſparſuſque ſuper paciſcentes ſanguis. Nam conſurgens Moſes ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael: miſitque iuuenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulit itaque Moſes dimidiam partem ſanguinis & miſit in crateras; partem autem reſiduam fudit ſuper altare, & aſſumens volumen fœderis legit iterum omni populo, vt contractum initum ratum haberet. Quod factum eſt: dixit enim populus: omnia quæ loquutus eſt Dominus, faciemus: & erimus obedientes. Quo dicto, ſumptum ſanguinem qui erat in crateribus reſperſit in populum dicens: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.

Deuter.5.3.

Frequentiſſima autem huius pacti eſt mentio. Nam vt *DEVS* ſe recordatum pacti ſæpe monet, ita ſemper populum pacti volebat eſſe memorem. *Oſtendit vobis pactum ſuum, quod præcepit, vt faceretis,* inquit Moſes Deut. 4. 13. *Caue ne quando obliuiſcaris pacti Domini DEI tui, quod pepigit tecum* Deuter. 4. 23. *Dominus DEVS noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb. Non cum Patribus noſtris iniit pactum, ſed nobiſcum, qui in præſentiarum ſumus, & viuimus.* Et grauiſſime conqueritur de iis, qui irritum fecerunt, qui non ſeruauerunt, qui præuaricati ſunt, qui tranſgreſſi ſunt, qui dereliquerunt pactum Domini, tot enim & pluribus formulis res eadem exprimitur.

Non paucioribus Ceremoniis celebratus eſt nouus ille Contractus, qui veteres omnes includit, cum ſit reliquorum compendium, in quo paciſcentes, aut contrahentes fuere *DEVS*, & Homo, Mediator *CHRISTVS* qui, qua *DEVS* & ipſe fuit principalis paciſcens, qui pactus eſt daturum ſe criminum condonationem, offenſarum amniſtram, opis abunde ad diuinam legem inpoſterum adimplendam, ius denique ad æternam beatitudinem.

Pollicitationis huius tot ſunt tabulæ quot paginæ Euangeliorum. Initio ſtatim Euan-

Digitized by Google

Euangelii ſecundum Ioann. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* *Ioan.1.12.*
Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt. Iterum Ioan. 4.14. *Ioan.1.17.*
Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Alio loco. *Ego ſum* *Ioan.6.36.*
panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet vnquam.

Homini autem impoſuit onus quoddam leue, & iugum ſuaue, portandum aliquanto tempore. Adiunxit mandata nonnulla Fidei, Spei, Caritatis, aut potius, vnicum, Amoris. Præſcripſit ſacramenta, numero pauciſſima, obſeruatione faciliima, ſignificatione præſtantiſſima, quæ ſuſcipi voluit, & magna in veneratione haberi. Conſenſum præſtiterunt, qui ad contractus firmitatem requirebantur, Patres, ac Principes noſtri, Apoſtoli, per hos Proxonetas mentem noſtram declarauimus. Illorum voce diximus: Tu es Chriſtus Filius *DEI* viui. Illorum verbis ſtipulati ſumus. Illorum ore conteſtati ſumus: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es CHRISTVS Filius DEI viui.* *Ioan.6.67.* Hinc orta obligatio, quæ ad ſingulos per Baptiſmi canalem deriuatur.

Hic contractus litteris etiam perfectus eſt, ſiue illis, quas exararunt *DEI CHRISTI*que Domini fideles amanuenſes, Apoſtoli nonnulli, ac Euangeliſtæ: ſiue quas Diuinus ipſe Spiritus conſcripſit non atramento ſed amoris liquamine, non in tabulis ligneis, aut lapideis, ac multo minus, papiraceis, ſed in tabulis cordis noſtri carnalibus.

Hoc erit pactum inquit Dominus apud Ieremiam, *quod feriam cum Domo Iſrael poſt dies illos. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Poſt dies illos, nimirum, Legis veteris inquit Lyranus, & Dionyſius, ſuccedet Lex noua, & contractus nouus. At, D. Hieronymus, & Hugo exponunt poſt dies Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis *CHRISTI*. In die enim Pentecoſtes, quando viſibiliter Spiritus Sanctus deſcendit, dici potuit peculiari modo ſcribi in viſceribus, id eſt affectibus, voluntate, mente, ratione, contractus cum *DEO* initus.

Qui, quoniam habuit rationem fœderis icti, ſanguine quoque confirmari debuit, & ſacrificio, quod *CHRISTVS* obtulit in extrema Cœna incruentum: in ara crucis ſanguinolentum. Sed minatur hic ſanguis in omnes paciſcentes copioſe effuſus, vt niſi ſtemus pactis conuentis, certo nobis perſuadeamus, futuros nos aliquando orci victimas. *Irrita quis faciens lege Moſi, ſine vlla miſeratione, duobus, vel tribus teſtibus moritur. quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium DEI conculcauerit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit?* *Sanguine confirmatum Pactum.* *Hebr. 9.28.*

Negari itaque non debet, *DEVM* inter ac hominem celebrari poſſe contractum. Quod confirmat nomen illud ſiue Hebraicum, ſiue Græcum, cuius loco Latinus Interpres vſurpare ſolet *Fœdus*, *Pactum*, *Teſtamentum*. Hebraice enim conſtantiſſimè eſt ברית Berith. quæ vox à LXX. Interpretibus redditur διαθήκη, à vulgato Interprete, Teſtamentum. Iſta autem tria aliquando quidem ſignificant pactum, ſiue fœdus teſtamentarium, aut promiſſionem teſtamentariam, quæ maximè firma eſt, ſeu Teſtamentum propriè dictum, aut vltimam voluntatem, diſpoſitionemque teſtatoris, quod alibi contra Nouatores adſtruo, qui contendunt, ſed ineruditè, illam pactionem, fœdus, aut conuentionem, in qua pars viuit, ſuperſtite vtroque paciſcente, vocari non poſſe Teſtamentum, ac proinde ita verti non debuiſſe *Berith*, διαθήκη. *Nomen Berith.* ברית *διαθήκη.* *Fœdus.* *Pactum.* *Teſtamentum.* *Beza Roman. 11.27.*

Vniuerſe tamen illa eadem accipiuntur pro quouis fœdere, pacto, promiſſione, conuentione, ac cõſequenter, contractu. Quod docet S. Hieronymus in Epiſtolam ad Ga- *Vox Berith unde.*

ברה Barah Barar ברר

ad Galat. ca. 3. & S. Auguſtinus in Geneſ. Loquutio. 94. De voce *Berith*, nullum poteſt eſſe dubium. Cum hanc ſignificationem vel ſolam admittendam cenſeant Scioli, ducunt enim eam aliqui à radice ברה *barah*, alii à ברר *barar*: vtrumque valet *Eligere*: An quia in quolibet fœdere, pacto, contractu eſt electio: eligit enim quilibet paciſcentium, quod ab altero ſibi tradi poſtulat vel confirmari. Prius etiam illud ſignificat ſcindere, ſecare, occidere, ſuccidere, comedere. An quia fœdera olim & pacta conuenta firmabantur cæſo animale, & in partes ſecta victima? tum etiam ſolenni epulo? Poſterior radix valet purum eſſe, aut facere, ſeu mundare. An quia in contrahendo maxime ſpectari debet, & adhiberi ſinceritas, munditia, candor? vt abſit dolus, fraus, impoſtura.

Barah. Scindere, Comedere. Barar. Purum eſſe, Mundare. Διαθήκη.

Vox autem Græca, διαθήκη apud optimos quoſque auctores, fœdus, pactum, conuentionem, pollicitationem, ſtipulationem ſignificat, vt Guilielmus Budæus in comment. lingu. Græc. teſtimoniis ex Ariſtophane ac Demoſthene adductis confirmat, & ex illo Henricus Stephanus in Theſauro. Clariſſimum eſt illud dictum Ariſtophanis κὰν μὴ διαθῶνται διαθήκην ἐμοί: hoc eſt, niſi mihi ſtipulati promittant: niſi mecum paciſcantur, ac conueniant. Imo ipſum emptionis, & venditionis contractum poſſe διαθήκην appellari docet Harpocration & Suidas.

Teſtamẽtum.

Eiuſdem ſignificationis aliquando eſt vox Teſtamentum LXXXII. Pſalm. 5. 6. *Simul aduerſum te* Teſtamentum *diſpoſuerunt*: hoc eſt omnes vicinæ Gentes percuſſo inuicem fœdere vnanimes aduerſum te conſpirarunt. Et Petrus Apoſtolus Actuum 3, 25. ad Hebræos: Vos eſtis filii Prophetarum & Teſtamenti, Græcè eſt, διαθήκης; quod retinuit Syrus Interpres, legens, *redyatthe* דיתקא.

Atque ita, dum paſſim nominatur, Vetus, ac Nouum Teſtamentum: idem eſt, quod vetus ac noua Dei ordinatio, diſpoſitio, promiſſio, fœdus, pactum, contractus, ſtipulatio. Vtrumque enim continet Tabulas in quibus hæc eſt Dei ſtipulatio. Ego JEHOVA ſtipulor, ac promitto, quod ero fidelibus meis in DEVM ac patrem: illi autem mihi in filios & regni Hæredes, ſi legem meam ſeruauerint.

Pactum diſtinguitur à pacto.

Verùm, excipiet aliquis Pacta quidem inter DEVM & hominem eſſe; non tamen inter eos contractus celebrari, latius enim patet pactum, quam contractus. *Pactum* namque, vt definit Vlpianus L. 1. ff. de pactis, *eſt duorum aut plurium in idem placitum, aut conſenſus.* Siue, vt eſt L. 3. ff. de pollicitat. *Eſt duorum conſenſus atque conuentio.* Fateor, non quodlibet pactum nominari contractum, ſi vocabula rigidè examinentur, ſæpe tamen pro eodem accipiuntur.

An contractus poſtulet obligationem reciprocam.

Illud plus negotii exhibet. Quod non videatur inter DEVM ac hominem conſtitui mutua obligatio ex conuentione, quemadmodum contractus exigit. Siquidem non cenſetur proprie contractus, quando ex vna tantum parte, non vtrimque, vltro citroque exiſtit obligatio, vt Iuris-conſulti docent. Vnde Gloſſa in *L. Labeo.* ff. de verbor. ſignificat: dicit, Contractum aliquando accipi ſtrictè, & proprie, & tunc eſſe actum, qui vtriuſque obligationem gignit: aliquando accipi fuſius ac latius, veluti cum vna tantum pars alteri obligatur. Hoc autem modo, donationes, ſtipulationesque, in quibus ſolum vnus ſeſe alteri obſtringit, dicuntur contractus.

Obligatio omnis, contractus.

Ex his illud ſaltem conſequimur, inter DEVM & hominem poſſe eſſe contractum, Iuriſ-peritorum ſententia, ſiue ſtrictè, ſiue laxè. Quid, quod interdum omnem obligationem, qua quis eſt alteri deuinctus, Leges contractum appellent? Conſulatur L. omnem ff. de Iudic. vbi hæc habentur. *Omnem obligationem pro contractu*

tractu habendam eſſe exiſtimandum eſt, vt vbicunque aliquis obligatur, & contrahi videatur.

Non eſt etiam damnata illorum ſententia, qui exiſtimant propriè etiam contractum eſſe, quando vna tantum ex parte obligatio gignitur. Ita Rebuffus & quidam alii in *L. Labeo* ſentiunt non ſine apparenti ratione: quia leges & Iura contractum ſæpè vocant, quando ex vna ſolum parte eſt obligatio. Sic *L. Iulianus* §. *Si quis à pupillo. ff. De actionibus empti & venditi*: ac *L. poteſt. ff. Mandati*, dicitur apertè, in contractu ſolum vnam partem obligari. Frequentiſſimè etiam in Iure, donationes & ſtipulationes contractus appellantur: In donatione tamen vnus ſolum alteri obſtringitur: quod etiam in ſtipulatione interdum contingit. Quis autem ſibi perſuadeat Imperatores, Leges & Iura tam ſæpe impropriè loqui?

Contractus ab vna ſolum parte obligatorius.

Sed demus contractum propriè dictum poſtulare, vt vtrimque oriatur obligatio, cur id in re noſtra fieri non concedamus? Hominem DEO obſtringi ex pacto & conuentione, in confeſſo eſt. DEVS creaturæ ſuæ, cuius omnia iura in manu habet, obligari non poteſt, niſi ipſe obligationem pariat: quod fit fide data, & per promiſſionem.

Homo obligatur Deo.

Quærunt Theologi, An ad hoc vt opera noſtra ſint meritoria perfectæ vitæ æternæ, neceſſaria ſit DEI promiſſio? Reſpondent vnanimiter, niſi pactum, & pollicitatio *DEI* acceſſerit, non habitura rationem meriti perfecti, ſiue vt loquuntur, de condigno. Quæ autem tantæ neceſſitatis cauſa? An quia opera iuſtorum ex ſe ſpectata, etiam, vt procedunt ex auxilio gratiæ *DEI*, non habent condignitatem, & rationem meriti vitæ æternæ: ſed totam ſuam dignitatem ac rationem meriti accipiunt à pacto & promiſſione diuina? Ita opinatur Scotus, Gregorius, Alfonſus à Caſtro, Andreas de Vega.

Promiſſio Dei neceſſaria ad meritum. Scot 1. Diſt. 17. Q. 2. Caſtr. adu. Hær. 5. Meritum. Veg. 2. Q. 5. de Iuſtif.

An quia, licet opera iuſtorum, hoc ipſo, quod opera iuſtorum ſunt, & ex auxilio gratiæ ſupernaturalis profecta abſque vlla acceptatione & promiſſione ſint condignè meritoria vitæ æternæ, maiorem tamen ſortiuntur dignitatem ac perfectionem meriti ex pollicitatione & pacto? Ita exiſtimant Lindanus, Tapperus, & iuniores nonnulli Doctores haud incelebres.

Greg. 1. Diſt. 17. Q. 1. a. 2. Vide Vaſquez Diſp. 214. c. 1. Tapper. art. 11. Lindan. lib 3. Panop. c. 20.

An quia, tametſi in operibus iuſtorum ſit dignitas proportionata præmio cæleſti: tamen abſque *DEI* promiſſione non habent homines ius iuſtitiæ, ad illud præmium, ita vt *DEVS* obligetur ad illud dandum ex iuſtitia? Sic docet Franciſcus Suaretz, quum ſequuntur magno numero recentiores. Qui laudant S. Thomam aſſerentem: Non eſſe meritum ſimpliciter, niſi inter illos, inter quos iuſtitia eſſe poteſt. At certe non haberet *DEVS* obligationem Iuſtitiæ, niſi beatitudinem, vel tanquam præmium, vel tanquam mercedem laboribus atque operibus ſuorum amicorum promiſiſſet. Itaque inſinuat ad iuſtitiæ obligationem conſtituendam fuiſſe neceſſarium polliceri *DEVM*, & mercedem fideliter operantibus promittere.

Alii apud Vaſq. Diſp. 214. c. 2. Fran. Suar. Releſt. de libertat. diuina Diſp. 2. Sect. 2. S. Thom. 1. 2. q. 114.

An denique, quoniam, quamuis de ratione meriti non ſit proprium ac perfectum ius iuſtitiæ eius qui laborat, debet tamen referri ad mercedem debitam, ac proinde reſpicere illum qui obligatur reddere. Merces enim, non cenſetur debita ab aliquo, niſi is teneatur dare, non tenetur autem niſi per obligationem propriam. Nam nemo dicitur debere, niſi id, ad quod dandum obligatur. *DEVS* autem non tenetur, aut obligatur remunerare opera iuſtorum, ſeu illis mercedem dare, niſi quia promiſit.

Quod ſi per promiſſionem gignitur ex parte *DEI* obligatio, manifeſtum eſt,

 quando

Promiſſio inducit obligationem.

quando paciſcitur cum homine, pollicitatione pactum firmans, vtrimque exiſtere obligationem, atque ita *DEVM* inter & hominem poſſe eſſe proprie dictum contractum. Quandocunque igitur *DEVM* promittere audio pactam mercedem, vel propoſitum præmium, obſtringere illum ſe homini concipio, atque ita eum vtriuſque conſenſu contractum, non ſine reciproca obligatione perfici, ſiue illa obligatio ex parte DEI ſit Iuſtitiæ peculiaris, vt volunt multi, ſiue veracitatis, ac fidelitatis, vt contendunt alii.

Frequentiſſime autem fit mentio promiſſionis *DEI* in litteris diuinis cum de iuſtorum operibus agitur. Clariſſime. 1. ad Timoth. 4. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, & Iacobi. 1. Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit *DEVS* diligentibus ſe.

Maioris obligationis ſpeciem habet apud homines, cum promiſſioni additur iuramentum. Quod in noſtri gratiam facit aliquando *DEVS*, cuius alioqui ſimplex verbulum tantam vim habet, quantam ſi mille iuramentis confirmetur. Itaque confirmantur promiſſiones per atteſtationem vitæ diuinæ: *Viuo ego* dicit Dominus: per inuocationem viuentis in ſecula ſeculorum: per repetitionem particulæ aſſertiuæ, Amen, Amen dico vobis, & ſimilibus, quæ in ſcriptura ſacra occurrunt formulis.

Merces ex contractu debita.

Eandem obligationem in DEO continent illæ loquutiones, quibus ſignificatur, reddendam mercedem bene operantibus ex iuſtitia: nempe ex contractu inter DEVM & hominem inito ſecundum Juſtitiæ regulas 2. ad Timoth. 4. Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona IVSTITIÆ, quam reddet mihi Dominus in illa die IVSTVS IVDEX. Ad Hebr. 6. Non eſt iniuſtus DEVS, vt obliuiſcatur operis veſtri. 2. ad Theſſalo. 2. Iuſtum eſt apud DEVM retribuere tribulationem his, qui vos tribulant, &, vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum.

Contractuum nomina.

Idem demonſtrant contractuum nomina, quæ ſuo loco examinabimus. Conuentio de denario diurno, ad locationem ſpectans, exprimitur Matth. 20. Depoſitum 2. ad Timot. 1. Fœnoris, prouerb. 19. alia alibi.

Itaque negandum non eſt inter hominem & DEVM contractus aliquando celebrari.

COMMENTATIO IV.

PARTITIO GENERALIS CONTRACTVVM:

Et ſingulorum definitiones.

PRÆMITTENDA hic ſunt nonnulla, quæ docemus in Theologicis, ac proinde vt ſuo loco probata ſumimus, non demonſtramus. Neceſſaria autem ſunt ad vocabulorum titulorumque notitiam.

Contractus definitur à IC.

I. CONTRACTVS definitur à JVRIS-CONSVLTO in L. *Labeo* §. *Contractum. ff. de verbor. ſignif.* EST VLTRO CITROQVE OBLIGATIO: nimirum, ex conſenſu duorum vel plurium proueniens: Eſt hæc deſcriptio potius per effectum, quàm definitio per cauſſam propriam, aut per genus & differentiam: obligatio namque oritur ex contractu, & formaliter non eſt ipſe contractus. Obſeruauit hoc Dominicus Sotus libr. 6. de iuſtitia quæſt. 2. art. 1.

Definitio Theolog.

II. CONTRACTVS igitur ſic definitur à Theologo: ACTVS *inter duos vel plures ex con-*

Digitized by Google

ex conſenſu ipſorum vltro citroque hinc & inde obligationem inducens. Actus vel eſt genus, vel loco generis commode ponitur. Nam, contrahere eſt agere: non tamen quicunque agit, is contrahit, L. *Labeo cit.* Per reliqua differt ab actibus aliis.

III. Græcis contractus dicitur *συνάλλαγμα*: quaſi contra vel viciſſim actum: ſeu, cum alio commutatum. Siquidem *συναλλάττω* idem eſt Græcis, quod Latinis *commuto*, vel cum alio conuenio. Latini vocabuli originatio reſpicit verbum contraho, à quo contractus: nam qui paciſcuntur, ad vnam obligationem conſenſum ſuum trahunt.

Συνάλλαγμα.

IV. Contractus *primo* diuiditur in contractus *Innominatos*, & in *Nominatos* L. Naturalis *ff. de præſcrip. verb.* Innominati, exprimuntur his vocibus; Do, vt des, Do, vt facias. Facio, vt facias. Facio, vt des. Dicuntur *Innominati*, quia non habent ſpeciale aliquod nomen, quo vocentur, ſed nomine generis ſignificantur. Et ipſi ſunt genus reſpectu contractuum nominatorum. Primus enim innominatus, *Do, vt des*, continet ſub ſe Emptum & venditum: Locatum, & conductum, qui ſunt contractus nominati. Venditor enim dat rem: Emptor tradit precium. Locator dat rem: Conductor ſoluit mercedem. Nominati ſuis exprimuntur nominibus ſpecialibus.

Contractus Innominati & Nominati.

Secundo: Nominati contractus vniuerſe, diuiduntur in contractus *bonæ fidei & ſtricti iuris.* Bonæ fidei vocantur, quoniam in iis ſpectatur bona fides, & agitur ex æquo & bono, quatenus eſt aliquid reſtituendum, aut reſarciendum, vel compenſandum. Tales cenſentur, Depoſitum, Emptum, Commodatum, Locatum, Mandatum, Societas, Pignus, Permutatio, *Inſtit. de actionibus* §. *Actionum, & Gloſſa. cap. cum venerabilis de Emptionibus.* Stricti iuris dicuntur, quia in eis agitur ex rigore legis & iuris ſcripti: vel ex rigore pactionis, ſeu conuentionis factæ inter contrahentes.

Contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris.

Tertiò. Contractus Nominati generatim diſtribuuntur in quatuor membra. *Inſtit. de obligat.* §. *vlt.* & *Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio.* I. Aliqui perficiuntur re, & ſunt quinque: Mutuum, commodatum, precarium, depoſitum, pignus. Quibus additur à nonnullis permutatio, quæ non niſi rei traditione completur L. 1. ff. *de rerum permut.* Et *Donatio*, quæ vno modo fit traditione. II. Aliqui conſenſu complentur: & ſunt quatuor emptum, locatum, ſocietas, mandatum. III. Aliqui verbis, eorumque certa formula, vt ſtipulatio, & fideiuſſoris obligatio. Inſtit. *De verb. obli.* IV. Aliqui litteris, quando præter conſenſum requiritur vt in ſcriptum referatur contractus, vel ob legis conſtitutionem, vel pacti contrahentium.

Contractus, qui perficiuntur re.
Conſenſu.
Verbis.
Litteris.

Quarto: Contractus Nominati diuiduntur, in eos, qui fiunt titulo gratuito ſeu liberaliter: quales ſunt mutuum, commodatum, precarium, depoſitum, mandatum, obligatio fide-iuſſoria: & in eos, qui fiunt titulo oneroſo: nempe intercedente precio, mercede, vel ſimili aliquo: quales ſunt Emptum, Locatum, Societas, Permutatio, Datio dotis.

Contractus qui fiunt titulo gratuito.
Titulo oneroſo.

Quinto: Contractus Nominati in tria membra hoc modo diuiduntur. I. Alii transferunt dominium: Mutuum, Emptum, Permutatio, Donatio. II. Alii transferunt ſolum vſum rei: commodatum, locatum, precarium. III. Alii nec dominium, nec vſum transferunt: Depoſitum, Pignus.

Transferunt Dominium.
Vſum.
Neutrum.

Sexto: Contractus Nominatos trifariam ita partiuntur ICti. I. Alii ſunt gratia accipientis tantum: Mutuum, commodatum, precarium, II. Gratia dantis ſolummodo: Depoſitum & Mandatum. 3. Gratiâ vtriuſque: Emptio, Locatio, Permutatio, Pignus, Societas. Quod aliquando etiam conuenit Commodato, Mandato, Depoſito.

Sunt gratia accipientis.
Dantis.
Vtriuſque.

Digitized by Google

Contractus ſeparati. Coniuncti. Indifferentes.

Septimo: Quorundam hæc eſt partitio trimembris. I. Contractus aliqui ſeiuncti ab aliis conſiſtunt: Emptio, Locatio, ſimiles. II. Alii nunquam ſeparantur ab aliis, vt Fideiuſſoris obligatio, & Pignus. III. Alii indifferenter ſe habent, nunc per ſe ſunt, nunc coniunguntur, vt Societas & Aſſecuratio.

Species contractuum.

V. Incredibilis eſt diſſenſio auctorum in adſignando numero Contractuum, vel exprimendis ſpeciebus. multi luxuriant: alii æquo ſunt adſtrictiores. Conradus Quæſt. 17. de Contractibus numerat. 30. Dominic. Sotus Lib. 6. De Juſtitia. q. 2. art. 1. tantummodo 7. Scot. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. non niſi quinque conſtituit. Joannes Gerſon, quem Conradus profert loco indicato octo genera contractuum non plura, non pauciora admittit. B. Antoninus Part. 3. titulo 8. c. 2. enumerat 12. Alii plures, alii pauciores. diſſidii cauſſa eſt, quod aliqui confundant Nominatos cum Innominatis, quidam contractus eſſe nolint, per quos ex vna tantum parte oritur obligatio, alii eo'dem admittant. Nonnulli inter contractus recenſent, qui ſeparati non conſiſtunt: id aliis diſplicet. omiſſa lite, expeditiſſima partitio videtur, quam ſubiicio in tabella.

CONTRACTVVM DIVISIO.

- I. Contractus Innominati.
  - 1. *Do, vt Des.*
  - 2. *Do, vt facias.*
  - 3. *Facio, vt des.*
  - 4. *Facio, vt facias.*
- II. Contractus, qui rei traditione complentur.
  - 1. *Mutuum.*
  - 2. *Commodatum.*
  - 3. *Precarium.*
  - 4. *Depoſitum.*
  - 5. *Pignus.*
  - 6. *Permutatio.*
- III. Contractus, qui conſenſu perficiuntur.
  - 1. *Emptum.*
  - 2. *Locatum.*
  - 3. *Societas.*
  - 4. *Mandatum.*
- IV. Contractus, qui ad alios reuocantur.
  - 1. *Cenſualis.* Species venditionis.
  - 2. *Cambium.* Permutatio pecuniæ.
  - 3. *Emphyteuſis* } Locationes in longū tempus, vel perpetuum.
  - 4. *Feudum* } Locationes in longū tempus, vel perpetuum.
- V. Contractus dubii, quia vel non eſt reciproca obligatio: vel diſſoluitur conuentio.
  - 1. *Stipulatio.*
  - 2. *Donatio.*
  - 3. *Pollicitatio.*
  - 4. *Tranſactio.*
- VI. Contractus à quibuſdam admiſſi, ab aliis reiecti.
  - 1. *Fideiuſſio.*
  - 2. *Aſſecuratio.*
  - 3. *Sponſio.*
  - 4. *Ludus.*
  - 5. *Sponſalia.*
  - 6. *Matrimonium.*

VII. Quaſi

VII. Quaſi contractus.
- 1. *Acceptipilatio.*
- 2. *Compromiſſum vel Arbitrium.*
- 3. *Tutela.*
- 4. *Cura.*
- 5. *Negotia geſta.*
- 6. *Indebiti ſoluti.*

VI. Contractus itaque, qui non niſi rei traditione perficiuntur ſunt ſex, quorum definitiones, ſicur & cæterorum ſubiicio.

MVTVVM definitur à Iuriſ-Conſultis ex Bartolo *Lege 2. ff. de rebus creditis.* Contractus celebratus ab aliquo, vera, vel ficta datione rei conſiſtentis in numero, pondere vel menſurâ. Quam definitionem explicat, ac defendit Ioannes Azor Tom. 3. Inſtit. Mor. lib. 7. Cap. 1. Quæſt. 2. Theologi ſic deſcribunt. Mutuum eſt traditio rei, numero, pondere, vel menſura conſtantis, facta eo animo, vt ſtatim fiat accipientis cum obligatione, vt ſimilis ſpecie & bonitate reſtituatur. Ita Leonardus Leſſius lib. 2. de Iuſt. 120. Dub. 1. *Mutuum.*

COMMODATVM definitur ab Azone, Goffredo, Oſtienſi, & Gloſſa in Tit. De commodato. Quod gratis alteri datur ad certum aliquem vſum. A Theologis, conceſſio gratuita rei alicuius ad ſolum vſum certi temporis expreſſi, vel impliciti. Leon. Leſſ. Lib. 2. cap. 26. Dub. 1. *Commodatum.*

PRECARIVM. IC. L. 1. ff. De Precario. Precarium eſt, quod precibus petenti vtendum conceditur, tam diu, quam diu is, qui conceſſit patitur. *Precarium.*

Vnde genus eſt liberalitatis ex Iure gentium deſcendens, & differt à Donatione, eo quod, qui donat, ſic dat ne recipiat: qui verò precariò concedit, ſic dat quaſi recepturus quod dedit cùm ſibi libuerit precarium ſolui. Recuius Theologi: PRECARIVM eſt conceſſio gratuita rei, ad ſolum vſum, ad nutum concedentis rationabiliter reuocabilis.

DEPOSITVM ex IC. L. 1 ff. *Depoſiti* eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt, dictum ex eo quod ponitur. Præpoſitio *De* auget ſignificatum, vt oſtendatur, totum eius fidei commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet. Theologi magis formaliter: Depoſitum eſt contractus, quo aliquid traditur ad cuſtodiendum vt integrum reſtituatur. *Depoſitum.*

PIGNVS vocatur omnis ea res, quæ creditori pro debito obligatur, & traditur Inſtit. De Action. §. Item Seruiana. Differt ab Hypotheca, quod hæc propriè ſit res obligationi ſubiecta, quamuis non ſit creditori tradita poſſeſſio: Pignus propriè res non ſolùm obligata, ſed etiam tradita creditori L. *ſi rem alienam* ff. de pignorat. act. Pignus itaque eſt contractus, vel conuentio, qua res creditori pro debito obligatur & traditur. *Pignus.*

PERMVTATIO definitur ab Oſtienſi *in ſummâ Tit. De rer. permutat.* Vnius rei cum aliâ vicaria præſtatio. Permutantes enim viciſſim rem ſuam tradunt. A Theologis hoc modo: Eſt vltro citroque datio rei pro re, vel pecuniæ pro pecunia. *Permutatio.*

VII. Contractus quatuor conſenſu perficiuntur: quod non ſic intellige, quaſi ſolo mentis conſenſu compleantur: ſed quoniam ſine certa ac præſcripta verborum forma, ex ipſo conſenſu, quibuslibet verbis, ſignis, aut nutibus expreſſo celebrantur: nec opus eſt vllâ traditione rei aut ſcriptura, aut præſentia eius cum quo agitur. Inſtit. De obligat: ex conſenſu. *Contractus quomodo conſenſu perficiantur.*

Emptum vel Emptio eſt Contractus bona fide, vltro citroque emptorem & vendito- *Emptum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Venditum. venditorem obligans, qui conſenſu, re & precio perficitur. Breuius. Emptio eſt pactio precii pro mercede. Venditio, pactio mercis pro precio: ſumitur ex L. 1. ff *de contrahenda Empt.*

Locatum. LOCATVM, vel LOCATIO, eſt perſonæ vel rei conceſſio mercede in pecunia numeranda conuenta. Ita Azo *in ſumma* Tit. de *Locato*. Hoſtienſis in ſumma eodem Tit. vel ſic. Locatio eſt contractus, quo perſona, vel res aliqua ad vſum aut fructum precio conceditur.

Conductum. CONDVCTIO eſt contractus quo perſona vel res ad vſum aut fructum comparatur precio.

Societas. SOCIETAS definitur, conuentio duorum, aut plurium voluntate contrahendæ ſocietatis honeſtæ ex pecuniis, operâ, induſtriâ, & bonis ſingulorum inter ipſos communibus ad vberiorem quæſtum, & commodiorem vſum. Breuius. Eſt conuentio duorum pluriumue ad conferendum aliquid in vſum, vel quæſtum communem contracta. Colligitur ex toto Tit. ff. & Cod. *pro ſocio*.

Mandatum. MANDATVM eſt contractus, quo quis officium honeſtum & lege permiſſum gratuitò expreſſè, vel tacite ſuſcipit exequendum. Bartolus & Bald. in Rubrica *Mandati*.

Contractus ad nominatos reuocati. VIII. Contractus quatuor ad alios nominatos reuocantur.

Cenſus. CENSVS, vel contractus cenſualis. Porro cenſus accipitur tum pro omni eo quod annuatim alieni ſoluitur: tum pro iure percipiendi annuam penſionem ex re vtili & fructifera certa ac deſignata, aut perſonâ alterius. Quamuis autem hoc ius poſſit emi, vendi, locari, commodari, & cum alterius re permutari, ideoque contractus cenſualis ad varias poſſit reduci ſpecies: communiter tamen cenſetur ſpecies emptionis, & venditionis. Venditor cenſus eſt, qui recepto precio V.C. mille aureis ſe obligat alteri ad ſoluendum annuum reditum v.c. quinque aureos ex agro aut domo. Emptor eſt, qui precium offert, ac propterea recipit annuam penſionem. Id autem quod venditur, & emitur, aut eſt ipſum ius exigendi & percipiendi penſionem annuam: vel eſt ipſe reditus annuus, qui quotannis redditur. Quamuis enim annui reditus non ſint præſentes, ſunt tamen futuri. Et ſæpe futuri fructus, qui ſolum ſpe habentur emi ac vendi poſſunt. Sic venduntur fructus ex agro futuri, partus ancillæ, & plura iſtiuſmodi. Res vero cenſui ſubiecta vt ager vel domus non emitur nec venditur: ſed habet ſe vt materia ex qua penſio annua percipitur.

Cambium. CAMBIVM dicitur à Cambire, quod eſt permutare. Definitur: Permutatio pecuniæ pro pecunia.

Emphyteuſis. EMPHYTEVSIS appellatur quaſi Ἐμφυτεία, id eſt implantatio, inſitio. Quare ager dicitur dari εἰς ἐμφύτευσιν, quando datur vt conſeratur ſegetibus, vel arboribus. Hinc tralatum eſt nomen ad ſignificandum contractum, quo res datur in Emphyteuſin. Emphyteuſis igitur eſt conceſſio rei immobilis cum tranſlatione dominii vtilis, retento directo, ſub onere certæ penſionis proprietario ſoluendæ: idque vel in perpetuum, vel ad vnius vel plurium vitam: vel ad tempus certum, quod decennio non ſit minus. Emphyteuta eſt, qui dominium vtile rei immobilis ſic accipit.

Feudum. FEVDVM ſi non ſumatur pro re, quæ datur in feudum, videlicet pro fundo beneficiario, ſed pro contractu, deſcribi poteſt: Conceſſio rei immobilis, vel æquipollentis cum tranſlatione dominii vtilis, proprietate retentâ, ſub onere fidelitatis,

Digitized by Google

tis, & obſequii perſonalis exhibendi. In feudo puro non ſoluitur penſio, ſicut in Emphyteuſi, ſed ſolum obſequium perſonale. Interdum tamen in feudo aliquid penditur in recognitionem dominii directi, & tunc induit quodammodo rationem aliquam Emphyteuſis.

Ab Emphyteuſi, & Feudo non differt Contractus Libellaticus. Certè vocant *Liuellus.* aliqui Emphyteuſin, & Feudum LIBELLVM, aut LIVELLVM. Quam ob rem quod datur in Emphyteuſin, & in Feudum, dicitur dari ad Liuellum. Quando igitur Emphyteuta vel Feudatarius rem illam, quam in feudum accipit, aut Emphyteuſin, ſimili contractu tradit alteri, vt ſit veluti ſub-feudum, vel ſub-emphyteuſis, dicitur contractus libellationis.

IX Contractus dubii ſunt quatuor. Quoniam cum in iis vel ex vna tantum par- *Contractus* te oriatur obligatio: vel ſit contractus, & obligationis diſſolutio ab aliquibus reci- *dubii.* piuntur in numerum, ab aliis repelluntur.

STIPVLATIO eſt conceptio verborum, quibus is, qui interrogatur, daturum, *Stipulatio* facturum-ue ſe id, quod ex conuentione interrogatus eſt, in continenti promittit. De ea ſunt quinque Tituli in Inſtitut. â 16. ad 20. & in Cod. Lib. 8. ſunt tres â 38. in ff. etiam totus liber quadrageſimus quintus.

DONATIO eſt datio liberalis. Vlpianus L. 1. ff. de *donat.* Donationes plurimæ *Donatio.* ſunt. Propriè autem in Iure Donatio dicitur, cum quis dat ea mente, vt ſtatim velit accipientis fieri, nec vllo caſu ad ſe reuerti, & propter nullam aliam cauſam facit, quam vt liberalitatem, & magnificentiam exerceat.

POLLICITATIO, vel PROMISSIO, eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio fa- *Promiſſio.* cta alteri de re quapiam bonâ & poſſibili. Colligitur ex Titulo 12. Libri quinquageſimi ff. qui eſt de pollicitationibus.

TRANSACTIO eſt conuentio vel pactio, de negocio contrahendo, aut lite *Transactio.* componenda. Vel: Eſt pactio de re dubia, ac lite incerta & nondum finita, non gratis, ſed aliquo dato aut retento, aut promiſſo. L. 1. Cod. de *Tranſact.* L. *Transactio Cod. eod.* Breuius. Eſt negotii vel litis compoſitio.

X. Contractus ſex, quibuſdam certos, aliis dubios voco, quia ab aliquibus tan- *Contractus* quam veri contractus habentur, ab aliis minimè. *ambigui.*

FIDEIVSSIO eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, quâ ſe quis obligat ad eam *Fideiuſſio.* implendam, ſi debitor principalis non ſoluerit. De fideiuſſoribus eſt Titulus 21. libri 3. Inſtit. & ff. lib. 26. Tit. 7. & lib. 46. tit. 1. Codic. lib. 8. tit. 41.

ASSECVRATIO eſt alieni periculi præſtatio: ſeu, contractus, quo quis alienæ rei *Aſſecuratio* periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe, vel gratis, vel certo precio ad eam compenſandam ſi perierit. Si gratis hanc obligationem ſuſcipiat, eſt promiſſio gratuita. Si precio, eſt contractus ſimilis emptioni & venditioni. Qui enim precio aſſecurat, videtur vendere ſuam obligationem, quâ ſe obligat ad ſoluendam rei æſtimationem, in euentum, quo perierit: & alter hanc videtur emere.

SPONSIO eſt contractus, quo duo de veritate, vel euentu alicuius rei conten- *Sponſio.* dentes, ſibi viciſſim aliquid ſpondent, vt id eius ſit, qui fuerit veritatem aſſecutus.

LVDVS eſt contractus, quo Ludentes paciſcuntur, vt victori cedat, quod vter- *Ludus.* que depoſuit.

SPONSALIA ita definiuntur â Nicolao Pontif. cap. Noſtrates 30. quæſt. 5. & â *Sponſalia.* IC. L. 1. ff. de ſponſalibus: Promiſſio futurarum nuptiarum.

MATRIMONIVM eſt contractus coniunctionis maritalis viri & fœminæ inter *Matrimonium.* legiti-

legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinentis. C. illud in fin. de præſumpt. l. 1. ff. de rit. nup. §. 1. Inſtit. *De patr. poteſt.*

Quaſi contractus. XI. Quaſi-contractus numerantur ſex, quorum aliqui ſimpliciter etiam contractus nominantur.

Acceptipilatio. ACCEPTIPILATIO eſt contractus veſtitus, vel roboratus litteris. V. C. ſi litteris fatearis tibi eſſe ſatisfactum, cum non ſit.

Compromiſſum. Arbitrium. COMPROMISSVM vel ARBITRIVM, eſt conuentio, quâ Arbitri ſententię ſe obtemperaturos inuicem ſub pœna vterque Litigator promittit.

Tutela. Cura. TVTELA, CVRA. Inſtit. de oblig. quæ ex quaſi-contract. naſcuntur §. *Tutores.* inter tutorem & pupillum, curatorem, & minorem dicitur non eſſe contractus, ſed quaſi-contractus. Atque ita tutela, & cura obligat ad damnum ſequutum in bonis pupilli aut minoris ex latâ culpâ, vel leui. c. *Quicquid* c. *Arbitrium tutelæ.*

Negocia geſta. NEGOCIA-GESTA. Digeſtor. Liber tertius titulum habet ordine quintum *de negociis-geſtis.* Tunc autem dicitur exiſtere obligatio ex quaſi-contractu negociorum-geſtorum, quando v. c. Titius Caium abſentem obligatum facit ex eo, quod ſponte ſuâ vtiliter gerat negotium Caij, ex quo vtrimque oriuntur quædam actiones & obligationes.

Indebiti ſoluti. INDEBITI SOLVTI. Inſtit. *De oblig. quæ ex quaſi-contract.* §. *item is.* habetur *quaſi-contractus indebiti-ſoluti.* verbi cauſa, Titius ſoluit Caio per errorem id, quod non debebat: eo ipſo habet actionem condicendi, id eſt, repetendi indebitum ſolutum: non quidem ex vi contractus, cum nullus præceſſerit inter dantem, & accipientem, & dans potius intenderit obligationem diſſoluere quam contrahere.

Eſt igitur *indebitum-ſolutum*, cùm quis per errorem, vel ignorantiam, ſoluit alteri, quod non debet. In Digeſt. lib. 12. *De condictione indebiti.* & in Cod. lib. 4.

LIBER

LIBER PRIMVS

De

OBLIGATIONE
HOMINIS ERGA DEVM EX CONTRACTV CONDVCTI ET LOCATI.

Seu

EX TITVLIS, AC IVRE DEI CONDVCTORIS ET LOCATORIS.

COMMENTATIO I.

DEVS CONDVCTOR.
HOMO LOCATOR.

Conuentione facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Matthæi 20. 2. Dominica Septuageſimæ.

DE LOCATO ET CONDVCTO extat Titulus numero,& ordine 18. Lib.3. Decretalium; & in Codice Lib.4. Tit.45.& in DD. L.19. In Inſtitutionibus vero Juſtinian. Lib.3. Tit.25.De eodem contractu agit Azo in ſumma Tit.de Locato. Hoſtienſis in Summ. eod.Tit. Bartolus, aliiq; in Rubric. eiuſd. Tit. Gregorius Toloſanus Lib. 27. Syntagmatis Juris.Jac. Menochius Lib. 2. de Arb. Iud. caſu 514. & 515. Leonardus Leſſius Lib. 2. de Juſtit. & Jure.cap.24.Dub.aliquot.

LOCATIO *eſt perſona, vel rei conceſſio ad vſum, mercede in pecuniâ numeranda conuenta.* vel : *Eſt contractus, quo res immobilis, ad minus tempus quam ad decennium : aut mobilis ad quodcunq; tempus, ad vſum, aut etiam ad fructus pro precio, conceditur.* Dicitur *Perſona*, vel *Res*. Siquidem poſſunt locari ab aliquo operæ, poſſunt etiam res aliæ. ſed quomodo? *Ad vſum.* Ita enim diſtinguitur *Locatio* ab aliis contractibus, per quos transfertur dominium in accipientem : cuiuſmodi ſunt venditio, permutatio, donatio, mutuum. Nam rei locatæ dominium ad conductorem non tranſit : ſed vſus duntaxat. L. non ſolet ff. *locati*. Eadem particula differt *locatum à depoſito* : quoniam locatio fit, vt locato vtatur conductor : at res non deponitur, vt ea vtatur, qui accipit. *Definitio locationis.*

Digitized by Google

In locatione Merces pecuniaria.

Additur autem in deſcriptione, *precium*, aut *merces pecuniaria*, vt diſcrimen ſtatuatur, inter *Locatum*, & *Commodatum*, ac *Precarium*: & quemlibet alium contractum innominatum. Nam per *commodatum* & *precarium* transfertur quidem vſus ſolus; ſed gratis ac liberaliter: at locatio non fit niſi mercede, vel precio. L. *ſi conuenerit* ff. *Communi diuidundo* L. Si vir vxori ff. de donationib. inter virum & vxorem.

Pecunia in locatione.

Diſtinctio â contractu innominato ſtabilitur per precium pecuniarium. Sunt enim innominati contractus aliqui, per quos tranſit ſolùm vſus in accipientem, non tamen neceſſario mercede pecuniariâ: ſed quauis re alia. Quemadmodum ſi inter Titum & Caium conuenerit, vt hic illi det certam menſuram frumenti ſi Heydelbergam iuerit, Eſtqúe contractus innominatus, Do, aut Facio vt concedis aliquid ad vſum. Quod conſtat ex Inſtit. lib. 3. Tit. 25. & L. 1. ff. *Depoſiti* §. *ſi quis ſeruum.* L. Naturalis. §. *at cum do, vt facias.* ff. de *præſcript. verbor.* L. *ſi vir vxori* ff. de *donationib. inter virum & vxorem.* Vnde in iſtiuſmodi contractu innominato agitur actione, quæ dicitur præſcriptis verbis. L. 1. *ſi conuenerit ff. communi diuidundo* §. *ſi quis ſeruum* L. *Naturalis* §. *At cum do vt facias.* ff. de *præſcriptis verbis.*

Locatio rei immobilis infra decennium

Porrò, haud inaniter conſtringitur conceſſio rei immobilis ad minus tempus, quam ſit decennium. Quoniam ſi ad decennium vel vltra res immobilis eo modo concedatur, transfertur ex iuris diſpoſitione dominium vtile illius in accipientem: eſtque proinde contractus Emphyteuticus ſpecie diſtinctus â Locatione preſſe ſumpta.

Conductio quid?

Ex his definienda CONDVCTIO, quæ eſt *contractus quo res immobilis ad minus tempus, quam decennium, aut mobilis ad quodcunque tempus, ad vſum, vel ad fructus etiam pro precio numario ſuſcipitur.* Idem enim contractus ex parte concedentis dicitur *Locatio*; ex parte accipientis *Conductio.* ſicut autem vno verbo *Venditionis*, intelligitur *Emptio* & è contrario, quia ad ſe inuicem referuntur: ita nomine Locationis, conductio etiam comprehenditur, & è contrario. L. *Et ideo.* ff. *Locati.*

Locator quis?

Iam vero Locator is eſt, qui concedit alteri vſum ſuæ rei, vel perſonæ operas, ac mercedem recipit; & hic vocatur OPERARIVS, qui diſtinguitur â *famulo.* Operarius enim operas ſuas locat ad certum genus operis faciendum: Famuli ſeipſos locant ad miniſtrandum, & ſeruiendum alteri, id eſt obſequium illi præſtandum in quocunque opere. CONDVCTOR vero dicitur, qui ſoluit mercedem ob vſum rei, vel operas perſonæ ſibi conceſſas.

Qui locat, ille capit: conducit, qui precium dat.

Locatio inter Deum & hominem.

HVNC Contractum inter DEVM & hominem celebrari, quantum quidem vtriuſque ſert conditio, verba parabolæ Euangelicæ loquuntur. E quibus manifeſtiſſime habetur CONDVCTOR, DEVS: LOCATOR Homo: conuentio, & conſenſus vtriuſque: conceſſio operarum: illarum acceptatio ad vſum: tandem precium pecuniarium: neque aliud ad huius contractus ſolennitatem LL. & Iura requirunt. Singula percurramus.

Paterfamilias.
Irenæ. lib. 4. c. 70.
Athan. q. 52.
Gregor. Hom. 19 in Euangelium.

Prima pars, vt contractus, ſic parabolæ, eſt Pater-familias: quo DEVM deſignari volunt Irenæus, Athanaſius, Gregorius, * Beda: nempe vineæ Dominum, de quo CHRISTVS: *Pater meus Agricola eſt.* quod altera etiam Parabola declaratur Matth. 21. Marci 12. Lucæ 13. & ſanè DEVS apud Prophetas populum ſuum paſſim vineam ſuam appellat. Iſaiæ 5. Ierem. 2. Ezechielis 17. Ioëlis 1. Alii CHRISTVM intelligunt, vt Hilarius, Auctor Imperfecti, Theophilactus. Exiuiſſe enim illum ſemper in hunc mundum, quaſi in forum opinantur, vt in vineam ſuam conduceret

ret operarios. CHRISTVM namque fuiſſe exiſtimant, qui olim Patriarchis videndum ſe præbebat, & loquebatur Prophetis. Eſt itaque *conductor* DEVS, ſeu CHRISTVS, HOMO-DEVS, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam: *Locatores* ſunt homines, qui ſignificantur per operarios, locantes operas ſuas Patri-familias conducendi. Agnoſcebat hanc ſortem, operariorum in generatione ſua fideliſſimus, vti & patientiſſimus malignitatis diei, ac æſtus, Jobus.

Quidcirco dies hominis aiebat eſſe ſicut *a* dies MERCENARII. *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies Mercenarii dies eius*: id eſt, vt breuiſſime clariſſimeque in Paraphraſi ſua exponit, Carmeli Sidus JOANNES à JESV-MARIA: *Experimento didici, mortalem hominis vitam perenne bellum eſſe, fami, ſiti, frigori, æſtus, periculis, vulneribus, morti obnoxium. Tempus etiam vitæ noſtræ ſimillimum eſſe diei, quo toto homo mercede conductus laborat, vt veſperi mercedem accipiat*. Emphaſim autem habet, quod dies exprimatur: nam innuitur vitam mortalium perſimilem eſſe vitæ Mercenarii, non illius quidem, qui operam ſuam ad longum tempus locat: ſed qui diarius eſt & quotidianus, *b* ac ſingulorũ dierum mercedem expectat, & accipit. Atque ita LXX. legunt: *Sicut Cotidiani Mercenarii, vita eius*. Quid autem aliud eſt Mercenarius Cotidianus, quam operarius in diem conductus quem parabola Euangelica exprimit? In qua etiam continetur, quod apprimè ad locationis cõtractum requiritur, *c Pecuniaria merces*. Cõuentione facta *ex denario d diurno*. Quo vitam *e* æternã ſignificari veteres conſentiunt. Solus D. Baſilius ex illo antiquitatis choro, quod ſciam, videtur interpretari, quaſi *Denarius*, Præmium aliquod huius vitæ ſignificet, quo etiam qui damnantur, donari ſoleant. Sic enim exponit, illud Patris-familias reſponſum: *Tolle quod tuum eſt, & vade*: quaſi operarius ille accepto temporali præmio, quod meruerat in damnationis carcerem ablegetur.

Sed non abſque dubitatione loquitur ſummus Doctor. Cum *f* enim quæſiſſet: Quò abire iuſſus eſt, cui dictum eſt, *Tolle quod tuum eſt, & vade* Reſpondet: eo fortaſſe quo abire iuſſi ſunt ii, qui à ſiniſtris conſtituti ſunt: quibus crimini datum eſt, quod à bonis operibus ceſſaſſent. Porro quiſquis inuidet *g* fratri, is eo deterior eſt, qui ceſſat: cum morem habeat Scriptura, multis in locis vicina inter ſe hæc duo vocabula ponere *h* φθόνον & φόνον: id eſt inuidiam & cædem.

Sed *i* cur *denario* potius quam alteri numo vitam æternam comparat? Acuta eſt S. Irenæi reſponſio: quia denarius imaginem Regis habet: quia autem ſalui fient, conformes erunt imagini Filii Dei: quod D. Paulus dicit ad Romanos 8. *k* Et reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratũ corpori claritatis, ad Philippenſes 3. *l* An fortaſſe id factum, quia eo tempore operariorum qui conducebantur, in ſingulos dies merces erat denarius, qui pendebat, vt viri docti exiſtimant, quantum argenteus Hiſpanicus & ſexta eius pars, quadrantes quadraginta valore exæquans, Marauedinos vocant Iberi: quinque aut ſex obolos, ſiue ſolidos ſuos Galli denario adſignant. Quorum alterum *m* Joannes Mariana; alterum *n* Joann. Maldonatus noſtri aſſerunt. Vtut ſit, iuſta erat locationis merces.

Illud etiam ad conducti contractum ſpectat *o*, quod quærit D. Chryſoſtomus. Quid cauſſę fuerit, cur pater-familias, cum ſolis illis, quos primo mane conduxit, conuentionem ex *denario* fecerit: cum aliis ſequus; quibus tantum dixit: *quod iuſtum fuerit dabo vobis*? Nimirum, habet hoc conſuetudo operas conducentiũ, vt non paciſcantur de certa mercede, niſi cum iis, qui mane operam locant in ſubſequentem diem: ſi qui tardius accedant, ad promiſſione portiunculæ alicuius reliquis adiunguntur.

Beda Matth. 20.
Ioan. 15. 1
Matth. 21. 18. & 33.
Marci 12. 1.
Luca 13. 6.
Iſa. 3. 14. & cap. 5. 1. 2. 3. 4. 5. 7.
cap. 27. 2. ca. 32. 12.
Ier. 2. 21. c. 12. 10.
Ezech. 17. 6. 7. 8.
Ioel. 1. 7. 12.
Hilar. Can. 20. in Matth.
Auctor Imp. Hom. 34.
Theophylactus Matth. 20.
a *Dies Mercenarii Iob. 7. 7.*
b *Mercenarius cotidianus.*
c *Pecuniaria Merces.*
d *Denarius diurnus.*
e *Vita æterna.*
f *S. Baſil. in Reg. Tremo. Inter. 255.*
g *Roman. 5. Galat. 5.*
h φθόνον & φόνον.
i *Cur denarius vita æterna.*
k *Rom. 8. 29.*
l *Philip. 3. 21.*
m *Ioannes Mariana Lib. de pond. & Menſuris.*
n *Maldon. Matt. 20.*
o *Cur cũ aliquibus tantũ facta conuentio?*

Quando celebratus contractus locationis.

Ex his iam liquet, locationis contractum, qui parabolicè à patre-familias & operariis celebratus in Euangelio refertur, ab eodem cum omnibus hominibus initum eſſe: ſiue *prima* hora, quæ fluxit ab Adamo, vſque ad Noachum: ſiue *tertia*, à Noacho ad Abrahamum: ſiue *ſexta* ab Abrahamo ad Moſen: ſiue *nona*, à Moſe ad CHRISTVM: ſiue *vndecima*, ac nouiſſima à CHRISTO ad finem mundi. Idque in ſingulis orbis ætatibus, vel *prima* hora, *infantiæ*: vel *tertia*, *pubertatis*: vel *ſexta*, maturitatis *virilis*: vel *nona*, inclinatæ *ſenectutis*: vel *vndecima*, ætatis *decrepitæ*.

In Paradiſo celebratus contractus.

Aut, vt neminem excipiamus, & hunc primum cum hominibus celebratum contractum firmemus, dicamus, in ampliſſimo mundi foro, Paradiſo, DEVM cum Adamo, poſterorum omnium nomine, pactum, & cunctorum conſenſu, qui in illo, vt familiæ principe ſpectabantur, locationem factam. Quamobrem totum genus noſtrum, tum ratione conuentionis inter Deum & Adamum primo, tum deinde cum ſingulis initæ, cœleſti Patrifamilias eſt obnoxium. Nam, vt conſtat ex. LL. etiam ciuilibus: Heres locatoris (qualis fuit primus noſter parens) tale quid locatum eſt, quod ab hærede poteſt præſtari. Sic ex L. *Veteris iuris. C. de contrahenda & committenda ſtipulatione*, conſtat, ſtipulationes ſiue in dando, ſiue in faciendo aliquid conſiſtant ad hæredes transmitti, quando id, quod actum eſt, poteſt per alium impleri. Quod tunc longe veriſſimum eſt, cum locationes ab heredibus confirmantur: Vti ab Adami poſteris factitatum dubitari nequit.

Nullus à contractu locationis exceptus.

Neque vllus ab hoc contractu excipitur: non ſurdus, mutus, cæcus, ſimilibuſq; defectibus obnoxii, qui tamen ad multas alias conuentiones minime videntur idonei. Nam vt venditio ſolo conſenſu ſine verbis vllis, nutibus tantum & ſignis expreſſo celebratur: ſic etiam locatio. L. 1. ff. *locati*. Quocirca L. *item quæritur*. §. *qui impleto*. ff. *locati* dicitur. Qui impleto tempore locationis manſit in conducto non ſolum re conduxiſſe videbitur: ſed etiam pignorum videtur durare obligatio. Et L. *Qui ad certum tempus* eod. tit. Huiuſmodi contractus inquit ICtus, neque verba, neque ſcripturas vtique deſiderant: ſed nudo conſenſu conualeſcunt. Ex quibus colligunt Iuris-periti: ſi ſciente, ac patiente domino conductor finito tempore conductionis in domo aut fundo, quem locatum acceperat, manſerit, conductionem renouari. Atque ita L. *Vbi non voce*. ff. de reg. iuris legimus: vbi non voce, ſed præſentia opus eſt, mutus ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere. Idem eſt in ſurdo. Nemo igitur exceptionem quærat ab obligationibus, quibus titulo contractus locationis Deo ariſſimè eſt aſtrictus.

Obligationes locatoris.

OBLIGATIONES autem ſunt diuerſæ, quibus locator operarum conductori tenetur: & viciſſim conductor locatori. Atque iis præſtitis multa in locatorem: & in conductorem, ſi lucri damnique ſit capax, vtilitas retundat. Verum de omnibus locationum generibus, quæ DEVM inter & hominem celebrantur non agimus: ſed ea ſolum, quæ operarii ad vineam operas locarunt. Nam de iis, qui vel ad piſcationem, vel ad nauigandum, vel ad paſcendum gregem, vel ſimilia munera conducuntur ſuis locis diſputandum erit. Diuerſæ enim pro locationum varietate obligationes exiſtunt: communes tamen vniuerſis ſunt aliquæ.

Prima obligatio locatoris.

IMPRIMIS enim in locatore requiritur, vt ſufficientem peritiam habeat, ad id, cuius gratia operam ſuam conductori addicit. Id namque in artifice quolibet, qui magiſterium, exercitium-vè artis alicuius profitetur poſtulant leges & nationum omnium præſcripta. Sed nullus eſt tam bardus, quamuis natus ad caucaſum, & enutritus in Libyæ ſolitudine, qui peritia laborandi in Patris-familias Euangelici.

lici vinea deſtituatur. Signatum eſt ſuper ſingulos lumen vultus diuini: inſitam habent omnes vim cognoſcendi, & facultatem rationis: adeſt vniuerſis imaginis diuinæ irradiatio: ſol Iuſtitiæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt ſciant: nec deeſt gratia Principis ſupremi, omnium adiutoris, qua poſſint, niſi recuſent manus mouere periti locatoris, laboriſque munere fungi.

Pſal.4.7.

Secvndo igitur & illud inter omnes conuenit, ac contractus ipſiuſmet oſtendit ſubſtantia, locatorem operarium debere, quicquid conductori addixit bonâ fide præſtare. Quare ſi conductus eſt, vt in vinea laboret, ibi diligentem tenetur nauare operam: nec poteſt, niſi fallere velit, & conductorem debita fraudare ſeruitute alteri operi manus admouere, quo à laborando auocetur, vel in ſuſcepto munere impediatur. Eadem te ſtringit cum Deo obligatio. Ille te conduxit, vt in eius vinea toto vitæ tuæ die laborares: tu liberè pepigiſti: contractus eſt initus.

Secunda obligatio.

Vineam nonnulli, Iuſtitiam & mandata Dei interpretantur, quæ vt colant homines, ſunt conditi. Hæc Irenæi eſt opinio. Alii, haud male, totum mundum. Ita Anaſtaſius, Chryſoſtomus, & Euthymius. Nonnulli accommodatè noſtro inſtituto, Animam, quam iubemur excolere: vt Theophylactus diſſerit. Quidam Eccleſiam: quæ eſt interpretatio Origenis & Gregorii: eamque commendat Ioann. Maldonatus N.

VINEA quid? Irena. lib.4. cap 70. Chryſoſt. Auct. Imperf. Euthym. Matth.20. Anaſt. qq. 52. Theoph. Matt. 20. Orig. Greg. Hom.19. Mald. Mat.20.

Addamus nos, haud minus probabiliter, vt opinamur, munus, officium, adminiſtrationem cuilibet delegatam: & eodem intuitu, rempublicam, collegium, contubernium: multóque magis, regnum vel imperium. At hæc, *reſpectiuè*, vt loquuntur IC. excolenda, munienda, conſeruanda, prouehenda, pactionem cum Domino iniuiſti: omnes certe, ad animam, vineæ inſtar, curandam. Hîc neceſſe eſt, vt tua deſudet induſtria: huc vires omnes, & cogitationes conuertendæ: hîc omni conatu in opus incumbendum. Sed quid à diligenti operario efflagitas?

Vt animæ ſolum, durum & ſcabroſum, bifido metûs pœnarum, & ſpei præmiorum ſarculo inuertatur. Vt infelix adfectuum luxuriantium lolium, & peccatorum, ceu vrticarum adulteria, vt nocentes criminum vepres, vt ſteriles operum inutilium hauenæ, ſubtili doloris runcinâ exſcindantur: vt longæ, fibroſæque conſuetudinum prauarum radices examinis conſcientiæ, ſeriæq; emendationis ligone relegantur: vt virtutes, tanquam vites, animæ potentiis, velut ſcrobibus, inſerantur: vt lacrymarum pingui fimo teneræ adhuc, & in arido poſitæ, ſtercorentur: vt opitulatricis gratiæ diuinæ cannis, ac perticis maritentur: vt luxuriantes vineatica confeſſionis falce putentur, & circumcidantur: denique, vt modis omnibus à tempeſtatis violentia, vaſtitate, furunculis conſeruentur. Hæc ſi induſtriè exequutus fueris, conductori abundè ſatisfactum erit.

Excolendæ animæ.

Si neglexeris, aget contra te Paterfamilias, & iure, non ſolùm mercedem omnem detrahet: verum etiam quicquid tuâ incuriâ perierit â te acerbè repetet. Norunt enim LL. periti duas actiones ex *Locatione*. Vna eſt actio ex *Locato*, quæ competit *Locatori* aduerſus *Conductorem*, vt ſoluat mercedem: quod ſi non fecerit, cogitur etiam ad ſoluendum vſuras. L. *præſes* C. *de locato*, & vt reſarciat damna, quæ dolo vel culpa conductoris paſſa res eſt.

Actio conductoris in locatorem. Actio locatoris in conductorem.

De quo non eſt, quod quiſquam vereatur. Non nouit defraudare denario diurno

Conductor DEVS fide-

liſſimè mercedem ſoluit. urno operarios ſuos DEVS: qui ea eſt liberalitate, vt plus, quam debeat (ſi tamen debere poteſt aliquid) & citius, quam expetere poſſit Mercenarius *Locator*, mercedem adnumeret. Neque illo conductore quiſquam vnquam in re locata damnum ſenſit. Ipſe legem de *locato* & *conducto* tulit, quam ſeruat exactiſſimè, vtinam ſeruarent alii.

Lex conducti. Deuteronomii 24. 14. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt.* 15. *Sed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam: ne clamet contra te ad Dominum & reputetur tibi in peccatum.* Quanta ſolicitudine laborantium ſubleuator iubet ſolui operariis indigentibus eodem die, quo laborarunt ante ſolis occaſum promiſſam mercedem: quia ex ea dietim viuere, & familiam ſuam alere debent; vt benè ibi obſeruat Cornel :us N.

Leuitici 19. 13. *Non morabitur opus* Mercenarii *tui apud te vſquè mane.*

Actio ex conducto. Altera actio eſt ex conducto quæ competit Conductori contra Locatorem, vt præſtet rem locatam, laborem non ſuffugiat, manus operi admoueat, nulli pareat induſtriæ. Ni fecerit, & per ipſum ſtet, quo minus re locata, pro vt conuentum, vtatur-fruatur *Conductor*, tenetur ſoluere qui locauit vsque ad nouiſſimum quadrantem, quicquid intereſt Conductoris. Quod profectò in re noſtra periculoſiſſimum eſt, cum idem *Conductor* ſit, & Iudex, qui magno damnum æſtimabit, & ſcrupuloſiſſimè vſuras omnes, ſuumque, quod aiunt, intereſſe, exigere eſt ſolitus. Nihil dico quod legibus etiam humanis, ſed quæ ex diuinis originem ducunt, non ſit ſancitum.

Clariſſime Lex *ex conducto* & L. *ſi vni* §. *vbicunque* verſiculo, *plane, ſi forte* ff. *Locati.* Si per Locatorem ſteterit, quo minus conductor re locata vtatur-fruatur, debet ſoluere locator quicquid intereſt conductoris. Amplius quidpiam præſcribunt Theologi, audi quam ſeuerè. Qui operas ſuas in diem, aut in aliud tempus alicui locauit, fideliterque non laborauit, intra limites laboris, ac curæ debitæ: ita, quod, prudentis arbitrio laborem infimum, iuſtum, pro eo ſtipendio debitum non attigit; tenetur reſtituere conductori de ſtipendio, pro rata eius laboris atque operis, quod præſtare tenebatur, neque præſtitit. Imò verò tenetur etiam illi reſtituere ſi quod aliud detrimentum etiam lucri ceſſantis inde ſubſequutum conductori fuit. Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 195. Ludouicus Molina Tom. 2. de Iuſt. & iure Diſp. 493. p. 1080. c. Quid ſi non reſtituat? poterit conductor ſibi ex mercede ſatisfactionem petere. L. *ſi fundus.* ff. *Locati* & L. *Ædiles* ff. *De Ædilit. edict.* Si is qui locauit operas ſuas, eas non ſoluit, dolo, vel culpa ſua lata, aut leui, ſubducitur merces.

Mercenarius corporo opus perficiens, corporalem præſentiam exhibet. Sed animaduertite, quæſo vos, Mercenarios, qui operam ſuam mortali domino ad rem ruſticam locant: quoniam illa membris corporis, atque ab iis tractari ſolitis organis perficitur, ad alia præſtanda non obligari. Quocirca, qui in vinea tua laboraret, etiamſi cogitatu in diuerſa diſtraheretur, & multa paſſuum millia, momentis ſingulis, animo, qui Euris eſt velocior conficeret: memoria res diuerſiſſimas, ac maximè cum vineæ cultura contrarias volueret: voluntate ac deſiderio fanda-nefanda complecteretur; modo ea à munere, ad quod eſt conductus non diuellerent, nihil contra Locationis pactum agere cenſeretur: neque à re capropter debita mercede priuari poſſet, aut reprehenſionem ipſe incurreret: quoniam, non intellectus, memoriæ, & voluntatis facultates internas, ſed externas tantum

tum

rum manuum pedumque, condicta mercede locauerat: neque conductori terreno in functiones illas internas poteſtas eſt attributa.

At locatio & conductio, quæ Deo te deuincit, non externas ſolum operationes; ſed internas quoque ad vnum omnes Patris-familias arbitrio addicit: tum, quod illarum potiſſimum ope ſpiritalis vinea excolatur: tum quod eas omnes mercede promiſſa elocaueris: tum, quod illarum non minus, quam aliarum *Conductor* ſit Pater-familias. Quamobrem, tametſi forinſecus cuncta, quæ diligentis ſunt Operarii præſtiteris: niſi interiora conſentiant, mercede omni orbaberis, & mulctam præterea multiplicem arbitrio conductoris, â quo non eſt appellatio, pendere compelleris.

Mercenarius Dei internas potentias locat.

Magna igitur ex hoc vnico Locationis cõtractu nobis incumbit neceſſitas omnes intendendi induſtriæ noſtræ neruos; vt non modo â manifeſtis illis, & in oculos omnium incurrentibus: ſed etiam ab occultiſſimis, conductoris tamen noſtri oculis nunquam non peruiis delictis caueamus: & vt operationum externarum indefeſſæ diligentiæ, internarum quoque auxiliatricem manum copulemus. Et hæc quidem altera eſt Locatoris obligatio.

Diligentiam acuit contractus locationis.

Tertia in eo eſt ſita, vt tempus Locationis, Codicillis præſcriptum, vel expreſſum verbis, ſiue illud longum ſit, ſiue breue, expleat: nec ante digrediatur, aut à labore ceſſet, quam illud elapſum ſit. Eſt hac in re locationum diuerſarum intuitu nonnulla varietas. Aliquando enim res, aut operæ ad certum tempus locantur: vt ad tres annos, duos menſes, diem vnum, ſicut operarii fecêre in hodierno Euangelio, quos idcirco *Diarios* appellare poſſis. Aliquando ad tempus incertum: vt ſi locaueris mihi domum tuam ad vitam meam: ſi hortulanus locauerit laborem ſuum diuiti donec in morbum inciderit. Inſuper locatur aliquid vel ad longum tempus: vel, ad breue. Longum, in Locationibus ſaltem rerum Eccleſiæ Canones & Iura intelligunt decennium, vt colligitur ex L. vltima. Cod. *De præſcript.* longi temporis; & ex Gloſſa Communi conſenſu, Cardinali Immola aliiſque adprobata in *Clementina* 1. de rebus eccleſ. non alienand. Ad breue tempus, vt vna hebdomada, die, hora.

Tempus locationis præſcriptum, ſeruare oportet.

Tempus longum.

Tempus breue.

Verum-enimuerò ſiue ad breue, ſiue ad longum tempus facta ſit conuentio, non licet inchoatum opus deſerere, niſi ad finem conſtituti temporis. Operas noſtras Deo locauimus, partim ad certum, partim ad incertum: partim ad longum, partim ad breue tempus. Certum, ſi conductorem ſpectes, apud quem conſtituti ſunt *termini vitæ, qui præteriri non poſſunt.* A quo numerus dierum Locationis præfixus eſt. *Statutum eſt hominibus ſemel*, hoc eſt, irreuocabiliter, firmiter, conſtanter, quando ſinguli vitam ſint finituri. Incertum, ſi nos quibus vltima agricolationis hora incognita: qui neſcimus, qua hora fur venturus ſit & vitæ reliquum ablaturus. E conuerſo, ad longum tempus, ſi noſtri habeatur ratio, quibus, quippe paruulis, omnia magna videntur: puſillis, omnia ingentia: breuibus, longa. Ad breuiſſimum, ſi Devm reſpicias: Quoniam *mille anni ante oculos eius, tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Heſterni quippe *ſumus*, & ignoramus, quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram. Quid breuius, velocius, inanius vmbra?

Homo quanto tempore locet operas.

Iob. 14. 5.
Pſal. 38. 5.
Hebr. 9. 27.
Pſal. 89. 4. 5.
Iob. 8. 9.

Sed niſi hæc tranſierit, quæ tam diu durat, quam luminoſum vitæ corpus, ab opere ceſſare non permittitur, niſi mercede carere velimus, & iuſtam conductoris reprehenſionem, ac Iudicis condemnationem incurrere. Totum enim vitæ curri-

Locationis tempus vita hominis.

culum,

culum, locationis tabulis inſertum eſt: ita cum conductore conuenimus. Hic dies eſt, ad cuius finem, cum ſerò factum fuerit, *denarius*, nec ante dabitur.

Hominis proprius lab r Auis volatus Iob.5.7.

Scitè amicorum Iobi ingenioſiſſimus Eliphaz: *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* Quaſi dicat: quamprimum homo in viuentium catalogum refertur laborantium quoque & operariorum albo inſcribitur: atque ex locationis contractu, tam debet illi eſſe proprium laborare, quam volare alitibus. Et, vt hæc cum vitâ, volandi exercitium ponunt: ita ille, dum vitæ, laborandi quoque pacto renunciare poterit.

Cum vita fini ur locatio.

Nam non finitur hæc cum DEO Locatio vllo alio modo. Inter homines quidem diuerſimodè id poteſt contingere. Nam primo definit, ſeu potius, diſſoluitur *locatio*, conſenſu vtriuſque, locatoris & conductoris. L. *Nihil tam naturale*, ff. de regulis iuris. Sed DEVS nunquam ad diſſolutionem conſentiet, niſi tempus præfixum præterierit. Deinde, ſi res locata omnino intereat: quia locatio ſine re non conſiſtit. Sed res in hac locatione: nimirum, operæ, quas locamus, nobis viuentibus, perire non poſſunt modò velimus. Præterea, lapſu temporis, ad quod res eſt locata. Tandem, morte eius, qui rem locauit. L. *Locati*: quia voluntas cuiuſque morte finitur. Hoc in locatione operarum ad vineam à DEO nobis commiſſam obtinet.

Perſeuerantia vſque ad finem.

ITAQVE, licet multis annis virtutum ſtudiis indefatigabiliter inſudaueris: quamuis in pueritia, adoleſcentia, iuuentute vineam tuam inuidendo labore excolueris: tametſi pondus diei & æſtus in regionis campo admirabili patientia pertuleris: tamen niſi pertinaci perſeuerandi voluntate: indeque conſecutâ ſtudioſæ operationis coronide tanquam gemmato diademate cinxerimus, præteritorum nulla ratione habitâ, denarii diurni, gratiſſima laborantibus mercede, nunquam donabimur. His iam adiungatur.

Ne locator duobus operas prom ttat.

Quarta obligatio ex locatione oriri ſolita, ne locator eodem tempore alteri operam ſuam locet, ſiquidem vni in ſolidum locauerit. Iniuſtum eſſet duobus ſe addicere, cum vni tantum poſſit ſatisfieri, & tamen inueniuntur non pauci, qui cæleſti Patri-familias iam inde à pueritia, & ante, labores ſuos locationis titulo obtulerunt: poſtea tamen, partim pœnitentia bene inceptorum, partim leuitate ducti, quia non audent palam contractum reſcindere, alium adiungunt, cum longè diuerſo vinirore, noſtis quem inſinuare velim, mundo, Dæmone, carne, cui non minus, quam priori diligentiam ſpondent, conuentione inita: improbè, & iniuſtè.

Nemo duobus in ſolidum id m locare poteſt. Matth.6.24. Iſa.28.20.

Non poteſt vnus idemque duobus operam ſuam commodare, merces vendere, corporis membra locare.

Matth. 6. 24. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*: Quod metaphora coniugis pudici exprimit eleganter ac populariter Iſaias: *Coanguſtatum eſt ſtratum; ita vt alter decidat: & pallium breue vtrimque operire non poteſt.* Dicit maritus adulteræ: vnus lectus me, & adulterum tecum capere non poteſt. Et, pallium breue maritum & mæchum cooperire non valet. O ergo Ieruſalem! O anima DEO locata, ſi ſponſioni velis ſatisfacere, ſi DEVM habere maritum, illiuſque frui amplexibus: ſi conductorem eum cupis agnoſcere, cum quo primo loco contraxiſti: ſi ab illo expectare mercedem: reſcinde contractum cum aduerſario illius initum: renuncia mundo, Diabolo, & pompis illius: abiice idola, & quorum hæc ſunt ſimulachra, peccatorum fœditates: his ſi adhæſeris me maritum, conductoremque habere

operire non poteſt? Coanguſtatum eſt ſtratum: pallium eſt breue. Ita ferè mentem Prophetæ declarat, ſummus ſcripturarum interpres, Hieronymus.

Accommodatè etiam ad rem noſtram Nicolaus Lyranus: Cor humanum non poteſt ſimul capere DEVM & diabolum: ſed, ſuſcepto diabolo per peccatum, exit DEVS: ſuſcepto Deo per charitatem, exit diabolus. Pallium breue vnius, a[illegible] vtrunque non poteſt tegere. Amor nefarius ſolum Cacodæmonem. Amor caſtus & cœleſtis ſolum DEVM operit. Cauete igitur, ne vtrique vos addicatis. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini eſſe participes & menſæ idolorum. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ conuentio CHRISTI ad Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Quis conſenſus templi DEI cum idolis?* Coanguſtatum eſt ſtratum.

Cor humanum duos non capit. *1. Rom. 1?.* *2. Cor. 6.*

Nec regna ſocium ferre, nec tadæ ſciunt
Non capit regnum duos *Sen.*

Non fert ſecum alterum conductorem DEVS.

——Omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit——

Vulgare eſt illud: *Rubeculas duas ſaltus non capit.*

Sed quodnam eſt remedium conductori contra iniuſtum locatorem? ſuggerunt aliquot LL. in quibus reperio, dum quis rem ſuã, vel operas duobus locauit: ſi neutri res ſit tradita, priorem conductorem potiores habere partes, ac proinde, præferendum. Quod adeo certum cenſet Iaſon in L. *quoties Cod.* de rei vindicatione, vt velit primũ conductorem ius habere, etiam quando res eſt ſecundo conductori tradita. Quam ſententiam defendit Natta IC. in conſilio 261. Quamuis alii contrarium opinentur: qui eum conductorem præferendum exiſtimant cui tradita iam res eſt: tametſi fuerit poſterior. Ita Auditores in Rota deciſione. 1. in antiquioribus: & in aliis minus antiquis deciſione 879. Tit. de *locato*. & Socin. conſil. 29. L. 4. Idemque ſentit è noſtris Ioannes Azorius, qui rationem adiungit: quoniam talis conductor duplici iure fruitur, & conductionis, & retentionis: cum tamen alter ſolum rem conduxerit: non autem retineat.

Prior conductor potior iure. *Ioan. Azor. tom. 3. lib. 8. c. 8. q. 5.*

Verum, vt vt ſit inter homines, conſtat vtroque titulo DEO nos obſtrictos eſſe. Nam ipſe & primus eſt, qui conduxit, iam inde ab ortus noſtri exordio: imò antè. Nam *elegit nos ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti & immaculati*: & voluntariè ſpondentibus, ac fideiubentibus pro nobis manuductoribus noſtri ad ſacri laticis concham, Locationis pactum firmauimus. Quare fas non eſt alteri nomen dare, quum tam contractus, quam traditionis nomine, primo ac principi conductori adſtricti ſimus.

Homines Deo duplici nomine obnoxii. *Ad Eph. 1. 4.*

Iam verò, cum locationi id adhæreat, vt certa mercede locator ſit contẽtus, hęc ſit QVINTA obligatio, quod plus iure petere non poſſit, quam conductor addixit: Iuriſ-Conſultus dicere, quam, mercedem conuentam. Eſt quidem in Domini poteſtate, ſi collibitum ſit, aliquid vltra pactum adiicere: ſed, ſi neget, neque iniuſtitiæ, neque infidelitatis argui poteſt. Certè dum conducis in vineam operarium certa mercede, patriç conſuetudine, vel reipublicę ſtatuto taxata nõ teneris, vel aſſem adiicere, vel obolũ, nec poteſt aliquid amplius exigere mercenarius. Quocirca perperã factum eſt ab operariis Euangelicis, qui murmurabant contra Patrem-familias, & arbitrabantur, quod plus eſſent accepturi. Sed prudenter reſponſum eſt vni ex illis, & Iuridice: *Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? tolle, quod tuum eſt, & vade.*

Mercede conuenta ſit contentus locator.

E Idem

Merces locatoris denarius diurnus.

Idem nobis accommodandum eſt. Conuenimus cum Patrefamilias ex *Denario diurno*, quo ſalutem, & vitam æternam ſignificari, Patrum ſanctorum ſenſu, diximus. Ea nobis certo certius dabitur ſi nos pactis locationis ſteterimus. Sed nos inepti, & iuris omnis, præterquam Culinarii imperiti, ante tempus præfinitum, aliam mercedem à Patrefamilias expoſcimus, & improbe efflagitamus: ac, ni quantocyus adnumerari iuſſerit, abitum, & fugam minari meditamur: certe, in animo coquimus, & opportunitate oblata, vel arrepta, derelinquentes in vinea falcem, quam verſare inceperamus, dorſum vertimus, & alium dominum adſciſcimus: ignorantes fortaſſe, quod in quibuſdam prouinciis, inter homines lege cautum eſt, ne famuli, qui nobilibus inſeruiunt, poſſint ſuas operas aliis locare, neue dominos relinquant, vt ſolent, offenſiunculæ prætextu, niſi teſtimonium habeant, quo probetur, ſe honeſte ab heris fuiſſe dimiſſos, id maxime in foro cœleſti habere locum, & ſeuere exigi.

A Deo huius vita bona minimè exigenda.

Dicam hoc paulo accommodatius, ad captum popularium. Operas noſtras Deo locauimus. hoc profitemur omnes. nec alia quam vitæ æternum beatæ, & quæ ad illam conducat, mercede promiſſa, poſt abrogata veteris pædagogiæ, & infantilis lactationis, quæ Iudæos alliciebant, ludicra. Illi ſtipendio ſi quid eſt adiunctum, id ærumnis, calamitatibus, perſequutionibus, quæ Chriſtianos in lege noua fidantes manent, continetur. Porro, tu vix Deo ſeruire cæpiſti, in quocunque tandem ſtatu (nam de hoc non laboro) & putas te egregie ſcilicet officio tuo fungi: magnam nimirum Patrifamilias vtilitatem, magna adferre commoda: nempe, egens eſt bonorum tuorum, Dominus omnium. Eapropter tanquam benemeritus, exſpectas vitam tranquillam, dies bonos, felicia omnia, aduerſi nihil: temporalium bonorum adfluentiam, amplas fortunas, amicorum inuidendum numerum, ſanitatem corporis, oris pulchritudinem, & ſi quid eſt iſtiuſmodi.

Mercenarius ſuis Deus aliquando aduerſa immittit.

Sed aduerſa omnia plenis in te modiis congeruntur, morbi, paupertas, ſolitudo, murmuras inique, exiſtimans te plus aliquid accepturum. Quid? ego tamdiu ſacramenta frequentaui: virtutis iter ingreſſus, nunquam currere deſtiti, omnibus pietate præluxi, hæccine merces? Eſt ſanus ille diſcolus, Gnato, Pantominus: ego modeſtiæ ſpeculũ, ſemper æger: diues ille, mulieroſus, helluo, aſotus: ego, temperans & caſtus, pauper: ingenioſus ille nequam; ego probus, ſum ſtupidus. Quis velle diutius pietatis orbitã calcare in qua merç ſpinę: & nõ maior, imo multo minor, quam in latis improbitatis campis, merces. Exſurge anime, quid moraris? Valeat roſariolum, valeat officiolum, eat in bonam vel malam rem ſodalitas. quid hæres? Crucem abiice, talarem exue, modeſtiam in pertica ſuſpende, euola.

Hominis iniuſta querela.

Præclare equidem ignorantiſſime, & ignauiſſime mortalium. Nonne ex Denario conuenisti cum Deo? vita æterna tibi addicta eſt cum tribulationibus: & tu, niſi ante finem gaudio diffluas, æſtimeris, colaris, opulenteris, omnia ex voto, & ſupra votum cedant, Patrifamilias impie dorſum vertes, & pactam locationem reſcindes? Si quis ex operariis, qui è foro ad vineas mittuntur, poſtquam de nummulis conuentum eſſet, adulto vix die tumultuaretur, & ab operarum Tityro, vinum, obſonia, lautitias poſceret: ni expediret agreſtis œconomus fugam minitaretur, iamque alas pedibus necteret: nonne ſodalium exceptus ſibilis, ludibrio expoſitus puerorum, alternis ferularum ictibus, ludicra vinitorum pœna caſtigandus raperetur ad ſupplicii ſaxum meritiſſimo? Hæc in re magis ſeria, ſed haud multum diſſimili, tibi applica.

At,

At, dicis: vellem tamen ego alia quoque ad arbitrium meum adiici; & ad id conductorem adſtringi velut ex contractu. Ignorantia te excuſat, mi homo, alioqui plagis excipiendus eſſes: nam ne in humanis quidem leges permittunt, vt locationi merces ex arbitrio locatoris pendeat. Quemadmodum enim in emptione precii definitio in arbitrium alicuius tertii poteſt cõferri, non autem in voluntatem emptoris aut venditoris: Sic mercedem in locatione taxari in arbitratu alicuius tertii nihil impedit: ſed relinqui non debet locatoris voluntati, imo, nec conductoris, niſi ipſe etiam ſit rei locatę Dominus, quod nouo quodam, & hactenus in foro humano incognito modo, in locatione cum Deo contingit. Exemplo id IC. explicant. ſicut ſtat venditio, ſi ita contrahatur: Vendo tibi fundum tanti, quanti æſtimauerit Titius: corruit tamẽ, ſi concipiatur huiuſmodi formula: vendo tibi fundum tanti: quanti tu volueris; vel, quanti ego. Ita valet locatio hoc modo contracta: loco tibi operas meas tanti, quãti Caius voluerit: non valet; loco tibi tanti, quanti ego voluero, vel quanti tu, niſi Devs ſit, cum quo contrahis, qui eſt omnium Dominus, & res omnes iuſto precio æſtimat. *Immo id ex hominum deſideria.*

L. *Si merces* ff. *locati* ſic habetur. Si merces promiſſa ſit generaliter alieno arbitrio *locatio*, & *conductio* contrahi non videtur. Sin autem, quanti Titius æſtimauerit, ſub hac conditione ſtare emptionem: vt ſiquidem ipſe, qui nominatus eſt, mercedem definierit, omnimodo ſecundum eius æſtimationem & mercedem perſolui oporteat, & conductionem ad effectum peruenire. Sin autem ille vel non voluerit, vel non potuerit definire, tunc pro nihilo eſſe conductionem, quaſi nulla mercede ſtatutam: De quo nullum in re noſtra eſt periculum: nulla controuerſia, cum penſitatio mercedis, non in alterius reiecta ſit arbitrium, nec relicta dubia: facta eſt enim ex denario diurno cum Patrefamilias conuentio. *Contractus ex alieno arbitrio.*

Ceterum, non eſt reticendum multiplex diſcrimen inter locationem, qua Deo obſtricti ſumus, & quæ inter mortales celebrari ſolet. Primo enim, cum locatio in illorum contractuum ſit cenſu, qui gratia vtriuſque, dantis nimirum & accipientis fieri dicuntur: id eſt, in vtriuſque vtilitatem redundant; qualis item eſt *emptio, permutatio, pignus, ſocietas*; nã alii fiunt gratia accipientis tantum: vt *mutuum, commodatum, precarium*: alii dantis ſolummodo, vt *depoſitum*, & *mandatum*. Locatio, qua Deo obligamur, noſtri duntaxat cauſa inſtituitur, in Devm nulla inde reſultat vtilitas: nulla illi conciliatur gratia, nullum prouenit emolumentum. Quod eſt longe certiſſimum: ideoque magis vnumquemque noſtrum ad conſeruanda pacta-conuenta incitare oporteret. *Diſcrimen inter locationem ſacram & profanam. Primum diſcrimen.*

Veriſſime de Deo nullius indigo pronunciatum eſt. *Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris, aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua. Iob. 22. Si peccaueris, quid ei nocebis? ſi iuſte egeris, quid donabis ei? Homini, qui ſimilis eſt tui, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.* Erramus grauiter, & pernicioſum errorem, qui ex omnium animis euellendus eſt, ſi exiſtimamus Deo qui omnium abſolutiſſimus eſt Dominus, tantæ potentiæ, vt queat è tenebris lucem producere, è malo bonum elicere, ex nihilo cœlum & terrã procreare, noſtris virtutibus, boniſq; operibus augeſcere: & ideo nobis blandimur, quaſi noſtris laboribus ac obſequiis Deo commodum aliquod adferamus. Devs, Auditores, vti damni, quippe ſibi in omnibus ſufficientiſſimus, ita lucri, commodi, vtilitatis eſt plane incapax. Quod tuas operas vt in vinea labores, conducit, tui, non ſui gratia facit; nihil ipſi *In Devm nulla vtilitas ex locatione. Iob. 22. 3.*

inde accedit emolumenti: non Dei ſed tua intereſt: orationes, ieiunia, confeſſio, communio, tibi, non Deo prodeſt. Sed illa præcipit, ad illa hortatur, iis gaudet, modo, quo gaudere, qui nunquam triſtatur, mutaturque, poteſt, vt te bonis augeat. Tibi occas, tibi ſetis, tibi metis, tibi deniq; iſte pariet lætitiam, & mercedem labos.

Locator tenetur Deo de leuiſſima culpa. DISCRIMEN hoc, alterum ſecum trahit legum, & ſacrorum canonum peritis perſpectum: quod ſit SECVNDVM. Apud homines, qui locat operas ſuas, ſi eas non ſoluat *dolo*, vel *culpa* ſua *lata*, aut *leui*, punitur, nec mercedem ſuam accipit. L. *ſi fundus*. ff. *locati* & L. *Ædiles* de *Ædilit. edict.* non tamen, ſi leuiſſima ſolum culpa, aut caſus fortuitus interuenerit. At vero, qui DEO per locationem ſe addicit, de leuiſſima etiam culpa teneretur, ſi ſummo iure ſecundum legum humanarum rigorem conductor agere vellet: id eſt, ſi non ſtrenue laboraret, pœna dignus eſſet, imò, ſi vel leuiſſima illius culpa intercederet, dignus eſſet, cui merces ſubduceretur, ſi contractus naturam reſpicias.

Contractus alterius gratia initus ad quid obliget. Nam vt ſubtiliter obſeruatum eſt â Panormitano in cap. vnicum de *commodato*; in quolibet contractu gratia alterius tantum inito præſtari oportet culpam leuiſſimam (excepto *precario*) quam doctrinam ſequitur etiam Paludan. in 4. Diſt. 15. Q. 2. Art. 1. Syluester verbo *commodatum*. Quæſt. 8. Angelus eod. Tit. §. 2. Nauarrus in ſumma cap. 17. num. 179. quibus conſentit è noſtris Paulus Comitolus lib. 3. Reſponſorum moralium. Q. 42. num. 3.

Portò, ne hoc lateat tyrones Iuris, ſemel hoc commentationum initio ponatur: *Latam culpam* dici, quandam negligentiam, quæ aut ab omnibus, aut â maiore parte vitatur hominum eiuſdem generis, ordinis, conditionis: *Leuem culpam* vocari, quæ â diligentibus cauetur: *Leuiſſimam*, quæ tantum â diligentiſſimis. Lata autem culpa dolo par in legibus æſtimatur ff. Depoſiti. L. *quod Nerua*. vbi IC. & fraudem & latam culpam agnoſcit in eo, qui res alienas non perinde cuſtodit, vt ſuas: neque ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, eſt diligens.

Lata culpa.
Leuis.
Leuiſſima.

Locatio cum Deo homini eſt vtilis. ITAQVE cum locatio ineatur cum DEO, non ipſius, ſed tui ſolius cauſâ, nec vtriuſque conſulatur commodo, ſed tuo tantum; Luenda eſſet pœna, non latæ tantum, ſed etiam leuis, ac leuiſſimæ culpæ. Non procedit tamen DEVS in hac re ſummo illo rigore conſtitutionum humanarum, nec ob leuiſſimam culpam mercede conſtituta priuat: imo, nec quidem ob leuem: ſed ſibi tamen vtramque minus placere demonſtrat. Eſt apud illum inter mortale & veniale; [illegible] non tantum extrinſecum, ſed & internum. Non diſſimulat nihilominus DEVS leuiſſimam etiam culpam, ob quam mercedem quidem non aufert, ſed ex contractus ipſius natura differt. Vult enim ſibi perfectè â locatoribus ſuis ſatisfieri.

Locat homo Deo quæ illius ſunt. TERTIVM diſcrimen in hoc conſiſtit: quod locatio inter homines ita inſtituatur, vt ex bonis locatoris fiat, eorumque dominium penes ipſum remaneat. Exempli cauſa: dum quis locat manus ad operandum in vineâ, locat, quod ſuum eſt: labor etiam ab ipſo tanquam inſtrumenti domino proficiſcitur. At quando cum DEO fit conuentio, locamus ipſi operas, quæ magis ipſius, quam noſtræ ſunt, nam membrorum noſtrorum ipſe ſtrictius, ac magis directum dominium habet. Omnis etiam actio hominis, quæ ad pietatem, & æternam vitam obtinendam, virtutes acquirendas, animam exornandam, & hos ad fines, vitiorum fibras eradicandas ſpectat, ita ab homine Deóque emanat, vt hunc potius, quam illum reſpiciat, ceu auctorem principem, & dominum. Quod cum ita ſit mirantur THEOLOGI, & bonitatem diuinam, liberalitatemque immenſe extollendam cenſent,

Digitized by Google

cenſent. quod tam amplam mercedem operariis ſuis conſtituat ob illas ipſas operas, quas, tanquam dominus, poſſet exigere: quæque ipſi ſine alia mercede præſtandæ neceſſario eſſent.

Certum eſt hoc diſcrimen inter conductionem diuinam, & humanam. Nam in foro noſtro, ſecundum ius imperatorium nemo poteſt rem ſuam conducere. l. *ſuæ rei* & l. *in emptione.* §. *item, ſi emptor* ff. *de contrahenda emptione:* in quibus habetur, emptionem ſuæ rei non valere. Ergo neque valet conductio. Quare ſi quis ignorans rem ſuam conducat, conductio nulla eſt. L. *Qui rem propriam.* & L. *Ad probationem.* *ff. locati.* Quamuis poſſit quis rem ſuam alteri donare, & tum conducere. L. *Quadam mulier.* ff. de rei vindicatione. Sed quid hoc eſt aliud, quam rem alienam ſibi locatam accipere.

Nemo rem ſuam conducit.

Non me latet, quæri à JCtis, an rei locatæ dominium transferatur aliquando ad conductorem? Et quidem *L. In naue Sauphei.* *ff. locati ſic habetur.* Rerum locatarum duo ſunt genera: vt aut idem redderetur; ſicut cum veſtimenta fulloni curanda locarentur: aut eiuſdem generis, veluti cum argentum poſtulatum fabro daretur, vt vaſa fierent, aut aurum, vt annuli. Ex ſuperiori caſu, rem domini manere: ex poſteriori, increditum iri.

Dominium rei locatæ, an ſit penes conductorem.

Quo ſignificari videtur, rei locatæ, quando datur vt redditur in eodem genere, dominium ad conductorem tranſire, eo quod conductor non cogitur reddere idem, quod accepit ſed aliud in eodem genere. Idcirco ibidem additur; in nautam tranſire dominium, cum multi frumentum ſuum confuderant, & miſcuerant, tradentes nautæ, vt naui ſua tranſportaret: nam eo ipſo, quod Domini frumenta ſua confuderant, conſequens fuit vt nulli eorum nauta cogeretur reddere idem frumentum, quod acceperat, ſed aliud in eodem genere. Quemadmodum etiã, cum argentum fabro datur vt vaſa fiant, tum enim faber non cogitur idem numero argentum reddere, niſi aliud quid interuenerit. Ergo, cum ex pacto res locata non debet reddi eadem numero, videtur ad conductorem tranſire dominium.

Quod etiã ſi verum eſſe poſſit in re, quæ locatur: in perſonis tamen & corporis membris, inter homines non contingit: nam per locationem, eorum transferri nequit dominium: cum ſit ſolum conceſſio ad vſum: ſicque diſtinguitur hæc locatio ab iis contractibus, per quos dominium accipienti cedit *L. non ſolet.* *ff. locati.* Solius itaque Dei eſt perſonam, cuius dominium ipſe optimo iure habet, conducere.. Tandem vero:

QVARTVM diſcrimen, in ſuperioribus inſinuatum, eſt, quod in locatione mercedis definitio pendere non debeat ex arbitrio locatoris, aut conductoris, ſi inter homines celebretur: contrarium vero in locatione cum Deo valet: eo quod ipſe abſolutus ſit tum rei locatę, tum locatoris dominus. Et profectò, multo melius ita locatori eſt conſultum, quam ſi arbitratu ſuo mercedem quamcunq; poſſet exigere. Quid n. aliud poſtularet, quam, quæ ſub ſenſum, & per hunc nunc ũ in mentem noſtram, his mortalitatis anguſtiis arctatam, paucorũ capacem cadunt: Deus autem, qua eſt munificentia, ac poteſtate, mercedis nomine effundit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, immenſa, infinita, immortalia. Neque verendum eſt vlli, quod detrahetur fortaſſe nonnihil ex eo, quod ipſe tot laboribus eſt meritus. Non permittit id optimi patris-familias, in ſuos, penè dixeram, prodigalitas: certè liberalitas inexhauſta.. Scitum eſt illud apud Theologos: DEVM citra condignum punire, vltra condignum remunerare.

Quartum diſcrimen Conductor non definit precium.

COMMENTATIO II.

HOMO LOCATOR:
DEVS CONDVCTOR.

Dominica Septuageſimæ.

Sicut dies MERCENARII dies eius. Job. 7. 1.

Ex contractu locationis nonnulla, tum ad fidei confirmationem contra Hæreticos, Theologicè; tum ad doctrinam ſubtiliorem, ſcholaſticè; tum ad morum informationem tropologicè, tum ad piorum conſolationem aſceticè colligit.

JCTVS CHRISTIANVS.

NON ſat eſt JVRIS-CONSVLTO CHRISTIANO breuiter enucleaſſe quæ in definitione locationis, & conductionis continentur, eaque ad locationem cum Deo ab hominibus initam tranſtuliſſe: officii etiam ſui eſſe exiſtimat, demonſtrare, quomodo Iuris, ſiue naturalis ſiue poſitiui de quolibet contractu effata, fidei ſanæ ac Catholicæ articulis ſint conſentanea: ac proinde, quo pacto, Legum quoque Cæſarearum præſidio confutari poſſint, vel confundi ſaltem, religionis hoſtes: quam multa in Iuris, tum Ciuilis, tum, Canonici arculis occulantur, quæ ſcholæ Doctoribus poſſint eſſe vſui: Denique, quam accommodatè ſuis rationibus inde non pauca ſumere queant tum concionatores ſacri, tum rerum aſceticarum Doctores, ac conſcientiarum præſides. Quorum omnium ſpecimen aliquod exhibere lubet, in eo, quem iam ſub manibus habemus, locationis titulo, vnde nos omnes locatores, operarii, & mercenarii Dei dicimur. Ordiar à fidei dogmate, quod ſtabiliri hoc contractu ſuggerit.

CONTROVERSIA.

Locator, in alieno laborans meretur.

Magnus Papa Gregorius, qui excutiens ea quæ mercenarii nomine occultantur, & nos muneris noſtri poſſunt commonefacere, obſeruat, operarum ſuarum locatorem, licet in alieno ſolo, vineave laboret, mercedem tamen mereri, ac conſequi ſtipendium. Haud ſequius nos, cum in alieno, videlicet ad Dei gloriam, proximique vtilitatem, ſiue Eccleſiam, ſiue Religionem, ſiue animam noſtram, Dei vtique vineam excolimus, noſtram nos rem agere, nobis mereri, nobis lucrari: & quo plus laboris impendimus, ac ſuper impendimus, plus quoque præmii nos percepturos. Conſiderandum eſt, inquit Pontifex, quod mercenarius in alienis laboribus exudat: ſed tamen ſibi præmium proprium præparat. Voce autem Redemptoris noſtri dicitur: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Omnes ergo, qui ſpe cœleſtium præditi, exercitio vitæ præſentis atterimur, in alieno laboramus. Nam ſæpè & reprobis ſeruire cogimur: mundo, qui mundi ſunt reddere coarctamur: & alieno quidem labore fatigamur: ſed tamen præmia noſtra percipimus: & per hoc peruenimus ad propria, quod pure miniſtramus aliena. Quo contra quibuſdam veritas dicit: Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis credet vobis?

S. Gregor. lib. 8. mor. c. 3.

Ioan. 18.

Haretici hoſtes meritorum.

Sed hoc malè habet quoſdam huius temporis male feriatos Sciolos, nec Scripturæ, nec legum peritos, qui vt ſunt meritorum hoſtes acerrimi, ita ſunt præmiorum

rum

Digitized by Google

mei quæ non merentur auidiſſimi deuoratores. Sed non eſt cum his, niſi plenis caſtris præliandum, quod alium quam hunc campum deſiderat. Nos hodie non niſi ad leges & iura prouocare ſtatuimus, atque illos iniuratos, ac illegitimos magni Patrisfamilias œconomos obtorto collo ad Iuriſprudentiæ ſacrum tribunal rapere, ibique ab iis ſciſcitari, vel mechanicorum artificum decurionibus arbitris.

Num operarius mercedem, quam illi vinitor promiſit, mereatur, eaque ſtrennè laborans ſit dignus. Si negent: inſcitiæ, & impudentiæ documentum dabunt manifeſtiſſimum, mercenariorum murmure confutandi, & fuſte erudiendi. Si adfirment, pugnantia vno ore enunciabunt: dum iuſtos operibus bonis & in DEO factis beatitudinem mereri inficiabuntur; & operarios mercede dignos, eamque mereri palam edicent. Non vos moueant euanidæ graculorum voculæ, gannitus hi vulpecularum. pergite porro gnauiter diligentes operarii: *Operarius meretur.*

Audite Patremfamilias. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Nonne merces & meritum ita connexa ſunt, vt diuelli non poſſint à ſe inuicem? Nonne mutuo ita ſeſe reſpiciunt, vt ſemper ad ſeſe obuerſum vultum habeant? Nonne in relatiuorum numero tam arctè hærent, vt vnum alterum ſecum neceſſario trahat? Merces meritis redditur: ſicut gratia gratis conceditur. Audite ſapientem diuinitus edoctum, aut potius, ſapientiam ipſam diuinam: *Iuſti autem in perpetuum viuunt, & apud Dominum eſt merces eorum.* Audite Prophetam: *Ecce Dominus veniet, & merces eius cum eo.* Audite Apoſtolum: *Vnuſquiſque propriam* mercedem *accipiet.* Audite Remuneratorem: *Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt. Exultate, quoniam* merces *veſtra copioſa eſt in cœlis. Vos ergo confortamini* (dilecti) *erit enim merces operi veſtro.* *Merces meritum reſpicit.* *Sap. 5.* *Iſa. 40.* *1. Cor. 3.* *Matth. 5.* *Apoc. 22. 12.* *Matt. 5. 12.* *2. Paral. 15. 7.*

ITAQVE dum audit Iuriſconſultus, Patremfamilias conuentione facta cum operariis ex denario diurno, miſiſſe eos in vineam ſuam: id eſt, homines locaſſe operam ſuam Deo, & hunc conduxiſſe; dum legit, inclinante die, præcipi domus curatori, vt operariis reddat mercedem: dum conſiderat ſuſurroni reſponderi ab Oeconomo, vel Patrefamilias *Tolle quod tuum eſt, & vade*: Colligit, meritos fuiſſe denarium, qui illum acceperunt, nec accepiſſe gratis, cum laboribus ſit datus vt debitum ſtipendium: ac proinde non Scripturarum magis quam LL. humanarum diuinarumque inſcitiam prodere, qui operum bonorum merita tollere è medio conantur. *Contractus locationis probat merita.*

Occurrunt Lutherani, quorum cauſſam agit Philippus, & reſpondent negari non poſſe, *denarium* dari operariis, eumque mercedis habere locum, & dici poſſe præmium: quo nomine etiam vita æterna interdum inſignitur: At enim, illam neque dari, neque reſpondere operibus locantium, ſed promiſſioni conductoris: Patrisfamilias pollicitationi debetur *denarius*, non defatigationi operariorum. Decreuit namque Deus filiis adoptatis à ſe (& hi ſunt operarii) dare vitam æternam. *Lutherani. Philip. Apol. Conf. Aug.*

Miratur IVRISCONSVLTVS ſiue Legis ignorantiam in Doctore legis, ſiue malitiam in morum informatore. Quamuis enim ad obligationem, quæ ex contractu locationis oritur requiratur conuentio, & conductoris de mercede pactio, ſeu addictio: nemo tamen Juriſperitorum dixit vnquam mercedem, quæ operario, locationis nomine numeratur, non idcirco dari, quod labori ipſius debeatur, ſed quia illam addixit conductor. Hæc enim eſt conditio, quam contractus poſtulat: non terminus, quem merces reſpicit, quæ ad laborem tanquam

quam correlatiuum refertur. Illi namque redditur merces, quod mercede cenſetur dignum. At hoc eſt labor, quem poſt conductionem impendit mercenarius. Quid enim eſt, eſſe dignum tanta mercede? Certe, haud aliud, quam eſſe eius valoris, vt prudentis iudicio tanta mercede ſit remunerabile, quod non pollicitationi conuenit, ſed labori.

Mercenarius dignus mercede. *1. Timoth. 5. 18.* Deinde aduertit IVRIS-CONSVLTVS exſertè dici, *voca operarios, & redde illis mercedem*: quo inſinuatur non promiſſioni ſed operibus mercedem dandam: Siquidem *dignus eſt operarius mercede ſua* 1. ad Timoth. 5. Nota, operarius, nempe, qui operarius, vt hortulanus, vinitor, foſſor, nauicularius. Malè autem dicas & contra omnem bene loquendi vſum, ſi quid promiſiſti alicui liberaliter, ſine vlla conditione operis faciundi: redde illi mercedem: non eſt illa merces diceret Legumperitus, ſed donum gratuitum. Multum differunt apud Latinos donum & merces: apud Græcos, *δῶρον* & *μισθός*: apud Hebræos מתן *mathan* vel מתת *mathath*, quod eſt dare, & שכר *Seker*, mercedem ſoluere: apud Germanos lohnen / & ſchencken: diſcrimen in eo eſt quod illa meritum ac laborem reſpiciant non alia. Nam merces eſt conductionis, locationiſue precium, vel præmium, aut quod pro opera datur. Sic naulum non dicitur, niſi, quod pro vectura & traiectu ſoluitur: nec ſportulam vocat Iuris-Conſultus niſi pecuniam ab actore & reo communiter depoſitam conſtituendi Iudicii gratia. Mercedem n , iuocat peritus nomenclator, quod ab Imperatore militi confertur præter ſtipendium; id *Donatiuum eſt*. ſicut *Legatum* Vlpiano, quod datur legato viatici & impenſæ nomine: & *congiarium*, munus, quod populo mittitur à principe: & *Honorarium*, quod honoris ergo magiſtratui aut principi reipublicę nomine offertur non tanquam debitum. Non ſunt confundenda rerum vocabula, niſi rerum naturas velimus inuertere. Fides nominum, ſalus eſt proprietatum. alioquin eodem iure hominem, beſtiam dixeris. quis non indignetur ad hunc nominum abuſum, rerum iniuriam.

Caluini reſp. lib. 3. Inſt. c. 5. MALE, abuſum indigitas, dicet Caluinus, quod ad elegantiam ſpectat: tropica enim eſt locutio, quam tu vt ſimplicem in nos intorques. Siquidem, figuratè merces dicitur, quæ proprie eſt hæreditas. Quæ fides adhibenda ſit dum nouas procudunt figuras irreligioſi Tropiſtæ in GRAMMATICO-PROFANO declaraui: hic Tropum imperitè fingi adſero. Nam detur beatitudinem denario ſignificatam proprie eſſe hæreditatem, adoptionis titulo debitam: non videt Iuris-Conſultus, cur eadem proprie non ſit merces titulo locationis, conductioniſque reddenda. Poteſt namque res eadem diuerſo reſpectu varia ſortiri nomina, & quidem nullum impropriè. Brauium eſt, quod confertur victori in Ludis. Quid ſi princeps ludentibus, filio, & magnatibus, gemmam eo nomine exponat, quam filius abſque certamine hæreditatis iure acciperet, & ea filio obtingat qua victori: non idcirco impropriè erit brauium, quod ſi tropum fingere lubet, cum is potius vocabulo, *merces*, quam nomini *hæreditas* adiicitur? nulla hic ratio, niſi fictoris arbitrium, cui non tantum nos tribuimus.

Duobus titulis idem dari poteſt. AT legibus non videtur conſentaneum, vt quod hæreditatis titulo debetur, reddatur tanquam merces nomine conducti & locati. Id legibus ciuilibus aduerſarii nondum probatum eſt: legibus autem diuinis eſſe conforme nimis quam certum eſt iura poli non ignorantibus. CHRISTVS DEI filius fuit naturalis: cui nihil non, quod in bonis cenſeri poteſt debebatur hæreditatis titulo: & tamen, quia *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, propterea

& DEVS

& DEVS *exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Pondera particulam, *Propterea*, ſeu *Propter quod*, quæ non conſequutionem vel euentum apud Iuris-peritos, cum de ſtipendiis vel præmio agitur, ſignificat: ſed cauſam propriam mercedis. Ita dicunt, vinitorem propter laborem diurnum titulo locationis accipere denarium: & quod inde conſequitur, meritum fuiſſe, vt numum locationis conſequeretur.

Nec otioſe poſuit Paulus coniunctionem, Et, quæ cum hic nihil copulet, denotat, *ἀνταπόδοσιν*, ſeu redditionem reciprocam, & retributionem mercedis, vt idem ſit, quod viciſſim. CHRISTVS ſe humiliauit: itaque viciſſim DEVS, volens iuſtam tantæ abiectionis retribuere mercedem, exaltauit illum. *Dignus enim fuit Agnus, qui occiſus eſt, accipere* (ab hominibus per confeſſionem externam, & venerationem interiorem) *virtutem, diuinitatem, & ſapientiam & fortitudinem, honorem, & gloriam, & benedictionem.* Atque ita arbitrati ſunt Patres, Chryſoſtomus, Ambroſius, Anſelmus, Beda commentariis in epiſt. ad Philip. S. Baſilius lib. 4. contra Eunomium. S. Auguſtin. lib. 2. contra Maximinum cap. 2. qui omnes CHRISTVM gloriam corporis, titulo filiationis naturalis alioqui debitam, tanquam mercedem humiliationis extremæ accepiſſe adſerunt.

Et pro viciſſim.

Apocal. 5.12.

Quod ſi hoc filio naturali conuenire potuit, cur exiſtimatur alienum ab adoptiuo, quales ſunt homines cæteri, inter quos ſapientiſſimus bonorum ſuorum diſtributor hoc voluit eſſe diſcrimen, vt infantibus quidem nondum vſu rationis præditis, ſi regenerati decedant, vita beata ſolo iure hæreditatis obtingat: quæ enim ipſorum eſſe poſſunt merita? maturis vero & ad vineam excolendam idoneis daretur eadem tanquam laborum merces, ac proinde duplici titulo, quod magis è re ipſorum eſt, quippe magis honorificum. Quo pacto magis glorioſum eſſet, Imperatoris filio, exercitus Cæſarei ductori, regnũ, ſibi vt ſucceſſori legitimo debitum, ſtipendii militaris nomine etiam obtinere. Nec illud ignorandum, quamuis quicunque ad beatitudinem admittuntur, vitam æternam conſequantur: tamen, qui præter titulum hereditatis, locationis titulum adferunt, plus aliquid accipiunt, gradum intenſionis, extenſionis-ue vocant Theologi, quam qui vno ſolum titulo adſciſcuntur. de quo apud orthodoxos non eſt controuerſia.

Paruuli ſolo iure hæreditatis admittuntur ad cœlum.

Breuiter & neruosè Ioannes Maldonatus in Matth. 10.42. Imperite faciunt, qui non aliter de diuina, quam de humana hæreditate iudicant: quæ non ſolum ſine meritis, ſed ſæpe etiam temere, ſine iudicio, ſine voluntate parentum filii obtingit. Non ſic DEVS ſuam temere hereditatem proiicit. certo iudicio nobis dat, & quia filiis, & quia meritis. Quia filiis datur, hæreditas: quia meritis filiis. MERCES appellatur.

NVNC Caluinum audiamus, qui vt contractum locationis inter DEVM & hominem euertat, oſor omnis iuſtitiæ, & proinde iuſtæ remunerationis, fingit *Donum* eſſe ſolummodo, quod *mercedem* Paterfamilias diſerte pronunciat. *Ne, inquit, putaremus ad meriti modum redigi, quam nobis Dominus* Mercedem *pollicetur, parabolam propoſuit, in qua ſe fecit Patremfamilias, qui quoſcunque habet obuios, mittit in vineam ſuam culturam: alios quidem hora diei prima, alios ſecunda, alios tertia, quoſdam etiam vndecima: veſperi rependit omnibus æquale precium. Cuius interpretationem breuiter, & vere complexus eſt, quicunque ſit ille tandem vetuſtus ſcriptor, cuius Liber de vocatione Gentium ſub Ambroſii nomine fertur. Eius verbis potius, quam meis vtar. ſic habet.*

Caluinus mercedem in donum vertit.

Calu. lib. 3. Inſt. cap. 18. §. 3.

Lib. de vocat. G. Lib. 1. c. 3. *Huius comparationis regula Dominus multimodæ vocationis varietatem ad vnam gratiam pertinentem adſtruxit: vbi, ſine dubio, qui hora vndecima intromiſſi in vineam totius diei operariis exæquantur, eorum præferunt ſortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam, in defectu diei, & concluſione vitæ, diuina indulgentia munerauit: non laboris precium ſoluens: ſed diuitias bonitatis ſuæ in eos, quos ſine operibus elegit effundens: vt etiam qui in multo labore ſudarunt, nec amplius, quam nouiſſimi acceperunt, intelligant, donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem.*

Quomodo vita æterna non ſit merces. Perperam ex his conficit Caluinus, ad modum meriti non redigi, quam Dominus nobis mercedem pollicetur. Nam vtrumq; veriſſimum eſt; Et æternam vitam eſſe mercedem laborum in vinea ſuſceptorum, quatenus ſunt à gratia & DEI dono, ſeu quatenus fundantur in CHRISTO: Et non eſſe mercedē laborum humanorum, quatenus CHRISTI gratiam excludunt. Vita ergo beata quatenus eſt duratione æqualis in omnibus æquè datur nouiſſimè aduenientibus ac primis: id eſt, omnibus ad vineam cōductis ſiue multum, ſiue parum laborauerint, vt qui multo labore ſudarunt, nec amplius, quam nouiſſimi acceperunt, donum gratiæ agnoſcant, & in operibus vt naturalia ſolum ſunt, meritiius ad tantam mercedem non agnoſcant.

Quomodo ſit merces. Ita Doctores antiqui, & imprimis gratiæ Magiſter, ac deprædicator Auguſtinus, dum ab operibus noſtris reiicit titulū meriti, loquitur de iis, quatenus à nobis ſunt, & ex naturę principiis: nō quatenus ex gratia CHRISTI, quo pacto iis deberi vitam beatam titulo conductionis, & aliorum contractuum conſtantiſſime adfirmans.

S. Auguſt. Epiſt. 105. Quam ſunt dilucida illa, quæ ſcribit bonus ille meritorum noſtrorum, & mercedis diuinæ trutinator in Epiſtola 105. ad Sixtum. *Quod eſt* Meritum *hominis, ante gratiam? quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum noſtrum, non in nobis faciat niſi gratia: &, cum DEVS coronat merita noſtra, nihil aliud coronet, quam munera ſua? Sicut enim ab initio fidei, miſericordiam conſequuti ſumus, non quia fideles eramus, ſed vt eſſemus: ſic in fine, quod erit in vita æterna, coronabit nos, ſicut ſcriptum eſt,* in miſeratione, & miſericordia *Non itaque fruſtra* DEO *cantatur*: Et miſericordia eius præueniet me: *&*, miſericordia eius ſubſequetur me.

Pſal. 102. 4. Pſal. 58. 2. Pſal. 22. 6.

Vnde & ipſa vita æterna, *quæ vtique in fine ſine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur; tamen, quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur: non ob aliud, niſi quia gratis datur: nec ideo quia meritis non datur: ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur.*

Iuſtitia locationis. Vis aliquid exquiſitius, & quod ad Iuriſconſultum ſpectet de iuſtitia locationis & conductionis diſputantem: Diſquirit eodem loco Auguſtinus, quare Paulus Apoſtolus, qui dixerat, ſtipendium peccati mors eſt; non ſubiunxerit, quod poſcere videbatur antitheſis: ſtipendium autem IVSTITIÆ vita æterna: ſed, *Gratia autem* DEI *vita æterna in* CHRISTO IESV *Domino noſtro: Verum* enim *eſt, quia ſicut merito peccati, tanquam ſtipendium redditur mors: ita merito iuſtitiæ, tanquam ſtipendium, vita æterna. Quod eſt autem merces operanti, hoc militanti ſtipendium*: cauſam eſſe air loquutionis Apoſtolicæ minus, prima fronte ſibi reſpondentis, vt magnificus gratiæ defenſor, aduerſus elationis peſtem muniret fideles, quibus hoc perſuaſiſſimum eſſe volebat, quod à ſe, id eſt, ſine gratia per CHRISTVM cœlitus communicata poſſent efficere in iis, quæ ad pietatē ſpectant: tum ſubiungit:

Vera iuſtitia. Iacob. 1. 17. *Cui debetur vita æterna, vera* Iuſtitia *eſt* (ergo ex merito: ergo ex contractu ad iuſtitiam pertinente) *ſi autem vera* Iuſtitia *eſt, ex te non eſt: deſurſum eſt, deſcendens*

Digitized by Google

dens à Patre-luminum, vt haberes eam: ſi tamen habes eam, profectò accepiſti. Quid enim habes, quod non accepiſti? Quapropter ô homo, ſi accepturus es vitam æternam, iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt, & ipſa iuſtitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia cui debetur. Nunc ergo de plenitudine eius accepimus, non ſolum gratiam, quæ nunc iuſte in laboribus vſque ad finem viuimus, ſed etiam gratiam pro hac gratia, vt in requie poſtea ſine fine viuamus. [1. Cor. 4. 7.]

Plura in hanc ſententiam adducit idem S. Doctor in libro *de Gratia & Libero arbitrio*, præſertim capitibus 6. 7. 8. quo poſtremo ita concludit: *Illa* (nempe, gratia boni operis) *cui datur, tantummodo gratia eſt: Hæc autem* (nimirum, vita æterna) *quæ illi datur, quoniam præmium eſt, gratia eſt, pro gratia: quia reddet vnicuique DEVS ſecundum opera eius.* [S. Aug. lib. de Gra. cap. 6. 7. 8.] Voca operarios, inquit paterfamilias, & redde illis mercedem. Hoc eſt quod docet Auctor de vocatione Gentium quem citat Caluinus, qui non poteſt eſſe Ambroſius, cum lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 8. inſectetur Pelagianos, quos non agnouit Ambroſius, quippe poſt eius obitum exortos: nec capite 3. id habet vt Caluini codex exprimit, ſed vel capite 5. vt eſt in vna editione, vel 17. vt in alia, nomine Proſperi, cuius eſt illa lucubratio, in qua ſequitur Magiſtrum ſuum Auguſtinum, cuius ſententiam paulo ante expreſſimus, quæque habetur in Pſal. 83. 93. & 100. Præterea in Enchiridio cap. 106. & 107. lib. de nat. & gratia c. 2. De corrept. & gratia cap. 13. Tandem in Epiſtolis 46. 47. 52. clariſſime autem 105. ex qua illud ſupra recitatis adiunge: *Nulla-ne ſunt merita iuſtorum? ſunt plane, quia iuſti ſunt: ſed vt iuſti fierent, merita non fuerunt.* [Auctor. de vocat. Gent.] [S. Proſper.] Et eadem mens eſt reliquorum Eccleſiæ Doctorum, quorum verba non adteximus cum propriam de merito diſceptationem ſpectent, hic autem non niſi de mercede locationis agamus: quam orthodoxorum nemo negat: expendunt autem egregie Euangeliorum explanatores, quamuis aliis vtantur loquendi formulis: Legendus

Alfonſus Salmeron n. Tom. 7. Tractatu. 33. Vbi prudenter monet, rationem mercedis, quam iure conductionis exigere poſſunt operarii, quæque eſt vita æterna non tollere iuſtificationem gratuitam. [Alf. Salm. tom. 7. tract. 33.] Vt enim D. Hilarius parabolam de locatione explanans rectè monet: *Merces quidem ex dono nulla eſt, quia debetur ex opere: ſed gratuitam DEVS omnibus ex fidei iuſtificatione donauit:* ſignificans, gratis donari ſine merito, vnde tendamus ad meritum. Ex quo colligas mentem Hilarii, quem nobis imperitè obiiciunt aduerſarii. [S. Hilar. Can. 20. in Matth.] Scribit enim is in Pſal. 51. *Non enim illa ipſa iuſtitiæ opera ſufficerent ad perfectæ beatitudinis* meritum, *niſi miſericordia DEI etiam in hac Iuſtitiæ voluntate humanarum demutationum, & motuum non reputet vitia. Spes igitur in miſericordia Dei in ſeculum ſeculi.* Hæc enim non negant vitam æternam mercedem eſſe operæ benè locatæ, ſed operariorum laboribus negligentiæ quoſdam defectus eſſe immixtos, quæ condonatione & miſericordia DEI egeant, vt mercenarii denarium ſibi pactum conſequantur. Nimirum, peccata venialia, à quibus ne iuſti quidem ſunt liberi, conſequutionem mercedis debitæ, quamdiu non expiantur, differunt.

Imperite autem vel malignè ſententiolam illam ex Hilario obtrudi demonſtrat hæc eius commonitio: *Regnum DEI vitæ noſtræ ſtipendiis quæramus. Et hæc rectè, perfecteque viuentium merces eſt: Vt in nouam, cæleſtemque ſubſtantiam ex hac corruptibilis corporis materiæ transferantur, & corruptio terrena cæleſti incorruptione mutetur.* [S. Hilar. Can. 5. in Math.] Et Canone 6. *De noſtro eſt beata illa æternitas promerenda: præſtandumque eſt aliquid ex proprio.*

 Vtili-

Seb. Barrad. tom. 3. li. 5. cap. 16. 17. 18. 19. 20. Vtiliter etiam multa quæ ad locationis mercedem ſpectent congerit, vt ſolet, Sebaſtianus Barradius, qui peculiariter notat coire in vnum duplicem titulum locatoris & hæredis. *Opera*, inquit, *noſtra, ſi ex ſeipſis, & ſubſtantia ſua conſiderentur, æterno illo denario digna non ſunt.. At ſi vt à gratia* DEI *& caritate emanant, & à filiis* Rom. 8. DEI *ſiunt, ſpectentur, digna profecto ſunt denario.. Si filii*, ait Paulus, *& hæredes. Non igitur ſolum operarii ſumus, ſed filii & hæredes operarii, id eſt, hæredes & filii, qui operando hæreditatem meremur, & conſequimur. Hominum filii etſi nihil operentur, adeunt hæreditatem: at* DEI *filii ſi non operentur bene, & filiatione & hæreditate priuantur: Si ergo benè operentur cæleſtem hæreditatem cernunt, ſibi à* DEO *tum Patre, tum conductore promiſſam.*

Facit huc inſignis plane locus S. Bernardi, quem miror à Martino Kemnitio contra bonorum operum mercedem proferri, cum clariſſime oſtendat poſſe locationis titulum cum hæreditatis iure coniungi. Nam vir humillimus Bernardus, ex ſui contemptu eximio ſiue ignorans, ſiue deſpiciens propria merita, & miſericordiæ diuinæ plurimum tribuere ſolitus, in altercatione cum Diabolo dixiſſe fertur: fateor non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis obtinere regnum cœlorum. Ceterum Dominus meus DVPLICI IVRE illud poſſidens, hereditate Patris & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donat.

Hæ ſint voces modeſtiſſimi Patris, qui alibi IVS defendit meritorum. ſic enim ſcribit Sermone 68. in Cantica. Merita habere cures: habita data noueris. Perniicioſa paupertas, penuria meritorum. Et Sermon. 81. omne quod feceris, bonum, malumve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum deputa-
Lib. 3 Inſtit. cap. 18. §. 2. tur. Itaque falſum eſt, quod tam confidenter pronunciat Caluinus: Nullam aliam ob cauſſam, quam ob adoptionem regnum cœlorum DEI filiis tribui.

Matth. 20. 4. An non enim IVS LOCATIONIS agnouit in operariis ſuis Paterfamilias, dum conductis mercenariis dicit? quod iuſtum fuerit dabo vobis. An non alium titulum, quam hæreditatis voluebat animo, qui conſolationis ergo vſurpabat tan-
2. Tim. 4. quam certum effatum: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Conſiderabat ne DEVM ſolummodo, vt Patrem hereditatis diſtributorem, & non etiam vt conductorem diarum
Ad Hebr. 6. tium operariis admetientem, qui dicebat: *Non eſt iniuſtus DEVS, qui obliuiſcatur operis*
Auguſt. lib. de nat. & grat. cap. 2. *veſtri & laboris.* Quod imitatus S. Auguſtinus: Non eſt iniuſtus Deus, inquit, vt iuſtos fraudet mercede iuſtitiæ. hoc idem conuicit illud CHRISTI Luc. 14. 14. Retribuetur tibi in retributione iuſtorum. Et dum Paulus appellat retributionem hereditatis. Coloſſ. 3. 24.

Ex his facile refellas, quod Beza obiicit. Qui tractans locum Lucæ 6. 34. *Et ſi mutuum dederitis his à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Veruntamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos:* Sic ille commentatur..

Quæ vobis erit gratia? id eſt, quid eſt in hoc veſtro opere quod Deo gratum eſſe poſſit? vel, quid gratiæ poteſtis conſequi hoc facto veſtro? Videtur enim hæc ita explicare Matthæus, quum inquit, τίνα μισθὸν ἔχετε: Quam mercedem refertis?

χάρις. μισθός. *Ex quibus etiam verbis apparet, nonnullos fruſtra ſomniare mutuam inter meritum, & mercedem relationem, quum idipſum à Luca χάρις dicatur, quod μισθὸς à Matthæo. Poſſumus tamen hoc aliter etiam explicare, nempe ſi χάριν ad homines ipſos retulerimus, vt ſit hæc ſententia; Quæ vobis eſt gratia? id eſt: quæ eſt veſtra in ea re liberalitas, ac beneficentia. Nam*

qu

qui eum diligit à quo viciſsim diligitur, non poteſt dici quidpiam largiri, ſed reddere potius, quod debet: adeo, vt niſi id faciat, non poſsit vir bonus videri. Poſtremo, qui eum demum diligit, à quo ſe diligi putat, is profectò, non tam videtur amicum, quàm ſeipſum diligere: ideoque non aliis, ſed ſibiipſi gratificatur.

Sed videtur prima interpretatio maximè conuenire. quamobrem etiam ἐςὶ *verti per futurum; ſicut apud Matthæum,* ἔχειν *interpretatus ſum habebitis: id eſt* ἕξετε, *quia de beneficiorum mercede diſſerit* CHRISTVS *ex hypotheſi; quaſi diceret, ſi in amando ſpectaſtis veſtra commoda, quærite ea commoda, quæ vere commoda ſunt, diligite itaque inimicos veſtros. Nam ita oſtendetis vos ea commoda exſpectare, quæ non ab hominibus, ſed à* DEO *proficiſcuntur, cum homines propter* DEVM *diligetis: alioquin ſi amicos duntaxat diligatis, non à* DEO *ſed ab ipſis amicis, paria expectare, vt profani homines ſolent.*

Ex his colligit homo profanus, non eſſe mutuam relationem inter meritum ac mercedem. Contrarium efficeret legum diuinarum peritus. Nam quod dicit Lucas χάρις, apud Matthæum eſt μισθὸς: *ſi diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* nonne & Publicani hoc faciunt. *Matth. 5. 46.*

Aduerſarius ſic argumentatur: Matthæus dicit μισθὸν, Lucas χάριν. μισθὸς igitur eſt χάρις: Merces eſt gratia: ſed gratia non habet relationem ad meritum: Ergo nec μισθὸς, merces. Etſi ergo merces eſt, non ſequitur, eſſe meritum. Cur non inuertamus potius: Merces dicit relationem ad meritum, quod manifeſtiſſimè patet ex illo ipſo loco Matthæi. legitur & χάρις, quæ vocula apud Lucam reperitur.

Explico: CHRISTVS adfirmat illos nullam mercedem, nullam gratiam habituros, à Deo, ſcilicet, ſi eos diligant, qui ipſos viciſſim diligunt, dilectione nimirum amori Publicanorum ſimili: id eſt, ſi tantum id faciant ex affectu & impetu quodam naturali. Nam cum diligere amicos, ſit actus charitatis, ſi debito modo fiat, & fine ad pietatem relato, meritorius eſt, & mercedem à Deo obtinet.

Quia igitur in amore amicorum, vt Publicani amant, nulla eſt χάρις, gratia, vel merces, monet, vt fiat quidpiam, quod perfectius eſt: nempe, vt diligantur inimici: tunc enim fore, vt ſit χάρις & merces. Itáque illud ipſum, quod apud Lucam eſt χάρις, meritum reſpicit, nec eſt aliud, quam merces. Non enim hic χάρις eſt fauor, aut donum DEI, quo operamur, ſed eſt gratia, quæ operi refertur: Merces igitur.

Agit hic DEVS, vt apud homines ſolet fieri, ſi benefacias alicui, gratiam refert, vel affectu, vel opere. ſi feceris quidpiam, quod DEO gratum, quamuis nihil inde commodi habeat, vel vtilitatis, tamen, quia fit quod imperat, & illi gratum eſt, rependit quidpiam, quod χάρις eſt, & μισθος. Hæc ergo gratia opus meritorium reſpicit, cui cum DEVS promiſerit mercedem, debitorem ſe conſtituit, & tenetur referre, quod ſpoſpondit: ideoque gratia illa debita eſt, id eſt, ſi ſimpliciter loqui velimus, merces. *Rependit Deus bonis operibus quidpiam.*

Et quoniam res eſt cum Grammatico, phraſibus conuincatur. Notæ ſunt pueris formulæ; Agere gratias, habere gratiam, referre gratiam, quarum poſteriores ſaltem, meritum reſpiciunt. Terentius in Eunuch. relationem ipſam exprimit, & meriti voculam.

Et habetur, & refertur à me Thais tibi; ita vt merita es gratia.

Quo loco Donatus. Qui habet apud ſe gratiam, nondum retulit: retulit, qui deſiit habere. Saluſtius de bel. Iug. Arma pecuniam ſume, vtere; & quoad vixeris, nunquam tibi redditam gratiam putaris: ſemper apud me integra erit. Gra-

tia itaque etiam Latiniſſimis Auctoribus pro mercede vſurpatur; &, qua debita meritum reſpicit.

χάρις compenſatio beneficii.

Notant iidem Grammatici χάριν, compenſationem beneficii ſignificare, ipſumque adeo beneficium. Illuſtris eſt locus apud Plutarchum, de Socratis Dæm. ἡ χάρις οὐκ ἧττον δεομένη τοῦ λαμβάνοντος, ἢ τοῦ διδόντος ἐξ ἀμφοῖν τελειοῦται πρὸς τὸ καλόν. ὁ δὲ μὴ δεξάμενος ὥσπερ σφαῖραν εὖ φερομένην καλῇ χινεν ἀλετῆ πεσοῦσαν.

Gratia non minus deſiderat accipientem, quam dantem, & ex vtriſq; perficitur, honeſtumque tangit. Qui autem non excipit, ſicut pilam recte delatam, & directam, dehoneſtat gratiam cadentem, & finem ſuum non adſequutam.

Quod autem adiungit Beza, poſſe χάριν referri ad homines, hoc ſenſu, non deberi gratiam illis qui amicum non amici, ſed ſui commodi cauſſa diligunt, & ipſe non magnopere probat, & falſum eſt: nam qui alteri beneficium confert, amore etiam concupiſcentiæ, vt loquimur in ſchola, accipientem obligat ad gratitudinem. Certe homo homini gratiam debet, ſi benefecerit: Et Chriſti mentem non exponit loquentis de dilectione, qua naturali affectu nonnunquam alter gratis diligitur. Sit itaque conſtabilitum, ex contractu locationis recte diducere IVRISCONSVLTVM CHRISTIANVM, mutuam eſſe inter meritum & mercedem relationem, ac ſua operarios fideles mercede non fraudandos.

COMMENTATIO III.

Dominica Septuageſimæ.

DEVS CONDVCTOR, HOMO LOCATOR.

Deducitur ex contractu locationis, non peccare contra Ius Chriſtianum, qui mercedis intuitu, opera pietatis exequitur.

Inclinaui cor meum, ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Pſal. 118. 112.

FIDEI dogma eſt, quod tuentur Catholici, exſibilant hæretici. Fas eſſe cultori pietatis, excitare ſe ad mandatorum diuinorum obſeruationem, & perfectionis aſſequendæ ſtudium ſpe mercedis, quam certum eſt reddendam iis, qui fideliter operam, quam Deo locarunt, impenderint.

Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 16. 1. Cor. 15. Hebr. 6. Can. Non eſt iniuſtus de [illegible]

Juſtificatis hominibus, inquit ſacra Synodus Tridentina, ſiue acceptam gratiam perpetuò conſeruauerint, ſiue amiſſam recuperauerint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et, Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.

[illegible] ..eb. 10. [illegible] Non [illegible]mercedatur [illegible] 102.

Atque ideò bene operantibus vſque in finem & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei, per CHRISTVM JESVM miſericorditer promiſſa: & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc enim illa corona Iuſtitiæ,

quam

quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus à iuſto Iudice ſibi reddendam: non ſolum autem ſibi: ſed omnibus qui diligunt aduentum eius.

Stabilitur hæc doctrina ex contractu locationis & conductionis. Quis enim tam inſulſus, vt neget mercenarium, ſe ſolari poſſe denarii, quem ſub veſperam accipiet, cogitatione, vt eius gratia diligentius, feruentiusq; totum corpus labori impendere? Vtitur hoc argumento D. Gregorius, eoque ſimul ſuorum induſtriam exſtimulat, explicans illa Iobi: *Sicut dies mercenarii dies eius.* *Locator mercedis intuitu diligentius operatur.* *S. Gregor. lib. 8. Mor. c. 1*

Sciendum, quod mercenarius ſolicitè curat inſpicere, ne vnquam dies vacuus labatur ab opere: & expectatus finis temporis, ne inanis veniat ad REMVNERATIONEM. In laboris namque ſtudio conſpicit, quod percipe e in tempore remunerationis poſſit. Nam cum opus creſcit, præmii fiducia proficit: cum verò opus torpuerit, ſpes à Remuneratione laceſſit. Vnde & electus quiſque vitam ſuam quaſi mercenarii dies penſans, tanto fidentius ſpe tendit ad præmium, quanto nunc robuſtius perdurat ad laboris incrementum. Qui ſi decurſus præſentis temporis penſat, dies cum operibus numerat: ne à labore vacua tranſeant vitæ momenta, formidat. Aduerſis gaudet, paſſione reficitur, mœrore reſouetur: quia ſubſequentis vitæ præmiis tanto ſe remunerari largius conſpicit, quanto pro amore illius quotidianis ſe mortibus verius impendit. *Remuneratio excitat mercenarium.*

Hinc namque eſt, quod Ciues ſupernæ patriæ conditori eius Pſalmiſtæ voce dicunt: Propter te morte affi. imur tota die. Hinc Paulus ait: Quotidie morior propter gloriam veſtram fratres. Hine iterum dicit: ob quam cauſſam hæc patior, ſed non confundor: ſcio enim cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Sancti igitur viri, quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis ſuæ pignora intra ſpei cubiculum clauſa tenent, ſed grauius nunc ſentitur æſtus in opere, vt quandoque refrigerium ſentiatur ex quiete. *Pſalm. 43. 1. Cor. 15. 2. Tim. 1.*

Habemus igitur ex contractu locationis, honeſte operari, qui mercede à conductore pacti ad laborandum incitatur, & illam quandoque dum laſſatur, reſpicit: cur enim alioqui pro mercede operarius contraheret? quare conductor paciſceretur de precio? Ita ſe animabat indefeſſus in Dei vinea operarius Dauid, qui licet profiteatur, legem diuinam, ac virtutem per ſe parere in animo ſingularem lætitiam, quæ ſat ſit vt mens in earum amore confirmetur, & ad colendas illas inſtigetur: tamen addit plurimum apud ſe valere gaudium illud, quod ſpes retributionis futuræ: id eſt, æternæ beatitudinis ingenerat: eo autem adeo ſe commoueri, vt plane conſtituat, nullo vnquam tempore à ſeruandis Dei mandatis, & illius voluntate perfectiſſimè exequenda ceſſare: hoc ſibi conſtitutum eſſe, ab hoc non auertendum ſe, quamuis in æternum vita prorogaretur. Hunc enim ſenſum haber illa diligentiſſimi mercenarii atteſtatio in conſpectu conductoris prolata. *Dauid operarius Dei.*

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum PROPTER RETRIBVTIONEM. Hieronymus legit: *Propter æternam retributionem*: ne quis temporalem ſomniet, de qua non paciſcitur amplius cum operariis ſuis cœleſtis Pater-familias. Retributio æterna generoſum pectus concutit. Illa enim eſt *Merces magna nimis*, copioſa, bona, conferta, coagitata, ſupereffluens. *Pſal. 118. iiii.*

Atque

Digitized by Google

Gen.15.1. Matth.5.12. Luc.6.38. Pſal.18.12.

Atque ita alibi idem Propheta ſeruum ſe nominans, nempe conductitium ex pacto locationis, ait ſe cuſtodire Dei mandata: quod *in cuſtodiendis illis ſit retributio multa*: Hieronymus vertit: *fructus multus*; in ſpe nimirum futuræ felicitatis & dandi aliquando *Denarii*.

Moſes. Ad Hebr.11. 24.25.26.

Licet igitur inclinare cor ad faciendas iuſtificationes DEI propter retributionem. An non id ante Dauidem fecerat DEO familiariſſimus Moſes? de quo Paulus. Fide Moſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharonis: magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium CHRISTI: aſpiciebat enim in REMVNERATIONEM. Quamnam illam? Æternæ gloriæ in cælis, vt eo loci obſeruat noſter Cornelius, monens inſuper hoc exemplo, pium & ſanctum eſſe, bona opera operari intuitu & ſpe æternæ mercedis: eſt enim hic actus virtutis ſpei. Quemadmodum ergo pium eſt operari bona ex virtute, & inſtinctu caritatis: nimirũ, vt per illa placeamus DEO, noſtrumq; erga illum adfectum amoremque teſtemur: ita non poteſt non eſſe bonũ, ac pium, operari bona ex inſtinctu ſpei, vt ſcilicet per illa, tanquã conducti in vineam operarii æternã mercedem adipiſcamur.

Petrus, Matt. 19. 2. Timoth. 4. 8. Pſal. 80.1.13. Rom.2.6. Iob.34.2. Matth.16.27. Apoc.ult.12. 1.Cor.3.12. 2 Cor.5.10. Prouerb.24. 29. Hebr.11. Sap.2.22.

Nec in nouo teſtamento, licet id ſit amoris, deſunt exempla mercedis reſpectu laborantium, imo illam poſcentium. Vide quam fidenter Petrus conductorem ſuum conueniat & interroget omnium operariorum nomine? *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te quid ergo erit nobis?* Audio Paulum libere edicentem ſe expectare coronam iuſtitiæ, quam reddat iuſtus Iudex: qui reddit vnicuique *iuxta opera ſua*. Quid quod CHRISTVS reprehendit Iudæos, quod gloriam ab inuicem, & non illam quæ à ſolo DEO eſt, quærerent. Ergo hanc quæri poſſe docebat, & idcirco eius gratia fatigari. Innuit hoc quoque fidei deſcriptio, quam nobis proponit Apoſtolus, *ſubſtantia rerum ſperandarum.* Vrget igitur, vt præmium reſpiciamus quod ſperandum obiicit mentis oculis, ac voluntaris affectibus. Et errare dicuntur impii in lib. Sapientiæ, quia *neſcierunt ſacramenta DEI, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ: nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.*

Mercedis cõmemoratio excitat languentem. Ioan Damaſcen. or. de Transfig. Caſſiod.lib. 2.varia ep.6.

Hanc ob cauſam toties de præmio, corona, brauio, mercede, remuneratione in diuinis oraculis fit mentio. Fruſtra hæc identidem repeterentur, ac inculcarentur, ſi illorum intuitu non eſſet ad alacritatem incitandus animus, qui efferueſcit, dum reſponſuram induſtriæ mercedem cogitat. Qui laborum fructus habet perſpectos, intrepido in certamen animo deſcendit, inquit Joannes Damaſcenus. Et vir grauiſſimus Caſſiodorus, negat, quemquam eſſe, qui non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conſcientia teſte laudatur. Contrarium ſi accidat, concidit multis animus.

Iuu. Saty.10.

—— Quis enim virtutem amplectitur ipſam
Præmia ſi tollas?

Aug.in Pſal. 120.

Addit aliquid Auguſtinus, quod quibuſdam fortaſſe videatur hyperbolicum, mandaſſe DEVM, vt mercedis intuitu operemur: *Quando, inquit, facis bonum opus, propter vitam æternam fac: ſi ideo facis, ſecurus facies: hoc enim mandauit DEVS.* Et nonne cenſeri poteſt mandare conductor, vt operarius, cum defatigatione langueſcit, mercedis certiſſima ſpe languorem excutiat? Ac quis nam rerum humanarum gnarus hoc vitio vertat operariis. Quod tamen contra omnia iura faciunt, qui maxime iuris diuini ſcientiam venditant Hæretici. Quos idcirco anathemate percellere

lere oportuit: quod fecit Tridentina Synodus: illud ante monens, poſtquam egiſ- *Trid. Seſſ. 6.*
ſet de neceſſitate & poſſibilitate bonorum operum. *cap. 11.*

Aduerſari eos orthodoxæ religionis doctrinæ, qui ſtatuunt Iuſtos, in omnibus operibus peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, vt imprimis glorificetur DEVS MERCEDEM *Pſal. 118.*
quoque intueantur æternam, cum ſcriptum ſit, *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem*. Et de Moſe dicat Apoſtolus, quod reſpiciebat *in remunerationem*. Tum condit canonem concilium: *Si quis dixerit iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ* MERCEDIS *bene operatur; anathema ſit.* *Hebr. 11.* *Seſſ. 6 Can. 31.*

Meritò: eſt enim ſcripturæ, legibus, ac rationi contrarium, vt tot argumentis eſt ſtabilitum. Quibus adiunge, quod ſapienter aduertit Alfonſus Salmeron n. ſi ſanctum eſt, & licitum, ob præterita, & hactenus recepta beneficia DEVM colere, eiuſque ſeruitutem amplecti: quid ni, multo magis idem liceat ob futura, & quæ maioris ponderis & momenti ſunt munera? *Alfon. Salm. Tom. 7. tract. 33.*

Et ſanè magni ſunt ponderis, vt illa concepiſſe videtur Dauid, dum ait iis cor inclinatum, non ſecus ac ſtateræ lanx, quando plumbea aut lapidea maſſa illi imponitur. Sic enim ferè ſymbolicam illam loquutionem exponunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Baſilius: qui docent, eſſe conſilium animi, trutinæ perſimile, quæ à mēte teneatur, cui regendi munus ſit demandatum. Hæc autem mercedis vtilitate allecta & ſpe fructus ad pias cogitationes, & rationes æternas, quibus ad mandatorum diuinorum obſeruationem incitamur, accedit, quo fit vt libra propendeat ad dextrum virtutis latus & homo perlubenter pro faciendis iuſtificationibus, operarii inſtar, qui operas ſuas locauit, laborem ſuſcipiat. *Præmii pondere lanx cordis inclinatur.*

Portauimus pondus diei & æſtus, inquiunt mercenarii Euangelici. Agnoſco, ô fidi laboratores: magnum eſt cotidiani laboris pondus: ſed maius denarii: hoc cordi imponite, inclinabitur ad faciendas iuſtificationes. Conſiderate ponderi æſtus ac ſudoris reſponſurum pondus gloriæ: quod haud paullo erit, quam illud, grauius. *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Græce eſt καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν: quarum particularum emphaſin, energiam ἀναδιπλωσιν expendunt Chryſoſtomus & Theophylactus. Quid autem eſt: *Secundum hyperbolem & exſuperantiam?* nimirum præcellentiam ponderis quod habebit merces, plane eſſe ſupra modum, omnino inſignem ac ineffabilem, quæque, cum huius vitæ ærumnis ſi conferatur, immenſum illas vincant: Infert deinde Apoſtolus expectationem certam futurorum bonorum, quorum tanta eſt magnitudo, ac præſtantia, facere vt labores huius temporis qualeſcunque tandem ſint leues videantur, ac momentanei. *Pondus denarii.* *2. Cor. 4.*

Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quod explicans Tertullianus: *Preſſuras, inquit, & læſuras, quibus corrumpitur homo exterior, vt leues & temporales idcirco contemnendas adfirmat, præferens* MERCEDEM *æternam inuiſibilium: & gloriæ pondus in compenſationem laborum, quos hic caro patiendo, corrumpitur.* *Tert. de Reſur. cap. 40. & in Scorp. cap. 12.*

Non eſt igitur, quod metuamus, futuræ vitæ, ac ſempiternæ felicitatis, tanquam mercedis nobis addictæ intuitu, gnauiter, in domini vinea, ad quam excolendam conducti ſumus operam noſtram impendere. *Licet propter mercedem operari.*

At hoc (inquiunt) mercenariorum eſt, & ſeruilis ingenii, nec laudem apud

DEVM meretur, ſed vituperium & pœnam. Tu Deo remunerationis gratia ſolummodo ſeruias? Tu ſpe mercedis tantum illi operam tuam loces? Tu denarii diurni duntaxat illecebra allectus inuitantem ſequaris, & ad vineam ligone ac falce oneratus te conferas? Annon hoc eſſet magis ſe quam DEVM diligere, ſuas, Dei rationibus præferre, ipſius gloriam propriis commodis poſthabere? quod nefas, & indignum Chriſtiano.

Quatenus liceat operari propter mercedem.

Nunquam equidem, dum aſſerui, poſſe virtutis ſtudioſum, propter mercedem bonis operibus inſudare, vſus ſum voculis excludentibus, vt non alia quoque ſpectare debere voluerim ſiue tacite, ſiue expreſſe. Dicam igitur clariſſime quid hac in re Catholicis in confeſſo ſit, & legibus diuinis conſentaneum.

Primo igitur, ſi opereris propter retributionem, quæ eſt Deus ipſe, actus eſt excellentiſſimus, & amoris diuini, qui eſt maxime meritorius: eſt enim hoc idem quod laborare propter DEVM ex caritate, ac ſecundum ſe amatum. Quo pacto filii, quique citatis greſſibus ad perfectionem contendunt virtutum officia exercere conſueuerunt. Illis enim DEVS frequenter ingeminat: EGO MERCES TVA *magna nimis.* Vere magna, *quia illam neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te?* Optimè multitudini magnitudo copulatur: eſt enim merces magna non quantitate ſolum molis, ſed & dicreta etiam numerationis.

Gen. 15. 1. *Iſ. 64. 4.* *Pſal. 30. 20.*

Satar, Mercede conducere.

Certè in Hebræo eſt שכרך הרבה מאד *Secarecha harbbeh meod.* Merces tua multa valdè. Primum autem vocabulum contractum conductionis ſpectat. Eſt enim *Satar* mercede conducere & mercari. Vnde Secker, merces. Occurrit autem ea ſententia DEVS Abrahamo, vt exiſtimat Burgenſis, metuenti ne forte eum offendiſſet in debellandis Aſſyriis: tantum abeſt vt offenderis, vt merueris in hoc mercedem magnum. Spreuerat Generoſus miles Abraham mercedem humanam quæ illi affatim offerebatur. Itaque DEVS illi ſe dat in mercedem.

Noluiſti mercedem accipere pro laboribus (verba ſunt Chryſoſtomi) *quos ſuſtinuiſti tantis te periculis obiiciendo, ſed contempſiſti & regem & munera eius. Ego tibi mercedem dabo, non tantam, quantam accepturus eras, ſed multam, & valde multam.*

Lib. 1. de Abraham c. 3.

Nam vt in eadem re commentatur Ambroſius: DEVS *velut vſuraria largitate compenſat, vt vberiora reſtituat ei, qui captus non fuerit oblatione præſentium.*

Petr. Damian. Apol. 4.

Huius mercedis intuitu operantur, *qui mundo renunciantes,* vt loquitur Petrus Damiani, *proprietatem ſuam* DEVM *eſſe conſtituerint, & ipſimet conſequenter* DEI *proprietas effecti ſunt,* vt ille eſſet portio iuſtorum, & iuſti peculiariter portio illius.

Pſal. 102. Pſal. 106.

Vis huius mercedis amplitudinem? perpende illud. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Et, *Animam eſurientem ſatiabit bonis.* Et, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Satiabor,* inquit Auguſtinus, *modo non ſatior: Ad quodcunque me conuertero, vileſcit mihi adeptum, quamuis accenderit deſideratum. Cum omnia quæ non habeo, amo, cum habuero contemno, quod bonum me ſatiabit? Non impletur anima mea, non perficitur. Quando ſatiabitur deſiderium meum in bonis? Cohæres Chriſti quid gaudes, quia ſocius es pecori? Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium. Ergo illud bonum tuum* DEVS *eſt.* Ex quo colligit Benedictus Fernandius revera magnam nimis eſſe illam mercedem, quæ animæ humanæ cupiditatem, quam conſtat eſſe inſatiabilem, ſatiat.

Fernandius com. in Geneſ. cap. 15. Sect. 2.

Theor

Deus merces ſit bifariam cauſaliter et ſubſtantialiter.

Theologica quoque eſt illa Benedicti Pererii de hac mercede contemplatio: DEVM dici mercedem hominis bifariam, vel *cauſaliter*, vel *ſubſtantialiter*. Et hoc quidem modo, quatenus ipſe per ſui viſionem fruendum ſe offert. Sic enim vere DEVS eſt MERCES hominis, quia omne bonum, quodcunque & quantumcunque deſiderari poteſt ab homine. Merces magna nimis, ſiue in ſe conſideretur, ſiue in comparatione laborum & operum, propter quæ datur homini. Siquidem in ſe eſt tale quid, vt eo maius aut melius excogitari nihil poſſit, bonum æternum, nunquam deficiens, infinitum, eminenter continens omne deſiderabile, & conuenientiſſimum naturæ hominis, ad imaginem & ſimilitudinem diuinam conditæ: ideoque boni infiniti capax & auida: extra quam explendo hominis animo & appetitui nulla merces eſt ſatis: nam, *feciſti nos Domine ad te & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Comparatione autem ad alia tanta eſt huius mercedis amplitudo, vt nulla ſit proportio: quænam enim eſſet finitum inter ac infinitum, inter temporale & æternum, humanum, vel pecuinum & diuinum? Ad hanc itaque meritò aſpirabat optimus rettibutionum trutinator Thomas Aquinas, qui cum ad imaginem crucifixi feruentiſſimè orans audiuiſſet hanc vocem: *Benè de me Thoma ſcripſiſti, quam ergo mercedem accipies?* reſpondit: *Non aliam Domine niſi* TE *ipſum.* Ita operari propter mercedem, non eſt animi ſeruilis, ſed filialis, & eximiæ in DEVM caritatis.

Auguſt. lib. 1. conf. cap. 1.

IAM verò *cauſaliter* dicitur DEVS merces, quia labores & merita cumulatiſſimè remuneratur: nam nullum ille operarium precio conſtituto fraudat: nullius opinionem fallit: nullius ſpem fruſtratur. DEVS ſane, quod eccleſia canit, abundantia pietatis ſuæ & merita ſupplicum excedit & vota. Hæc autem merces etiam eſt magna nimis. Licet namque non ſit ipſe DEVS obiectiue ſumptus vt in ſe eſt: eſt tamen ipſius viſio ac fruitio, quæ hominem beatum efficit: vocaturque idcirco *Beatitudo formalis*, & eſt bonum ipſius hominis.

DEVS, merces cauſaliter.

SECVNDO itaque, operari propter hanc retributionem à virtutis Sectatore non eſt alienum: non eſt tamen id officium caritatis erga DEVM, cum proficiſcatur ex amore concupiſcentiæ, ac boni inferioris, & proprii adfectu. Illud quoque hic obſeruandum, vt habeat illam mercedem, tanquam finem minus principalem: indeque occaſionē ſumat, & ſit veluti motiuum ad obſeruandam alacriter DEI legem. Caueat vero ne conquieſcat ſecundum adfectum mercenarium in appetitione illius: ita vt niſi proponeretur iſtiuſmodi merces, non eſſet legem DEI ſeruaturus. Id enim eſſet animæ vilis, ſeruiliſque, non præmium, ſed pœnam commeritæ. Hæc ſi abſit vitioſitas, grata DEO eſt iſta ad pietatem inclinatio, oriturque ex natura contractus locationis, quem inter DEVM ac hominem celebratū eſſe demōſtrauimus. *Erigatur igitur*, inquit recte Petrus Damiani, *Spiritus ad ea quæ promittuntur in patria & exiliens parum pendat, quicquid aſperitatis horret in via* Atque ita vitam CHRISTIANORVM ſpe futurorum iucundiſſime conditam eſſe ſcribit Gregorius Nyſſenus. Nimirum, ſpes alit agricolas: mercedis fiducia animat operarios. De quibus illud:

Operari propter beatitudinem formalem.

Petr. Damia. ad Blanc. comitiſ. cap. 19.
Greg. Nyſſen. in vita Moſis
Tibul. lib. 1.

Spes fouet agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina quæ magno fænore reddit ager.

TERTIO pronunciatum velim: perperam eos facere, & eſſe reprehenſione digniſſimos, qui mercedem tantummodo temporalem ſibi habeant propoſitam: qui operam ſuam locant Patrifamilias, vt ſeſe à multis difficultatibus eximant: qui paupertatem voluntariam in religione amplectuntur, vt neceſſariam

effugiant: qui mundo valedicunt, vt commodius alibi habeant: qui concionibus habendis, cõfeſſionibus audiendis, infirmis viſitandis, conſolandis ægris, aliiſque miſericordiæ, ac pietatis officiis vacare non detrectant, vt habeantur zeloſi, colantur vt pii, honorentur vt docti. De his veriſſimum eſt illud CHRISTI D. enunciatum: *Receperunt mercedem ſuam.*

Matth. 6.

Monuerat autem antea ſerio, ne quis ignorantiam prætenderet: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin* mercedem *non habebitis apud patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Senſus eſt, ſi opera per ſe alioqui bona feceritis, vt inanem captetis gloriam, ea vobis pro Mercede erit, itaque aliam non expectate. *Multam autem*, vt ratiocinatur Chryſoſtomus, *præceptum hoc continet cautionem, & ineffabilem* DEI *erga homines curam, id vtique prouidentis, ne alicuius operis mercedem amittant*: amittit vero mercedem operis boni, qui inanem auram captat.

Chryſoſt. hom. 19. in Matt.

Operarius fatuus. Hom. 12. de fatuis. Huiuſmodi operarium vocat fatuum S. Gregorius exponens parabolam de fatuis virginibus. *Fatuæ*, inquit, *profecto ſunt virgines, quia ſolum laudis tranſitoriæ retributionem quærunt.* Alibi *vecordem* nominat. nam, *magna vecordia eſt laborioſa agere, & auræ laudis inhiare, forti opere præceptis cœleſtibus inſeruire, ſed terrenæ retributionis præmium quærere. Vt enim ita dixerim, qui pro virtute, quam agit, humanos fauores deſiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Vnde cœli regnum mereri potuit, inde nummum tranſitorii ſermonis quærit. Vili ergo precio opus vendit: quia magna impendit, ſed minima recipit.*

Vecors. Lib. 8. Moral. cap. 25.

Vanus Eundem operarium rectè *vanum* dixeris, quia & vanis operibus, id eſt, nullius precii laborem impendit, & non niſi vanum mercedem conſequitur, ob quam diuino fruſtratur præmio: quod meritò fieri docet S. Baſilius, addens eum non Deo locare operam ſed hominibus.

Vana gloria priuat gloria vera. Baſil. Monaſt. Conſt. cap. 11. Fugienda, inquit, cum primis inanis gloria eſt, quæ non ante labores à laborum nos ſuſceptione deterret (ſiquidem leuius hoc eſſet malum omnino) ſed eis iam exantlatis mercedis præmiis exuit, ſpoliatque. Simul enim illa pietatis mercatorem cuiuſquemodi virtutum mercibus onerariam mẽtis nauem ſuffarcinaſſe & compleſſe animaduertit, procella ſua ocyus excitata, in eo omni conatu operã dat vt illam euertat, & aquis peſſundet. Illius enim, qui ad regnum ſuperum nauigationis ſuæ curſus inſtituerat, mente illa ad res humiles, gloriaſque hominum contemplandas detorta, vniuerſas repentino ſpiritu exanimo diuitias exſufflat, & ſubrutis virtutum fundamentis, proceritate ſua ad cœlum vſque pertingentes virtutum labores deturbat, & terræ allidit: cum nos vt eorũ ab hominibus præmia expectemus, impellat: quos æquum erat, cum oculos in ſolum DEVM haberemus intentos, illique vni recte facta noſtra reſeruaremus, meritam ab eo ſolum mercedem referre.

Nos verò, cum ad amplectendas virtutes, hominum iudicio impulſi potius accedamus, quam DEI, inanemque ab illis gloriæ mercedem flagitemus; iure optimo diuinorum præmiorum fruſtrationem incurrimus: quippe qui non propter DEVM labores adeamus: ſed hominibus OPERARIOS noſmetipſos LOCEMVS, à quibus cum mercedis loco, mercedis iacturam auferamus, quid eſt, quod nobis à DEO reddi amplius poſcamus, propter quem, vt operis aliquid faceremus, animum noſtrum nunquam induximus.

S. Chryſol. Ser. 9. Vtitur eadem loquendi formula, alludens ad contractum locationis D. Petrus Chryſologus, qui, *iuſtitia*, ait, *quæ ſe humanis oculis* LOCAT, *diuini Patris*

non

Digitized by Google

non poteſt expectare mercedem. Voluit videri & viſa eſt, voluit hominibus placere & placuit. Habet mercedem, *quam voluit: præmium, quod habere noluit, non habebit.*

Age igitur (hæc Baſilii eſt adhortatio) *quando hæc ita ſeſe habent, fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium opum exſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu, fraudis, veneni coloratricem, ac mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem.* Et ſi mercedis intuitu operam noſtram locare lubet, locemus illam DEO, liberaliſſimo laborum remuneratori, nec aliam extremo mercedem exoptemus, quam illum ipſum qui poteſt eſſe MERCES noſtra MAGNA NIMIS. *S. Baſil. conſt. Mon. cap. 11.*

COMMENTATIO IV.

CONTROVERSA.

HOMO LOCATOR.

DEVS CONDVCTOR.

Sicut dies MERCENARII, dies eius. Job. 7. 1.

Dominica Septuageſimæ.

Ex contractu locationis deducitur, honeſtum eſſe metum locatoris operarij, ne conducta mercede priuetur.

Seu

DE AFFECTV MERCENARIO.

QVÆ controuerſia eſt de bonorum operum exercitio propter mercedem, eadem viget, Catholicos inter & hæreticos de punitionis metu, ſeu timore pœnæ: Vtraque coniuncta eſt, nec diuelli poteſt: quare vt illam ex contractu locationis populariter pœnè decidimus: ita de hac nulla amplius eſſet concertatio, ſi luberet adire forum, & comitari mercenarios ad vineam: ibidemque animaduertere, quid in iis conuentio cauſſare ſoleat dum torpeſcit animus, & corpus defatigatione pœne ſuccumbit.

Dicimus igitur: quemadmodum operarius ſecundum honeſtatis leges reſpicere poteſt conuentam mercedem, ſicque alacrius operi incumbere: ita perperam non facit, ſi formidine priuationis ſalarii ad conſtantiam ſe animet & opus inceptum ad finem perducat. *Prius* illud ſuperiori commentatione eſt demonſtratum: cui adtexatur, quod D. Gregorius expendit ad illa Jobi *Mercenarius præſtolatur finem operis ſui.* Mercenarius cum facienda opera conſpicit, mentem protinus ex longinquitate & pondere laboris addicit, cum vero laſſeſſentem animum ad conſiderandum operis præmium reuocat, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod graue perpendit ex opere, leue exiſtimat ex remuneratione. Sic, ſic Electi quique dum mundi huius aduerſa patiuntur, cum inhoneſtates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, eſſe grauia quibus exercentur, penſant: ſed cum mentis oculum ad æternæ patriæ conſiderationem tendunt; ex comparatione præmii, quam ſit leue, quod patiuntur inueniunt. Quod enim valdè importabile ex dolore oſtenditur, conſideratione prouida ex remuneratione leuigatur.

Formidine pœnæ vtitur operarius vt ſtimulo.

S. Gregor. lib. 8. Mor. cap. 5. in cap. 7. Iob.

Spe remunerationis alleuiat pondus laboris.

1. Corinth. 2.

Hinc eſt, quod Paulus ſemper ſeipſo robuſtior contra aduerſa erigitur: quia, nimirum finem ſui operis ſicut mercenarius præſtolatur. Graue namque quod ſuſtinet, æſtimat, ſed leue hoc per præmii conſiderationem penſat. Ipſe quippe, quam ſit graue, quod patitur indicat, qui in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter ſe fuiſſe teſtatur: qui â Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepit, qui ter virgis cæſus, ſemel lapidatus eſt: ter naufragium paſſus, nocte & die in profundo maris fuit: qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in ciuitate, in ſolitudine, in mari, in falſis fratribus pertulit: qui in labore & ærumna, in ieiuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate laborauit: qui foris pugnas, intus timores ſuſtinuit: qui vltra vires grauatum ſe aſſerit, dicens: ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.

2. Cor. 1.

Linteum retributionis.

Sed quomodo remunerationis linteo ſudores tanti laboris tergat, ipſe denunciat, dicens: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Finem itaque operis, quaſi mercenarius præſtolatur, qui dum profectum remunerationis conſiderat, vile æſtimat, quod penè deficiens laborat.

Iam verò, *poſterius* dictum de timore, ne non conſequatur pactam mercedem, idem Paulus, vt ſolicitus Euangelii operarius confirmat, excitans ſe ſubinde ad vehementius vires corporis & animi in vinea Domini exercendas, ne locationis precium à conductore ſubducatur. Nam, vt ipſe diſſerit, prioris ad

1. Cor. 9. 16.

Corinthios 9. *Si Euangelizauero non eſt mihi gloria*: id eſt, gloriari nequeo, non habeo eximiam mercedem, nihil niſi quod ex pacto mihi debetur expectare poſſum, quia facio, quod debeo ex conducto & locato, *neceßitas enim mihi incumbit*: id eſt, ex conuentione & contractu, ac proinde legis auctoritate compellor laborare. *Væ enim mihi eſt, niſi euangelizauero*, ſi non ſtem pactis conuentis, & mercedem non accipiam, & ſupplicium metuendum mihi eſt, quod defraudatoribus debetur: Hoc igitur me impellit vt functioni meæ ſatisfaciam.

Itaque dicit Paulus, ſi nihil aliud faciat, quam, quod ſummo iure ex pacto poteſt exigi, ſe gloriari non poſſe, neque ſibi deberi pro exhibito labore mercedis cumulum, ſeu corollarium, quo mercenarii, qui plus præſtant quam iure debent, donari ſolent: hoc namque intelligitur per *gloriam*, Græce eſt *καύχημα*, *gloriatio*: ſic enim nihil plus mereretur, quã inutiles ſerui, qui quod debent faciunt, ac proinde, conſtitutam quidem mercedem accipiunt, ſed *gratia* illis nõ habetur: hoc eſt, præter iuſtam mercedem nihil datur. Quo pacto etiam gratia accipitur Lucæ 6. 31. *Si diligitis eos qui vos diligunt quæ vobis eſt gratia*? quod ſingulare præmium? quid eximium meremini?

Luc. 17. 10.

Dum vero Apoſtolus *væ* ſibi fore dicit niſi vineam excolat, ex ira diuina gehennæ pœnam imminere ſignificat præter mercedis condictæ ablationem: vt merito huius quoque metu moueri poſſit vt fideliter laboret, quis ob hoc Apoſtolum, eiuſque ſectatores, vituperandos affirmet, ſi vel naturæ ductum ſequatur, & quæ fieri ex rationis præſcripto ob operariis ſolent, animaduertat? Et tamen hic inuenit Lutherus quod carperet. Non vult enim mercenarium Euangelicum timore angi, non permittit, vt formidine ſubducendæ mercedis ad perſeuerantiam inſtigetur: vetat, ex metu iudiciorum diuinorum pœnitentiam

eum

eum agere, damnat infernalis incendii timorem. Negat id docuiſſe Lutherum Kemnitius, ſed mendaciter negat: ſuperſunt enim Lutheri verba Sermone de pœnitentia, quam habuit Anno M. D. XVII. Vbi ſic legitur. *Kemnit. Exam. p. 964.*

Contritio duplici via paratur. Primo per diſcuſsionem, collectionem, deteſtationem peccatorum, qua quis (vt dicunt) recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, damnum fœditatem, multitudinem: deinde amiſsionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis adquiſitionem & alia quæ poſſunt triſtitiam & dolorem excitare. *Luther. Ser. de pœnit.*

Hæc autem triſtitia facit hypocritam: imo, magis peccatorem, qui ſolum timore præcepti, & dolore id facit: & tales omnes indignè abſoluuntur. Hunc articulum quem damnauit Leo PP. vocat Luther. lib. contra bullam Anti-Chriſti *ſuum & Chriſtianiſsimum*, quemq; non ſinet ſibi ab innumerabilibus Papis & Papiſtis extorqueri, eundemque recitat in ſuorum articulorum aſſertione, timorem autem illum appellat affectum capitalem & peſſimum.

Sed huic errori anathema dicit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Can. 5. capite autem quarto ita docuerat: Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex Gehennæ & pœnarū metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verumetiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat.

Et Seſſ. 6. Can. 8. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit.

Nec Lutheri ille error Caluino probatur, qui lib. 3. inſtitut. cap. 3. §. 7. clariſſime docet *ex Serio Dei timore pœnitentiam proficiſci, & legis obſeruationem. Prius enim*, inquit, *quam ad reſipiſcentiam mens peccatoris inclinetur diuini iudicii cogitatione excitari oportet. Vbi autem hæc cogitatio penitus inſederit, Deum aliquando tribunal cōſcenſurum, & ad exigendam omnium dictorum, factorumq́, rationem: miſerum hominem interquieſcere non ſinet nec punctum temporis reſpirare, quin perpetuo ad meditandum aliud vitæ inſtitutum extimulet, quo ſe ad iudicium illud ſiſtere ſecurè queat.* Quod deinde ſacræ Scripturæ teſtimoniis confirmat, & quidem frequentiſſime nos diuinus ſermo ad metum ac formidinem diuinorum iudiciorum & pœnæ improbis infligendæ hortatur.

At adfectus eſt, inquis, mercenarius, et ſeruilis ſupplicij terrore à peccatis abſtinere, et diuina mandata ſeruare velle. *Adfectus mercenarius.*

Oderunt peccare boni virtutis amore
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Et nonne.

Degeneres animos timor arguit? *Virgil. 1. Æn.*

Ita quidem Poeta canit: ſed non omnis timor Theologo degeneris poteſt eſſe animi: eſt enim quidam *timor filialis*; timor Domini Sanctus, ſiue vt Auguſtinus legit, caſtus, permanens in ſeculum ſeculi, de quo, quod bonus ſit, & amicum DEI ac filium deceat, nulla poteſt eſſe dubitatio, cum à charitate procedat. *Pſal. 18. Timor filialis.*

Eſt *timor mundanus*, qui ex amore mundano [illegible], [illegible] quis [illegible] incommoda, vel pœnas à rebus creatis infligendas [illegible] pec-

[illegible]

cando creatorem deſerat: quem malum eſſe, quippe ex inquinata radice & multorum cauſam malorum nemo ambigit.

Eſt Timor ſeruilis ſecundum ſubſtantiam abſque ſeruilitate tamen: qui nimirum eſt pœnæ, quam DEVS peccatoribus infligit, ſed coniunctus cum timore offenſionis DEI, quo dum torquetur homo, ſupplicium quidem metuit, magis tamen offenſionem, & iniuriam DEO factam formidat. Alii Initialem vocant, qui eſt culpæ, ſicque cum timore caſto conuenit; & pœnæ: atque ita ſubſtantiam habet timoris ſeruilis. Hic timor malus cenſeri non poteſt, cum ad illam hortetur Dominus, monens ſuos.

Matt.10.28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in Gehennam.

Eundem copioſiſſime commendant Patres, imprimiſque Baſilius concione 8. in Pſal.32. vbi, *Neceſſario*, inquit, *velut introductorius ad pietatem timor aſſumitur, Dilectio vero deinceps ſuccedens à timore ſcientifico adoptatos perficit.* Idem paſſim cæteri prædicant, quorum verba fideliter referimus in commentationibus Theologicis ad ſecundam-ſecundæ titulo Timor.

Timor ſeruilis ſimpliciter. Eſt denique timor-ſeruilis abſolutè, ac ſimpliciter: quando nimirum timetur pœna infernalis, & ratione illius frenatur voluntas ne labatur, & abſtinetur à peccatis, ſiue timeatur pœna damni: id eſt priuatio mercedis, quæ eſt æterna gloria ex locationis contractu iuſtis debita, ſiue pœna ſenſus, ſub qua comprehendi poſſunt pœnæ temporales, quæ à DEO infliguntur, ſed in ordine ad pœnam æternam. De hoc timore diſputamus in Theologicis multa, quæ hic non ſunt repetenda. Vt autem ſciat locator Euangelicus, quomodo operari poſſit metu non amittendæ mercedis, qui eſt timor Gehennalis pœnæ, dicam breuiter, quæ ſuo loco copioſius demonſtrauimus.

Primo itaque ſi conſideretur timor pœnæ, quatenus eſt timor quidam naturalis illius mali, quod magnum eſt cum ſit ſummi boni amiſſio, vel grauis tormenti perpeſſio, reprehendi non poteſt in operario fideli, quum non ſit malus: cadit enim ſupra materiam debitam, & quemadmodum naturaliter horremus mortem: ita multo magis priuationem ſempiterni boni, ac perpeſſionem æterni ſupplicii.

SECVNDO. Si ſpectetur timor pœnę, quatenus adiunctam habet volũtatem peccandi conditionalem: ita vt ſic metuens ſimpliciter quidem abſtineat à peccato, & diuinis ſe mandatis accommodet, ac contractui locationis ſatisfaciat: ſi tamen non eſſet impoſita pœna, ſciretq; ſe nõ priuandum promiſſa mercede, nollet abſtinere. Hic affectus eſt omnino mercenarius, ac ſeruilis, ideoque CHRISTIANO, in Dei filium adſcito, indignus. An etiam malus? Malus equidem: ſi tamen non conſideretur timor ipſe præcisè, ſed voluntas illa peruerſa non ſtandi pacto & laborandi niſi comminatis pœnis adigeretur. Nam voluntas illa peccandi, licet conditionata, peccatum eſt, ſeu malignitate intima peccati ita adflata, vt peruerſe creaturam præterat creatori: quod non poteſt non eſſe rationi rectæ diſſonum.

Auguſtin. Conc.25.in Pſal.118. Timorem hac fœditate deturpatam, merito carnalem vocat Auguſtinus. Timor, quo non amatur iuſtitia, ſed timetur pœna, ſeruilis eſt, quia CARNALIS eſt, & ideo non crucifigit carnem. Viuit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas: Cum vero pœna creditur ſequutura, latenter viuit, viuit tamen: mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat, quia non ſpiritualiter delectatur eius bono, ſed carnaliter malum metuit, quod minatur.

Nonne

Nonne turpe eſt ac dedecoroſum poſt contractum cum conductore ſponte initum, cogi ad laborandum, ita vt ſi nõ cogeretur manum ligoni non admoueret, terram non inuerteret, vites non putaret, nullam denique muneris ſui partem exequeretur?

Si volens hoc ago (id eſt in vinea domini euangelizando laboro) *mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Quaſi dicat: operarium ſua merces manet, dignus enim eſt promiſſo precio: ſed tamen cum volens ac libens officio fungitur. *Manifeſtum eſt enim*, vt ibi commentatur Ambroſius, *quia nemo accipit remunerationem, quum inuitus agit: Voluntarius enim dignus eſt mercede, quia conſentit Domino: & quod voluntate fit, melius fit.* — *1. Cor. 9. 17.*

Si autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt; nimirum, vt exponit S. Auguſtinus *illis prodeſt, quibus hoc diſpenſo, non mihi, qui fictus ſum. qui enim inuitus facit propter commoda, gaudiaque carnalia, quæ ſi aliter habere poſſet, illud deſeret; ipſe vtique fictus eſt, ideoque inuitus facit: ſed eis prodeſt, erga quos facit: ſe autem tantum à mercede ſalutis alienat, non etiam illos priuat, quibus cibaria dominica etiam malus ſeruus impendit.* — *Aug. lib. 2. contra Parmenian.*

Sic vos, non vobis mellificatis apes.

Verum, quoniam in operario, habente iſtiuſmodi adfectum mercenarium, duo ſunt, quę etſi in illo non ſeparentur, in alio tamen ſeiuncta ſunt, & in illo ipſo diſtinguuntur, cum ſint diuerſorum obiectorum: nempe timor, & voluntas illa conditionata: vt quam longiſſimè ab erroribus aduerſariorum abeamus.

TERTIO, *Adfirmo:* Si conſideretur timor, quatenus incitat operarium vt laboret in vinea, & ocium impedit, ſicque facit vt ita metuens, à peccatis abſtineat, etiamſi habeat adiunctam malam voluntatem, timorem preciſè non eſſe malum, ſed in bonorum numero cenſeri poſſe. Vt egregiè probat Andreas Vega li. 6. in Tridentinum, licet quibuſdam ſcholę DD. contrarium videatur. At me monet, quod aliud ſit loqui de timore ipſo ſecundum ſe conſiderato, ac de effectu, cuius eſt cauſa, nimirum, vitatione negligentiæ in operando, aut alterius delicti: aliud de voluntate ſuperaddita. Illa enim voluntas eſt quidem mala: timor tamen & legis obſeruatio, ac negligentiæ, peccatiue fuga malitiam non participat. Siquidem timoris obiectum, eſt bonum: mala autem voluntas non infundit prauitatem vllam in timorem, cum in illum non influat, ſed potius ab eo frenetur, ne in actum erumpat. — *And. Vega li. 7. in Trid. cap. 23. & ſeqq.*

Porro dum Patrum aliqui acerbius in hunc timorem inuehuntur, voluntatis coniunctæ malignitatem ſpectant, & ea ratione timorem, quem alibi adprobant damnare videntur. Huc ſpectat illud S. Auguſtini, quod ſcribit ad Laurentium in Enchiridio. *Omnia præcepta diuina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apoſtolus:* Finis autem præcepti eſt caritas de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta. *Omnis itaque præcepti finis eſt caritas:* id eſt, *ad præceptum refertur omne præceptum. Quod vero ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Quæcunque ergo mandat DEVS, ex quibus vnum eſt; Bonum eſt homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum DEVM, & proximum propter DEVM, & in hoc ſeculo, & in futuro: nunc DEVM per fidem, tunc per ſpeciem.* Verum quidem eſt bene obſeruari tum præcepta, tum conſilia cum ad caritatem ſiue DEI ſiue proximi referuntur; ſed non idcirco conceſſerim prauam eſſe obſeruationem ex timore, quamuis ſeruilitatem coniunctam habeat: nam & ſic mandatorum obſeruatio DEI amorem reſpicit licet paullo remotius ac minus — *Enchirid. cap. 121.* — *1. Tim. 1. 5.* — *Matt. 5. 27.* — *1. Cor. 7. 1.*

Digitized by Google

perfectè. Quamobrem impellendi ſunt omnes ſaluris ſuæ amantes, vt non tam timore pœnæ, & mercenario adfectu, quam amore virtutis, & animo filiali laboribus gnauiter inuigilent. Sed aliud eſt perfectionem ſuadere, aliud malum reprehendere, aliud, quod minus bonum eſt, dum melius obtineri non poteſt, tolerare.

S. Greg. 3. P. Paſt. admon. 14.

Appoſitè optimus morum formator Gregorius parte tertia curæ paſtoralis: *Aliter admonendi ſunt, qui flagella metuunt, & propterea innocenter viuunt, atque aliter admonendi ſunt, qui ſic in iniquitate duruerunt, vt neque per flagella corrigantur. Dicendum namque eſt flagella timentibus, vt & bona temporalia nequaquam pro magno deſiderent, quæ adeſſe etiam prauis vident; & mala præſentia nequaquam velut intolerabilia fugiant, quibus hic plerumq; etiam bonos adfici non ignorant. Admonendi ſunt, qui flagella metuunt, vt ſi malis veraciter carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant: neque in hoc ſuppliciorum timore permaneant; ſed ad amoris gratiam nutrimento caritatis excreſcant. Scriptum quippe eſt:* Perfecta caritas foras mittit timorem. *Et rurſum ſcriptum eſt:* Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, *Sed Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Vnde idem Doctor iterum dicit: Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo adhuc à praua actione formidata pœna prohibet: profectò formidantis animum nulla ſpiritus libertas tenet. Nam ſi pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat ſeruitus timoris. Bona enim pro ſemetipſis amanda ſunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam, qui propterea bonum facit, qui tormentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, vt audacter illicita committat. Vnde luce clarius conſtat, quod coram DEO innocentia amittitur, ante cuius oculos deſiderio peccatur.* Vtitur eodem argumento ex libertate Chriſtiana S. Auguſtinus lib. de Natura & Grat. Cap. 57. vbi ſic loquitur. *Sub lege eſt, qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore Iuſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi, in ipſa n. voluntate reus eſt, qua mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe, quod timeat, vt libere faciat quod occulte deſiderat.* Hæc rectè in prauam illam voluntatem torquentur, quæ vituperanda eſt, & ablegãda; illius autem reſpectu, merito etiam ſeruilis ille Mercenarius malè audit. Atque ita ſapienter S. Thomas 22. q. 19. Art. 4. pronunciat, Timorem ſeruilem ſecundum ſubſtantiam eſſe bonum: accidere autem illi ſeruilitatem, ſicut fidei accidit informitas: atque ita ratione ſeruilitatis quam adiunctam interdum habet, eſſe malum.

1. Ioan. 4. Rom. 8.

S. Thom. 22. q. 19. art. 4.

Obiectio Domi. Bannez 22. q. 19.

At, nonne, inquit ſubtilis Theologus obiectum illius timoris, quem adprobas, eſt malum ſimpliciter, & oppoſitum caritati: pœna videlicet, cuius oppoſitum amatur, vt vltimus finis. Et profectò timor iſte differre non videtur à triſtitia inferni, niſi quod hic ſit mali futuri: illa præſentis. Fateor, obiectum timoris iſtius eſſe malum: ſed tale vt ſecundum rectam rationem ſit timendum: nihil autem per illum præfertur DEO: abſit: ſed timorem ſolitarie conſidero, & à detorta illa voluntate diuulſum. Sic verò non conuenit cum triſtitia inferni, niſi quoad obiectum materiale. Et quamuis cum illa identificaretur, malus tamen idcirco non eſſet: quoniam triſtitia illa præciſè accepta, quatenus pœna eſt, malitiam in ſe non continet, cùm DEVM etiam vt cauſam reſpiciat. Tandem adiungo.

Timor ſeruilis bonus.

QVARTO. Timorem mercenarium, ſiue ſeruilem, quatenus operarius eo mouetur, vt obligationi ex contractu ſatisfaciat, & teneturà peccando abſque alia conſideratione, iudicio, & voluntate, neutiquã eſſe dicendum malum, ſed bonũ & laudabilem. Ita contra Lutherum decernit concilium Tridentinum, & ſentiunt communiter ſcholaſtici Doctores in 3. Diſt. 36. vbi ea de re agunt S. Bonauentura. S. Thomas, Albertus, Durandus, Paludanus, Maior, Richardus, Altiſiodorẽſis par. 3.

ſummæ,

Digitized by Google

ſummæ, Tractatu 8.c.3.q.2. Adrianus Quodlib.4.q.2. Almainus q.1. Moralium c.3. Dominicus Sot. in 4.diſt.14.q.2.art.5. Andreas Vega lib.6. in Trident.c.13.& ſeq. Stephanus Brulifer Tractatu de Timore ſeruili. Cardinalis Roffenſis art. 6. ex Articulis Lutheri contra Lutherum: Alfonſus Caſtro lib. 19. contra hæreſes verbo Timor. Medina 1.2.q 92.art.2. Greg. de Valentia tum in Controuerſiis ſuis, tum tom. 3. Comm. Theolog. diſp.2.q.2. Rob. Bellar. lib 2. de pœnit. c.17. Ioan. Lorin. 1. Ioh. 4. 18. Quod niſi ita eſſet, non commendaretur toties Timor ille in diuinis litteris, nunc expreſſo eius nomine, nunc nominato metu & formidine, nunc iudicii diuini & pœnarum terrore propoſito, nunc depictis inferiorum ſuppliciis, nunc adhortationibus, comminationibus, conſiliis de timendis tormentis & amiſſione mercedis propoſitæ ad peccatores transmiſſis Exod. 20. tot ſignis timorem incutientibus populum territat. quæ cauſſa? *Vt probaret vos, venit* DEVS, inquit diuinæ voluntatis interpres, *& vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.* Huc ſpectant illa.

Ex S.S. Timor ſeruilis probatur eſſe laudabilis.

Deut. 32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit vſq; ad inferni nouiſſima.

Iſaiæ 33. Quis habitare poterit de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?

Pſal. 7. Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.

Pſal. 89. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Ionas Propheta timorem pœnarum incutit Niniuitis, & illos conuertit. Ioannes *Ion. 3.* Baptiſta eodem timore ad pænitentiam dura pectora commouere conatur. *Genimina viperarum, quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira?* *Matt. 3.* Chriſtus ipſe Dominus toties mentionem faciens ignis Gehennæ, ſtridoris dentium, tenebrarum exteriorum, vermis non morientis, flammæ inextinguibilis, timorem illorum commendabat. Ergo & timorem pœnarum, ſeu ſeruilem. De quo eſt illud.

Prouerb. 1. 7. *Timor Domini initium ſapientiæ.* Sapientiæ initium dicitur ſeruilis timor (inquit Beda) conſumatio & coronis, timor filialis, qui à caritate haud multum differt. Cum quo conſonat Eccleſiaſticus cap. 25. *Timor Domini, initium dilectionis eius.* Ergo dilectionem antecedit, Ergo eſt ſeruilis quippe diſtinctus à filiali. Præmiſerat autem Eccleſiaſticus: *Beatus Homo cui donatum eſt habere timorem DEI.* quem timorem? de quo poſtea dicit, *initium dilectionis.* De eodem timore eſt illud Iſaiæ 26. vt legunt LXX. *A timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum ſalutis.* Quare *S. Max. Ser. centur.* Beatus Maximus infimos fidelium appellat φοβουμένους, Timentes, medios, προκόπτοντας proficientes: Supremos τελείους, perfectos.

Idem probant SS. Patres, quorum verba exſcribunt Roffenſis, Caſtrò, Vega, Latomus, Valentia, Bellarminus. Non contenti autem grauiſſimis, aptiſſimiſq; ſententiis, vtuntur appoſitiſſimis ſimilitudinibus & Symbolis, quibus populo fidem faciant.

Primum ſit CLAVVS, quomodo timorem pingere viſus, qui cantabat: *confige timore carnes meas.* *Pſ. 118.1.20.* Timor enim ſeruilis, vt clauus infixus, pœnam habet 1. Ioan. 4.18.

S. Auguſtinus concipit timorem ſeruilem, vt SETAM, qua vtitur ſartor vel ſutor vt introducat linum, quando aliquid ſuitur: non enim ſueretur, nec ſuccederet *Timoris ſeruilis ſymbola.* linum, niſi antecederet ſeta. Explicans enim ſententiam Ioannis Epiſt. 1. cap. 4. 18. *Perfecta caritas foras mittit timorem. Quando*, inquit, *aliquid ſuitur* SETA *prius intrat: ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic* timor *primo occupat mentem, non tamen ibi remanet, quia ibi intrauit, vt induceret caritatem.*

SCALPRVM. CAVTERIVM. Modiolus. tract. 9. in ep. Ioan.

Alibi illum exhibet vt Chirurgi SCALPRVM, quo cutis perforatur: vel vt *Cauterium* Medici, inſtrumentum Vſtioni idoneum, quo putrida vlcera & defluxui obnoxia loca inuruntur: vel vt *Modiolum*, quo in excidendo Chirurgus vtitur: *Stimulat Timor*, inquit Auguſtinus, *ſed noli timere: intrat caritas, quæ ſanat, quod vulnerat timor. Timor Dei ſic vulnerat, quomodo medici* FERRAMENTVM *putredinem tollit. Opus eſt ergo vt intret timor primo, per quem venit caritas. Timor* MEDICAMENTVM; *caritas, ſanitas.*

OXYMEL. SYRVPVS.

Quod *medicamentum* dicit, præparatorium intelligit, quo pacto Altiſiodurenſis, & Bruliferus timorem appellant OXYMEL, vel SYRVPVM; quo, vt loquuntur ipſi, habilitatur homo ad ſanitatem & gratiam.

PEGMA.

Alibi Auguſtinus ingenioſe ex Architectonica petens imaginem, proponit *timorem ſeruilem*, velut PEGMA ligneum, quod architectus, dum teſtudinem, aut fornicem extruere cogitat, ſupponit, aſſeribus ad modum arcus compaginatis: at quàm primum coaluit fornix deiicitur moles ſuppoſita: illaque deiecta teſtudo perſeuerat. Haud ſequius timor, tanquam forma quædam temporanea ſubſternitur caritati. Sed quamprimum hæc in anima perfecta eſt, expellit timorem.

S. Aug. lib. de Catech. rud. c. 5.

De ipſa ſeueritate DEI, *qua corda mortalium ſaluberrimo timore quatiuntur, caritas* ÆDIFICANDA *eſt: vt ab eo quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat, eiusq; in ſe dilectioni, etiamſi impunè poſſet, tamen diſplicere vereatur. Rariſſimè quippe accidit, imò verò nunquam vt quiſquam veniat, volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo modo Dei timore perculſus.*

BASIS. Ambr. Pſ. 118. Num. 38.

Alia placuit, ſed ex eadem officina deſumpta ſimilitudo S. Ambroſio, cui *timor* eſt BASIS & fulcrum ſapientiæ. BASIS, inquit, *verbi eſt timor ſanctus. Sicut enim ſimulacrum aliquod, in baſi ſtatuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in baſi fuerit collocatum, & ſtandi accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore ſancto melius ſtatuitur, & in pectore timentis* DEVM *fortius radicatur.*

TRIBVNAL.

Fingit idem, timorem velut TRIBVNAL in anima hominis, quod conſcendat ſapientia, aut Dei verbum, ex eoque ſententiam pro virtute, & contra noxiam criminum ac perturbationum turbam enunciet, eamque profliget CHRISTI *eloquio*, ait, *& Apoſtolico ſermone* TRIBVNAL eſt timor Iuſti.

PÆDAGOGVS. TVTOR. CVRATOR. Ad Rom. 8. Num. 15.

Origeni *timor ſeruilis* eſt PÆDAGOGVS, TVTOR, CVRATOR paruuli in fide. Verba eius ſunt ſcribentis in cap. 8. Epiſt. ad Roman. *Initium ſapientiæ timor Domini eſt. Quia paruulis quidem* PÆDAGOGVS *eſt timor. Vnde & Apoſtolus de tali paruulo dicit.* Quamdiu hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre. *Vides, quomodo, ſecundum conceſſam ſapientiam Paulo, Spiritum ſeruitutis, qui datur in timore,* tutorem *paruulorum, ac* procuratorem *appellauerit, qui vnumquemque noſtrum, donec paruulus eſt, ſecundum interiorem hominem cuſtodiat, vſque dum ad id perueniat, vt ſpiritum adoptionis filiorum mereatur accipere, qui eſt ſpiritus caritatis.*

FRÆNVM.

D. Baſilius imaginatur timorem velut FRÆNVM quo cupiditas ſternacis inſtar equi & inſoleſcentis cohibeatur. Quomodo autem hoc lupatum aptari debeat, ex ipſo accipe, & vtere, ſi quando imperium arrogans iumentum detrectet.

S. Baſil. conc. 9. in Pſal. 33.

Timor ſalutaris, qui ad ſanctitatem deducit: qualis exiſtat, ſi cupis audire, attende. Cum ad peccatum aliquod praceps ibis, cogita horrendum & non ferendum CHRISTI *iudicium. In quo præſidet Iudex in alto & elato throno, adſtat autem omnis creatura tremens, ob glorioſum illius conſpectum. adducemur verò ſinguli ad perſcrutationem vitæ noſtræ ſigillatim faciendæ.*

Deindè

Deinde ei, qui multa mala in vita perpetrauit, horrendi quidam, & truces adſtant angeli, igneam faciem præ ſe ferentes, ignem ſpirantes propter propoſiti amarulentiam: nocti vultu ſimiles propter mœrorem, & hominum odium. Tum autem barathrum eſt profundum, & tenebræ impenetrabiles, & ignis non ſplendens in tenebris, vſtoriam quidem vim habens, luce vero priuatus. Ad hæc, vermium quoddam genus venenum iaculans, ac carniuorum, inexplebiliter edens & nunquam ſaturitatem ſentiens: intolerabiles dolores per corroſionem inducens. Poſtremo, ſupplicium illud grauiſſimum, opprobrium illud, & confuſio æterna. HÆC TIME, *& hoc timore eruditus, animam à concupiſcentia ad hæc mala, velut* FRÆNO, *retide.* Ad idem ſymbolum alludit S. Gregorius Nazianz. orat. in S. Lumina dum ſine timore dicit eſſe effrænem contemplationem.

Huic adfinis eſt comparatio S. Athanaſii qui HABENAS vel RETINACVLVM deſcribit, hoc ex S. Antonio in eius vita adduens: *Formido iudicii & pœnarum timor horridus, ſimul & lubrica carnis incentiua diſſoluit, & ruentem animam quaſi ex aliqua rupe retinet, ac ſuſtentat.*

Alibi arridet D. Baſilio imago ab Origene conficta, nam in cap. 1. Iſaiæ. *Attenta,* inquit, *cogitatio arcanorum, nobisq; formidabilium* TIMOR PÆDAGOGVS *eſt ad exercendam pietatem.* *PÆDAGOGVS.*

Sed præter pædagogiam claues illi donat ille Græciæ Doctor, & IANITOREM facit. *Quaſi quidem* Ianitor, TIMOR *neceſſario ad pietatem condiſcendam admittitur.* Et in Pſal. 32. Oratione 8. *Neceſſario velut* INTRODVCTORIVS (nempe oſtiarius) *ad pietatem* timor *aſſumitur. Dilectio vero deinde ſuccedens à timore ſcientifico adaptatos perficit.* *IANITOR.*

Similis eſt S. Hieronymi conceptio, qui CVSTODEM facit. *Timor virtutum eſt* cuſtos, inquit, *ſecuritas ad lapſum facilis. Vnde & quodam Pſalmo poſtquam Propheta dixerat:* Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocauit, *iungit* timorem *qui* CVSTOS *eſt beatitudinis: & infert;* Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt: *& ſenſus eſt: Dum tormenta formido, ſeruaui gratiam, quam acceperam.* *CVSTOS. S. Hieron. ep. 27. ad Fabiolam, Manſione 23.*

Sed vincunt elegantia has imagines duo ſacræ Scripturæ ſymbola, quæ omnem timoris virtutem exhibent. In ea dicitur RADIX, Eccleſiaſtici 1. 25. RADIX *ſapientiæ eſt timere Dominum: & rami illius longæui.* Quid poſſet addi? fortaſſe plus aliquid inſinuat FONS. Prouerb. 14. 27. *Timor Domini* FONS *vitæ, vt declinet à ruina mortis,* id eſt, vt ex communi Interpretum ſententia exponit Quirinus Salazarius N. vita ac ſalus ſic à timore Dei, (ſiue quem Deus immittit, ſiue qui de Deo, vel vt Patre, vel vt Iudice concipitur) fluit: ſicut riuus à fonte. Quapropter quemadmodum obturato fonte, riuus ſiſtitur, ac deficit: ſic ſalus, & vita ſublato timore. *RADIX. FONS.*

Ceterum fons, aut vena vitæ, Scripturæ idiotiſmo idem eſt, quod fons perennis, ac iugis, qui nullo tempore intermitti, aut deficere debeat, ex quo ſemper ſalutares fluunt riuuli, qui ſunt *effectus* timoris ſeruilis. Ex eo enim dimanant opera pietatis quam plurima, quæ timentem ad perfectionem tandem perducunt: peculiariter autem beatitudo illa, quæ dicitur paupertas ſpiritus, maxime ſi per illam intelligamus humilitatem ac ſui deſpectum, vt exponit S. Auguſtinus li. 1. de Serm. Domini in monte cap. 2. Tandem, *declinatio à ruinæ mortis,* vt dicit ſapiens in Prouerbiis. Quaſi in timore tanquam fonte perſpiciantur omnia mortis pericula, & facillime euitentur. *Effectus timoris ſeruilis.*

Ad quod facit, quod ſcribit S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 12. Columbam timidorum ſymbolum eſſe: hæc autem vt idem in ea, 5. Canticor. commentatur, iuxta riuulos ac fontes morari ſolitæ ſunt, vt rapacium volucrum vmbra conſpectâ in tutum auolent, ſicque mortis laqueos euadant. *Columbæ*, inquit, *iuxta fluenta reſidere ſolent, vt volantium auium vmbram videre poſſint: ſuper quam ſe proiicientes, ac merſantes vngues rapacium ſic effugiunt.* Ita ſalutis ſuæ anxius curator in Timorem, tanquam fontem limpidiſſimæ aquæ oculos mentis coniicientes, peccata, gehennam, diabolum & omnes peſtes infernales, cauent ac fugiunt.

Eodem modo, quæ eſt applicatio magni Pontificis, *Sancti viri in Scriptura ſancta & præceptis Dei fraudes Dæmonum perſpiciunt, & ex deſcriptione quam vident, quaſi ex vmbra hoſtem agnoſcunt, dumque ſe conſiliis & præceptis Dei ex toto addicunt, quaſi in aquam ſe proiicientes hoſti illudunt, & mortem effugiunt.*

Ratio pro Timore ſeruili. Cum igitur *Timoris ſeruilis* cauſſa non ſit mala, quia oritur ex amore proprii boni, & incolumitatis, quam quilibet curare poteſt, ac in DEVM tandem referre: obiectum quoque illius ſit tale, vt merito timeri debeat: denique ipſe ſit Fons vitæ, totque præclarorum effectuum ſcaturigo, improbe illum damnat hæreticus, optime adprobat Eccleſia, commendat Theologus, habere & impetrare conatur peccator, vt ſic ſibi DEVM reddat propitium. *Vult enim DEVS, quod præclare dixit*

S. Hieron. in Com. in cap. 1. Malachia. Hieronymus, *vt primum eius filii ſimus, & bonum voluntate faciamus: ſi hoc conſequi nolumus, vt ſaltem nos ſeruos habeat, à malis per ſuppliciorum formidinem recedamus, vt de timore ſeruorum ad gratiam filiorum tranſeamus.*

Plura de mercenario adfectu: ſeu Timore damni, aut ſeruili ſuppeditant S. Auguſt. in Epiſt. Ioan. Tr. 9. & de catechizandis rudibus cap. 5. Cyrillus Ieroſolym. Catech. 14. Proſper. Epiſt. ad Demetriad. Bernat. Serm. 83. in Cant. Tract. de diligen. Deo Epiſt. 11. Ambroſ. in Pſal. 118. octog. 9. Et Epiſt. 44. Diadocus Opuſc. de perfect. Spirit. cap. 16. Caſſianus collat. 11. cap. 13. Petrus Pleſenſis Lib. de Iob. cap. 1. Thomas Anglicus 1. Ioan. 4. 18. Maximus in cent. Serm. Ioan. Buſæus in Viridar. & Panario.

CONTROVERSA. Dominica Septuageſimæ.

COMMENTATIO V.

HOMO • LOCATOR, DEVS CONDVCTOR.

Sicut dies MERCENARII dies eius. Job. 7. 1.

Ex contractu locationis ſtabilitur Mercedis cæleſtis inæqualitas.

VT in omni contractu, ita & in locationis illius, quo Mercenarius operas conductori ad vineam vel agrum excolendum locat, ſeruari debere proportionē *mercedis*, ac *pretii* præſcribunt Leges, & ipſa poſtulat ſine alio legis decreto Iuſtitia; pertinet enim contractus iſtiuſmodi ad Iuſtitiam cōmutatiuam, quæ præſcribit rei ad rem adæquationem. Dum autem titulo laboris ſuſcepti datur præmium, vt ſatisfiat Iuſtitiæ diſtributiuæ: quæ eſt proportio ſecundum maius

& minus

& minus in labore, eadem eſſe debet in præmio, niſi aliunde conſtituatur inæqualitas. Quocirca cum Deus qui conducit operarios ad vineam, mercedem illis adnumeret non tantum ad modum Iuſti commutatiui, per proportionem Arithmeticam: Verum etiam, ſi ſint plures qui inæqualiter laborarunt, per Geometricam, ad modum Iuſti diſtributiui: conſequens eſt, eſſe inæqualitatem in mercede cœleſti, quam vocamus beatitudinem: ac proinde, maiorem aſſequi felicitatem, qui magis conſtantius in vinea Domini laborauerint.

Non potuit ſibi hoc perſuadere Iouinianus è Monacho Romano factus Apoſtata, qui æqualem docuit fore in cœlo omnium mercedem: malus Iuriſconſultus, peior Theologus, peſſimus religioſus, tunc maxime, cum vt loquitur Hieronymus, hæreſiarchæ vehemens inſectator, calceato, ornatoque pede; & lineis, ſericiſque veſtibus, ac Atrebatum & Laodiceæ indumentis ſplendens incederet. Idem aſſeruiſſe quoſdam ex Ioannis Caluini aſſeclis refert Iacobus Gualterius n. in Tabula Chronographica. Docuerat autem illud niſi fortaſſe excidit incogitanti, vt multa alia homini turbulento Martinus Lutherus in concione de B. virgine.

Iouinianus Anno 300. Baro. A. 382. Num. 29 Geneb. in lib. Et Dama. Vign. An. 395. S. Hieron. lib. 2. in Iouin. Tabula Secul. 4. A. 300.

Contrarium definitum eſt & Iouiniani error condemnatus ab Eccleſia, tam in Concilio Mediolanenſi ſub Siricio Papa, in Epiſtola Concilii ad Pontificem, quæ eſt 81. inter Ambroſii Epiſtolas qui illi concilio interfuit: tum in Florentino ſub Eugenio 4. ſeſſione vltima, in litteris vnionis: ex quibus habetur: Non omnes fore æquales in beatitudine. Ex quo inferunt ſcholaſtici: Non omnes æquè perfecte viſuros diuinam eſſentiam: ſed vnum alio perfectius iuxta meritorum proportionem.

Conſtat id plurimis ſacræ Scripturæ teſtimoniis, quæ huc non faciunt, cum IVRIS-CONSVLTVS contractum ſolummodò & iuſtitiæ materiam examinet. Alia adducunt interpretes S. Thomæ 1. P.Q. 12. Art. 6. Vbi Vaſquez, Valentia, Molina, Banez & propria diſputatione Suarez: præter quos egregie Nicolaus Sanderus lib. 7. de viſibili monarchia hæreſi 87. Alphonſus à Caſtro Lib. 3. 5. *Beatitudo. hæreſi* 7. Ante hos vero. S. Auguſtinus Tract. 67. & 68. in Ioann. & de S. virginitate. Sed omnibus in hac arena palmam præripuit Hieronymus Lib. 2. contra Iouinianum, vbi monſtrum illud planè conficit. Audi, quam non Theologicè modò, ſed & Iuridicè, nam ſelegimus ea, quæ noſtri fori ſunt.

S. Thom. 1. P. q. 12. art. 6.

S. Hier. in Iouinem. lib. 2. c. 13.

Miror, quomodo ſerpens lubricus, & Proteus noſter in variarum ſe mutet portenta formarum: qui enim in coitu & ſaturitate Epicureus eſt, ſubitò in retributione meritorum Stoicus efficitur. Ieroſolymam Cithio, Iudæam Cypro, CHRISTVM Zenone commutat. Omnes, inquit, in cœlo æquales futuri ſumus: ergo quanquam inter bonos, & malos diuiſio eſt: inter ipſos tamen bonos, vt è contrario inter malos diuiſio eſt; inter ipſos tamen bonos, vt è contrario inter malos nulla erit diſtantia; nihilque refert, vtrum in pecore aliquis aries ſit, an ouicula? vtrum primam lanam habeat, an ſecundam? vtrum ſcabidum pecus ſit & morbidum, an vegetum atque ſubſultans? Cur ergo Apoſtolus loquitur ad Corinthios *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat DEVS. Qui autem plantat & qui rigat vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Hoc eſt, labori atque operi ex æquo reſpondentem.

1. Corinth. 3. 6. 7. 8.

Vt probet diuerſitatem præmiorum Paulus, producit mercenarium, qui operas locat ad agricolationem, cuius munus præcipuum eſt plantare & irrigare, ad quæ

Mercenarius agricola.

reliqua

Digitized by Google

reliqua reuocanda ſunt. *Plantare autem, eſt euangelizare*, inquit Ambroſius, *& ad fidem attrahere: rigare verò baptizare ſolennibus verbis.* At Chryſoſtomus, Theodoretus, & Hieronymus, quos ſequitur Iuſtinianus n. *plantare & rigare* ad prædicandi officium applicat: quoniam autem prius plantare oportet quam irrigare: ſe plantaſſe Paulus dicit, quia prima iecerat doctrinæ ac fidei fundamenta: acceſſerat deinde Apollo & credentes morum præceptis informarat, ideo rigandi miniſterium illi adſignat.

Agricola Deus. Sed vterque cœleſti Agricolæ operam ſuam contractu locationis addixerat, & illius auſpiciis ſtrenuè laborabat, ſine cuius adminiculatione fruſtra multum ſudat & laborat operarius. *Qui autem plantat & qui rigat vnum ſunt. Vnum ſunt inquit Theodoretus, quatenus alteri ſubſeruiunt: ambo enim ſeruiunt diuinæ altitudini.* Cui conſonat Ambroſius: Vnum ſunt, quia ambo MERCENARII ſunt: quamuis diuerſa ſint illorum officia: omnes videlicet alienum negocium agunt, nemo ſuum: Vnum ſunt, officio & miniſterio, ait S. Thomas & Anſelmus cui conſentit Cornelius n. explicans, quod æque omnes ſint miniſtri & operarum locatores, eundem Agricolam reſpicientes: vnius fidem ac religionem promouentes, vnius auſpiciis ſuam, *Propria merces.* aliorumque ſalutem procurantes. Nulla ergo inter eos diuerſitas? nihil ipſis eſt proprium? diſcrimen inter locatores operarios nullum? Ne quis id ſuſpicaretur, & ex vnitate finis inferret identitatem effectus, & mercedis, monet Apoſtolus, vnum quidem eos eſſe, ſi conductorem ſpectemus, cui ſe ſuaque dedicarunt: ſed non omnium eundem eſſe laborem, non eandem ſedulitatem, non parem induſtriam; atque ideo non eandem fore ſingulorum mercedem, ſed cuiuſque labori proprium, ac ſuum reſponſurum fructum.

Labor. Opus. Fructus. *Niſi* DEVS *incrementum dederit inquit* Hieronymus, *ſine cauſa laboramus. Nos* MERCENARII *ſumus in alieno agro: alienis vtimur ferramẽtis: nihil habemus proprium, niſi* MERCEDEM *noſtri laboris.* Animaduertit autem Theodoretus, conſiderate dixiſſe Apoſtolum: *Secundum ſuum laborem: Iuſtus enim Iudex non opus, ſed laborem reſpicit.*

Non dixit etiam, vt obſeruat Cornelius: Quiſque recipiet mercedem ſecundum fructum quem fecit: ſed, ſecundum laborem: quia fructus non eſt in noſtra, ſed in DEI incrementum dantis manu. Ex quo colligit, integrum laboris præmium eſſentiale habiturum mercenarium Euangelicum ex concione vel inſtructione ſua, licet nullus ſequatur fructus: nullus hæreticus, vel peccator conuertatur. Imo, ſæpe maius, quia difficilius eſt, & magis arduum concionari vbi nullus vel exiguus appareat fructus, quam vbi concioni & concionatori multi applaudunt, vel concionatoris diligentia proficiunt. Quis non lubentius & facilius laboret in regione, in qua liberalis gleba, & pingue ſolum, quam vbi

Difficiles ſemper terræ, colleſque maligni?

Quamuis autem præcipuè ſpectetur in remuneratione mercenarii labor, id eſt contentio virium, ſeu conatuum voluntatis tum aliarum facultatum, & quaſi niſus quidem, ſimul cum caritatis impulſu: tamen dignitas ipſa operis in genere ſuo multum ad merendi rationem facit, & confert ad præmii perfectionem, vt in Theologicis docetur, & illo ad Corinthios loco notat S. Ambroſius: *Quia maior eſt, inquit, qui euangelizat, quam, qui baptizat, ideo diſcreuit mercedes illorum.*

Opera mercenaria. Idem probat Paulus ex alio mercenariorum genere. Sunt enim Euangelii promulgatores, tanquam operæ mercenariæ principis Architecti, quibus iuxta laboris, & operis diuerſitatem, diuerſum datur ex conducti & locati conuentione

preciuni

Digitized by Google

pretium. DEI *ædificatio eſtis*: Eccleſia eſt ædificium, ac quæuis cœlo condita hominis anima, architectus DEVS, operæ Paulus, Apoſtoli, cæteri mercenarii Euangelici. *Fundamẽtum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt* CHRISTVS IESVS. *Vnuſquiſq; autem videat quomodo ſuperædificet. Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam. Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuiuſque opus manſerit, quod ſuperædificabit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem.* 1.Cor 3.9.10 11.12.13.14. 15.

En operariorum in mercede diſcrimen. Nam ſi is, vt refert Hieronymus, cuius opus arſit & periit, & damnum ſuſtinuit laboris ſui, perdet quidem laboris illius præmium, ſed ipſe ſaluabitur, non tamen abſque probatione ignis. Ergo is, cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, ſine ignis probatione ſaluabitur. Et inter ſaluationem, & ſaluationem vtique erit diuerſitas aliqua.

Tu operam tuam DEO artifici ad eccleſiæ ædificationem pro mercede locaſti: bene eſt, fidelem habes conductorem, modo fideliter collabores & ſpiritualem ſubſtructionem gnauiter iuues erigere. Certe ſi doctrina tua bona ſit ac frugifera ſi ſoliditatem habeat, & precioſa meritò cenſeatur, vt aurum, argentum, æs, lapides precioſi, eoſque fidei fundamento ſuperædifices: ita vt opus tuum, poſt examen ignis illæſum inuiolatumque perſiſtat, laboris tui atque induſtriæ fructum, & mercedis compenſationem ex pacto cum conductore inito percipies copioſam. At vero, ſi neglecta vtilium cura, ſpecioſa magis, & inania, quam fructuoſa & vtilia ſectatus fueris, & opus tuum ignis, tanquam ligna, fœnum, & ſtipulam exuſſerit, laboris ſuſcepti mercedem non expectes: nam in contractu erat, vt parietes ex ſolida materia erigeres. Verum licet huius operis iacturam facias, alterius tamen titulo, in quo ſtrenuum egiſti mercenarium ſalutem conſequeris: *Vnuſquiſque enim propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

Simile argumentum ſumpſit alibi Paulus ab operis domeſticis, qui Patrifamilias pro mercede locant diurnos vel annuos, aut etiam vitæ totius albores, vt ſunt Oeconomi, obſonatores, promi-condi, archimagiri, & vulgo dicti diſpenſatores, quibus pro laboris modulo & officii dignitate plus vel minus, mercedis nomine ſecundum leges locationis adnumerari ſolet. *Diſpenſator locans operas.*

Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros CHRISTI, *& Diſpenſatores myſteriorum* DEI. 1.Cor 4.1.2. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum iudico.* Poſtea cum innocentiam ſuam teſtatam feciſſet, Deum iudicem inquit, manifeſtaturum, conſilia cordium, & tunc laudem vnicuique fore à Deo: id eſt illum fore operum ac cogitatorum remuneratorem, vti Paterfamilias eſſe ſolet ſuorum famulorum qui illi operas ac domeſtica ſeruitia locant. Hoc enim indicant illa muniorum domeſticorum vocabula.

Quid enim eſt eſſe miniſtros CHRISTI? Certè, haud aliud, quam, operarios, famulos, mercenarios. Græcè eſt ὑπηρέτας, quæ vox operas vel famulos ſignificat, quos Ariſtoteles organa animata vocat, quia inſtrumentorum inſtar deſeruiunt Domino: Vt enim inſtrumentum ab artifice mouetur, ita mercenarius famulum ductum mandatumque ſequitur Patrisfamilias. *Miniſtri Chriſti.*

Ariſt.li.1. Polit.

Tanquam inſtrumentum, inquit, Philoſophus, imo ante inſtrumenta eſt omnis miniſter. Nam ſi poſſet inſtrumentum vnumquodque iuſſa accipiens, ac præſentiens peragere ſuum opus, ſicut quæ Dædali aiunt, aut Vulcani tripodas, quos Poëta inquit per ſe diuinum certamen ſubiiſſe: Sic pectines ipſi texerent, & plectra citharam pulſarent: nihil opus eſſent nec Architectis miniſtri, quos conducere debent, nec dominis ſerui, qui operas ſuas locent.

Oeconomus. Epiſt.1. cap.4. v.10.

Porro in hoc genere operarum, ait Apoſtolus, Eccleſiaſticos miniſtros eſſe *Diſpenſatores*, Græcè οἰκονόμους, præfectos domus DEI: quo titulo eoſdem honorat Petrus Apoſtolus, monens ſibi commiſſos, *vt vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes ſicut boni* diſpenſatores, inquit, *multiformis gratiæ* CHRISTI. *Si quis loquitur quaſi ſermones DEI: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat* DEVS. Hæc enim ſunt munera talium mercenariorum, *docere*, & Eccleſiaſticas res *adminiſtrare*. Condidit hunc titulum CHRISTVS qui apud Lucam, agens de hoc genere operarum dicebat, *Quis putas fidelis eſt* diſpenſator *& prudens*, Græcè Οἰκονόμος.

Lucæ 12. 42.

Apud Theophil. §. recte. Inſtit. mandat. & Cod. Theod de his qui cum diſpenſ. contrahunt.

Quis autem ignorat, in familia principis diuerſam manere mercedem, domeſticarum rerum curatoribus, qui omnes ex LL. vſu diſpenſatores poſſunt appellari, pro diuerſitate graduum & officiorum? Quod quidem ſi contractus locationis intercedit, omnino indubitatum eſt; ſi nulla fuit conuentio cum conductore, æquitas tamen poſtulat. Plus certe addici ſolet aulæ præfecto, Mariſcalco, Magiſtro domus, quam procuratori pœni, ſtructori, nundinali coquo, famulo atrienſi, mediaſtino, pediſſequo. Ita à DEO, vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum, non neglecta operis & officij dignitate, à qua laboris dimanat diuerſitas.

Merces varia.

Iam vero, cum varia fiat conuentio cum operariis: nonnulli enim locant operam pro victu, veſtitu & precio pecuniario: alii non niſi de victu paciſcuntur: quidam pecuniam ſolum poſtulant, ſi quis à conductore non niſi nummariam mercedem petat, natura ipſa contractus, & æquitas exigit, vt plus illi promittatur, quam ſi victum ſimul ac veſtitum poſceret. Cum enim inter laborem & mercedem ſtatui debeat proportio, quantum detrahitur de parte mercedis in vno genere, tantum addi debet parti generis alterius. E quo principio in titulo de conducto & locato plane indubitato argumentari videtur Paulus contra æmulos quoſdam & alieni laboris obtrectatores ampliorem ſibi deberi mercedem, quam pleriſque aliis, quod conductori victum remiſerit. Hanc enim collectionem continere mihi videntur illa ad Corinth. 1. 9. 13.

1 Cor. 9.13.

Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.

Itaque tum iure veteris legis antiquæ, tum nouo CHRISTI, qui cum DEO conductore contrahit, quaſi in pactum accipit, præter mercedem meritis reſpondentem, ea quæ ad tuendam vitam, & quæ ſuſtentando corpori ſunt neceſſaria. Olim ſane qui templo deſeruiebant, immolatis veſcebantur, & victimæ erant participes. Quod ius CHRISTVS D. ad Euangelii præcones tranſtulit, quibus fecit poteſtatem ex munere ſuo neceſſaria vitæ ſubſidia comparandi.

Ego

Ego autem nullo horum vſus ſum, inquit Apoſtolus, renunciaui iuri, quod mihi ex locationis contractu competebat. *Non autem ſcripſi hæc vt ita fiant in me*, Neque hæc idcirco commemoraui, quod impenſas pro me fieri à quopiam velim: abſit. *Bonum enim eſt mihi magis mori quam vt gloriam meam quis euacuet.* Acceſſionem mercedis cœleſtis ſpectaui, recuſando victus & veſtitus commoda, itaque fame potius emoriar, quam vt hoc gloriæ augmentum, ob corporis neceſſaria, quæ aliis ſuppeditari ſolent, negligam.

Nam ſi euangelizauero non eſt mihi gloria. Si communi modo Euangelium promulgem, nihil præ ceteris habeo eximium: eadem mihi quæ aliis merces adpendetur in retributionis die, nihil adiungetur mihi ad vulgarem numum. Ex quo ſequitur, ſi liberaliter renunciet quidpiam ex iis, quæ aliis donari ſolent, fore, vt quidpiam ad mercedis cumulum accedat. *Quæ eſt ergo merces mea? Vt euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium.* Hic laboris mei eſt cumulus, quod prædicatoris Euangelici munere fungens, commodis illius ſponte nuncium remittam, cui haud dubiè præmii reſpondebit augmentum.

Nunquid potes dicere, Iouiniane, peccare eos, qui viuunt de Euangelio? & qui de ſacrificiis participant? Vtique non. Dominus enim diſpoſuit, vt qui prædicant Euangelium, de Euangelio viuant. Apoſtolus autem, qui non abutitur hac licentia, ſed laborat manibus ſuis, ne quem grauet, & die ac nocte operatur, *1. Theſſ. 1I.*
& miniſtrat iis, qui ſecum ſunt, vtique ideo hoc facit, vt plus aliquid mercedis accipiat. Ita colligit ſenſus Paulini non imperitus indagator Hieronymus. *Hier. lib. 2. in Iou. c. 13.*

Eandem vim habet illa Pauli cum eximia humilitate coniuncta gloriatio 1. ad Corinth. 15. 9. *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* *Paulus plus laborauit. 1 Cor. 15. 9.*

Loquitur ex humilitate Paulus, inquit Hieronymus: *Veruntamen in eo quod ſe humiliat, oſtendit, poſſe Apoſtolos alios minores, alios eſſe maiores: & qui vtique vas electionis dicitur, & cunctis amplius laborauit; non eſt iniuſtus DEVS, vt obliuiſcatur operis eius & diſpar æquali mercede compenſet.* Itaque exiſtimat ſanctus vir, contra iuſtitiam conductoris, acturum DEVM, niſi Paulo abundantius reliquis laboranti, ampliorem etiam cœleſtis gloriæ mercedem transcriberet. Erat enim Paulus minimus Apoſtolorum: ſed, vt Ambroſius, Hieronymus, & Anſelmus explicant, *tempore, non dignitate, aut labore: minimus, humilitate, non operatione: minimus in ſe ipſo, magnus in Domino.* *S. Hier. lib. 2. in Iouin. c. 1. 13*

Plus autem ceteris laboraſſe dicit Anſelmus: quia Apoſtoli alii euangelium promulgauerant Iudæis, qui cum legem ac Prophetas admitterent, ſcripturarum teſtimonio, atque auctoritate facilius poterant ad CHRISTI fidem perduci: Paulus autem gentiles inſtituendos acceperat, qui Prophetarum oracula ſpernebant, vt idcirco alio laborioſo catechizandi genere fuerint ad fidem erudiendi. Accedit, quod alii Apoſtoli ſtipendium, ac commeatum, dum Euangelium promulgabant, accipiebant: Paulus vero & docebat, & manuum opificio victum ſibi comparabat. Tandem Paulus plura loca peragrauit, pluribus periculis defunctus eſt, plures epiſtolas conſcripſit, vt Tractatu 30. in Ioannem obſeruauit Auguſtinus. Omnibus his ſua reſpondebit merces: *nam vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

Operarii mercatoris. Alia locationis ſpecies eſt ad negotiationem ad quam qui conducuntur à mercatore, eo plus lucrantur, quo plus ipſi domino ſuo lucrati fuerint, vel induſtria ſua id fuerint conati: Matthæi 25. Paterfamilias proficiſcens tradidit ſeruis ſuis ſubſtantiam, alii quinque talenta, alii duo, alii vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem. Simile quid apud Lucam legitur: vbi homo nobilis proficiſcens in regionem longinquam vt acciperet ſibi regnum & reuerteretur. vocauit decem mercenarios, & dedit eis ſingulas mnas. de quibus vnus lucratus eſt decem mnas, alius quinque, & ſinguli iuxta vires ſuas, & emolumentum vel decem, vel quinque acceperunt ciuitates.

Matt. 25.

Luc. 19.

Porro alius qui vnum talentum, ſiue vnam mnam acceperat, quod accepit, infodit, ſiue in ſudario colligauit, & domini reſeruauit aduentui.

S. Hier. cont. Iouin. lib. 2. cap. 18. Hic primo conſiderandum ex obſeruatione S. Hieronymi, quod ſi iuſti non ſpe profectus laborant, (cuius contrarium ex contractu locationis nuper demonſtrauimus) ſed ne perdant, quod acceperant, vt Iouinianus contendit: iſte, qui mnam & talentum infodit, ne perderet, quod acceperat, non peccauit: magiſque laudanda eſt cautio reſeruantis, quam caſſus labor eorum, qui ſine laboris præmio deſudarunt. Deinde, quod hoc ipſum talentum, quod aufertur à timido, vel negligente operario, non datur ei, qui minus lucrifecerat, ſed qui plus, id eſt, qui ſuper decem poſitus fuerat ciuitates. Si numerus non facit ordinem, quare dixit: Dedit vnicuique ſecundum vires ſuas. Si eadem lucra ſunt quinque talentorum & decem: cur ei, qui minus lucrifecerat non decem: & ei, qui plus, non quinque traduntur vrbes?

Quod autem Dominus non his contentus ſit, quæ habemus, ſed ſemper maiora deſideret, ipſe monſtrat dicens: Quare non dediſti pecuniam meam ad Trapezitas, & ego veniens cum vſura exegiſſem? Quod quidem Paulus Apoſtolus ſciens, præteritorum obliuiſcitur, & ad ea, quæ in ante ſunt, ſe extendit: id eſt. quotidie proficit, nec ſeruat in ſudario, delicatè gratiam, quam accepit: ſed auarus negotiator renouatur de die in diem, & decreſcere ſe putat, niſi creuerit.

Philip. 3.

1. Corin. 9. 19. 20. 21. 22. 23. Vt autem plus mercedis à conductore ſuo accipiat, omnia tentat, vt plurimum lucretur. *Cum liber eſſem ex omnibus*, inquit, *omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem. Iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem. Cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erāt. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerē. Omnibus omnia factus, vt omnes facerem ſaluos.* Hi erant feruentiſſimi mercenarii conatus. quem in finem? vltimatus ſemper fuit DEVS propter ſe dilectus eiuſque gloria: proximum exprimit iſtis verbis: *Omnia autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar.* Idcirco ita laboro, vt Euangelium propagetur: ex eo autem fructum & vtilitatem operario fideli addictam percipiam. *Vt ſim particeps coronarum* (inquit Chryſoſtomus, Paulum ita loquentem fingens) *quæ ſunt repoſita fidelibus, & confeſtim efficiar particeps Euangelii, vt poſſim habere ſocietatem, & participationem cum iis, qui crediderunt Euangelio.* Notat etiam Patroni ſui demiſſionem admirandam Chryſoſtomus: *quod in mercedis redditione ſe vnum ponat ex multis, cum plus quam omnes laborauerit. Vnde eſt etiam perſpicuum*, inquit, *quod plus præmii eſſet habiturus.*

Proportio operum & mercedis. His omnibus adde quod CHRISTVS D. vniuerſè pronunciat: *Filius hominis reddet vnicuique ſecundum opera eius*, Matth. 16. 27. Quod habet etiam Paulus ad Romanos

Digitized by Google

manos 2. 6. Et nihil aliud eſt, quam, DEVM vt conductorem iuſtum decurſo operum die, cuilibet pro qualitate & conditione meritorum & laboris ſuſcepti, mercedem redditurum. Itaque qui plus eſt meritus, plus mercedis accipiet, qui plus laborauit, magis præmiabitur. Exſibilat hæc Iouinianus, & pugnare dicit cum locationis contractu, à cœleſti Patrefamilias celebrato. Ab eo enim idem diurnus denarius omnibus perſoluitur, quorum tamen diſſimilis, ac penitus inæqualis fuerat labor. *Operarius*, inquit, *primæ horæ, & tertiæ, & ſextæ, & nonæ, & vndecimæ vnus denarius æqualiter redditur: & quo magis admireris, ab iis incipit præmium, qui minus in vinea laborarunt*. Adplaudunt hæreſiarchæ aliquot ex Caluini ſchola tyrones quos magiſter ipſe Caluinus, vt ferula dignos reiicit. Dicunt enim CHRISTVM, parabola de conductore & locatoribus nihil aliud voluiſſe, quam æqualem futuram omnium beatorum gloriam: quia non propter merita ſed gratis dabitur, quod denarius idem omnibus ad finem diei oblatus ſignificet. *κατὰ ἔργα αὐτοῦ.* *Denarius diurnus idem.* *S. Hier. lib. 2. in Iouin. c. 12. Apud Mald. Matt. 21.*

Verum integra commentatione probauimus, agi in hac parabola, vt conſtituatur, mercedem ex contractu meritis dari, ac proinde non gratis. Ex quo conſequitur, operariorum mercedem non fore æqualem: quia quod redditur meritis non æqualiter omnibus obuenit, ſed vni plus, alteri minus, pro meritorum diuerſitate. Sed vrgetur, vnus idemque *denarius*. Qui nullum iis faceſſit negocium, quorum eſt opinio, denarium in ea parabola Symbolum eſſe, non beatitudinis cœleſtis, aut gloriæ: ſed gratiæ, quæ in hac vita datur. Eius autem diuiſione, quæ fit ex Dei beneplacito, contingit, vt nouiſſimi ſint primi, & è contrario, primi nouiſſimi: ideoque in iudicio extremo, qui putabantur nouiſſimi, ad regnandum cum CHRISTO ſint electi, qui autem primi habebantur, eiiciantur foras. Quam ſententiam accuratè explicat Cornelius Janſenius in concordia Euangelica cap. 101. & Gabriel Vaſquez 1. P. diſp. 47. cap. 4. ac 1. 2. diſp. 19. cap. 3. Num. 8. & ante hos Nicolaus Lyranus; nec diſplicere videtur Sebaſtiano Barradio tom. 3. Harmoniæ. *Denarius Symbolum Gratiæ.* *Tomo 3. lib. 5. cap. 16.*

Et neſciò an non ab ea haud ſit alienus Hieronymus, qui ſic Iouiniano occurrit. *Si operariis primæ horæ, & tertiæ, & ſextæ, & nonæ, & vndecimæ vnus denarius redditur, & ab eis incipit præmium, qui nouiſſimi in vinea laborauerunt: & hic non vnius temporis, & vnius ætatis homines deſcribuntur, ſed ab exordio mundi vſque ad finem: vocationum ſacramenta ſunt diuerſarum. Prima hora vocatus eſt Abel & Seth: tertia Enoch & Noe: Sexta, Abraham, Iſaac & Iacob: Nona, Moſes & Prophetæ: Vndecima, gentium populus: cui primò redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum difficultate fidei magnitudinem meruit præmiorum: multique reges & Prophetæ quæſierunt videre, quæ videmus, & non viderunt. Vnus autem* denarius *non vnum eſt præmium, ſed vna vita, & vna de gehenna liberatio. Ceterum, quomodo ad indulgentiam principalem diuerſorum criminum rei dimittuntur de carcere, & vnuſquiſque pro labore vel operibus ſuis, in hoc vel illo ſtatu vitæ eſt; ita &* denarius, *quaſi indulgentia veri Principis, omnes per baptiſmum emittit de carcere. Iam noſtri laboris eſt pro diuerſitate virtutum, diuerſa nobis præmia præparare.* Ergo denarius, hoc ſenſu, datur in hac vita, & eſt indulgentia ſeu gratia, qua è malorum barathro eripiuntur, quicunque ad alterius vitæ beatitudinem deſtinantur. *Hier. lib. 2. in Iouin. c. 17.*

Commentario verò in Matthæum alio modò diſtribuit horas ſequutus Origenem, & pariter tamen omnes dicit accipere præmium. Mihi ait videntur primæ horæ eſſe operarii Samuel, Jeremias, & Baptiſta Joannes, qui poſſunt cum Pſal- *Operarii diuerſarum horarum.*

miſta dicere, *Ex vtero matris meæ DEVS meus es tu.* Tertiæ verò horæ operarii ſunt, qui à pubertate ſeruire Deo cœperunt. Sextæ horæ, qui matura ætate ſuſceperunt iugum CHRISTI. Nonæ, qui iam declinant in ſenium. Porro, vndecimæ, qui vltima ſenectute. Et tamen omnes pariter accipiunt præmium licet diuerſus labor ſit.

Denarius Symbolum gloriæ.

Sed non eſt, cur recedamus à ſemel ſuſcepta ſententia, qua *denarius* ſymbolum eſt gloriæ, ſeu beatitudinis cœleſtis. Ex quo tamen perperam infert Iouinianus, vt æqualia ſunt merita, quod falſo ponit, ita æqualem fore mercedem. Alio enim ſpectat denarii æqualitas: ſed non vna eſt interpretatio, cum varius ſit horarum, in quibus diuerſi conducuntur, intellectus.

S. Greg. Homil. 19. in Euang.

S. Gregorius, ſecundum mundi ætates, horas diſtribuit & operarios nominat Patres antiquos, Legis Doctores, & Prophetas, atque Apoſtolos. Ex his primi dicuntur, qui Chriſti aduentum anteceſſerunt, nouiſſimi, qui eundem ſunt ſequuti. Cenſentur autem nouiſſimi, facti primi: quia denarium, hoc eſt, præmium gloriæ, hi poſteriores, ſi digni ſunt, ſtatim accipiunt: quod priores multo tempore expectare debuerunt.

Eundem denarium *accipiunt, qui laborauerunt ad vndecimam, quem expectauerunt, qui laborauerunt ad primam horam: quia æqualem vitæ æternæ retributionem ſortiti ſunt cum iis, qui à mundi initio vocati fuerant, ii, qui in mundi fine ad Dominum venerant.*

Quod ſi diſpeſcas horarum interualla per ætates hominum, vti etiam facit Papa Gregorius, cum eodem dicas, primos fieri nouiſſimos; quia, qui in ſenectute ad vineam conducuntur, prius à vita abeunt, & præmium *denarii* recipiunt, quam, qui in pueritia, vel adoleſcentia operas locant. Eſt vterque hic ſenſus non incommodus, quem etiam reperies, apud Auguſtinum ſermone 59. de verbis Domini, ſequunturque illum quadantenus Beda, Haymo, Gloſſator Interlinearis, & Ordinarius.

Scopus parabolæ.

Sed quoniam nobis ex illa ipſa contractus circumſtantia ex qua perfidus Zeno mercedis æqualitatem colligit, eſt ſtabilienda diuerſitas, vt ſuo hoſtem conficiamus gladiolo: Dicimus parabolizatoris cœleſtis mentem fuiſſe, & ſcopum elegantis parabolæ, declarare: quantitatem mercedis, id eſt, beatitudinis futuræ, non reſpondere quidem quantitati temporis quo mercenarius quocunque modo operam in aliena vinea impenderit; ſed quantitati laborum, atque operum: id eſt, meritorum: & conſequenter, poſſe contingere frequenter, vt qui diu laborauerit, non maiorem mercedem percipiat eo, qui breuiſſimo tempore: quia merces non temporis quantitati, ſed laboris intenſioni ex æquo proportionatur.

Itaque per denarium intelligitur gloria. Operari in vinea Domini, ſit, bona, Deoque grata, & meritoria opera efficere. Primi deſignent eos, qui diutius operati ſunt, quales eſſe neceſſe eſt, qui in tenera ætate conducti à Patrefamilias, labores locarunt. Nouiſſimorum nomine denotentur, qui breuiori tempore laborarunt, viri, ſenes, decrepiti: aut circa finem vitæ, in quolibet ætatis flexu efficaciſſimo diuinæ vocationis impulſu ad heroica facinora exſtimulati & ſingulariter adiuti.

Vt igitur paterfamilias æqualem mercedem iis perſoluit, qui longo, & iis, qui breuiori tempore in vinea laborarunt: Ita Deus æqualem mercedem iis tribuit, qui modico, & iis qui diuturniori tempore pietatis opera exercent:

ſis.

ſi ii

ſi ii qui breuiori tempore laborant, eos laboris intenſione, ac interno animi conatu adæquent, qui longiori operam impenderunt. Euenit autem non raro, vt quiſpiam vna hora tantùm laboret feruore quodam eximio animi incitatus, & illi reſpondente diligentia adhibita: ac conſequenter tantum mereatur quantum alius integro die, ſed minori niſu, nec tanta contentione ac induſtria. Quod manifeſte ſignificatur.

Sapientiæ 4. Vbi agitur de Iuſto morte præoccupato, diciturque, *conſummatus in breui τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ* expleſſe tempora multa: hoc eſt, breui operationum meritoria periodo perueniſſe ad eum perfectionis ac conſummatæ virtutis gradum, ad quem alius non ante ſenectutis multos annos propinquaret. Qui virtute perfectus eſt per exiguum ſpacium temporis, exiſtimatur merito longo tempore gnauiter laboraſſe, & quamuis iuuenis, habuiſſe ætatem ſenectutis immaculatam, quæ in foro cœleſti non computantur annorum numero. *Sap.4.13.*

Itaque fit vt ſexta, nona, vel vndecima hora vocati habeant in fine vitæ maximum meritorum cumulum, quia laborarunt intenſe: imo locupletiores ſint operum bonorum gaza, quam qui diutiſſime fuerant operati. Sic ad eandem metam peruenit citius, qui incitatius, quam qui lentius, & pedetentim progreditur. Noruntque Phyſici inter corpora ſimplicia, quod leuius eſt, velocius aſcendere breuiori tempore: quod grauius, deſcendere. Et quotidie experiuntur fabri, quem vnus, ſæpius, ſed debiliter pulſando infigit clauum: alterum vix duplicando ictum immergere in parietem, ſi fortiter malleum vibret.

Quid itaque mirum ſi nouiſſimi facti ſint primi, & primi nouiſſimi. Perperam autem hinc colligas æqualem mercedem dari quibuſcunque, nullo meritorum præcedentium intuitu: imo contrarium ex hoc Patrisfamilias iudicio efficiendum eſt. Quamuis enim omnibus operariis euangelicis, de facto eadem ſit merces data: id tamen contigit ex ſuppoſitione, quæ inæqualium per ſe, adæquationem propter quidpiam ſuperueniens continet. Nimirum, omnes æquale habebant meritum, in *primis* quidem compenſante operis tarditatem & negligentiam, longitudine temporis: in *nouiſſimis*, breuitatem temporis, operis perfectione & mercenariorum ſingulari diligentia. Abſolutè tamen loquendo, hinc neceſſario conficitur poſſe operarum locatores inæqualiter operari, ac proinde mereri: & quod hinc eſt conſequens, inæquales fore in mercedis participatione ſeu beatitudine. *Aequalis merces ex ſuppoſitione operis æqualis.*

Vis aliam inæqualitatem, quæ clariſſime in Patrisfamilias iudicio continetur? Perpende præter *denarium* qui eiuſdem eſt valoris, redditionis prærogatiuam, quæ ad mercedis inæqualitatem ſpectat. Siquidem primo loco dari nonnullis mercedem, hoc priuilegium commeritis, alios autem differri in vltimum, diuerſitatis eſt index, & manifeſtum in mercedis attributione diſcrimen: atque ita primis nouiſſimi præferuntur. Oſtenditur ergo plus aliquem mereri breuiori tempore, quam alium longiori: ac proinde inæqualia eſſe merita, & quod inde eſt conſequens ex contractu locationis, inæqualem mercedem. Itaq; vndecima venientes hora eundē receperunt denarium, qui tātum laborauerant, quantū priores: prius vero, quam illi, quoniam hoc ipſum quod nempe breuiore *Inæqualitas in redditione mercedis.*

Anticipatio ſolutionis. uiore tempore fuerint diligentiores, eam merebantur laudem: vel quia opus perfectius, quam alii longo illo tempore confecerant.

Alf. Salm. tom. 7. tract. 33. Eſt autem penſanda mercedis appendix, ſolvendi anticipatio, quæ nouiſſimos honorat: ſignificare enim poteſt, vt monet Alfonſus Salmeron n. maiorem & magis intenſum gloriæ cæleſtis gradum, cuius differentia in denario non cernitur. Atque ita denarius denotare poteſt, vel Beatitudinem obiectiuam, quæ eſt DEVS ipſe vnus ac ſimpliciſſimus: vel Beatitudinem formalem ſed eſſentialem, quæ in vnius DEI contemplatione poſita eſt. At in illa ipſa beatitudine plures eſſe gradus negari neutiquam poteſt. Hoc enim eſt, quod CHRISTVS iturus ad Patrem, non ignorare voluit ſuos diſcipulos, dicens

Manſiones cæleſtes. Hier. lib. 2. in Iouin. cap 15. Pſal. 83. Ioannis 14. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quis autem riſum tenere queat, inquit Hieronymus in eo, quod Iouinianus, vt huius vim argumenti effugiat, multas manſiones apud Patrem Eccleſias arbitretur in toto orbe diffuſas: cum manifeſtiſſime ſcriptura doceat, non de Eccleſiarum numero, ſed de cœlorum manſionibus, & æternis tabernaculis, quæ Propheta deſiderat, Domino fuiſſe ſermonem? Locus & manſiones quos præparare ſe CHRISTVS Apoſtolis in domo vtique ſunt Patris: id eſt, in regno cœlorum, non in terra, in qua præſens Apoſtolos relinquebat. Simulque ſenſus ſcripturæ intuendus. Dicerem, inquit, vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, ſi non manſiones multæ eſſent apud Patrem: hoc eſt; *Si non vnuſquiſque manſionem ſibi non ex largitate* DEI, *ſed ex propriis operibus prepararet: & ideo non eſt meum parare ſed veſtrum: quia & Iudæ nihil profuit paratus locus, quem ſuo vitio perdidit.*

Matth. 20. Iuxta quem ſenſum, vt ratiocinatur Hieronymus, & illud intelligendum, quod ad filios Zebedæi dicitur, quorum alter à ſiniſtris, alter cupiebat ſedere à dextris: calicem quidem meum bibetis: ſedere autem à dextris meis, ſiue à ſiniſtris, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Non eſt filii, dare: & quomodo eſt Patris præparare? Paratæ, inquit, ſunt in cælo diuerſæ & plurimæ manſiones, plurimis, diuerſiſque virtutibus, quas non perſonæ accipiunt, ſed opera. Fruſtra ergo à me petitis, quod in vobis ſitum eſt: quod Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus, ad tantam aſcenſuri ſunt dignitatem. Quæ eo ſpectant vniuerſa, vt intelligatur, cœleſtem gloriam, quæ mercedis nomine, fideliter in vinea Domini operantibus, ex locationis contractu, addicta eſt, quoniam non gratis exhibetur, haud æqualiter omnibus, ſed iuxta meritorum menſuram ſingulis iuſtiſſime eſſe admetiendam.

COM-

COMMENTATIO VI.

HOMO LOCATOR, DEVS CONDVCTOR.

Sicut dies MERCENARII dies eius. Job.7.1.

Dominica Sept.agesimæ.

Contractus locationis inter Deum & hominem, demonſtrat, cæleſtis gloriæ mercedem, poſt hanc vitam iuſtis non differri.

An animæ defunctorum ad beatitudinem ſtatim admittantur.

CERTATVM olim fuit magnis partium ſtudiis, nec etiamnum lis eſt compoſita: An piorum hominum ſpiritus mortalitatis compedibus exſoluti, ſi purgatione piaculari non egeant, beatitudine ſtatim donentur. Negauit confidentiſſime Vigilantius hæreticus, cum quo non minus animoſe ac fortiter, quam cum Iouiniano pugnauit præclarus Eccleſiæ Paleſtrites Hieronymus, poſtquam Antagoniſtæ perſonam depinxit, vt non lateret ſpectatores, quis eſſet nugator ille *inuoluens ſententias ſermonibus imperitis*. Nec vos lateat, quos maiores venerentur Lutherani & Caluiniſtæ, quos eadem occupauit inſania.

Iob 38. 2. S. Hier. Epiſt. in Vigil.

Monſtra orbis. Iſaia 34. Iob. 40.

Multa in orbe monſtra generata ſunt, inquit Hieronymus. Centauros & Sirenas, vlulas & onacrotalos in Iſaia legimus. Iob Leuiathan, & Behemoth myſtico ſermone deſcribit. Cerberum & Stymphalidas, aprumque Erimanthium, & Leonem Nemæum, Chimæram, atque Hydram multorum capitum narrant fabulæ Poëtarum. Cacum deſcribit Virgilius, trifotmem Geſionem Hiſpaniæ prodiderunt. Sola Gallia monſtra non habuit: ſed viris ſemper fortiſſimis, & eloquentiſſimis abundauit. Exortus eſt ſubito Vigilantius, ſeu verius Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contra CHRISTI Spiritum. Et quomodo Euphorbus in Pythagora renatus eſſe perhibetur, ſic in iſto Iouiniani mens praua ſurrexit: vt in illo, & in hoc Diaboli reſpondere cogamur inſidiis cui iure dicetur: ſemen peſſimum para filios tuos occiſioni peccatis patris tui. Ille Romanæ Eccleſiæ auctoritate damnatus, inter phaſides aues, & carnes ſuillas, non tam emiſit ſpiritum, quam eructauit: iſte caupo Calaguritanus, & in peruerſum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miſcet aquam vino, & de artificio priſtino, ſua venena perfidiæ catholicæ fidei ſociare conatur.

Vigilantius.

S. Hier. contra Vigil. c. 1.

Quænam huius eſt de operariorum mercede poſt laborioſum vitæ diem ſententia? Ait, *vel in ſinu Abrahæ vel in loco refrigerii, vel ſubter aram Dei animas Apoſtolorum, & Martyrum conſediſſe: nec poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint eſſe præſentes. Senatoriæ videlicet dignitatis ſunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera, honeſtaque cuſtodia, in fortunatorum inſulis, & in campis Eliſijs recludantur.*

Apocal. 14.

Adhæc indignatus Hieronymus, *Tu, exclamat,* DEO *leges pones? Tu Apoſtolis vincula inijcies, vt vſque ad diem iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo? de quibus ſcriptum eſt*: ſequuntur agnum quocunque vadit.

Idem ſenſiſſe Armenos refert Guido Carmelita in ſumma de hæreticis, Alfonſus de Caſtro aduerſus hæreſes 5. *Beatitudo.* Hæreſi 6. Nicol. Sandetus lib. 7. de Monarchia viſibili hæreſi 118. Prateolus 5. Armeni. Græcos etiam ita errasſe conſtat ex Concilio Florentino ſeſſ. 1. & S. Thoma opuſculo 6 cap. 9. Nec ab eo errore

Prælect. Lutheri an forſaſſe præfat.

immunis fuit Lutherus, vt ex eius prælect. in Geneſim probat Fridericus Staphylus in Epitome trimembri Lutheranæ Theologiæ parte 2. vt hæc hæreſis addi poſſit illis 78. quos compendio enumerat Iacobus Gualterus n. in Tabula Chronographica. Eandem fuiſſe Anabaptiſtarum teſtis eſt Petrus Caniſius n. Tom. 2. de corruptelis verbi DEI. & lib. 3. de B. virg. ca. 12. His adiunge Cornelium Agrippam lib. 3. de occulta Philoſophia.

Io. Caluin.

Sed minime prætereundus eſt Ioannnes Caluinus, licet fluctuare videatur: certè ſibi, vt ſolet, in hoc etiam titulo contradicat. Nam lib. 3. inſtit. cap. 20. §. 10. agens de CHRISTO Mediatore: *ſi ſacerdotem*, inquit, *requiras, ſuper cœlos eſt. Sic tamen, vt ſanctuarium cœli ingreſſus, ad conſummationem vſque ſeculorum* SOLVS *populi* EMINVS *in* ATRIO *reſidentis vota ad* DEVM *deferat*. Deinde §. 24. Scribit ſanctos mortuos *ſtata atque immota voluntate in DEI regnum adſpirare*. Ergo nondum eo peruenerunt. Quod clariſſimè adſerit.

Cap. 25. §. 6. *Cum ſcriptura vbique iubeat pendere ab expectatione aduentus* CHRISTI, *&* GLORIÆ CORONAM *euſque differat, contenti ſimus his finibus diuinitus nobis præſcriptis: Animas piorum militiæ laboribus perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant. Atque ita omnia teneri ſuſpenſa donec* CHRISTVS *appareat redemptor*. Itaque Limbum ſibi imaginatur Caluinus, quid enim aliud eſt Catholicis Limbus, quam locus quieti opportunus, in quo felicitatem debitam piorum animæ expectabant? At Limbus alibi illi eſt fabula, & pro carcere tamen Turrim conſtituit. lib. 2. inſtit. cap. 16. §. 9. *Probabili*, ait, *ratione huc aptari*

1. Petri. 3. 19.

poteſt Petri locus, vbi dicit CHRISTVM *veniſſe, ac prædicaſſe ſpiritibus, qui erant, non quidem vt mihi videtur in carcere; ſed quaſi excubias agentes in turri.*

Idem tamen in Pſychopannychia pag. 9. aſſerit Sanctos eſſe in cœlo, ac DEO frui ad ſatietatem. Sed ne & hic deſit contradictio, eodem lib. pag. 10. & 16. ait non frui illos DEO ad ſatietatem: ſed expectare vſque ad diem iudicii.

Catholicum dogma.

Contrarium, tanquam fide Catholica certum adfirmant omnes orthodoxi, qui neutiquam dubitant, defunctorum animas, quæ in gratia diſceſſerunt, ſi expiatoriis flammis nō egeant, ad DEVM clare contemplandum admitti ac proinde ſtatim à morte beatitudinem conſequi. Quod definitum eſt in concilio Florentino ſeſſione vltima in litteris vnionis miſſis à Concilio & Eugenio PP. ad Græcos: definimus illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi & intueri clare ipſum Dominum trinum & vnum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius. Et in Tridentino ſeſſione 25. ſanciuitque Innocentius 3. cap. Apoſtolicam Extra. de Presbytero non baptizato. necnon Benedictus 12. in Extrauaganti quæ incipit, *Benedictus*. DEVS, quam integram exſcripſit Caſtro.

Stabilitur autem hoc Catholicum dogma, omni argumentorum genere ex S. S. Patribus, traditione, orationibus eccleſiæ, & ratione deſumpto. Quod fusè tractamus l. 2. Titulo, *Beatitudo &c.* Sed quoniam hic IVRIS-CONSVLTVS vel agitur vel inſtituitur, omiſſis omnibus aliis, hoſtes fidei ad iuſtitiæ tribunal rapimus; ibi nonniſi ex iure contractus acturi. Quanti eſt in religionis etiam negocio, nonnunquam legum ſcita reſpicere? Probauimus contractum locationis eſſe initum cum quolibet homine: nam conduxit cæleſtis Paterfamilias omnes in vineam, iuſti ſtre-

ſti & tenuè laborarunt, toto die operi deſtinato. Is enim dies, eſt ætas ſeu vita cuiuſque, vt indicat CHRISTVS cum dicit, *Ambulate, dum lucem habetis* Ioann. 12. 35. Et, *me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.* Ioan. 9. 4. noctem, cuiuſque mortem appellans, & diem, vitam. Atque ita diem operariorum exponunt Origines, Chryſoſtomus, Hieronymus, atque recentiores Maldonatus, Baradius aliique.

Quid igitur exigit locationis contractus? Omni iure, diuino, naturali, humano, canonico, ciuili, communi, municipali, vt cum ſero factum fuerit, dicat *Dominus vineæ procuratori ſuo; voca operarios & redde illis mercedem.* Si quis ingentem operariorum cateruam mane è foro ad vineam ſuam duceret, denario illis in mercedem addicto: illique portantes pondus diei & æſtus, toto die haud ſegniter operam impendiſſent: redeuntibus autem veſperi è vinea, per Oeconomum verbale ſtipendium tranſmitteret, iuberetque in atrio conſidere, mercedem, poſt menſes vel annos aliquot reddendam, expectantes: vel dici illis mandaret ad portam aduenantibus. *Veſperi danda merces operario.*

Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite capellæ.

Nonne iniuſtitiæ manifeſtæ accuſaretur? Nonne actione ex locato operarii contra cōductorem apud Iudicem poſtulare poſſent mercedem, & Paterfamilias condemnaretur, ſecundum l. Præſes Cod. de *locato?* Nonne mercenarii, domino vineæ oggererent, quod in Euangelio Paterfamilias operariis, An-non ex denario diurno conueniſti nobiſcum? redde quod debes.

Eſt certum tempus perſoluendi mercedem, operam locantibus, diariis, quotidie: annuis, euoluto anni curriculo; menſtruis, abſoluto menſe: quod niſi obſeruet conductor, & operariis ſuis non faciat cogi poteſt per iudicem, & ſunt conſueta à iure remedia. Quod ſi mercenarii dominum accuſare non audeant, nec debitam ſibi mercedem exigere aut poſtulare, ſiue ob nimiam domini potentiam, ſiue ob ſeueritatem hominis, poſſunt clam tuta conſcientia, tantundem ex bonis Patrisfamilias ſibi capere, quanta eſt merces debita, & ſuo tempore denegata. Quod, vt iuri diuino, ac naturali conſentaneum cenſent graues Theologi, quamuis dent conſilium, vt arbitrio viri prudentis id faciat, vel confeſſarii, ne ſit in propria cauſa iudex, vt bene monet Ioannes Azorius. *Tempus ſolutionis.* *Ioan. Azor Tom. 3. lib. 8. cap. 13. q. 1.*

Hoc ſi probat in mundi foro DEVS, cum contra alios pronuntiat, quis exiſtimet, eum aliud in cæli foro obſeruare? An eodem ex ore calidum & frigidum fundit? An leges hominibus figit, quas vt à iuſtitia ſua alienas ipſe ſpernat? An quæ apud nos iuſtitiæ repugnant, in cœlis, eidem ſunt conſentanea? Eadem eſt in cælis, quæ in terra vitiorum natura: eadem quoque virtutum: nam ſtabilis eſt & æterna, nec locorum varietatē mutatur.

Sed codicem iuris diuini inſpiciamus Leuit. 19. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te vſque mane*: id eſt: non differas mercedis ſolutionem in alteram diem, ſed eadem die, ante noctem operario perſolues: hoc enim ius pact. exigit, hoc æquitas poſtulat. *Lex diuina de locante operas*

At DEVS, inquit, mercedem operariorum ſuorum reſeruat ſaltem, vſque ad mane ſequentis diei, ſiue vitæ. Poſſem dicere quod Radulphus inſinuat, Leuitici præceptum exponens, non protrahi idcirco à DEO mercedem operariis, nec à fructu operis ſui vſque ad illud tempus vacuos dimitti, ſed accipere mercedem ante mercedem, nam & illis dat alimenta ſpiritualia, dona gratiæ, virtutum aurum & argen-

argentum, gemmas precioſiſſimas chariſmatum diuinorum: denique centuplum
Matt.19.29. Marci.10.30. illud, quod hoc etiam tempore Chriſtus percipiendum promiſit, quod alii aliter, Radulphus de donis gratis datis accipit, & de animæ quiete, quæ omnibus mundi huius diuitiis anteponenda eſt.

Sed non eo confugio. Dico, DEVM ſeruare mandatum, quod conductoribus tulit, nec permittere vt opus mercenarii moretur apud ſe vſque mane. Quid enim commodius hic per mane intelligatur, quam dies reſurrectionis vniuerſalis, & extremi iudicii, quando ſol iuſtitiæ orietur in cordibus omnium, vt manifeſtentur, quæ occulta ſunt, & vſque ad illud tempus velut noctis tenebris ſepulta delituerunt? Profecto, ſi per veſperam dici, qua denarium acceperunt vinitores Euangelici plurimi ſignificari putant finem mundi, & vltimi iudicii tempus, maiori iure, per mane, veſperam ſubſequens, idem ego tempus accepero.

Veſperà, tempus mortis. Veſpera autem ſolutionis mihi eſt, cum occidit vitæ ſol, tunc enim quilibet audit ad tribunal iudicis proficiſcens: *Ecce venio cito & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* A quo ſenſu non abhorrent ij ipſi, qui per veſperam, Maldon. Matt.20. finem mundi declarari arbitrantur. Nam, vt ſubtiliter obſeruat Maldonatus n. quia vſque ad finem mundi aliqui homines erant, & vniuſcuiuſque hominis vita, dies eſt, vniuſcuiuſque mors, veſpera, vltima veſpera erit finis mundi, cum omnes, qui adhuc viuent, ſimul morientur, aut rapientur in aera cum Chriſto, vt D. Paulus ait 1. ad Theſſal. 4. 17.

Deo cordi ſunt operarij. Cordi autem fuiſſe Domino, laborantium & ærumnoſorum patrono illam pro operariis latam legem, oſtendit illis repetitio, non ſemel facta.

Deut.24.14. Deuteronomii 24. 14. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui: ſiue aduena, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt. Sed eadem die reddes ei precium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam, nec clamet contra te ad dominum, & reputetur tibi ad peccatum.* Quod hic dicitur, *Eadem die reddes ei pretium laboris:* In Leuitico dictũ erat, *Non morabitur opus mercenarii vſque mane:* ſed idem plane ſunt ſenſu, verbis diuerſa: opus enim accipitur, pro pretio operis, Græce Opus, pretium operis. Μισθός. Μισθὸς. vt Pſalmo. 108. 20. *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi:* id eſt, *merces. Iob. 7. 2. Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui.* Hebraice ſimpliciter, *opus*, vt ibi notat Pineda, ſed per ſynecdochem ſignificatur, merces operi debita, vel opus ipſum ſubſequuta. Iacobi 1. 4. *Patientia perfectum opus habet*, id eſt, *præmium*, quæ eſt probabilis expoſitio, præter quatuor alias, quas ſibi enumerat Nicolaus Serarius. Iſaiæ 32. 17. *Et erit opus iuſtitiæ pax*, hoc eſt *merces*, per metonymiam, vt ibi adnotat Caſpar Sanctius. Eadem phraſi dicitur in S. S. *labor*, pro re adquiſita labore & induſtria: *Petitio*, pro re obtinenda, vel obtenta per petitionem: *Commutatio*, pro pretio commutationis, vel contractus commutandi. Matth. 16. 26. *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua*, Græce, ἀντάλλαγμα compenſatio.

Dum prohibet ergo DEVS, ne moretur opus mercenarii apud conductorem vſque mane, vt eſt in Leuitico præcipit, vt eodem die reddatur merces locationis, ante ſolis occaſum, vt eſt in Deuteronomio: ſeu vt non occidat ſol ſuper eo, nempe, operario, ita vt non ei ſatisfiat: vel ſuper precio: eſt enim μισθὸς, & Hebraic. שכר *Secher* generis maſcul. לא תבוא עליו השמש *lo thauo bhalau haſſemes:* Gr. ἐπιδύσεται ὁ ἥλιος ἐπ' αὐτῷ quod notauit Ioannes Lorinus n. in Leuiticum ſimili loquendi formula iubetur veſtimentum pignoratitium reddi non habenti aliud in quo dormitat ante ſolis occaſum Exod. 22. 26. *Si pignus à proximo tuo acceperis, veſtimentum*

ante

ante ſolis occaſum reddes ei. Ipſum enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum; Si DEO adeo curæ ſunt operarii egentes, & ipſorum accelerata remuneratio, quis ſibi perſuadeat legiſlatorem iuſtiſſimum mercenariorum ſuorum mercedem differre in multas annorum centurias, imo aliquot millia, & fidos in vinea ſua cooperatores ſpe tamdiu dilata adfligere?

Exod. 22. 26. 27.

Gaudebam in argumenti huius contemplatione, &, vt verum fatear, mihi quodammodo adplaudebam, & gratulabar, vt de præclaro quodam inuento, quaſi parens huius fœtus, quem, dum tanquam vrſinum partum, lambo, alioſque interim voluo auctores, animaduerto, quod frequenter ſum expertus, nihil eſſe verius in hoc genere Comici effato.

Nullum eſt iam dictum, quod non dictum ſit prius.

Terent. Eunuch.

Obſeruarunt enim ante me alii hanc probationis energiam. Imprimis Cardinalis Bellarminus lib. 1. de ſanctorum Beatitudine c. 6. DEVS, inquit, Leuitici 19. ſcribi iuſſit. *Non morabitur apud te opus mercenarii tui vſque mane.* Ergone DEVS contrarius ſibi ipſi videatur non retinebit mercedem ſanctorum vſque ad mundi conſummationem. Quod totidem verbis habet Ioa. Lorinus commentario in illum verſum Leuitici.

Bellar. lib. 1. de SS. Beatitud. cap. 6.

Ioan. Lorin. in Leuit.

Vbi etiam Leonardus Marius, *Hinc colligo,* inquit, *paratam iuſtis apud* DEVM *mercedem ſuam ſtatim vbi opus ſuum diurnum finierint: id eſt, ad extremum huius vitæ: neque differri ſolutionem vſque in generalem reſurrectionem, vt quidam ſenſerunt, ne videatur is, cuius merces cum ipſo eſt tardior ad ſolutionem, quam hominibus ipſe præſcripſerit.*

Leonar. Mar. in Leuit.

Videntur eiuſdem argumenti vim attendiſſe, vel inſinuaſſe ij Patres, qui dum Beatitudinem iuſtorum animabus ſtatim à funere adſcribunt, laboris mentionem faciunt, quaſi quia propter laborem ſuſceptum donatur, differri non debeat. Nam hanc illationem continere videtur lex Deuteronomii. *Pretium laboris eſt. Ergo reddes eadem die ante ſolis occaſum.* Viſio beata DEI, homineſque beatificans, ſeu gloria cæleſtis pretium laboris eſt iuſtorum. Ergo reddenda eadem die qua operi finis imponitur, ante ſolis iuſtitiæ, in extremo die, in improbis perpetuum occaſum.

Pretium laboris non retinendum.

Huiuſmodi collectionem odorari mihi videor in pulcherrima cohortatione Patrum Concilii Francofurtenſis, quæ habetur in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, vbi monent vt intra limites maiorum ſuorum ſe contineant: *Quorum* (inquiunt) *animæ apud* DEVM, DEI *Filium dominum* N. IESVM CHRISTVM pro *magno pietatis labore regnāt in cœlis. Hos ergo tota animi virtute, toto caritatis adfectu ſequimini, cariſſimi fratres, vt horum inconcuſſa firmitate doctrinæ adhærentes, conſortium æternæ beatitudinis donante vero & proprio* DEI *filio domino* n. IESV CHRISTO *cum illis mereamini habere in cælis.*

Concil. Francofurtenſe.

Vtitur eodem vocabulo S. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam de obitu Leæ. *Nunc,* ait, *pro breui labore æterna beatitudine fruitur: excipitur angelorum choris,* CHRISTVM *ſequitur, & dicit, quæcunque audiuimus, vidimus in ciuitate domini virtutum.* Si quæſiſſes à Hieronymo, cur Lea tam cito frueretur beatitudine æterna; dixiſſet, quia pretium eſt laboris, ideoque reddendum quantocyus poſt finem operis.

Eandem vim agnoſco in illis Auguſtini verbis lib. 20. de ciuitate cap. 23. *Animæ victrices glorioſorum Martyrum, omnibus doloribus,* ac laboribus *ſuperatis, atque finitis, poſteaquam mortalia membra poſuerunt, cum* CHRISTO *vtique regnauerunt, & regnant.* Et B. Maximus Taurinenſis Homil. de Sancta Agnete: *Ille nobis tribuat indulgentiam peccatorum, qui tibi omnium tuorum* laborum *tribuit* PALMAM.

S. Aug. lib. 20. de ciuit. cap. 23.

Ad idem probationis genus ſpectat illorum ratiocinatio, qui proborum ſpiritibus felicitatem gratulantur, quia fortiter depugnauerunt: ex eo enim colligunt, coronis eſſe inſignitos, accepiſſe brauium, præmio eſſe donatos, quod non eſt aliud, quam, quoniam ſtrenuè laborarunt, mercedem operum non fuiſſe dilatam. Nam corona, brauium, torques, præmium militum & athletarum, ſunt ſalarium, ſtipendium merces operas in militia locantium.

Irenæ. lib. 1. cap. 2. Huc tendit illud Irenæi lib. 1. cap. 2. *Iuſtis & æquis, & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco* MVNERIS (id eſt, mercedis) *confert & claritatem æternam circumdat.* Diuidit iuſtos in duas claſſes, in vna ſunt, quibus ſtatim donatur vita beata, vt infantibus mox à baptiſmo decedentibus: vt martyribus pro CHRISTO occumbentibus: vt perfectis & nulla vel venialis culpæ macula fœdatis: Altera continet eos, qui non niſi poſt pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem in futuro ſeculo præſtitam, mercedem accipiunt.

Cypr. lib. 4. Epiſt. 2. Simile quid inſinuat Cyprianus mercedem nominans dum ad Antonianum ſcribit in hunc modum. *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem: aliud ſtatim fidei & virtutis* MERCEDEM *accipere: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia paſſione purgaſſe.*

S. Epiph. Hær. 78. Brauia vocat Epiphanius, qui, *ſancti ſunt*, inquit, *in honore quies ipſorum in gloria, perfectio hinc in perfectione, ſors ipſorum in beatitudine, in manſionibus ſanctis, tripudium cum Angelis, diæta in cœlo, gloria in honore incomparabili & perpetuo,* BRAVIA *in* CHRISTO IESV *Domino noſtro.*

Euſeb. lib. 4. Hiſt. cap. 14. Atque ita Euſebius Polycarpum dicit per mortem, immortalitatis præmia iam adeptum. Hæc autem immortalitas, quæ animæ, ſua natura immortali datur, haud dubie eſt beatitudo.

S. Io. Damaſc. Coronarum ac præmiorum, apud plures eſt mentio. Damaſcenus in hiſtoria de Barlaam & Ioſaphat circa finem. *Vultui Domini nitidè, & purè præſentatur, illiusq́; gloria iam ante promiſſa ſibi corona exornatur.* *Cyp. Exhor. Mart. cap. vlt.* Cyprianus lib. de Exhortatione Martyrii. *Quis non omnibus viribus elaboret; vt cum* CHRISTO *ſtatim gaudeat; vt poſt tormenta, & ſupplicia terrena, ad* PRÆMIA *diuina perueniat?*

Proſper libr. 1. de vita contempl. cap. 1. Proſper Aquitanicus lib. 1. de vita contemplatiua. *Quia ſecundum Scripturæ ſacræ Sermonem,* tota humana vita tentatio eſt ſuper terram, *tunc eſt tentatio finienda, quando finitur & pugna: & tunc eſt finienda pugna quando poſt hanc vitam pugnæ ſuccedet ſecura victoria; vt omnes milites* CHRISTI, *qui vſque in finem vitæ præſentis diuinitus adiuti ſuis hoſtibus infatigabiliter reſtiterunt, laborioſa iam peregrinatione tranſacta regnent felices in patria. Cuius hoc erit totum* PRÆMIVM, *vt vita contemplatiuæ ſemel compos effecta, inexplebiliter, auctorem beatitudinis ſuæ conſpiciat, de illo gaudeat, de illo, quod ſperauit obtineat: & in eo, ad quod ſanctè viuendo peruenerit, ſine fine permaneat.*

Sulpit. de obitu S. Martini. Sulpitius in Epiſtola ad Aurelium Diaconum de obitu S. Martini. Quanquam ſciam virum illum non eſſe lugendum, cui poſt deuictum, triumphatumque ſeculum, nunc demum reddita eſt CORONA iuſtitiæ.

Similes ſunt aliorum Eccleſiæ Doctorum loquendi formulæ in aggratulationibus, quibus iuſtorum animis felicitatis conſequutionem fauere ſe demonſtrant, & ex laboris in hac vita ſuſcepti ad finem diei conſtantia colligunt, mercedem operationum induſtriæ debitam in aliud tempus non fuiſſe reiectam. Sed cur ambages

ratio-

Digitized by Google

rati ocinationum ſequimur & hominum ſuffragia colligimus, cum id ſimplici effato, quod in diuinis oraculis continetur, conficere liceat? Quid clarius ad hanc rem illo

Eccleſiaſtici 11. 28. *In die bonorum ne immemor ſis malorum: & in die malorum ne immemor ſis bonorum, quoniam facile eſt coram* DEO *in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vires ſuas.* Hoc loco hortatur Eccleſiaſticus mercenarios DEI vt diligenter operam ſemel locatam impendant. quod ſi fecerint, ſpondet fore, vt ad vitæ veſperam copioſam mercedem recipiant. DEVS enim non vt moroſus & tenax Euclio, ſed vt liberaliſſimus, & tantum non prodigus Pater-familias, ſumma facilitate, expeditus, ac hilaris mercedem cuilibet debitam ſolet reddere. *Eccle. 11. 27. 28.*

Hunc enim ſenſum continet aduerbium, *facile*, quod fruſtra ad poſſibilitatem tantum detorqueas, quaſi poſſit DEVS reddere, ſi velit. Si enim poſſet reddere & nollet, retraheret potius ea ſententia ſapiens à bonorum operum exercitio, quam vt impelleret. Hoc autem illi erat propoſitum. Quare bene obſeruat Cornelius Ianſenius, hoc pronunciato confutari errorem, & hæreſim eorum, qui ante generalem diem iudicii, & omnium reſurrectionem, aſſerunt, neminem recipere mercedem, quam promeruit, cum aperte, DEI ore dicatur, DEVM in die obitus & mortis vnicuique reddere quod meruit. *Cornel. Ianſen. in Eccl.*

Nec te turbet, quod eo tempore, quo ſententiam hanc protulit Eccleſiaſticus, non daretur retributio denarii beatitudinis in die obitus, ſed ſolummodo requies in ſinu Abrahæ. Eſt enim ſapientis enunciatum indefinitum, ac proinde intelligendum iuxta temporum diuerſitatem. Tunc autem, cum nondum orbis reparatur CHRISTVS cœli aditum reſeraſſet, mirum non eſt ſi viſionis beatæ retributio differretur. Hoc enim poſtulabat temporis ratio, & principis operarii flagitium, ob quod merito ad talem dilationem damnata erat poſteritas, donec abolita ſeueræ illius punitionis lege, alia ex miſericordiæ decreto conderetur, ab illo, qui à Patre iudex conſtitutus viuorum & mortuorum redditurus erat *vnicuique in die obitus ſecundum vias ſuas*: hoc eſt ſtudia, opera, & laborem ſuum. Plura ſunt ad hunc titulum ſcripturæ diuinæ teſtimonia, ſed non eſt noſtri inſtituti ex aliis, quam ex locationis contractu & quæ illum ſpectant, catholicam veritatem ſtabilire. Quæ autem eatenus protulimus, ad conuentionem illam pertinent. Cuius naturam vel ignoraſſe, vel minus quã oportuiſſet, perpendiſſe videtur Lactantius Rhetoricæ magis, quam juris diuini conſultus, dum ſcripſit, operarios magni Patrisfamilias, finito opere in cuſtodia detinendos, donec poſt multa ſecula de mercede decidatur. *Nec quiſquam putet, inquit, animas poſt mortem protinus iudicari. Nam omnes in vna communique cuſtodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus judex meritorum faciat examen.* Eadem contractus inſcitia laborauit Euthymius, qui in caput 16. Lucæ, narrationem de Lazaro & epulone vult eſſe parabolam, qua deſignetur, quid futurum ſit poſt diem iudicii. Et in cap. 23. ſcribit: *Tunc quidem dedit ei conuerſationem in Paradiſo tanquam* arrhabonem *regni ſui, quod eſt fruitio inenarrabilium, ac æternorum bonorum.* Arrhabo ad contractum pignoratitium ſpectat, qui cum locationis obligatione non eſt confundendus.

His adde Victorinum ſanctum martyrem, ſed minus eruditum Theologum, vt S. Hieronymus ſcribit. Epiſtola ad Magnum. Is in cap. 6. Apocal. *In nouiſſimo, inquit, tempore ſanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura eſt remuneratio.*

Magis mirum Tertullianum Afrum, qui toties, vt fidus antiquitatis teſtis nominatur *Tertullianus* IC.

minatur in eundem impegiſſe ſcopulum, cum teſte Euſebio Romanus fuerit, ſitq; in ſcriptis ſuis quamuis Theologicis, verborum iuris retinentiſſimus, imo non deſint magni nominis & eruditionis I. C. quibus tamen cum doctiſſimo Pamelio non aſſentior, qui hunc ipſum Tertullianum eſſe putent illum à quo celebre illud Senatusconſultum Tertullianum.

Pamel. in vita Tertull. initio.

Paradoxum Tertulliani.

Ille autem Afer primus fuiſſe putatur, qui mercedis operatiis debitæ dilationem docuerit. Inter paradoxa illius recenſet Pamelius: *Animas ſanctorum in ſinu Abrahæ, ſiue ſub altari, ſeu loco, non cæleſti, ſed tamen inferis ſuperiori foueri & gaudere ad diem vſque iudicij.*

Apolog. cap. 47.

Huius intuitu, Paradiſum, vocat, locum diuinæ amænitatis recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceria quadam igneæ zonæ à notitia orbis communis ſegregatum. Et lib. 4. contra Marcionem cap. 34. *Apparet ſapienti cuique, qui aliquando Elyſios audierit, eſſe aliquam localem determinationem, quæ ſinus dicta ſit* Abrahæ, *ad recuperandas animas filiorum eius, etiam ex nationibus, patris ſcilicet multarum nationum in Abraha cenſum deputandarum, & ex eadem fide qua & Abraham* DEO *credidit, nullo ſub iugo legis, nec in ſigno circumciſionis.*

Sinus Abrahæ Tertulliano.

Eam itaque regionem, ſinum dico Abrahæ, *etſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus iuſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat.*

Anima Candidata mercedis.

Candida anima.

Libro autem de anima cap. 58. ex profeſſo conatur probare: omnem animam eſſe penes inferos, & puniri malam, foueri bonam, *interim ſub expectatione vtriuſque iudicii in quadam vſurpatione & candida eius.* Ergo candidata eſt vel in ſinu Abrahæ, vel Paradiſo, vel Elyſijs anima. Annuit Tertullianus. At quid ambit? quid penſat? Mercedem, inquiet. At qui hæc illi eſt debita ex contractu locationis, poſt operum diem, ad locationis veſperam reddenda. Quam ille vapularet à Iuriſconſulto, qui mercenariis diurnis, euoluto die, ablegandos diceret ad refrigerii locum, ſub expectatione ſententiæ Patrisfamilias, in quadam vſurpatione & candida mercedis. Quis vnquam operarium, exacto labore, candidatum mercedis, expectatione torqueri debere aſſeruit? Candidatum lego conſulatus, præturæ, quæſturæ, quia petitur, ambitur, ſperatur dignitas, quæ iure contractus non debetur: à cuius conſequutione poteſt depelli qui illam poſtulat: quam donatione accipiet, non emptionis vel locationis titulo. In mercede alia eſt ratio, cuius candidam circumfert, quiſquis ex pacto, operam diligenter nauat. quod in hac vita contingit, in qua candidati ſumus immortalitatis & gloriæ: in altera merces danda eſt, non candidæ iniectis ſpes fallenda. Hoc ius *locationis* exigit.

Mercedem anima præoccupat.

Contra cuius conditionem tamen cenſeri non debet, ſi mercedem anima occupet, corpore, quamuis conſorte operarum, ad vltimum, vſque magni iudicii diem, in terræ abditis receptaculis ſoporato ac præſtolante. Nam merces locationis, vel in pactum venit, locantis & conductoris arbitrio: vel lege principis, aut reipub. ſtatuto eſt taxata. Quis autem ignorat legem, qua ſtatutum eſt omnibus ſemel mori? fide vero didicimus, corporum reſurrectionem, nonniſi in ſupremo orbis die futuram. Quare qui DEO mercedis intuitu operam locat, ignorare non poteſt, eam non niſi partitim reddi poſſe. Igitur in illud vel expreſſe vel tacite conſentit. Ex ipſa itaque contractus natura eſt quod anima prius, quam corpus mercede donetur.

Anima principaliter con-

Et quid mirum? Anima princeps eſt operationum bonarum cauſa. Anima de ſuo

de ſuo ſibi ſufficit ad meritum neč corporis conſortium poſtular. Nonne meritum & demeritum in ſolo voluntatis eſt electione? Itaque & in ſola anima. Corpus inſtrumenti vicem gerit. Quoties, heu! illæſo corpore anima ſola torquetur triſtitia, mœrore, tædio. Idem in punitione contingit: quia non omnia crimina cum carnis miniſterio anima patitur. Nam & ſolos cogitatus, & nudas voluntates cenſura diuina perſequitur. Qui viderit ad concupiſcendum, iam adulterauit in corde. Ergo vel propter hoc congruentiſſimum eſt, animam, licet non expectata carne, puniri, quod non ſociata carne commiſit. Sic & ob cogitatus pios, & beneuolos in quibus carne non eguit, ſine carne, mercede prius recreari par eſt. Quid? quod in carnalibus prior eſt, quæ concipit quæ diſponit, quæ mandat, quæ impellit. Et ſi quando inuita, aut non prompta, prior tamen tractat, quod per corpus actura eſt. Nunquam denique conſcientia eſt poſterior facto. Ita huic quoque ordini competit etiam, priorem penſare mercedem, cui priori debetur. *Mat. 5.*

Meritum ad meritum.

Adderet Philoſophus, graduum metaphyſicorum ſector. Non eſſe in homine duo ſuppoſita, quorum alterum, corpus; alterum, anima nec ſeparatim cum alterutro contractum celebratum, ſed coniunctum cum vno indiuiduo, cuius ſi altera pars ex conditione naturæ, aut peccati demerito, incapax ſit mercedis, non poteſt cenſere ſuam iniuriam, ſi in comparte remunerationem etiam ipſa accipiat. Melius enim hoc ſibi iudicaret; ſi poſſet vti iudicio, quam ſi neutra bearetur. *In homine vnum ſuppoſitum.*

Mercedem tandem & corpus accipiet, communi ſolutionis die, quem Iudicii appellamus: Remunerationis perfectæ, completæ, vel conſummatæ dici poſſet. Quo reſpexerunt Patrum plerique qui à veritatis hoſtibus nominatur. Dum enim inſinuant differendam iuſtorum mercedem vſque ad Reſurrectionem loquuntur de retributione beatitudinis ac gloriæ extrema ac perfecta, nimirum corporis & animæ. Nam tum ex aliis diuinæ Scripturæ locis, tum ex Ioanne in Apocalypſi, vbi vidit animas Martyrum ſub altari indutas ſtolis albis, quibus dictum eſt, vt requieſcerent, donec impleretur numerus conſeruorum ſuorum; diſtinxerunt ſtatum animarum ſine corpore ad futurum vſque iudicium, à ſtatu perfectiori animarum cum corporibus poſt reſurrectionem vniuerſalem, & remunerationem tunc fore inſinuarunt, intellige, conſummatam. *Dies iudicii, Remunerationis. Apoc. 6.*

Quod alicubi etiam Tertullianus inſinuat. Nam lib. de anima cap. 56. ſic ſcribit. *Dicimus omnem animam quaqua ætate deceſſerit, in eo ſtare ad eum diem, vſque quo perfectum illud repromittitur, ad Angelicæ plenitudinis menſuram temperatum.* Cui ſimilis eſt illa ſententia Auguſtini Epiſtola 111. ad Fortunatianum: *Secundum apertiſſimam Domini ſententiam etiam ipſe ſentit* (Hieronymus) *tunc viſuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus: id eſt, æquales Angelis facti fuerimus, quod erit vtique in reſurrectione mortuorum.* Nempe tunc ſancti homines perfectiſſimè Deum videbunt, cum Angelis ſimiles fuerint: quod nunc non contingit. Nam Angeli toti ſunt viui ac immortales: Sancti partim viui, nimirum, anima, partim mortui, ſcilicet, corpore. *Merces conſummata.*

Sed Patrum explicatio ac defenſio ad Theologum ſpectat: IVRIS-CONSVLTO ſat fuerit, ex contractu locationis, & legibus illi adnexis tanquam ex proprüs Catholicam aſſertionem ſtabiliuiſſe. At illud in nos contorquent aduerſarii, quod Paterfamilias, contractus ſui non immemor, iubeat ad veſperam adnumerari mercedem. Per veſperam autem intelligi debet, Reſurrectio & iudicii dies. *Veſpera quid in parabola Euang.*

Digitized by Google

Gabr. Vaſquez 1. 2. diſp. 19. c. 5.

Quid veſperæ ſymbolo deſignetur, optimo & ad rem noſtram accommodato interpretamento ſuperius clare enunciauimus. Adiiciam quid alii ſentiant. Putant plurimi veſperam, emblema eſſe parabolæ, quod nihil peculiare ſignificet. Sunt enim iſtiuſmodi non pauca in ſymbolicis fictionibus, vt alibi demonſtro. At, ſi habeatur, vt pars ſignificatiua, reſpondet Gabriel Vaſquez, per veſperam non ſignificari diem iudicii vniuerſalis: nec vllum ita exponere.

Maldon. Matt. 20.

Bellar. l. 1. de Beatit. SS. cap. 3.

Metuo, vt probare poſſit dictum adeo confidenter vniuerſale. In contrarium certe æque animoſe abit Maldonatus. Nemo, inquit, dubitat finem mundi & vltimi iudicii tempus declarari per veſperam. Aliis id probabile eſt, inter quos Bellarminum numero, qui hoc temperamento vtitur, vt per veſperam ſignificetur iudicium vniuerſale, quo publice reddatur omnibus perfecta merces; non tamen excludendo particularia iudicia Dei, quibus in obitu vniuſcuiuſque redditur ſingulis priuatim pars mercedis. Vel dic, ad veſperam iudicii extremi, dari mercedem conſummatam; ad veſperam mortis cuiuſque, mercedem non omnibus partibus perfectam. Nam vt recte monet Papa Gregorius. *Beatitudo, & animabus ſanctorum ante reſurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus poſt iudicium conferetur*: & tunc beatitudo erit cumulatiſſima. Siquidem, vt commentatur V. Beda. *Singulas modo ſtolas habent animæ de ſua beata immortalitate gaudentes: reſurgentibus autem corporibus iuxta Iſaiam, in terra ſua duplicia poſſidebunt.*

Greg. n. Pap. in Pſal. 4. pœnit.

Beda in cap. 6. Apocal.

Tractant hanc controuerſiam D. D. Scholaſtici in 4. diſtinct. 49. S. Thomas opuſculo contra Græcos. Interpretes illius 1. 2. Quæſt. 4. Gabriel Vaſquez Diſp. 19. Valentia, Medina, Ioannes de Satas, Martinus Becanus Quæſt. 12. Robertus Bellarminus Lib. 1. de SS. Beatitudine permulta capita. Iacobus Pamelius in Paradoxis Tertulliani.

OECONOMICA.

Dominica Septuageſimæ.

COMMENTATIO VII.

Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Jacobi 5. 4.

Docetur Paterfamilias, quomodo iura contractus locati & conducti ſeruanda ſint. Contra fraudatores mercenariorum.

Cura de mercede operariorum.

MAior videtur fuiſſe cura patrisfamilias Euangelico, quem nobis in exemplum viri probi ac iuſti proponit CHRISTVS, vt bene eſſet operariis, quam vt ſibi omnia è voto ſuccederent. Nam aduesperaſcente die, non vocat Oeconomum, vt quærat, num arua copioſam meſſem ſpondeant, num in vinea nihil deſideretur ad vbertatem, num quid factum ſit eo die pro ſe & familiæ compendii; non, vt ſibi cœnam adparet, thorum diſponat, culcitram excutiat: non, vt de neceſſariis familiæ prouideat, rationes acceptorum & expenſorum conficiat, ſibi deſeruiat: ſed vt operariis mercedem reddat.

Cum ſero factum eſſet dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios & redde illis mercedem.

Hoc

Hoc poſtulat iuſtitia, præſcribunt leges, ius omne requirit.

Matth. 10. 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Quod Lucæ 10. 7. dicitur, *dignus eſt operarius mercede ſua.* Idemque totidem verbis habetur. 1. ad Timoth. 5. 18. Igitur mercede fraudari non debent. De quo, ſi contractus locationis ſit initus, dubitare nemo poteſt, nam tenetur conuentione aut pollicitatione ſua quilibet; ambigeret fortaſſe quiſpiam ſi pactum non interceſſiſſet. Non ambigit Iuriſconſultus Chriſtianus, qui adſentitur Theologo, adfirmanti; ſi quis operam ſuam alicui addicat, illumque dominus admittat, vt inter mercenarios numeretur, etiamſi nulla facta ſit conuentio, nec mentio de mercede, nihilominus dominum teneri mercedem in ea regione ſolitam perſoluere: vt iudicat Azorius N. aut dare ſtipendium ad infimum mercedis iuſtæ, vt pronuntiat Leonardus N. Leſſius. Nam operarius, ſi non verbo, tacitè ſaltem videtur operas ſuas locare, eo pacto, vt conſuetam mercedem accipiat. Nec enim cenſetur laborem ſuum gratis velle impendere, maximè ſi egeat & vitam operarum elocatione toleret: ſed mens illius eſt vt Dominus perſoluat quod æquum & iuſtum ei viſum fuerit.

Operantes digni mercede.
Ea perſoluenda.
Ex pacto.
Sine pacto.
Ioan. Azor. Tom. 3. Lib. 8. cap. 13 q. 1.
Leonard Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 24. Dub. 4. §. ſequitur.

Nec eſt differenda ſolutio vltra tempus in contractu expreſſum, vel conſuetudine receptum. Quod variis loquendi formulis in diuina Scriptura declaratur: ſed ſemper iis, quæ velocitatem, promptitudinem & ſingularem alacritatem indicent. Interdum id præcipitur adiuncto aduerbio, *ſtatim*. Ita ſenior Tobias iuniori mandabat: *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue Et merces mercenarii tui, apud te omnino non remaneat.* Aliquando deſignato præſentis diei veſpere: vt Leuitici 19. *Non morabitur opus mercenarii tui, apud te vſque mane:* Ergo ante noctem reddenda fuit merces: nam nocte concubia nemo creditori ſoluit. Nonnunquam determinata diei parte ante veſperam, vt Deuteron. 24. *Eadem die reddes ei pretium laboris ſui, ante ſolis occaſum.*

Non differenda ſolutio.
Tobiæ 4. 15.

Quod ſi denegetur, vel vltra conditum detineatur, mirum eſt, ac penè incredibile, niſi diuinis conſtaret oraculis, quam ægrè ſe id ferre, quamque deteſtari Deus ſignificet. Horribilis eſt illa Iudicis ſeueriſſimi in iſtiuſmodi ſordidos mercenariorum defraudatores comminatio.

Peccatum mercedis negata, vel detenta.

Malachiæ 3. 5. *Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox* maleficis, *&* adulteris, *&* periuris, *& qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Quo loco texitur catalogus flagitioſiſſimorum hominum, & maxima enumerantur ſcelera, inter quæ inſinuatur eminere *calumniari*: id eſt, vt in paraphraſi ſua exponit Chriſtophorus Caſtrius, *vſurpare* quod idem eſt, ac non reddere, detrahere, defraudare, & in Hebræo eſt וּבְעֹשְׁקֵי שְׂכַר שָׂכִיר *behhoſceke ſechar ſachir*, vbi participium ad calumniam reſpicit. Græcè ἐπὶ τοὺς ἀποστεροῦντας μισθὸν μισθωτοῦ: Super eos qui priuant ſeu fraudant mercedem mercenarii, & huiuſmodi defraudator componitur cum maleficis, adulteris periuris, viduarum, pupillorum, & peregrinorum oppreſſoribus, contra quos ſe teſtem præſentiſſimum fore, idem, qui iudex eſt interminatur.

Malach. 3. 5.

At quomodo, & vbi? Referunt id Rupertus, Montanus & Caſtrius N. ad priorem CHRISTI aduentum. Reſpondens enim Propheta illi impiorum quæſtioni: *Vbi eſt* Deus *iudicii*? cum dixiſſet adeò grauem ac terribilem venturum Dominum Chriſtum, vt coram illo nemo ſubſiſtere poſſit: deinde id explicare videtur clarius, docendo quidnã facturus ſit circa illos, qui nollent oblata miſeratione

Chriſtus ſtus in primo aduentu.

L 2 vti.

vti. venturum ſcilicet ſe in iudicio, tanquam, qui eos ſit condemnaturus, vt tanquam teſtis feſtinus, & oculatus videat, ac notet vitioſiſſimos quoque. Quod Christo etiam in priori aduentu aptari poteſt quando idcirco *butyrum*, *& mel* *Iſa.7.22.* comedit, *vt ſciret reprobare malum & eligere bonum.* Iſaiæ 7. Quemadmodum autem olim legitur deſcendiſſe Devs vt videret an res ita ſe Sodomæ & Gomorrhæ haberet, vt clamor pertulerat ad Dei aures. Geneſ. 18. Ita dici poteſt, filium hominis veniſſe in mundum, vt oculis conſpiceret grauiſſima hominum crimina, inter quæ haud poſtremum, operariorum merces detenta, eaque ſua prædicatione damnaret & exſcinderet.

Reliqui tamen interpretes, D. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Haymo, Albertus & Hugo inſinuant id fore in altero aduentu Christi, quando venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Quod ſentiunt Lyranus, Dionyſius, Vatablus. Coniungamus vtrumq;, & dicamus Christvm in priori aduentu fuiſſe ſpectatorem, *Ioa. 12.48.* in poſteriori idcirco fore teſtem, ac iudicem. *Sermo, quem locutus ſum*, inquit apud Ioannem, *ille iudicabit eum in nouiſſimo die.* Et, *ſi non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, pec-* *Ioa. 15.22.* *catum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*

Non minus acerba eſt imprecatio, vel comminatio illa apud Ieremiam: *Væ qui æ-* *Inuectiua in Ioakim.* *dificat domum ſuam in iniuſtitia, & cœnacula ſua non in iudicio, amicum ſuum opprimet fru-* *Ierem. 22.13.* *ſtra, & mercedem eius, non reddet ei.* Quam inuectiuam fulminatam eſſe contra Ioakim filium Ioſiæ obſeruat D. Hieronymus aliique interpretes. Cum autem de hoc rege dicatur generatim

IV. Regum 23.34. *Fecit malum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.* Et

II. Paralip. 36.5. *Fecitque malum coram Domino DEO ſuo.* Vt intelligatur, quid potiſſimum in oculis domini diſplicuerit, & abominabilem fecerit Ioakimum, Propheta maxime enormia eius crimina recenſet: inter ea autem, vt maxime capitale, primo loco exaggerat, quod iniuſtis, inhoneſtiſque vſus rationibus, labore ac operis proximi gratis fuerit vſus: *Amicum ſuum opprimet fruſtra*, inquit Ieremias, Hebraice, *in amico*, aut, *in ſocio ſuo ſeruiet*: id eſt, vt bene exponit Chriſtophorus à Caſtro N. vtetur operis, aut ſeruitio proximi ſui abſque mercede, quam perſoluat. Quem ſenſum exprimunt LXX. Chaldæus, Tigurina, Vatablus. Nam idcirco Propheta ſubdit quaſi per declarationem: *Et mercedem eius non reddet ei* Quamuis S. Hieronymus, Rabanus, Thomas, Lyra, & Dionyſius ſimpliciter & vniuerſe de amicorum oppreſſione id capiant. Quod admittam libenter, ſi intelligatur, in eo fuiſſe quod cogeret Rex ſeruire operarios in ſuis ædificiis abſque mercede ac *Leuit. 19.* precio, contra præceptum domini de contractu locationis, *Non remanebit merces mercenarii tui vſque mane.*

Ecc. 34.26. 27. Idem ſcelus (ſic enim nominandum eſt) miris modis amplificat, fidelium communis exhortator Eccleſiaſticus, miſcens documēta œconomica Patribusfamilias diligenter inculcanda. *Non lædat ſeruum in veritate operantem: neque mercenarium,* *Eccl. 7.* *dantem animam ſuam*; Hoc eſt, qui tibi operas ſuas locauit, & ſeruit fideliter, non ad oculum, nec mendaciis te circumueniens, aut tibi imponens: illum etiam *Mercenarius dat animam.* mercenarium, qui ſe totum impendit operi, nec ſibi parcit, vt tuis commodis prouideat, ne *lædas*, ſiue plagis afficiendo, ſiue ſtipendio illis debito priuando. Græce eſt *κακώσῃς*: ne affligas, ne male tractes, ne iniuria afficias.

Parum

Parum quidem prohibet, inquit epiſcopus Gandauenſis, dum tales non vult *Corn. Ianſen.* lædi: ſed indicat, maximam eſſe impietatem, tales iniuria afficere: eamque impietatem cum in pleriſque duris dominis reperiatur, imprimis cauendam.

Poſtea Eccleſiaſticus, fraudatorem mercedis comparat homicidæ, nec minus *Panis, egentibus vita eſt.* peccatum putat operario mercedem ſubtrahere, quam vita illum ſpoliare. *Nam panis egentium vita pauperis eſt.* Victus tenuis, quem cotidiano labore egentes mercenarii lucrantur, vitam illorum ſuſtentat, ac proinde vitæ inſtar æſtimatur. *Qui defraudat illum*, ſubtrahendo numulos, quos mercedis loco numerare deberet, licet parum auferre videatur, *homo ſanguinis eſt*: id eſt, ſanguinarius, homicida: quoniam id tollit, quo ſubtracto, non habet operarius & quilibet egenus, quo vitam trahat, & quantum in ipſo eſt, mercenarium ſuum mactat. O crudelia viſcera! Notent id pauperum oppreſſores, egenorum emunctores, ſordidi patresfamilias, ruſticorum, vt Germani loquuntur, excoriatores.

Pergit Sapientiſſimus Eccleſiaſticus, & clauum eundem rundit iterato, vt firmius hæreat: *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit* mercenario, *fratres ſunt*. Græca ſine comparatione breuiter: *Qui aufert victum, occidit proximum: & effundit ſanguinem, qui priuat mercede* mercenarium. Sed comparatio nihil demit acrimoniæ: dum enim fratres dicuntur, qui effundit ſanguinem & fraudem facit mercenario, quid aliud ſignificatur, quam vtrumque vere homicidam coram DEO cenſeri, ac ſimiles eſſe in peccatis: ſeu eiuſdem generis ac grauitatis ſcelus committere. *Fraudator mercenarij, homicida.*

Quod ſibi perſuaſum habuere, haud dubie veteres illi Theologi, qui concorditer ſtatuerunt quatuor genera peccatorum in cælum clamantium. Nimirum homicidium voluntarium innocentis ac inſontis: Peccatum Sodomorum: Oppreſſionem viduarum, pupillorum, & pauperum: Fraudationem mercenariorum. Quæ collegerunt ex ſacra ſcriptura, in qua clamor iis adſcribitur. Homicidium quidem, ſeu parricidium Caini, Geneſis 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Peccatum vero Sodomiticum Geneſ. 18. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* De viduarum & pupillorum oppreſſione dicit DEVS Exodi 12. 22. *Vidua & pupillo non nocebitis: ſi laſeritis eos, vociferabuntur ad me: & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus: percutiamque vos gladio.* De operariorum mercede iniuſte detenta, & idcirco ad DEVM clamante eſt illuſtre teſtimonium Iacobi Apoſtoli cap. 5. 4. de quo poſtea. Itaque, cum *Peccata in cælum clamantia.* *Exod. 12. 22. 23.*

Clamitet in cælis vox ſanguinis, & Sodomorum:
Vox oppreſſorum, & merces detenta laborum.

Enormitas crudeliſſimi huius facinoris, tum ex comitatu, tum ex energetica proſopopœia penſanda eſt. Nec enim his quatuor criminibus ex omni contribulium ſuorum numero ſelectis, niſi ob peculiarem quandam, quæ in iis cernitur, malitiam, clamor adſcribitur. Qui quidem ſignificat tam inſignem, apertamque improbitatem: tam grauem proximo illatam iniuriam: tam luculentam ſocietati humanæ ac naturæ ipſi inflictam plagam; talem denique reatum, vt coram DEO comparere videatur, & illius iram ac vltionem non mereri ſolum: ſed celerem atrocemque acceſſere, & palam poſtulare, vt DEVS neutiquam diſſimulare poſſit. Ita animas Martyrum quæ in cælis ſunt, audiuit Ioannes, clamantes voce magna & dicentes, *vſque quo Domine (Sanctus & verus) non iudicas & non vindicas ſanguinem* *Pererius lib. 7. in Gen. Corn. Lap. Gen. 4. Delrio in Gloſſ. Leonard. Mar. Gen. 4. & 18. Apoc. 6.*

Retentio merced. homicidio par. *nem noſtrum de iis qui habitant in terra?* Graue ergo eſt crimen, retentio mercedis operariorum: quod homicidio æquiparatur. Non enim minus occidere videtur, qui alimenta denegit, quæ ſibi mercenarius tantum labore parat, quam qui alio modo occidit L. 4 de liber, agno, in P. Quare vterque impiiſſimus, & vt Mero ſcribit ἐν ταῖς ἀραῖς in execrationibus. Nec homicidio tantum, ſed & nefando contra naturam peccato: ſiquidem non minus in cælum clamore dicitur: & neſcio an non aliquanto ad irritandum vehementius. Audi Iacobum Apoſtolum.

Iacobi 5. 4. *Fraudata merces.* *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* In qua ſententia habent nonnulla vim maiorem, quam verborum cortex primo intuitu præ ſe ferat. Dicitur enim *merces* ab huiuſmodi iniuſtis detentoribus *fraudata.* Quomodo: *Non reddendo*, inquit Gloſſator & Thomas Anglicus, ſed *diminuendo*, vel *differendo reddere.* Qui editionem Syram tranſtulit, verbum [illegible] *telamthun* exponit, *peruerſe denegaſtis* Et eſt ſane magna iuris peruerſitas ſudore, ac vita pene ipſa emptam mercedẽ egenti ſubtrahere.

ἀπεστερημένος. Sed latet quidpiam in vocula, *fraudata*: quod fortaſſe eruet Græcum participium ἀπεστερημένος, quod ad Μισθὸν pertinet, & ſignificat fraude ſubductam. Quamuis autem fraus, apud Iuriſconſultos, ſignificet nonnunquam damnum quacunque ratione id faciat quiſpiam vel patiatur; item periculum, incommodum, pœnam: hinc fraudi eſſe, pro, damni cauſam dare: de quibus Barnabas Briſſonius in opere vtiliſſimo, de vocabulis Iuris: tamen hic *fraudare*, & *fraus* inſinuant malitiam hominis ſordidi, iniuriam atrocem, & ſubdolam rapacitatem, quæ *clamat*, inquit Iacobus. Sed clamoris vehementiam, & intenſionem indicat Græcum κράζει: imo frequentationem; eſt enim coruinum verbum: ſicut & [illegible] *kahbe*, quod collector Pentaglotti Onomatopœice quoque de coruis enunciari vult, ſed non tam perfecte ac alterum.

Clamor mercenariorum nubes penetrat. An fruſtra clamor deſerti mercenarii? *Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Nimirum clamor oppreſſorum, ideoque ſe coram Deo humiliantium *nubes penetrat, & donec propinquet non conſolabitur*; id eſt, non ceſſabit, nec deſiſtet, donec

Eccl. 35. 21. 22. 23. ad thronum iudicis peruenerit: *Et non diſcedet, donec aſpiciat Altiſſimus*: hoc eſt, donec cauſſæ æquitatem attenderit quis? ὕψιστος, καὶ κραταιὸς Altiſſimus, & fortis, nempe, *DEVS Sabaoth. Et Dominus non elongabit*: οὐ μὴ βραδύνῃ, non tardabit, iudicium non differet: non protrahet in tempus longum vindictam, vt pro dolor! in tribunalibus mortalium ſolet, in quibus tot ſunt pro operariis procraſtinationes, & contra illos exceptiones, vt pigeat accuſationis telam texere: *Sed iudicabit iuſtos, & faciet iudicium, & fortiſſimus non habebit in illis patientiam; Quouſque contribulet*, conterat, confringat, *dorſum ipſorum*: Græce ἀπελεημόνων, *immiſericordium*: qui ſine miſericordia panem ex ore mercenariis ſuis detrahunt.

Dominus Sabaoth. Non temere autem Iacobus addidit epithetum, Domino *Sabaoth*, ſiue vt ſignificet, clamorem fraudatæ mercedis peruenire ad Devm exercitibus angelicis circumdatum, qui ad vindictam ſemper ſunt expediti: ſiue vt denotet, nihil prodeſſe vllius potentiam oppreſſoris ad tutelam, cum vindicem habeat Deum, qui miſſis

Malach. 3. 5. exercitibus perdere poſſit extemplo infinitas hominum myriadas. Sic etiam in minaci increpatione apud Malachiam occurrit idem epithetum, pro quo Græce eſt παντοκράτωρ. *Omnipotens.*

Vindicta in crudeles Dominos. Et oſtendit non raro Devs Sabaoth ſibi cordi eſſe indemnitatem operariorum, & exaudire ſe clamorem mercedis defraudatæ, Pharao cogebat propriis

ſumptibus

ſumptibus laborare Iſraelitas, quos omnes habebat tanquam ſibi addictos opera- *Pharao.*
rios: præcipiebatque præfectis operum & exactoribus, dicens: *Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut prius; ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas, & menſuram laterum, quam prius faciebant, imponetis ſuper eos, nec minuetis quicquam: opprimantur operibus, & expleant ea.* *Exodi 5.* Crudele mandatum, quod exequuti ſunt exactores: flagellarique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſrael à præfectis Pharaonis dicentibus: *Quare non impletis menſuram laterum, ſicut prius, nec heri, nec hodie.* Sed exaudiuit citius Deus, quam Pharao voces operariorum defraudatorum, & poſt ſeueræ punitionis exempla, & immiſſas in Ægyptum omnis generis calamitates, pro coronide, *currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro.* Dextera Domini magnificata eſt; Dextera Domini percuſſit inimicum.

Locaſſe videri poterat Dauid operam ſuam & ſuorum militum ditiſſimo, ſed *Dauid.*
auariſſimo patrifamilias Nabal, quem Scriptura vocat *durum & peſſimum* & *malitioſum.* Nam operam dabat Dauid, ſe cuneus ne quicquam periret de grege Naba- *1. Reg. 25.*
lis: & pro muro erat tam nocte, quam die, paſtoribus. Eade cauſa mercedem petere poterat à ſordido diuite, petiit, dicens: *quodcunque inueneris manus tua, da ſeruis tuis & filio tuo Dauid.*

Abnuit arroganter nec ſine contumelia Nabal. Irritatus in humanitate Dauid vindictam ſumere parat, & niſi occurriſſet ſapientiſſima mulier Abigail, & præſtitæ operæ repræſentaſſet pretium, *non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.* Idem Rex humaniſſimus Amalecitas delerit, ad eos ductus ab Aegyptio ſeruo, quem illi deſeruerant ob ægritudinem. Adprobaſſe Deum faci- *1. Reg. 30.*
nus fauore declarauit, inſignem enim victoriam Dauidi ob ſuſceptum mercenarii derelicti patrocinium, & vindictã dominorum crudelium inhumanitatẽ viſus eſt.

Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis: habitauit inter gentes, nec *Iudæ mira punitio.*
inuenit requiem: omnes perſequutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias Threnor. 1. 3. *Threnor. 1. 3.*
Nobile punitionis grauiſſimæ in Iudæis exemplum, quos eiecit Deus è patria in exilium: voluitque eos inter gentes, quibus erant exoſi in continuo metu, ac mille periculis degere: nec hoc contentus, permiſit vt inibi à dominis quos fugere nitebantur, deprehenſi mactarentur. At cuius ſceleris commiſſi gratia? *Propter afflictionem & multitudinem ſeruitutis*: hoc eſt, vt exponunt Paraphraſtes Chaldæus, Richelius, Varablus, Clarius, Rabbini, quia nimia ſeruitute operarios ex Iſrael oppreſſerant, iis mercedem debitam denegarant, nulla erga illos humanitate fuerant.

Inter cetera munera mercenariis debita, erat poſt euolutum locatæ operæ cur- *Merces libertatis.*
riculum, merces libertatis, hanc crudeliter, Iſraelitis laborantibus Iudæi dare neglexerant, & datam nefarie retraxerant, hinc tanta regni totius calamitas. Quis crederet, tantam Deo eſſe curam de ſeruis & ancillis? Si vacillas, lege Prophetam Ieremiam cap. 34. Ibi Sedecias, vt Deum placaret, fœdus iniit cum populo, de ſeruorum mercede perſoluenda iiſque iuxta legem manumittendis, quaſi in *Lex Exodi*
hoc ſumma rerum conſiſteret. Quo facto receſſit exercitus Babilonicus ab obſi- *21. 1.*
dione. Sed vix vaſa collegerãt: en crudeles animas! Rex & populus fœdus initum *Deut. 25. 12.*
perfregere. Nam ſe iam liberos arbitrantes, reuocarunt ſeruos & ancillas: id eſt, mercedem datam ſurripuerunt, & priſtinæ ſeruituti mercenarios ſuos ſubiecerunt. Hanc ob rem, Dei iuſſu, prædicit illis Ieremias extremam vaſtitatem, & ea mala omnia, quæ Threnor. primo, verbis recitatis continentur.

Cui

Digitized by Google

Litera Gimel. Del. in Thren.

Cui verſiculo præponitur litera γίμελ, quæ Caninio, Hebraicarum vocum perito interpreti, idem eſt, quod *camelus* : Iamorenſi & Iſaaco , *retributio* : Patribus, *plenitudo*. Apre, vt obſeruat Delrius N. Nam Devs iuſte illa Iudæis qui in peregrinos duri fuerant, & in ſeruos, ac operarios ſuos, etiam fratres, immiſericordes, retribuit : vt plenitudine miſeriæ, quaſi ſarcinis, camelorum more, iugo ſeruili onuſti domo (*Beth* præceſſit) ſugere cogerentur.

Beth, Domus. Amos 6. 6.7.

Similem vindictam pro eodem crimine inſinuat Amos vbi minatur nihil patientibus ſuper contritione Ioſeph, fore vt migrent in capite tranſmigrantium. Nempe domini omni genere commoditatum abundant, lætitiis pleni incedunt, nihil ſibi detrahi patiuntur & ſibi ſeruientibus neceſſaria detinent, & mercede tot debita titulis priuant. *Qui dormitis in lectis eburneis*, inquit Propheta, *& laſciuitis in ſtratis veſtris : qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem Pſalterii: bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, id eſt, non compatiebantur *fratrum ſuorum ſeruientium , atque laborantium. Quapropter nunc migrabunt in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium.* Factionem vocat illos, vt notat Caſtrius, qui ad conuiuia celebranda ex condicto conueniunt, & ſub vno ſymbolo ac teſſera conuiuunt, & conſociantur, omnium, præterquam pauperum & operariorum ſuorum memores; hos diuina vltio, per hoſtes, in diuerſas regiones diſperget, vt ſeruire cogantur, qui ſeruorum ſuorum non ſunt miſerti. Ita talionem crudelibus dominis, reddit exercituum mitiſſimus Dominus, Devs Sabaoth.

Amos 6.4.5.

Clamor. Quinctil. lib. 6. Inſtit. ca. 1. & lib. 11. cap. 1. Propert. lib. 1. Eleg. 18. Catull. Cic. lib. 3. Epiſ. famil. Ep. 2. lib. 15. Ep. 11.

In cuius aures ingreditur, iuxta Iacobi phraſin clamor mercedis defraudaræ. Quod energiam admirandam habet, ſicut proſopopœia quæ inanimatis mutiſque clamorem adfingit : ideoque non ſacris modo , ſed & profanis auctoribus vſitata, qui aliquando ori nempe faciei , aut vultui clamorem tribuunt : aliquando tacito cubili, aliquando rem ipſam loqui dicunt , nec verba deſiderare. Sed in ſacris is loquendi modus, dum ab ærumnoſis ad Devm confugitur, indicat, præter illa quæ ſuperius inſinuauimus, mercedem detractam, accuſatoris munere fungi: vel iniuriam, quæ miſeris infertur, Deo innoteſcere, haud ſecus ac clamor exaudiri ſolet. vt quamuis operarii læſi mutire non audeant ob dominorum potentiam , merces tamen ipſa querelas deferat & angores cordis, quibus tacite calamitoſi indulgent. Vel etiam clamor adſcribitur mercedi, quia iniuſtitia mercenarios clamare facit. Deſignatur etiam per clamorem licentia peccari, & libertas tanta, vt occultari ac latere non poſſit. Quæ eſt S. Auguſtini, & Gregorii interpretatio. Sic quod Ionæ 1. dicitur aſcendiſſe malitiam Niniue coram Deo , LXX. tranſtulerunt κραυγὴν τῆς κακίας, *clamorem malitiæ*. Quot vt alicubi ſcribit Saluianus aures Dei cæduntur.

S. Aug. de locu SS. Gen. 18. lib. 5. Mor. 7. lib. 3. Paſtor. cap. 32. Iona. 1. 2. Sal. lib. 1. de prouid. Terra Clamor. Iob 31. 38. 39. 40.

Simili figura in hac ipſa re, vt indicetur iniuriæ atrocitas, clamorem terræ adfingit Iobus, cui cum amici obieciſſent operariorum defraudationem, eius ſuſpicionem ille diris & execrationibus in caput ſuum detortis amolire conatur ſi aduerſum me terra clamat : id eſt , vel coloni & agricolæ clamantis pro laboribus mercede, vt Vatablus exponit : vel, vt Pineda N, terra ipſa culta & arata multo agricolarum & operariorum labore ſua mercede fraudatorum : Et cum ipſa ſulci eius deflent. Seminatur enim in lachrymis, ſletuque ſulcantium, quorum mercede per ſummam immanitatem deficiente, ipſi ſulci reſperſi agricolarum mercede ac lachrymis flere dicūtur, vt flentium operariorum teſtes, nec flere deſinunt niſi labo-

ris

ris debito præmio ſiccentur. Si fructus eius comedi abſque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo, ſpina.

COMMENTATIO VIII.

Peccata, impoſturæ, doli, fruſtrationes conductorum operarios mercede debita defraudantium.

Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox, maleficis, & adulteris, & periuris, &, qui CALVMNIANTVR MERCEDEM MERCENARII. Malachiæ 3. 5.

Dominica Septuag ſimæ.

NON vno modo peccatur contra mercenariorum iura ab auariſſimis hominibus, nec æque grauiter ab omnibus. Primus gradus illorum eſt qui mercedem ex contractu debitam detinent quamuis ii voluntatem ſoluendi habeant. Hi peccant, ſi detineant contra conſuetudinem, & liberam mercenarii voluntatem, grauius vel leuius penſatis perſonarum rerumque circumſtantiis, & neceſſitatis maxime, in operario. Nam vſurpatur, res aliena domino rationabiliter inuito: ſicque furatur quodammodo retinens, priuando indigum vſu rei debitæ qua vitam toleraret.

Variè peccatur contra locatores.

Detinendo Mercedem. Species furti.

Itaque non vult Deus, vt moretur merces operarii apud conductorem vſque mane Leuitici 19. ſed reddatur ante ſolis occaſum Deuteron. 24. Imo, ſtatim, Tobiæ 4. Quibus ſignificatur non eſſe differendam ſolutionem. cauſſa adiungitur quia diurno denario victitant, ſed frequenter in hac re delinquitur.

Non moretur. Leuit. 19. 13. Deut. 24. 15.

Ab aliquibus quidem obliuione vel ſocordia, communi hominum vitio, quo illa venis dantur, quæ proprium non ſpectant commodum. Ab aliis, etiam dolo, qui ſæpe interuenit hic, vt dilata ſolutione nunquam illam exigit mercenarius. Eſt fortaſſe, qui negligit, quia rem parui momenti exiſtimat, & memoria ſua non dignam. Et id ſibi diſplicere, nec impunitum fore à mercenariorum patrono, illuſtri exemplo declarauit aliquando iuſtus Iudex. Narrat id

Socordia Patrisfamilias.

Dolus.

Cæſarius Heiſterbacenſis Tom. 2. cap 35. conuerſus quidam de Cynna, quæ domus eſt ordinis noſtri Ciſtercienſis, cum die quadam miſſus ab Abbate ſuo, nauigio tranſiret per fluuium Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo naulum exegit. Qui cum diceret, nihil ſe ad manum habere pecuniæ: reſpondit ille; Date mihi pro pignore cingulum, vel cultellum veſtrum. Non poſſum, inquit, carere his; Et adiecit: Ego promitto vobis cum ordine meo, quod dimidium denarium vobis remittam, & dimiſit eum nauta. Recedens ab eo conuerſus, eo quod res modica videretur, promiſſum paruipendit, nihil remittens.

Monacho cælum non patet ob mercedem detentam.

Cæſar. cap. 35.

Non multo poſt, infirmatus, cùm omnibus, qui aderant, mortuus videretur, anima egreſſa, cùm ad requiem aſcendere vellet, prædictum denarium, cuius in confeſſione non meminerat, ante oculos habebat, qui adeo creuit, vt mundo maior videretur: cumque ſurſum nitenti, ſemper obſiſteret, neque aliud eſſet, quod impediret, ad Angelorum petitionem permiſſa eſt redire ad corpus. Mirantibus cunctis, viſionem retulit, & miſſus eſt nautæ ab Abbate integer denarius, quem ille recepit: & eadem hora conuerſus exſpirauit,

Anton. Dauroult. in Catech. Historiali cap. 6. Tit. 43. Exempl. 1.

Ius Cæſareum contra detentores mercedis.

Gloſſenia adiungit Antonius Dauroultius N. Quod ſi pro tantilla re cœlum ingredi non potuit religioſus: quid illis euenturum eſt, qui non obolum, ſed vel multos florenos retinent, vel diu ſoluere morantur? Sed nec impunitos eſſe oporteret hos operatiorum vexatores in hac vita. Vtinam legibus ageretur contra negligentes iſtiuſmodi operarum curatores, & pecunię, quam hominum amantiores. Certè iure Cæſareo competit locatori actio ex locato contra conductorem, vt ſi mercedem debitam non reddiderit tempore conſtituto, ſoluat etiam vſuras L. Præſes C. de locato.

Platonis de ſubtractione mercedis conſtitutio.

Plato in ſua Repub. ſtatuit, vt qui mercedem pauperi, tempore præſtituto non ſoluiſſet, duplum deberet: ſi annus fuerit elapſus iterum per ſingulos menſes pro ſingulis drachmis deberet ſingulas drachmæ ſextas.

Lib. 11. de leg.

Lex Platonis. Qui pauperis accepti mercedem tempore, quo pactus eſt, non obtulerit, duplum reddat: etſi annus præterierit, quamuis pecuniæ acceptæ mutuo ſine vſura reddi debeant: huic tamen pro ſingulis drachmis ſingulas drachmæ ſextas partes ſingulis menſibus dato.

Si quis opifici mercedem ſecundum pacta non dederit, vt ſocietatem hominum diſſoluens, lex ciuitatis vnioni patrocinetur, tribuum Iudices de his cognoſcant.

Fraudantur ſtipendio milites.

Grauius peccant, qui doloſi machinationibus moras trahunt, vt numquam quod debent, perſoluant. Id tum alibi, tum in militia contingit frequentiſſimè, nonnunquam ob ærarii inopiam, aliquando etiam Principum tenacitatem, ſæpius Ducum auaritiam. Quid hoc aliud eſt, quam operarios mercede fraudare? Eſt enim militum merces ſtipendium. Miratus ſum in hac re ingenioſam quorundam fraudulentiam, imò indignatus. Exemplis veterum crimen aperiam, recentia offenſionem pariunt, nec ſine periculo narrantur.

Ariſt. lib. 2. Oeconom.

Memnon Rhodius.

Memnon Rhodius, qui Lampſaci dominabatur pecuniis egens ſcribebat ditiſſimis Lampſacenorum, vt aliquam magnam argenti ſummam ei conficerent: quam recepturi eſſent ab aliis ciuibus, quibus commiſſum erat illam afferre. At qui cum illi, alii ciues afferrent, iuſſit eandem ſibi mutuo dare, vſque ad certum tempus, in quo illam iis redderet. Rurſus pecuniis indigens, precatus eſt eos vt illi darent, quas ex prouentibus eius mox recepturi eſſent. Illi autem attulerunt, quia mox prouentuum receptio futura erat. At vbi ea quæ prouentuum erant miſſa ſunt, ſibi illis opus eſſe dixit, ſe vero poſtea omnia perſoluturum cum vſuris. Hac vafricie proludebat fruſtrationi mercedis ſtipendiariæ, quam ita exequebatur.

A militantibus auferebat ſolutiones & ſtipendia ſex dierum in anno, quos dicebat exemptos, aſſerens, his diebus, neque cuſtodiam illis vllam eſſe, neque itineris expeditionem. Ante id tempus dabat militibus ſtipendia ſecunda die à nono menſe: à primo quidem menſe prætteribant dies tres: à ſequenti quinque, & ita vſque ad triceſimum diem, ſicque in anno menſem vnum à militibus auferebat.

Cleomenes.

Alia fraude vtebatur Cleomenes, qui adpropinquante nouæ lunationis tempore cum ingrueret neceſſitas ſtipendia militibus perſoluere, nauigabat ex induſtria. Procedente autem menſe, ſtipendia perſoluebat: ac deinde reſumebat nauigationem: poſtea vero incepto menſe ſolutionem differebat vſque ad Lunam ſilen-

ſilentem: milites autem ſtipendiarii, quiete ſe habebant. Ille verò in anno menſem vnum prorogans, ſemper menſis mercedem doloſe ſubtrahebat.

Stabelbius Miſon.

Neſcio an artificioſior fuerit ludificatio, qua vſus eadem fini Stabelbius Miſon, qui militibus debens ſtipendia, conuocatis ducibus aſſerebat, nullo modo ſe priuatis indigere militibus, ſed ducibus tantum. Cum autem aliorum vti opera vellet, tunc ſe duces ablegaturum, argento adnumerato, vt militem conducant externum. Stipendia autem, quæ gregariis debebat, pollicebatur ſe ducibus daturum: præcepit igitur vnumquemque dimittere extraneos è regione: Duces arbitrantes pecuniam omnem ſuam fore, remiſerunt milites. At haud multo exacto tempore, cum mercedem poſcerent, eos conuocans, adfirmabat, neque tibicinem ſine chorea, neque duces ſine militibus ad quicquam vtiles eſſe: quamobrem ludificatos abſcedere iubebat. Habet hæc Ariſtoteles Lib. 11. Oeconomicorum: quo loco nominatur etiam

Didales Perſa.

Didales Perſa, qui milites habens, ex iis quæ indies ex bello conquirere poterat iis largiebatur. Non habens autem numos quos mercedis loco & in ſtipendium illis numeraret, tale quid machinatus eſt, mercedem efflagitantibus fraudem faciens. Conuocato cœtu. Ne credatis, inquiebat, me pecuniarum laborare penuria: imo in quodam prædio ſufficiens mihi copia eſt, & pariter locum indicauit, atque diſcedens, illuc profectus eſt. Cum vero loco vicinus eſſet, præceſſit: & quæcunque in templis erant argentea vaſa, diripuit: tum multos conſtituit, qui viam inirent, tantum argentum onuſti deferrent, & vaſa illa oſtentans militibus ibat. Quorum conſpectu recreati milites, ratique, cuncta, quæ ferebantur eſſe argentum, arbitrabantur ſe ſtipendium accepturos. Quibus ille ſignificabat, oportere eos vſque ad Amiſon peruenire, illicque ſe laborum ſuorum mercedem percipere. Erat autem plurium dierum iter ad Amiſon & tempus hyemis, ſicque exercitu illo abutebatur ſolum illis commeatum præbens, debita laborum mercede fraudans.

Timotheus Athenienſis.

Haud multum diſſimili commento, vt ibidem refert Ariſtoteles circa Corcyram bellum gerens, & exiliter remunerans operam ſuorum militum, petentibus ſtipendium, ac tumultuantibus, & ad hoſtem defectionem minitantibus cœtum indixit, moramque in ſoluendo excuſans, perſuaſit non poſſe propter hyemem ad ſe deportari argentum, cuius magnam alibi haberet copiam; Quapropter mercedem trium menſium, quam repræſentauerat ante ſe dono illis dare. Milites vero ſuſpicantes nunquam Timotheum tam luculentam ſummam illis daturum fuiſſe, niſi reuera, pecuniæ, quibus abundant expectarentur, quieuerunt, ab efflagitanda mercede militari, donec voto potitus eſt.

Iphicrates Polian. lib. 4.

Iphicrates cum ob ſtipendia miles concionem peteret, peritos linguæ Perſicæ, & gentis habitu ſubornauit, qui ſpargerent aduenire ſtipendia, ſe præmiſſos, ſic intermiſſa concio eſt, & fraudatus miles.

Antigonus.

Antigonus victor cum ante cuique Gallo, ſe aureum mercedis loco daturum promiſiſſet, illique pro pueris & mulieribus expoſcerent, quod dictum eſſet, vnicuique Gallo, minarenturque obſidibus mortem, Antigonus daturum dixit, iuſſitque venire, qui acciperent, at illos detinuit donec obſides redderentur.

Demetrius.

Demetrius hac arte ſuis impoſuit. Carebat ſtipendio, nec poſcentibus ſatisfa-

facere poterat, itaque callide duplicem numerum militum conſcripſit, vt hoſtes citius victos, ſtipendia ſoluere cogeret. Poliænus lib. 4.

Seditiones ob merced. m. dilatam. Hæ fraudationes ſunt militares, ob quas ſæpe ſeditiones exiſtunt, ſeceduntmilites, ſigna diripiunt, in proprios duces armantur (Mutinantes vulgus vocat) idem facerent interdum operarii, ſiue domeſtici, ſiue agreſtes ſi tantum ijs ineſſet animi, ſi arma ſupperterent, & eſſet caput, quod ſequerentur: pluribus enim technis, nec minus artificioſis, nec minus pudendis illis illuditur à dominorum ingenioſa tenacitate. Quibus non eſt ſatis vel extrahere ſolutionem, compoſita fraude, vel tertiam partem, aut minorem etiam, perſoluere, vt reliqua, merentes, priuentur, quod hactenus eſt declaratum: ſed qui eſt ſupremus gradus hic peccantium,

Fraudant tota mercede. Totam mercedem detinent, vt nihil mercenarius accipiat.

Et hoc eſt proprie illud peccatum, quod in cœlum clamare dicitur: eſtque haud dubie, mortale, in genere iniuſtitiæ, quando maxime operariorum accedit neceſſitas. Detinere enim quod alienum eſt, & auferre, quod non eſt tuum, ſi notabilis ſit materia, lethaliter crim inoſum eſſe, nemo ſane poteſt ambigere.

Iob 24.9. De hac immani auaritia multi capiunt illud Iobi, Tyrannidis notas deſcribentis. Vulgum pauperum ſpoliauerunt. Quid enim aliud eſt tenuioris conditionis operarios debita mercede fraudare, quam ſpoliare pauperes? *Nudos, & incedentibus abſque veſtitu, & eſurientibus tulerunt ſpicas.* LXX. *Nudos dormire fecerunt iniuſte.* Quod ex vi vocis ἐκοίμισαν recte exponas, ſilere coegerunt, ſilentio illis per vim impoſito, vt nec ſolutionem poſcere, nec hiſcere auderent, aut de iniuria expoſtulare, non aliter, inquit Pineda N. atque *mutus coram tondente agnus. Et eſurientibus tulerunt ſpicas.* Nimirum, negando mercedem, vnde illis tenuiſſimus victus comparari poterat, eſurientium quoque buccellam abſtulerunt, vt LXX. vertunt: quod ſummæ crudelitatis, atque incredibilis iniuſtitiæ eſt argumentum ait Nicetas, id tamen faciunt auariſſimi conductores: quorum peccatum augetur, ſi poſt meſſem fraudent, cum id ſit tempus lætitiæ. Quod inſinuatum à S. Iacobo putant Lorinus iis verbis: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat.*

At nouum quendam effectum crudelitatis illius contineri Iobi verbis ſuſpicari licet, quem educit aliorum interpretatio. Nam Vatablus, Tygurina, Caietanus vertunt: *Eſurientes famelici geſtant manipulum:* inſinuantes, mercenarios oppreſſos, ad extremam inopiam redigi, adeoque, vt ſi vel palmum terræ habeant, ex quo manipulum vel vnum colligere poſſint, illum cogantur vendere, & in alienis agris ſpicas à meſſoribus relictis legere, & manu terere, & grana dentibus commolere. Nec hoc ſatis

Inter aceruos eorum meridiati ſunt, qui calcatis torcularibus ſitiunt. Quæ Vatablus ita declarat, vt ſignificent, coactos fuiſſe egentiſſimos operarios in agris potentiorum, & congerendis fructibus, congregandiſque aceruis illorum ad meridiem vſque oleum exprimere, torcularia calcare, fruges metere, nulla tamen laboris mercede: diuitibus interim ex alieno operariorum ſudore & calamitate ſaturis, atque in ſummo otio.

Plaut. *Ientando, meriando, commeſſando, pergræcando vitam* hilariter *ducentibus.*

LXX. legunt ἀδύνατοι ἀμπελῶνας ἀσεβῶν ἀμισθὶ καὶ ἀσιτὶ εἰργάσαντο. Impotentes vineas impiorum abſque mercede, & abſque cibo operati ſunt.

Quam

Quam illud crudele, quod operarii calcatis torcularibus ſitiant: quod ne bibere quidem ſinantur de vino, magnis à ſe laboribus expreſſo: quod, ſi quam habent, vindemiolam ſuam vendere cogantur, & frigidam bibere, exacta vindemia. Ita fraudantur operarii mercede qua digni ſunt: ita os alligatur boui trituranti: ita gemunt ſub importabili diuitum iugo pauperes mercenarii. *1. Corint. 9. 9. 1. Tim. 5. 18.*

At nullum oppreſſis remedium? Quid leges præſcribant, quid poſtulet æquitas ſupra diximus. Bene conſultum volunt operariis Iuriſconſulti, bene Theologi, qui concedunt illis occultam compenſationem, vt vocant, ſi fraudantur mercede operarii, poſſunt clam tuta conſcientia tantundem ex bonis patrisfamilias capere, quanta eſt merces debita, ſi iuſtitiæ fores in foro vel alibi occluſas reperiant. *Occulta compenſatio.*

An hoc etiam verum, dum mercenario merces redditur, ſed tam exigua, vt ſit infra infimum iuſtæ mercedis gradum, adeo vt prudentum iudicio exiſtimetur, nequaquam ſecundum iuſtitiæ regulam labori reſpondere.

Sunt quidam, qui, vt obſeruat interpres recens Leuitici Leonardus Marius, ſub frugalitatis domeſticæ prætextu operariorum mercedem auare ita circumcidunt, & ex conuentione, vel potius ex contentione ita imminuunt, vt non dicam honeſtati, ſed vix neceſſitati eorum ſufficiat. Quam imminutionem illa non frugalitatem, ſed tyrannicam crudelitatem vocandam cenſet: eos autem, qui de tali crudelitate viuunt, ait de ſudore, imo de ſanguine pauperum viuere, atque in deliriis ſuis luxuriari, de his de quibus pauperes gemunt. Atque hoc eſt aliud genus peccantium in defraudatione mercedis operariorum, qui quoniam tam arctatam & circumciſam mercedem contractus tabulis firmari voluerunt, ab omni crimine ſe alienos exiſtimant; vel conſuetudine ſe tuentur, qua plus mercenario, ſiue famulo dari non ſolet. *Circumcidentes mercedem. Leon. Marius. Leuit. 19.*

Verum quidem eſt, quando merces dari ſolita, vel patriæ conſuetudine, vel lege reipublicæ, non ſufficit vel ad victum mercenarii, patresfamilias ſecundum conſcientiam, nihil præter conſuetam illam mercedem operario ſuo debere. Nam quemadmodum iuſta precia rerum, communi hominum æſtimatione, vel lege principis, vel ſtatuto ciuitatis ponuntur: ſic etiam iuſta merces rerum locatarum, vel operarum: atque ita conſueta merces operariorum pro iuſta cenſeri poteſt, vt obſeruat Ioannes Azorius N. agendum tamen eſſet cum moderatoribus Reip. vt augerent, quod tam exiguum ab omnibus operam locantibus exiſtimatur, vt neceſſitati ſuæ negent eſſe ſatis. Quod eccleſiarum etiam Præſidibus inculcandum. Queruntur enim multi, qui altari ſeruiunt, ſe de altari non poſſe viuere. Non loquor de iis quibus opulentiſſima ſacerdotia, eaque in vnum congeſta abundantiam rerum omnium, imo ſuperfluitatem, ad ſcandalum multorum ſuppeditant; ſed, qui cum vicariam in Eccleſiis ditiſſimis operam præſtent, vicariis Canonicorum ſubſidiis deſtituuntur, vix ad victum neceſſariis ſuppeditatis. *Ioan. Azor. Tom. 3. lib. 8. cap. 13.*

At, quid ſi famulus mercenarius pactum iniit de mercede, quam animaduertit, & queritur iuſto eſſe tenuiorem, poteſtne, ſi amplius nihil audet exigere, occulte ſibi compenſare, ex Patrisfamilias rebus? *Mercenarius ex pacto accipit exiguam mercedem.*

Certi iuris eſt. Si operario non omnino conſtet, mercedem de qua conuenit, eſſe infra infimum iuſtæ mercedis gradum, non poſſe vti compenſatione, ſubtrahendo de rebus patrisfamilias ipſo inſcio: quoniam in dubio, vtrum aliquid ſit iuſtitiæ lege debitum, non habet locum occulta compenſatio vt docet Leonardus Leſſius N. Lib. 2. de Iuſt. & Iure. cap. 12. Dub. 10. *RESP. I.*

M 3 Addit

Addit idem cap. 24. Dubit. 4. Num. 24. conſtare poſſe, non eſſe infra infimum gradum, ſi multi alii non decerunt, qui talem laborem ſubirent, pro dicta mercede. Hoc enim eſt manifeſtum ſignum talem mercedem ſpectatis omnibus circumſtantiis non eſſe indignam tali functione. Quamuis enim ſit multi laboris functio ſi tamen alia emolumenta adiuncta habeat, merces vel ſtipendium, poterit eſſe exiguum, appendices enim illæ ſunt veluti pars mercedis.

RESP. II. Deinde autem, ſi mercenario certum ſit, mercedem eſſe tam exilem, vt prudentis iudicio cenſeatur minor iuſto, & paterfamilias teneatur, non ſolum lege gratitudinis, ſed etiam iuſtitiæ plus dare, fas eſt famulo laboranti ex patrisfamilias bonis ſibi, quod deeſt, adiungere.

Sed quomodo lege iuſtitiæ plus tenetur dare paterfamilias, ſi ita cum mercenario conuenit? Duos caſus proponunt moralis Theologiæ Magiſtri, quibus id poteſt contingere. *Primus* eſt: ſi de exigua mercede ſit conuentum, ea tamen mente, vt conducens, labore peracto eſſet ſuppleturus, & hanc mentem locatoris operarii, dominus ſatis agnouerit: tunc enim ex iuſtitia dominus tenetur ſupplere, quoniam hoc tacite in pacto continetur.

Secundus eſt. Si preſſus neceſſitate operarius, de parua conuenit, quia conductor nihil amplius dare voluit. Tunc enim, quod operam multo pluris valentem, tam paruo locat, non ſponte facit: ſed neceſſitate compulſus: ſicut ſi quis neceſſitate adactus paruo vendat rem magni pretii: tenetur igitur conductor ſupplere mercedem ad æquiualentiam. Hoc tamen tum locum habet quando paterfamilias illius operarii labore indigebat: vel magnum inde percepit emolumentum. Si enim non egebat opera illius, qui ſponte ſe obtulit, nec magno ſuo commodo admiſit, merito poteſt minus mercedis offerre, ac dare: Merces enim vltroneæ, vt vulgari iactatur diuerbio, vileſcunt. Agit de hac re Nauarrus in Manuali cap. 17. Num. 109. & ſeqq.

Alioqui ſane ſtandum eſt conuentioni. Siquidem contractus ex conuentione contrahentium legem accipiunt. Itaque ſi conuenit operarius de certa mercede, conuentis ſtare debet, quamuis ſit exigua. Et, quemadmodum poteſt quiſpiam rem ſuam alteri donare: ita poteſt quis partem rei ſuæ, & non totam gratis concedere. Simili autem modo, poteſt quis gratuito, operam ſuam alteri offerre: vel partim gratis, partim pretio pro altero laborare. Quoniam eadem ratio poteſt eſſe de parte, quæ de toto L. *Quæ de tota ff. de rei vendicat.* & L. *illud. ff.* Ad L. *Aquiliam.* Porro ſi nulla facta ſit conuentio de certe mercede: tenetur tamen paterfamilias, etiamſi tenaciſſimus ſit, ad infimum mercedis iuſtæ. Nec enim cenſetur mercenarius operam ſuam locare gratis, maxime ſi tenuioris ſit conditionis & egeat.

Quod ſi conductor indigeat opera laboratoris voluntarii ſed ſolum ex miſericordia ipſum admittit ad preces ipſius, ſatis eſſe putant rigidi iuſtitiæ trutinatores, ſi alimenta illi præſtentur. Adde tamen. Si opera locatoris multo maiorem vtilitatem adferret: ita vt notabiliter amplius æſtimarentur, quam alimenta, teneretur compenſare conductor, ſaltem infimo iuſtæ mercedis modo. Quod ratio ipſa poſtulat. Nam locator non intendit operam ſuam donare ſed vendere. Itaque ſi multo plus æſtimetur quam alimenta, amplius aliquid pro ea dare tenetur.

...s iuſta Alia ad particulares euentus ſpectantia, excutiunt caſuum conſcientiæ ſcrutatores: è quibus hoc vniuerſe diſces: mercedem eam cenſeri iuſtam, quæ paſſim in aliqua regione, aut republica operariis, certi nominis, ac ſortis dari ſolet, ita vt non ſit mi-

ſit minus infimo, nec maius ſummo, quod dari mos eſt. Quemadmodum enim precium venalium rerum, quod non eſt lege conſtitutum, haud eſt impartibile, ſed habet latitudinem *Summi, Medii, & Infimi*: ita & pretium operarum.

Summa. Media. Infima.

Quocirca ſi locator ſuæ operæ mercedem exigat maiorem quam ſit ſumma: vel ſi conductor det minorem, quam ſit infima dari conſueta, facit iniuriam, ac tenetur ad reſtitutionem, reducendo mercedem ad proximos limites pretii iuſti. Locatori ergo conuenit detrahere quod accepit ſupra ſummum, conductori addere, quod deeſt vſque ad infimum. Quod niſi fiat hominibus imponi poterit, non illi quæ proxime Deo aſſidet, & æqua lance omnia ponderat. Nam

Ο῎μμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα

Oculus IVSTITIÆ *inſpicit omnia, quæ fiunt.*

COMMENTATIO IX.

Officium iuſti conductoris erga ſuos mercenarios.

Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue: & merces mercenarii tui apud te omninò non remaneat. Tob. 4. 15.

Dominica Septuageſimæ.

PRimum probi conductoris officium, quod ſine crimine non poteſt negligi, conſiſtit, in mercedis pactæ redditione; qui actus eſt Iuſtitiæ commutatricis: datur enim merces propter laborem ſecundum arithmeticam proportionem. Hæc prima cura fuit patrisfamilias Euangelici, vocantis œconomum, vt redderet operariis denarium diurnum. Eſt enim operarius dignus mercede ſua vt CHRISTVS, eiuſque Apoſtolus, Paulus pronuntiat. Præceptum naturæ eſt, à gentibus etiam cognitum: Redde, quod debes. De reddenda mercede præceptum Clemens Alexandrinus vocat humanitatis: an quia homines maxime decet? alioquin quis ignorat eſſe iuſtitiæ? additque, ſi non impleatur, & maximè, ſi alimentum deſit, remiſſum iri pauperis mercenarii, ad id quod faciendum ſequitur alacritatem. Filia Pharaonis conducens operam nutricis pro infante Moſe, addidit confeſtim: *Ego dabo tibi mercedem.* Exodi II. 9. vt intellexit Aſſuerus lectis annalibus, Mardochæum, tam fidelem Regi ac Regno nauaſſe operam, ſtatim ſolicitus de mercede, *Quid*, inquit, *pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus conſequutus eſt*: & reſpondentibus miniſtris, *Nihil omninò mercedis accepit*: quaſi ſe ipſum incuſans, extemplo ampliſſimam honoris eximii mercedem illi referri voluit. Patet autem hoc conductoris officium latiſſimè: reſpicit enim omnis generis operarios, & quamcunque remunerationem, quacunque voce efferatur. Græcis vſitatum eſt vocabulum μισθὸς, quod vt habet Vlpianus Demoſthenis enarrator, καθημερινὴ δόσις ἐςὶ χρημάτων: quaſi dicas *Merces pecunia eſt quæ quotidie numeratur.* Eſtque propriè hic authoramentum ſeruitutis. Quam ob cauſam, ſalaria & ſtipendia, quæ Iuris Profeſſoribus debentur Honoraria dici placuit Vlpiano, cum ſanctiſſima ſit ciuilis ſapientia, nec pretio numario æſtimanda, vel dehoneſtanda. Ius tamen de his dici, vt de mercedibus Preceptorum artium liberalium reſpondit Vlpian. L. 1. de variis & extra ordin. cognit. lib. 50.

1. Reddit mercedem debitam. — *Matt. 20. 8.* — *Matt. 10. 10.* — *Luc. 10. 7.* — *1. Tim. 5. 18.* — *Clem. lib 2. Strom. c. 8.* — *Exodi 2. 9.* — *Eſth. 6. 1. 3.* — *Latè patens præceptum.* — *Vlpian. in Demoſth. Olym. 3.* — *Μισθὸς. Merces. Salarium. Stipendium. Honorarium.*

Præmium. Varro lib. 4. de LL. Salarium.

Merces aliquando vocatur *præmium*, ſic dictum, ſi credimus Varroni à præda, quod ob recte quid factum conceſſum. Salarium autem, laboris remunerationem iuſta ratione ſatis dici tradit Plinius. Ita Sales, inquit, appellantur, omniſque vitæ lepos, & ſumma hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo conſtat. Honoribus etiam, militiæque interponitur, Salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate. de quo erudite Lælius Biſciola N. Tom. 1. Horarum ſubſeciuarum lib. 15. cap. 8.

Plin. lib. 21. cap. 7.

Stipendium à ſtipe erogata, ſiue ære graui dictum eſt *L. Ager. ff. de verborum ſignif.*

Merces ex conuentione. Extra conuentionem.

Merces autem vel ex conuentione locationis debetur, vel ſine conuentione. Quædam enim Salaria præbentur extra conuentionem, remunerandorum laborum gratia, quæ aliquando conuentione non poſſunt honeſte, vel licite promitti. Vt in ſalario Procuratoris receptum, quod inuentum litium maioris pecuniæ præmio non permittitur contra bonos mores, redemptione procuratoris facta: quanquam remunerandi cauſa, & conſtitui ei honor, & peti contra ordinem ab eo poſſit. L. *Si remunerandi*. 6. in princip. §. *Monemus* & L. *Salarium*. 7. *mandat*. P. L. C. eodem L. *Si quis. de poſtulan.* C.

Præſcribunt tamen LL. ne ſalarium Procuratoris vel aduocati ſummam centum aureorum excedat L. 1. §. *Aduocatos* & §. *Licita de variis & extraordinar. cognit.* P. conſtitutio tamen ſalarii Procuratoris, non locationis titulo, recte fieri poteſt, cum hoc officium gratuitum ſit: tum autem cauſa honoris, ac remunerationis, & forma donationis confertur L. 1. §. *ſi manda*. P.

Merces Magiſtrorum.

Idem contingit, quum datur quidpiam Præceptoribus: ſiquidem remunerationis & ea donatio cauſam habet iuſtam *L. Attilius Regulus de donationibus*. in P. cum in docendo & labor ingens verſetur: & inde diſcenti à perito & bono multa accedat vtilitas, & morum informatio, ac vitæ agendæ peritia, quæ ſatis non poſſunt remunerari: cum ſpiritualia corporalibus omnibus præſtantiora ſint. *L. Sancimus. 17. de Sacroſanct. eccleſ.*

Stipendium. Denarius. κόμιστρον. μαίωτρον. μήνυτρον. σῶστρον. Iſagogicum. Mineruał. Honorarium. Salarium.

Itaque poſtulat lex iuſtitiæ, vt ſtipendium detur militi, pro opera in militia præſtita: vinitori pro labore diurno, denarius: comiſtrum, baiulo: mæotrum, obſtetrici: menyrtum, exploratori: ſoſtrum, Medico: Iſagogicum æs Grammatico: Mineruał, Præceptori: honorarium, Doctori: ſalarium, Aduocato. Denique, ſua cuilibet operam locanti merces.

II. Reddit ſtatim.

Curet autem conductor, ſi cultor velit eſſe iuſtitiæ, vt quam primum id faciat: & hoc eſt SECVNDVM eius officium; vel forte primi appendix, aut circumſtantia. *Statim ei mercedem reſtitue*, præſcribit Tobias. Habet illud temporis aduerbium latitudinem, vt alia pleraque, quæ non Mathematicam menſuram, ſed Phyſicam terminationem deſignant. Laudabile autem eſt, nullam moram inter meritum & mercedem interponere. Certe paterfamilias Euangelicus ſudantibus adhuc & vix à vinea reuerſis: imo in ipſa vinea numerari præcipit denarium.

Prouerb. 3. 28.

Vetat ſapiens ne amico dicatur: *Vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſit dare.* Prouerb. 3. 28. Quanto iuſtius id ſibi dictum putare debet conductor? Ex quo colligit Radulphus, commentator Leuitici: quod labore proprio adquiritur non eſſe mercenario differendum cum ab eo exigitur: ſeu cum ipſa contractus ratio id exigit. Sed vt idem obſeruat, pauci eius rei curam habent, & frequentiſsime operariorum merces in multos menſes imò annos, differtur: & vtinam

Radulph. Leuit. 19.

tandem

Digitized by Google

tandem redderetur. Quod enim de auditoribus Rhetoricæ ſui temporis, vel parentibus eorum, qui magiſtros fraudabant, mercede cecinit Iuuenalis.

Noſce volunt omnes, mercedem ſoluere nemo.

hoc de plurimis queri variarum opifices artium poſſunt inquit Lorinus N.

Artu opus cupiunt, mercedem ſoluere nolunt.

Iuuenal Satyra 7.

Lorin. Iacobi Ep. 5. 3.

Deteſtatur horum ſordes, fraudulentiæ coniunctis Auguſtinus, expertus diſcipulorum dolos, quas Romæ inſtituere cœperat.

Lib 1. Confeſſ. cap. 12. ſedulo agere cœperam propter quod veneram, vt docerem Romæ artem Rhetoricam: & prius domi congregare aliquos, quibus, & per quos innoteſcere cœperam. Et ecce cognoſco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam reuera illas euerſiones è perditis adoleſcentibus ibi non fieri manifeſtatum eſt mihi. Sed ſubito ne mercedem magiſtro reddant, conſpirant multi adoleſcentes, & transferunt ſe ad alium, deſertores fidei, & QVIBVS PRÆ PECVNIÆ CARITATE IVSTITIA VILIS EST.

Fraus Aug. diſcip. Romæ.

Aug. lib. 1. Conf. cap. 12.

Oderat iſtos cor meum, quamuis non perfecto odio. Quod enim ab iis paſſurus eram, magis oderam fortaſſe, quam eo quod cuilibet illicita faciebant. Certe tamen turpes ſunt tales, & fornicantur abs te, amando volatica ludibria temporum, & lucrum luteum, quod cum apprehenditur, manum inquinat, & amplectendo mundum fugientem, & contemnendo te, manentem, & reuocantem & ignoſcentem redeunti ad te meretrici animæ humanæ.

Defraudatores mercedis turpes.

Et nunc tales odi prauos & diſtortos. Quamuis eos corrigendos diligam, vt pecuniæ doctrinam ipſam, quam diſcunt, præferant: ei vero te, DEVM, veritatem, & vbertatem certi boni, & pacem caſtiſſimam. Sed tunc eos magis pati nolebam malos propter me: quam fieri bonos propter te volebam.

Praui Diſtorti.

Itaque Auguſtini cenſura ſi mercedem ſuo tempore non det conductor, & multo magis, ſi fraude interuertat eſt *turpis, prauus, diſtortus, & fornicatur abs Deo.* Quæ procul ſint ab illo, quem nos inſtituimus. Qui nunquam dicit fideli operario: *Vade & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſit dare.* Si beneficium cum petitur ſtatim offerendum eſt, vt humanitati non debitæ ſatisfiat, quanto magis merces, vt iuſtitiæ proximo debitæ? *Omnis benignitas properat: & proprium facientis libenter, citò facere: Si de die in diem trahens, profuit, non ex animo fecit. Itaque duas res maximas perdit, & gratiam & tempus. Miſericordiam tuam,* inquit recte Nazianzenus, *ne non quidem intercipiat: ne dixeris, alias redi & in craſtinum dabo.* Dicam ego: Iuſtitiam tuam, ne nox quidem intercipiat. Nam lex Dei eſt: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te vſque mane.*

Conductor ſordidus.

Sen. lib. 1. de benef. 2.

Nazianz. orat. 16.

Leuit. 19.

Aliam etiam cauſam inſinuat Nazianzenus, cum ſubdit: Ne quid fortè accidat, inter propoſitum tuum & beneficium, quo verè impediatur. Quod multo magis metuendum ſi mercedem differas. Teneris enim illam reddere iure conſcientiæ. Quid ſi ergo diſcedas illa nocte? migrabis cum obligatione reſtitutionis, & non dimittitur peccatum niſi reſtituatur alienum: Tu interim torqueberis; hæredes, magis quam tu remunerationem iuſtam negligent, imo titulum nolent agnoſcere. In quod periculum te negligentia tua coniicis? Spiritus demortuorum apparuiſſe legimus, & audiuimus frequenter. quid poſtulant? Vt obligationibus, quibus nexi, ad aliud forum vitæ alterius improuiſo rapti ſunt, à domeſticis ſatisfiat. Sed nemo maiorem curam ſalutis tuæ habebit, quam tu in vita habueris: Itaque, ſi ſapis, ſtatim operario, cui debes, mercedem redde.

Eccl. 14. 14.

Non enim *ſcis quid pariat ſequens dies*, vt legunt LXX. Prouerb. 3. 28. *Ne deſrauderis à die bono, & particula boni doni te non prætereat.* Eccleſ. 14. Legit quidam : *particula bonæ diei* : hæc non negligatur, non permittas illam elabi : non te prætereat : Græce μηδὲ σὲ παρελθέτω : non te *præcurrat*, aut *fallat*. *Nonne alijs relinques dolores, & labores tuos in diuiſione ſortis ? Da* mercedem, *& accipe*, (laborem) *& iuſtifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iuſtitiam : quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.*

III. Reddit integre.

Alcinoes inſanit ac mergitur, ob mercedem non integre ſolutam.

Parthenius in Eroticis, cap. 27.

Tertium conductoris iuſti munus continetur, in præcepto Tobiæ aduerbio (omnino) merces mercenarii tui apud te, omnino non remaneat : hoc eſt, ſecundum nullam particulam, nihil detineas, licet parum & exile, totam & integram illi ſuo tempore numerandam cura. Alcinoes ira Mineruæ periiſſe fertur, quam inuocauit Nicandra, quod eum ei deſeruiſſet Alcinoe in arte texendi, qua docta erat illam domo expuliſſet, nec integram mercedem perſoluiſſet. Cuius ob vltionem ipſa in tantam inſaniam incidit, vt hoſpitis peregrini Xanti nauem ſequeretur relicto patre Polybio Corinthio, & Amphylocho Driantis filio, marito ac liberis : cuius conſcientia poſtea in mare ſe præcipitem dedit. Quod ſcribit Parthenius in Eroticis.

COMMENTATIO X.

Dominica Septuageſimæ.

Officium liberalis conductoris erga ſuos mercenarios.

Auaro nihil ſceleſtius. Eccleſ. 10. 9.

Adfectus hominis liberalis

Qvod iuſto eſt ſatis, liberali videtur parum. Itaque non ſat eſt conductori, qui Iuſtitiæ, liberalitatem, aureo nexu copulauit, mercedem operariis, & ſtatim, & integram reddere : cuius contrarium abſque Iuſtitiæ diſpendio non contingeret ; ſed nititur largè, magnificè, vbertim id exequi. Liberalitate autem, cum in egentes vniuerſe, tum in mercenarios ſuos particulatim, nihil eſt naturæ hominis accommodatius. Sed eius variæ ſunt functiones.

Operis agreſtibus quid conſtituendum.

Primo enim, dum merces eſt conſtituenda, ſiue conuentione mutua, ſiue lege principali, non proiicit quidem pecuniam, aut quiduis aliud, quod mercedis nomine refundendum eſt : id enim prodigi eſſet aut facultatibus ſuis irati, non liberalis : ſed animo ad dandum magis, quam ad retinendum, ſecundum rationem prono ac aperto, amplas pro cuiuſque conditione ac merito, mercedes deſignat. Curæ illi eſt, vt agricultoribus, vinitoribus, atrienſibus, mediaſtinis famulis aliis ſiue domeſticis & vrbanis : ſiue externis & ruſticis, præter alimentum quo vitam commodè extrahant, ſeque ſanos, integros, & laboribus pares conſeruent, ſuperſit aliquid, quod recondere poſſint, & familiæ, aut poſteritati tranſmittere.

Quantum augendum Mercenarii.

Artium mechanicarum magiſtris, operis, inſtitoribus, laborem ſuum locantibus, & fideliter ac ſtrenuè impendentibus, mercedem non diminuit, ſed auget : non circumcidit, ſed dilatat : non detractione extenuat, ſed augmento multiplici ex-

Digitized by Google

ci extendit. Et cum ſit ſummus, medius, & infimus in mercedibus gradus ad ſummum ſemper potius, quam ad infimum inclinat.

Liberalium vero artium, & ingenuarum Præceptoribus, Doctoribus, Profeſſoribus, qui operam ſuam & neceſſariam & vtiliſſimam Reip. liberaliter offerunt, & vires, ingenium, ætatem dedicant, Eccleſiæ lumina, columina regnorum: tum etiam officiorum publicorum adminiſtratoribus, Principi à cancellis, à conſiliis, à ſecretis, ampla ſtipendia, lauta ſalaria, opima honoraria ſponte offert, & in contrahendum cum illis, minimè moroſus abſque multis licitationibus, haud inuite ſpondet. Qui talis operariorum optimorum copia ſemper abundabit: ad hunc è remotiſſimis aduolabant prouinciis: huic promtiſſimè aliam ſine pacto, ſe ſuaque dicabunt variarum artium magiſtri: nec alios magis, quam ſe & ſuum ditabit regnum, aut rempublicam. Hic benè de ſe meritis, & gnauiter agentibus

Quæ, qualia ſalaria Doctorum artium ingenuar.

Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.

Claud. 1. Eutrop.

An non talis ille, de quo idem Poeta?

Hic non diuitias nigrantibus addidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, ſed largior imbre
Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas
Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat populis vndare penates,
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos:
Præceps illa manus fluuios ſuperabat Iberos
Aurea dona vomens.

Claud. Panegyr. Prob.

Certè leges ſtatuunt Præceptoribus danda ſalaria, & mercedes, non quam minimas, vt alicubi introduci videtur, ſed pro facultatibus diſcentium, & dignitate natalium eorundem, vt ſcribit Paulus Iuriſconſultus. Nec præceptor ſine mercede eſſe debet, dicitur L. Qui filium 4. de educ. lib. 27. P. tit. 2. ſtudiorum quippe labor ſecundum ſententiam Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, meretur, vt ii, qui in publicis adminiſtrationibus conſtituti, ſociari ſibi conſiliorum participes cupiunt, ſpe præmiorum, atque honorificentia ſua, promoueant eos, quorum prudentiam putant ſibi eſſe neceſſariam L. 1. de Aſſeſſ. lib. 1. Cod. tit. 52.

LL. quæ ſalaria magiſtris adſignent. Paul. I. C. L. cum plures 23. §. fin. de adminiſt. tut. lib. 26. P. tit. 7. facit Iulia. L. Qui filium 4. Vbi pupill. educ. deb. libr. 27. P. tit. 2.

Habent hic quo ſe iactitent diſciplinarum quarumcunque Magiſtri. Nulla enim eſt quæ non ſuorum Patronorum, Mecœnatum, Principum liberalitatem poſſit extollere. Grammatici, Poetæ, Rhetores, Philoſophi, Medici, Iuriſperiti certare videntur, qui nam ex iis maiori mercede, & amplioribus ſtipendiis conduci debeant: quorumnam operæ carius locatæ olim fuerint, & nunc remunerari ſoleant; apud quos ſit ars quæſtuoſior. Certè ſapientiſſimi olim, quique aliis ſapientiam, &, quæ ad illam ducunt, ſe tradere profitebantur, non ſat mercedis poſſe rependi talibus magiſtris teipſa oſtendebant. Inter hos Abderites Protagoras, qui præſtantiſſimus in omni Philoſophia eſt habitus, artem dicendi docuit Euathlum cum mercede & ſalario decem millium. auctor Quinctilianus. de eo Ariſtoteles refert, ſolitum diſcipulos interrogare, quanti æſtimarent diſciplinam, quam ſibi tradi poſtulabant: ab iis tantum ſe velle accipere.

Stipendia litteratorum.

Abderites Protagoras. Quinctil. libr. 3. Inſt. Ariſt. lib. 9. Eth.

Grammaticorum opera tanti fiebat Romę antiquis temporibus, vt Luctatiũ Da-

 phnidem

phidem Grammaticum, ducentis millibus numum, à Q. Catulo (alii M. Scauro id tribuunt) emptum & breui manumiſſum conſtet.

Lucium vero Apuleium ab Efficio Caluino Equite Romano prædiuite quadringenis annuis conductum vt refert Tranquillus de Illuſt. Grammaticis. Apud quem etiam leges.

Suet. de Ill. Gram. Orbilio Pupillo Beneuentano inſigni Grammatico ſtatuam Romæ fuiſſe erectam: Vettio Flacco Præneſte, Lenæum verò Ludimagiſtrum à Cn. Pompeio fuiſ-*Plin. de Gram.* ſe manumiſſum Plinius refert: hæc illi operæ nauatæ merces: qua nulla maior eſſe potuit, ſi nulla libertati comparanda eſt.

M. Antoninus Philoſophus Imperat. Doctores omnium diſciplinarum annua mercede conductos ſplendide habuit. Dion.

M. Antoninus Pius Imp. non minus lautè Rhetores ac Philoſophos tractauit. Alexander Mammeæ Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Mathematicis, Mechanicis, Architectis, ſalaria inſtituit percommoda, auditoria decreuit, pauperum filios publice aluit.

Allfredus Anglorum Rex tertiam partem ſuorum bonorum in Scholaſticos Oxonii litteris operam dantes contulit. Radulphus libr. 6. c. 1. in Polychronico. Fuit etiam in hoc genere liberalis Conſtantinus Imp. qui iubet ſeuere Profeſſoribus bonarum artium & legum Doctoribus mercedes & ſalaria reddi, quo facilius multos inſtituant. L. Medicos 6. de Prof. & Medic. lib. 10. cod. titul. 52.

Carolus M. Sed magis commendamus Chriſtiani effuſam liberalitatem in litteratos, eruditos, philologos, Magni Imperatoris Caroli, qui nullis parcebat ſumptibus, vt quam lautiſſimè diſciplinarum Magiſtros conduceret, & liberaliſſimè remuneraretur. Experti id ſunt Clemens & Albinus Scoti, quos ex Hybernia magnis præmiis inuitatos in Galliam accerſiuit: & Clementem quidem Pariſiis doceri iuſſum annonæ & ſtipendio è fiſco frui voluit. Albinum Ticini gymnaſio præfecit, non minoribus ad omnem ſtudiorum oportunitatem commodis.

Hic idem ſummus Princeps, qui cum virtute bellica, Religionis & ſapientiæ ſtudium adæquauit, reuerſus in Galliam non dubitauit Muſarum officinas luſtrare, eaſque minutatim ſcrutari, curioſe de omni ratione litteras perdocendi perquirere: ſciſcitari familiariter CIementem de optima lege tradendæ doctrinæ, & de puerorum profectu: imò coràm ſe documentum profectus dare voluit. Cumque tenuiores præter opinionem profeciſſe, nobiles verò cultum animi neglexiſſe deprehendiſſet, illis ad dexteram ſegregatis: Vos inquit macti virtute eſtote filioli; qui noſtro imperio grauiter defuncti eſtis: Veſtra erunt ſacerdotia locupletiſſima, veſtri Pontificatus. Ego res in aulam adſciſcam: ex vobis ſenatores coaptabo, vos in album prætorem, & patrum curiam allegam. hæc merces operæ. Deinde ad nobilium liberos, quos ad læuam collocarat, vultu iram non diſ-*Auent. Hiſt. Boic.* ſimulans, conuerſus dixiſſe fertur. At vos comatuli & delicatuli, freti opibus ac ſplendore parentum noſtram Maieſtatem ſpreuiſtis: vitia, otia, luxum & inertiam bonis litteris, & virtuti, contempta ſanctione noſtra prætuliſtis: DEVM ergo immortalem teſtor nihil penitus commodi, honoriſque à me ad vos peruenturum; Quinimmò etiam in vos exempla niſi reſipueritis, & negligentiam diligentia expiaueritis. ô iuſtum & liberalem operum æſtimatorem ac remunratorem.

Huius inſiſtens veſtigiis Franciſcus I. Pariſiis in omni litterarum genere Profeſſores:

Digitized by Google

feſſores annuo ſtipendio C. D. librarum in ſingulos conſtituit, quos Regios vocant. Neapoli Ferdinandus rex grandem pecuniæ ſummam quotannis ex ærario pendendam ſtatuit Rhetoribus, Philoſophis ac Theologis publice docentibus.

Habuerunt etiam noſtro tempore litterati, quos hoc titulo celebrare potuerunt, ſtipendio conducti magis amplo perſæpe, quam ſuperiorum diſciplinarum Doctores. Eſt, quod grati ſint, & æternum colant Philologi Mecœnates maximos: familiæ Medicææ principes Laurentium, Leonem 10. Coſmum, in Hetruria Alfonſum Aragonium, Neapoli, Gregorium 13. P. M. Romæ Philippum II. in Belgio. In Luſitania Ioannem, Sebaſtianum, Henricum reges. In Polonia Stephanum Battorium: in Bauaria Albertum, Gulielmum, Maximilianum, duces Boios: in Franconia Iulium Epiſcopum: Parauii rempublicam Venetam: alibi alios, nec enim omnes numerari poſſunt, ſed nominatorum liberalitatem in hoc genere commendarunt Pontanus, Iouius, Pierius, Sigonius, Mercurialis, Robertellus, Iuſtus Lipſius, Turnerus, Puteanus, viri ob eruditionem nobiles.

Grammaticis medicos adiungit Seneca: ac falſe ſcribit, in Grammatica, & in arte medendi aut gubernandi bona & opulentiam, humilibus quibuſque contingere; cum tamen ſoli virtuti, virtutiſque ſtudioſo debeantur: atque ideirco, negat illas artes animi magnitudinem profiteri, nec ſibi ac ſuis interdicere admirationem talium rerum. At reſponderent illarum artium periti, non ex animi vilitate tantam ſe mercedem poſcere: nec ſe magni eam æſtimare: ſed nolle diſciplinas ſuas traduci vt viles, & conſentaneam operæ vtiliſſimæ ſtipendium poſcere, quod iuſtitiæ eſt quam liberaliter honorarunt plurimi, qui medicorum laborioſam induſtriam incredibili pene munificentia compenſarunt.

Medicorum merces immodica.
Sen. Epiſt. 77.
Liberales in Medicos.

Eraſiſtratus, qui floruit circa annum VC. de Antiocho rege ſanato, centum talentorum mercedem accepit à rege Ptolomæo filio eius. id eſt, ſexaginta millia aureorum, ex Budæi calculis.

Eraſiſtratus.
Plin. lib. 29. cap. 1.
Buda. lib. 2. de aſſe.

Nominatiſſimi erant medici, Caſſii, Carpitani, Aruntii, Albutii, Rubrii; qui annuam mercedem accipiebant à Principibus 250. H-S. id eſt, ſex millium ducentorum quinquaginta aureorum. Q. vero Stertinius principibus imputauit quod H-S. quingenis annuis contentus eſſet: ſexcena enim ſibi quæſtu vibis fuiſſe, memoratis domibus oſtendebat: id eſt, ſummam altero tanto maiorem à ciuibus habebat: nempe dena quina millia, cum duodena millia, quingentos aureos ipſi Imperatores penderent. Par & fratri eius merces à Claudio Cæſare infuſa eſt, cenſuſque, quanquam exhauſti operibus, Neapoli exornata, heredi H-S. trecenta relinqueret, quantum ad eam ætatem Aruntius ſolus habuerat: id eſt, ſeſtertium trecenties. Crinias autem Maſſilienſis centies H-S. reliquit muris patriæ, mœnibus quoque aliis pene non minori ſumma extructis. Charmis item ex eadem Maſſilia, ægrum ex ſuis Maſſilienſibus ſeu prouincialibus, ſanandum conduxit ſeſtertiis ducentis: id eſt, quinque millibus noſtrorum aureorum.

Q. Stertinius.
Crinias. Maſſil.
Charmis.

Quantam pituitatis mercedem accepiſſe Archontium vulnerum medicum? cui condemnato Claudius ademit ſeſtertium centies: id eſt, ducenta quinquaginta millia aureorum bonis illius confiſcatis. Idem tamen in exilio non minus adquiſiuit intra paucos annos, & cum Romam reuertiſſet. His omnibus antiquior, Democides talento vno ab Aeginetis, centum minis ab Athenienſibus, à Polycrate Tyranno duobus talentis in annos ſingulos conductus refertur.

Archontius.
Democedes.
Herodot. lib. 3.

Galeno etiam medicorum, poſt Hippocratem, principi amplas fuiſſe mercedes

Galenus lib. de cognoſ.

animi morbo .9.

inde collige, quod vt ipſe ſcribit annuatim ſolitus fuerit expendere decimam partem ſuorum prouentuum, reliquas ſorti adiicere: Ita ciues ſuos omnes diuitiis ſuperabat. Fuit tamen etiam ipſe patrimonio opulentus.

Thaddæus Florentinus Volatera. Sabelli. lib. 7. Ennead. 9.

Nec Chriſtiani principes, aut alii opulenti patresfamilias erga medicos fuere ſordidi. Thaddæus Florentinus, cuius extant libri de re medica, Honorio Pontifice Max. ſanato decem aureorum millia reportauit. Quod etiam narratur de Petro Aponio, qui Conciliatoris nomen inuenit. Sabellicus Matthæum Florentinum nominat.

Philip. Comi. Lib. 10. Com.

De Ludouico x. Galliæ rege ſcribit Philippus Cominæus. *Medico ſuo menſtruum dabat ſtipendium decem aureorum millia: nec id modo, verum etiam epiſcopatum Ambianenſem eius nepoti, & munera publica multa largiebatur eius propinquis & amicis.* Neque ea adulationibus eum extorſiſſe putes: nam ſubiungit. Et tamen medicus, tam erat verbis in eum aſper, & durus, vt ſit incredibile. Quocirca valde eum rex metuebat, & ad ſuos familiares de ipſius nimia aſperitate conquerebatur, nec tamen audebat illum à ſe dimittere. Imo medicus pro ſua conſuetudine aliquando ſeuerius illum interpellans: Non dubito, aiebat, quin me quoque ſis eiecturus, ſicuti reliquos omnes; verum ſanctiſſimo iuramento tibi confirmo poſt meum abs te diceſſum, non te victurum eſſe ſupra octauum diem. Qua comminatione perterrefactus rex medico adulabatur, & ampliſſima donabat munera.

Albicus Dubrau. lib. 23. Boëm. Anton Bonfi. lib. 2. De a. 3. Aene. Silu. Boëm. c. 35. & 42.

Quid de illius mercede ac ſtipendiis dicam, qui ampliſſimis, quas arte ſua compararat diuitiis gradum ſibi fecit ad præfecturam Pragenſis Eccleſiæ apud Wenceſlaum regem vt ſcribunt Dubrauius, Bonfinius, & Aeneas Siluius, qui medicum illum Albicum vocant.

Garimb. lib. 6. de vit. Pont.

Quid de ſtipendio Ferdinandi Pontettæ Neapolitani, qui vt Cardinalitium pileum conſequeretur non dubitauit LX. aureorum millia offerre, vt prodidit Garimbertus.

Quod datur Medicis, An merces. Petrus And. Canõhe. Proleg. pag. 36 Num. 74.

Quam ergo liberales fuiſſe oportuit, horum ſiue conductores ſiue patronos, à quibus tam ampla ad medicos merces perueneit? Si tamen id quod medicis datur merces dici poſſit. Negant enim medici ſe mercedem accipere, vt docet Petrus Andreas Canonherius volumine primo in Aphoriſmos Hippocratis. de quo alibi diſputo: nunc vt vulgus loquimur.

Iuriſconſultorum merces.

A quo minus donatur Iuriſconſulto, ſiue dum defenſionem deſertæ cauſæ ſuſcipit, ſiue dum accuſationem inſtituit: ſed plus à Principibus à quibus in Conſiliarios, Aſſeſſores, Præſides, Cancellarios, & horum Magiſtros, in legum interpretes, ac Profeſſores publicos adſumuntur, qui honores magni ſunt, vt fortaſſe idcirco ſpargatur.

Dat Galenus opes, dat Iuſtinianus honores.

Quem verſum recitat Accurſius digeſtorum exordio. Quod ſi honores in mercedis partem veniant, ampliori mercede Iuriſperiti conducuntur quam Medici.

Cauſſidicorum ſors.

Et habuerũt certe olim, qui liberali manu in illos operę bene nauatæ pretia profuderunt. Profecto Martialis non ſine ſtomacho queritur, nullum eſſe Muſis præmium: ſed in iudiciis tantum & apud cauſſidicos, verſari pecuniam. Quare monet Flaccum, Poëtam egregium, ſed tenui cenſu, vt deſinat poëtari, & ad forum ſe conferat vbi cauſæ aguntur, & larga legum-peritis præmia donantur.

O mihi

O mihi curarum pretium non vile mearum *Mart. lib. 1. Epig. 77.*
Flacce Antenorei ſpes & alumne laris.
Pierios differ cantuſque choroſque ſororum
Æs dabit ex iſtis nulla puella tibi
Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Mineruæ.
Hæc ſapit hæc omnes fœnerat vna DEOS.

Arcam Mineruæ vocat, forum Romanum, vt Perottus, & Raderus exponunt: ibi enim templum erat Mineruæ, cuius ſapientia eſt & opes, quas mutuo dare Diis fingitur.

Quid tibi cum Cirrha, quid cum Permeſſides vnda,
Romanum propius, diuitiuſque forum eſt.

Ad forum te conferas, iuriſperitum agas, cauſas tracta, ſi rem augere deſideras: forum propius eſt ad comparandas opes, quam Parnaſſus vel Helico, & multo diuitius.

Illic æra ſonant: at circum pulpita noſtra
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

Iuriſconſultis merces datur in ære, Poëtis in acclamationibus, & oſculis. Ideo & ſe monitum dicit à Tito.

Cogit me Titus actitare cauſas *Lib. 1. Epig. 17.*
Et dicit mihi ſæpe, magna res eſt.

Alibi idem Epigrammatographus petit à Caio vetere amico, copioſo, ac prædiuite, ſed ſordido concedi ſibi mutuo viginti ſeſtertia: id eſt, quingentos Philippæos: ſed reſponſum accipit. *Lib. 2. Ep'g. 30.*

Is mihi diues eris ſi cauſas egeris.

Nimirum, ſi pecuniam deſideras, linguam foro loces, mercenatiamque litigantibus facias, ampliſſimas tibi comparabis opes. Quod non ignorabat Ciperus quem lib. 8. fingit Martialis ex piſtore factum exemplo Iuriſconſultum. *Lib. 8. Epig. 16. Ciperus vel Syperus.*

Piſtor qui fueras diu Cipere
Nunc cauſas agis, & ducena quæris.

Seſtertia nempe, ſeu ducenta millia HS. 5000. Philippæos. An hæc merces, vel menſtrua vel annua Cauſidici? liberalis ſane, ſi fuit: vt merito Promocleris & Stratoclis verum cenſeri poſſit & prudens conſilium ad menſam auream ſe ſe inuitantium: id eſt ad tribunal, curiam & forum. *Plutarch. de inſtit. ciuili. ad Traicuſ.*

Sed non tanta ſemper fuit clientum in patronos ſuos liberalitas. Nam modicam ſane mercedem dabant, quando cauſidici hominum erant egentiſſimi. Audi Iuuenalem. *Modica merces Cauſidicor.*

—— Hinc centum patrimonia cauſidicorum *Iuuenal. ſat. 7.*
Parte alia ſolum rus Siſapone lacerta

Explicat Beroaldus: exiguum rus, non in Italia, ſed in prouincia, & ea remota, id eſt in Hiſpania tantundem valere, quantum centum cauſidicorum patrimonia. Quod ſi non totas mercedes abſumpſerint in culinam, fuerint oportet tam exiguæ, vt opificum viliſſimorum ſalaria non æquarint. Quod non obſcure inſinuat Satyricus dum ſubdit.

Rumpe miſer tenſum iecur.

Hæc materia ioci non ſemel Martiali, ſiue dum ridet Sabellum Iuriſperitum.

Lib. 1. Lib. 7.

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt: merito tumet Sabellus.

Plaut. Pœn. Act. 3. ſcen. 1. Plin. lib. 2. Ep. ad Maxim. Ouid. lib. 1. Eleg. 5.

Nam Saturnalibus munera dabantur ſeruis & egentibus, ſiue dum munera ad ſe miſſa, quæ viliſſima erant, elevat: Omnia miſiſti mihi ſaturnalibus vmber.

Plautus quoque aduocatos introducit pauperrimos. Et ternis denariis conductos inducit Plinius. Quæ fortaſſe cauſa cur Ouidius ingratum nominet forum.

Nec mea verboſas leges ediſſere, nec me
Ingrato voces proſtituiſſe foro.

Salaria publica Iuriſconſultorum.

Illud tamen ſemper obſeruatum animaduerti, vt quamuis cauſidicorum, aduocatorum, patronorumque exigua aliquando fuerit merces, quæ à reis, vel clientibus numerabatur: ſalariis tamen publicis Iuriſperitos etiam medicis fuiſſe ſuperiores.

Et decet Principes maxime, dum illos aduocant, & cathedris, ac ſubſelliis præficiunt, honeſtiſſimæ ac vtiliſſimæ operæ, non iuſtos ſolum æſtimatores, ſed liberales quoque remuneratores eſſe. Facit id ad principis decus, & reipublicæ ornamentum ac conſeruationem: tum vero etiam ad Academiarum incolumitatem. Quod ſuggerit Adamus Conzen N. in eruditiſſ. Politicorum opere qui ſic prudenter præſcribit.

Adamus Conzen. lib. 4. ca. 16. §. 19.

Salaria Doctorum ampla.

Theologis & Philoſophis de ſtipendio non iuſto modo, & legitimo, ſed amplo proſpiciatur. Iuriſperitis & medicis etiam opulentius donaticum concedatur: cum enim det Galenus opes: cum magnum excellentis medici praxis quæſtum faciat, non poteſt tenui ſalario ad cathedram, & quotidianas lectiones alligari. Tantum igitur eius ſit honorarium, vt Clinicos non inuiſat, nec inuiſere cogatur: imo hoc ipſum illi prohibeatur, ſatisfuerit ſi alios doceat, ſi à cæteris conſulatur.

Paruo ſtipendio magnos labores non ſuſcipiunt qui poſſunt paruo labore mereri magnum.

Iuſtinianus opes & honores ſuppeditat: Profeſſori itaque iuris ciuilis, atque etiam canonici tantum ſalarium conſtituatur, vt nec principis cancellariam ambiat, nec aduocatorum, qui conſulentium turbis opprimuntur, celeres opes & incrementa admiretur. Nam, vt quingentis aureis aſſiduos cathedra labores ferat, quem lautis ſtipendiis, magnis honoribus multi principes inuitant, quem aduocatum in maximis cauſis magnates poſcunt, ſperari non poteſt. Magni igitur Doctores, magna impenſa conducendi ſunt: nam, vt ille nobilem iuuentutem leges doceat, qui nullam non modo cauſam obtinuit, ſed ne perdere quidem potuit: quia nemo, tam ſimplex eſt cliens inuentus, qui ſtillicidium ei crederet, perinde eſt, ac ſi tironibus præfectum conſtituas, qui caſtra nulla vidit.

Paterfamilias liberalis in operarios.

Intereſt itaque reipublicæ, vt princeps liberaliter conducat, qui ſapientiæ operantur: nec minus intereſt rei priuatæ, vt paterfamilias copioſe mercedem reddat operariis. Quod haud neglexerunt aliqui, ſed quorum, præ tenacium ac ſordidorum cohorte, vix eſt numerus.

Cyrus Diodor. lib. 17. Pontan. de Prin ip. ex Pædia Xenoph.

Laudatur rex Cyrus, qui Arimaſpos, quod currus frumento onuſtos ad 30. millia adduxerant, ob hanc operam, ſibi opportuniſſimam, illos à tributis omnibus immunes eſſe voluit, magniſque inſuper affecit muneribus, & priori nomine antiquato, Euergetas appellari voluit. Fuitque hoc perpetuum Cyro vt liberaliſſimè remuneraret omne genus mercenarios, quippe qui nullum in ſibi obnoxios, ac deſeruientes liberalitatis munus negligebat: ideoque non amicos ſolum, ſed &

ſubditos

ſubditos omni rerum copia gaudere optabat, vt ex Xenophonte diſcimus. Eiuſdem animi erat Alexander Macedo, quem ſolitum prædicare legimus, à nemine ſe vnquam benignitate fuiſſe ſuperatum: itaque certabat cum ſuis ſtipendiariis, hi induſtria, ac fide, ille liberalitate mercedis. *Alexander. Cœlius lib. 7. cap. 28.*

Sed inter Chriſtianos hoc nomine digniſſimus commendatione eſt Leo 10. Pontifex, qui nulla in re ardentius, & effuſius, quam ad liberalitatis gloriam anhelaſſe videtur, eos principe loco indignos exiſtimans, qui nequaquam benefica manu fortunæ muneribus vterentur. Nemo enim vel ciuis, vel peregrinus, qui paulo nobilioris artis famam teneret, nemo vel male ſanus poeta, nemo alicuius optimarum litterarum partis non ignarus vnquam fuit, qui eius benignitatem non ſenſerit. Artificum & operariorum liberaliſſimus remunerator habebatur. Quare agreſtium populorum gratulatione atque lætitia tanta adueniebat ad oppida, pagoſque, vt cuncti eius aduentum vel fructuoſiſſimis meſſibus fertiliorem ſeſentire dictitarent. Atque hæc de primo conductoris liberalis officio. *Leo X. Iouis lib. 4. in Leon. 10.*

Secvndvm ſit, vt operariis, artificibus, famulis, etiam viliſſimis aliquid ſupra conſtitutam mercedem adiiciat. Ad hoc anhelant opifices & illarum operæ, ſicque incitantur ad exactius perficiendum & citius, quod inceperunt. Imo hoc non tam liberalis, quam iuſti conductoris eſſe exiſtimat Seneca: quod verum eſt, ſi peculiare quidpiam ſit in opere cui mercedis corollarium reſpondeat, vt ſi operoſius, ſi accuratius, ſi maiori cum cura in conductoris gratiam eſt quidpiam exequutus opifex. Conſuetudo etiam pene obligationem inducit dandi nonnihil præter conuentam mercedem, maxime operis ſecundariis, *Bibale* vocant Germani, apud quos pocula ad laborandum ſtrenue incitant, & de iis concepta ſpes: aliis dicuntur *Honoraria*: appendices ſunt mercedis pactæ. *II. Adiiciat ſupra conſtitutum.* *Sen. lib. 6. de Benef. c. 15. 16. 17.*

Quærit Seneca, an medico non aliud debeatur, quam mercedula; nec aliud præceptori quam quod ex conuentione numeratur? Reſpondet acute: Quædam pluris eſſe quam emantur. Emis à medico rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam: à bonarum artium Præceptore ſtudia liberalia & animi cultum. Itaque his non rei pretium, ſed operæ ſoluitur: quod deſeruiunt, quod à rebus ſuis auocati nobis vacant. Mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferunt. Sed eo reiecto, quia conſuetudine humana, paruo multa magna conſtant. *Plus debetur Medico & Præceptori quam mercedula.*

Addit tum, medico, & præceptori plus aliquid deberi, cum plus aliquid illi præſtiterint, quam ex officio teneantur: tunc enim ex medico & Præceptore in amicum tranſeunt, & benefactorem: noſque non arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna ac familiari voluntate. Itaque medico, qui nihil amplius, quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, ſine vllo affectu facienda, vitandane præcipiens, nihil amplius debeo, quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam inuocatorem, ac illius operæ conductorem.

Ne præceptorem quidem habeo, cur plus, quam ſalarium illi adnumerem, ſi me in grege diſcipulorum habuit: ſi non putauit dignum propria & peculiari cura: ſi nunquam in me direxit animum, & cum in medium effunderet, quæ ſciebat, non didici, ſed excepi.

Quid ergo eſt, quare iſtis debeatur multum, cum operam mercede in conuentione expreſſa locant? non quia pluris eſt, quod vendiderunt, quam emimus,

ſed quia nobis ipſis aliquid præſtiterunt. Ille plus impendit, quam Medico neceſſe eſt. Pro me, non pro fama artis extimuit. Non fuit contentus remedia monſtrare, ſed admouit. Interea ſolicitus aſſedit: ad ſuſpecta tempora occurſit. Nullum miniſterium odio illi, nullum faſtidio fuit. Gemitus meos non ſecurus audiuit. In turba multorum inuocantium, ego illi potiſſima curatio fui. Tantum aliis vacauit, quantum mea valetudo permiſerat. Huic ego tanquam Medico mercedem pactam debeo ex iuſtitia: tanquam benefactori & amico, corollarium gratitudinis titulo.

Præceptor etiam in docendo & laborem & tædium tulit, præter illa, quæ præcipientibus in commune dicuntur, aliqua inſtillauit & tradidit: hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus diſcuſſit deſidiam. Tum ingenium latens & pigrum, iniecta, vt ita dicam, manu extraxit, nec quæ ſciebat maligne diſpenſauit, quo diutius eſſet neceſſarius, ſed cupiit, ſi poſſet, vniuerſa transfundere. Ingratus eſt conductor, niſi talem Magiſtrum, vltra mercedem conſtitutam, remuneret.

Sordidiſſimorum quoque artificiorum inſtitoribus ſupra pactum aliquid adiiciendum eſt, ſi opera illorum enixior fuerit. Et gubernatori, & opifici viliſſimæ mercis, & in diem ſe locanti corollarium aſpergendum. In optimis vero actibus, quæ vitam, aut conſeruant, aut excolunt, qui nihil ſe plus exiſtimat debere, quam pepigit, ingratus eſt.

Mercenarius liberalis. Adiice, quod talium ſtudiorum traditio miſcet animos. Hoc cum factum eſt, tam medico, quam præceptori, precium operæ ſoluitur, animi debetur.

Eiuſdem Senecæ obſeruatione diſcimus, vti liberalis animi in ſeruo & mercenario eſt plus aliquid facere, quam ex locationis contractu obligetur, ita liberalis adfectus eſſe, & gratitudinis in patrefamilias, plus aliquid rependere, quam ex conducti lege teneatur.

Serui beneficia. *Seneca lib. 3. de Bene. c. 21.* Quædam ſunt, quæ leges nec iubent, ne vetant facere: in his ſeruus materiam beneficii habet. Quam diu præſtatur, quod à ſeruis exigi ſolet, miniſterium eſt: vbi plus quam quod ſeruo neceſſe eſt, beneficium. Vbi in affectum amici tranſit, deſinit vocari miniſterium. Eſt aliquid, quod dominus ſeruo præſtare debeat, vt cibaria, veſtiarium. Nemo hoc dixit beneficium. At indulſit, liberalius educauit, artes, quibus erudiuntur ingenui, tradidit, beneficium eſt. Idem è contrario fit in perſona ſerui. Quicquid eſt, quod ſeruilis officii formulam excedit, quod non ex imperio, ſed ex voluntate præſtatur, beneficium eſt: ſi modo tantum eſt, vt hoc vocari potuerit, quolibet alio præſtante.

Locator dat beneficium. Seruus, vt placet Chryſippo perpetuus MERCENARIVS eſt. Quemadmodum ille beneficium dat, vbi plus præſtat, quam quod operis locauit: ſic ſeruus, vbi beneuolentia erga dominum fortunæ ſuæ modum tranſit, & altius aliquid auſus, quod etiam felicius nato decori eſſet, & ſpem domini anteceſſit, beneficium eſt intra domum inuentum. Æquum tibi videtur, quibus ſi minus debito faciant, iraſcimur, non haberi gratiam, ſi plus debito, ſolitoque fecerint?

Hoc officii ſui eſſe putarunt munifici litterarum ac litteratorum cultores, qui mercedem pacti, nunquam ea ſola donatos Doctores dimiſerunt. Inter hos *Veſpaſianus.* *Sueton.* conductores nominandus eſt Imperator Veſpaſianus: qui primus è fiſco Græcis, Latiniſque Rhetoribus annua centena conſtituit. Præſtantes Poetas & artifices,

fices, tam liberali ſalario ſibi adiunxit, vt coemiſſe diceretur. Coloſſi refectorem magna mercede donauit. Apollinari Tragœdo cccc. ſeſtertia numerari voluit. Tarpeio, Diodoroque citharœdis, ducenta. Cuidam ſumptum increpanti, reſpondit: ſineret ſe plebeculam paſcere pane.

M. Antonius Pius Rhetoribus & Philoſophis non ſalaria, verum etiam honores & prouincias, vt mercedis coronidem decernebat. *M. Antonius Pius.*

Bardas Imperator Conſtantinopolis, à nulla re alia præterquam ab hac vna liberalitate commendatur: nam cum ignauia & inſcitia Imperatorum præcedentium in Græcia neglecta iaceret penitus Philoſophia, ipſe diſciplinarum ſcholas conſtituit, Doctoreſq; deſignauit, quibus publica ſtipendia liberaliter decreuit, honoremque habuit. *Pontan. de liberat. cap. 11. Et 12. Bardas Imp. Zonaras.*

Laurentius Medices in optimarum litterarum Profeſſores, & exquiſitarum artium opifices, cum earum eſſet intelligentiſſimus, ea congerebat, præter ampliſſima ſalaria, vt cæteri principes felici eo ſeculo, quo vera virtus pro opibus cenſebatur, ab vno ſe Laurentio Medice ſuperari indignarentur. Tum enim in hoc liberalitatis genere eximiis inter ſe ſtudiis certabant Matthias Pannonius, Regum optimus ac inuictiſſimus, Ferdinandus Aragonius & Ludouicus Sfortia. *Laurentius Medices. Ioui. lib. ſt. Vit. Leo. X.*

Ex eadem Sereniſſima Mediceorum familia Leo X. ab operariis colebatur maximè, quod eos & muneribus & operum mercede ampla ditaret, tam liberaliter, vt ſenibus ac pueris, puelliſque in viam effuſis, ac ruſtica munera paſſim offerentibus non modo pecuniam largiſſima manu rependeret: ſed etiam appellando humaniter ac ſciſcitando, quanam maximè in parte rei domeſticæ acrius à fortuna premerentur, virgines dote præuia ſubleuaret: affectis autem morbo & ætate, vel numeroſæ familiæ onere prægrauatis æs alienum protinus diſſolueret. *Leo X. Iouius lib. 10. cap. 4.*

Habemus etiam frequentatum fuiſſe apud Iudæos, vt mercenariis ſi diligenter nauaſſent operam, amplius quid quam merces conſtituta, daretur. Exemplum eſt præclarum in vxore Tobiæ, de qua ſacer Codex: *Anna vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum, victum, quem conſequi poterat, deferebat. Vnde factum eſt, vt hœdum caprarum accipiens detuliſſet domi.* Hœdum hunc fuiſſe mercedis auctarium, clare colligitur ex verſione Græca, in qua eſt, quod domini, quibus operam locauerat ἀπέδωκαν αὐτῇ καὶ αὐτοὶ τ̄ μισθὸν προσδόντες καὶ ἔριφον: *retribuerunt ei, ſeu reddiderunt ipſi, & illi mercedem, addentes etiam hœdum.* Reſponſum eſt etiam ab illa marito δῶρον δέδοταί μοι ἐπὶ τῷ μισθῷ: dono datus eſt mihi ſupra mercedem. *Apud Hebræos aliquid ad mercedem adiectum. Tob. 2. 19. 20.*

Idem colligitur ex Hebræo, in quo non ſolum Anna introducitur, dicens; *Datus eſt mihi hœdus ſupra mercedem meam*: verum etiam Tobias, librum ſcribens poſt diligentem inueſtigationem ita ſenſum exprimit: *Factum eſt quodam die & dederunt ipſi hœdum in mercedem ipſius*: id eſt, cum mercede, vel vltra mercedem. In textu enim Hebræo Tobiæ, quem Paulus Fagius Romane reddidit, allatum è Græcia, ſcribitur, quod dederint illi hœdum בשכרה *biſcharah* quod licet tam Fagius hæreticus, quam Münſterus apoſtata vertunt, *pro mercede*: contradicit tamen illis non ſolum textus Græcus, verum etiam, vt notauit Nicolaus Seratius præpoſitionis Hebraicæ vſus in hac hiſtoria.

Si enim pro mercede datum hœdum intellexiſſet Tobias ab vxore, cur tam difficilem ſe demonſtraſſet ad credendum: vtpote qui ſciret eam laboraſſe & mercede dignam: pecuniam autem nullam videret, aliamve mercedem. Quid ergo mirum fuiſſet, hœdum mercedis nomine donari, atcundem gratis, ac ſupra mercedem veluti corollarium quoddam aduci nouum merito videri poterat. Huiuſmodi autem donationis modũ innuunt verba, *dandi*, quibus Græcus & Hebræus vtitur, & quod Latinus habet *accipiens: Factum eſt, vt hœdum caprarum accipiens*, nempe dono, vltra ſortem, detuliſſet domum. Atq; ita intellexit textum Periouius, qui ita ſententiam clarè explicat: *Cum dextrino opere quotidie ea, quæ ad victum communem pertinebant, pararet, aliquando hœdum, præter mercedem acceptum intulit.*

Auctarium ſupra mercedem.
Gloria.
1. ad Cor. 9. 16.
Luc. 7. 10.

In alio operæ nauatæ genere, auctarii mentionem facit Apoſtolus Paulus, vt in alia commentatione declarauimus. Dum enim 1. ad Corinth. 9. *ſi euangelizauero non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit*: non loquitur de mercede, quæ labori locato, iure reſpondet: ſed de mercedis cumulo, & corollario, quo operarii, qui plus præſtant, quam iure debent, donari ſolent. Vt autem hic augmentum illud vocatur *Gloria*: ita Lucæ b. 32. videtur dici Gratia. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia*: hoc eſt, Quid vobis amplius dabitur, quam præciſe merces illi operi reſpondens: nihil amplius vobis dandum eſt, cum ſerui inutiles ſitis: qnod debuiſtis facere, feciſtis. Ex quo etiam diſce mercenarium plura facientem, quam iure teneatur, phraſi Euangelica vocari, vtilem: alterum vero inutilem, qui vltra nil præſtat, quam ad quod contractus obligat.

Mercenarius Vtilis.

Operariorum munuſcula.
Sportula.
Strena.
Bibalia.
Ital. Mancia.

Itaque in operarios gnauos, celeres, liberales ſparguntur ſportulæ, munuſcula, ſtrenæ, bibalia, quæ liberalis conductor larga manu mittit. Ita olim apud Romanos Saturnalium diebus munera dabantur mercenariis domeſticis externisque: & à clientibus patronis ipſis. Hinc illud Martialis.

Lib. 7. Ep. 52.

Omnia miſiſti mihi Saturnalibus vmber
Munera, contulerant, quæ tibi quinque dies.

Vnde alibi conqueritur ſibi nihil miſſum à quodam.

Lib. 4. Ep. 89.

Nulla remiſiſti, paruo pro munere dona
Etiam Saturni quinque fuêre dies.
Ergo nec argenti ſeu ſcrupula Septiliana:
Miſſa nec à querulo mappa cliente fuit.

Alia rerum genere miſſitari ſolita enumerat Lib. 13. & 14. Ita quoque dabantur & à priuatis antiquitus honoraria artium Doctoribus, quamuis non docerentur ab illis vt conſtat ex Scæuola *L. Titia herede* 29. §. Qui Mario de annu. legat. ita modo, ſalariis Doctorum multa adiiciuntur quotannis, & à gratis diſcipulis offeruntur, Magiſtrorum erga ſe adfectum, & induſtriam ſingularem profeſſis. Ad hæc

III. Anticipate ſolutis.

Tertio liberalitatis eſt, anticipata ſolutio mercedis debitæ. Cum enim mercenarii, illi potiſſimum, qui operas mechanicos locant, ſint fere egentes, certe tenuioris fortunæ: antequam opus perfecerint, mercede, quam nondum meruerunt indigent, imo ſi laborandum ſit, inde alimoniam curant, vt liberalitatem conductoris ſæpe deceat paupertati ſuorum ante tempus exactum occurrere.

Doctorum ſalaria quando numeranda.

Hoc titulo cõmendantur Doctorum Mecœnates, quibus conſuetum, in anteceſſum

Digitized by Google

ſum numerare ſtipendia. Imo leges hanc liberalitatem poſtulant. Nam ſalarium lectionis debere perſolui in principio anni probat Baldus in L. 1. *de ſuffrag.* C. vel ſaltem in medio anni vt idem habet in L. *Per hanc* de Aduoc. diuerſ. iud. C. & Alex. in L. *Diem functo.* de Aſſeſ. P. Sed non minus id faciendum eſſet alterius ſortis operariis, qui magis, quam liberalium artium Profeſſores ſæpe indigent, ea eſſet perfecta in ſuos mercenarios liberalitas, quam qui colit, laudem meretur, & renuiorum ſibi deuincit animos: illum artifices vt patronum colunt, illi operarii omnes perlibenter operam locant, illi famuli famulæque felicitatem adprecantur. *Hor. 2. Carm. 2.*

Viuat extento Proculeius æuo,
Notus in ſeruos animi paterni:
Illum agat penna metuente ſolui,
Fama ſuperſtes.

COMMENTATIO XI.

Officium humani conductoris erga ſuos mercenarios.

Dominica Septuageſimæ.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et lingua eucharis in bono homine abundat. Eccleſ. 6. 5.

Comites liberalitatis. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

LIBERALITATIS duæ ſunt comites, humanitas & clementia: quas, cum à nullo virtutis cultore abeſſe conueniat, tum operarum conductori ſemper adſiſtere magis, quam vlli alteri hominum neceſſe eſt. Nam niſi liberalitatem ſuam conductor humanitate, ac clementia exornet, nunquam ſibi ſuorum adfectum integrè mancipatum habebit. Quot enim, quamuis penè prodigi, ob aſperitatem verborum, & ſupercilium, ac quæ his ſunt annexa, odium meriti, non vt patres amantur à famulis, ſed vt tyranni metuuntur? Itaque ne hæc abſint à conductore, quem informo, decora humanitatis & clementiæ erga mercenarios partes indicemus.

Mercenarii Famuli Serui.

De mercenariis autem dum loquimur, vniuerſe famulos & ſeruos omnes, tam vrbicos, quam agrarios intelligimus.

Cic lib. 1. offic.

His enim, *vti, vt mercenarijs, ad operam exigendam & victum præbendum* præſcribit in officiis Cicero. *Et, ſeruus nihil aliud eſt* Chryſippi ſenſu, *quam perpetuus mercenarius.*

Non grauandi nimis laboribus mercenarii.

Principio igitur, diligenter cauet paterfamilias, ne immoderate grauentur miniſtrantes ſibi ac laborantes. Attendit ad cuiuſque valetudinem, vires, robur, quorum intuitu plus aut minus iis imponit & à ſingulis exigit. Non omnia poſſumus omnes, aiebat ille, quod conductori magis penſandum eſt, quam operario, vt propterea proportione ſeruata ſuum cuilibet laboris modulum imponat. Quam hoc Deo ſemper cordi fuit, qui idcirco hanc prouidentiam ad bruta etiam deriuari ſinit?

Deut. 22. 10. Io. Azor. to. 1. Inſt. lib. 8. cap. 2. q. 9.

Lex eſt de conducto pecore: *Non arabis in* (id eſt cum) *boue & aſino.* Quam idcirco latam ſuſpicatur non male Ioannes Azorius N. quia Iudæus, qui aſinum tantum, aut bouem tantum habebat, bouem, aut aſinum forſitan conducebat & deinde ad arandum vtrumque iungebat, ex quo naſcebatur id incommodi, vt aſinus conductus, vtpote boue infirmior, plus quam par erat in arando pateretur: bos

quoque conductus male tractabatur, vna cum aſino ad agros aratro ſcindendos & colendos iugatus, eo quod plus oneris ea ratione boui imponeretur.

Plutarch. in Platone.

Præceptum datur patrifamilias dum conducit operas infirmioribus ac robuſtioribus, iuxta proportionem onera eſſe imponenda: nec ſociandos inæquales, ne plus æquo alter grauaretur. Platonem ferunt dixiſſe, cum duos diſcipulos ſuos Xenocratem, qui tardiori erat ingenio, cum Ariſtotele acerrimi ingenii homine copularet: *Hui, qui aſinum cum equo ſociabo? hic frenis, ille calcari indiget.*

Greg. lib. 1. Moral. cap. 16.

Ex eodem principio ducit Gregorius altiori ſenſu: *Fatuum ſapientibus in prædicatione non ſocies: ne per eum, qui rem implere non valet, illi qui præualet, obſiſtas.* Quod obſeruet, qui pro vinea cæleſtis patrisfamilias operas emittit. Non aptis ineptiſque eadem imponat officia; vt fit à quibuſdam, qui, ac ſi Deo pares eſſent, electione ſua idoneos ſe facere poſſe exiſtimant. Non ex quolibet ligno, tua euocatione fit Mercurius. Aliud boui, aliud aſino conuenit. Non arabis ex Dei mandato in boue & aſino.

Lex de boue & aſino propter homines.

Sed nunquid de bobus cura eſt Deo, inquit Paulus 1. Corinth. 9. 9. Eſt vtique, vt recte monent Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Hieronymus: ſed inſinuat Apoſtolus, eam legem non propter boues primario conditam eſſe, ſed propter homines, vt eos ad humanitatem & beneficentiam informaret. Pecudis conductæ habenda ratio eſt, multo magis hominis.

Iuſtus nouit iumentorum ſuorum animas. Prouer. 12. 10.

Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, inquit Sapiens: hoc eſt, vt exponit Epiſcopus Gandauenſis: Iuſtus non tantum hominum ſibi commiſſorum curam habet & rationem: ſed & iumentorum ſuorum animas nouit: id eſt, attendit ſua iumenta, eorumque habet rationem, ſolicitus, ne plus æquo in laborando exigatur ab eis, & ne quid eis deſit: multo magis ea præſtans erga homines ſibi ſubditos, filios, ſeruos, & mercenarios.

Rodolphus.

At, comparationem in iis latere exiſtimat Rodolphus, quaſi dicat, ſapiens, bonum & humanum patremfamilias ita proſpicere ac benefacere famulis ſuis, ſicut iumentorum curator ſuis pecoribus, vt bonus paſtor ouiculis, haud ſequius enim ille operariis ſuis commode omnia, & ex adfectu peculiari adminiſtrat.

Verum D. Chryſoſtomus ſententiam illam accipit etiam comparatiue, per modum augmentationis. *Sunt*, inquit, *ſanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non ſolum erga ſuos, ſed etiam alienos: ita vt hanc ſuam manſuetudinem ad animantia quoque bruta extendant. Propterea & ſapiens quidam dixit:* Iuſtus miſeretur animarum iumentorum ſuorum. *Si ergo iumentorum, multo magis hominum.*

Ferdin. Salazar. Prouer. 12.

Optima collectio, vt animaduertit Ferdinandus Salazar N. Nam fieri non poteſt, vt eius, quem animantium rationis expertium miſericordia capit, non etiam multo maior hominum miſeratio tangat præcordia.

Iumenta mercenarii.

Quid ſi per *iumenta*, in dicto ſapientis, intelligas ſymbolice, mercenarios homines? Quid enim illi ſunt aliud, quam iumenta? Ita ſentiebat Dauid, fideliſſimus Dei operarius, qui de ſe profitebatur, *vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Pſal. 72. 23. Nimirum, aiebat ſe eſſe, ac fore mercenarium, qui ſineret ſe moueri, agi, trahi, & quouis tribulationis onere grauari, nec tamen vnquam à diuino latere diſceſſurum vt Græci Patres exponunt, additque Euthymius laudabile eſſe, vt nos habeamus, tanquam iumenta Dei.

Horum

Horum itaque iumentorum animas, vitam conditionem penſat, ac ponderat luctus, ne nimium grauentur, & ſanitati, ac valetudini obſit.

Addit venerab. Beda. *Compatitur & miſeretur hebetudini, ac fragilitati proximorum ſibi commiſſorum.* Si iumentum hoc non percipiat mentem imperantis, ſi minus commode omnibus inuigilet, ſi non tam velociter ac vellet paterfamilias moueatur, ſi impingat interdum, non ſubito fuſtem arripit, non verbis atrocibus minatur, non enſe ferit: nouit animas iumentorum ſuorum.

Contrarium faciunt homines quidam inhumani, atroces, ſæui. quare ſubdit Sapiens, *viſcera impiorum crudelia*: nullius mercenarii, nedum beſtiarum miſeria commouentur: pluſque à laborantibus ſibi, ſiue hominibus ſiue iumentis exigunt, quam præſtare poſſint, nec tamen viciſſim, quæ neceſſaria ſunt, liberaliter operantibus ſubminiſtrant, vt obſeruat Ianſenius. Qui etiam exiſtimat ſapientem reſpexiſſe ad legem illam

Non alligabis os boui trituranti Deut. 25. Quod Paulus 1. ad Timoth. in hunc modum profert, *Non infrenabis os boui trituranti*. Vulgatus interpres: *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* *Bos triturans* *Deut. 25. 4.* *1. Corin. 9. 9.* *1. Tim. 5. 18.*

Exiſtimantur enim Hebræi, magna crudelitatis demonſtratione bobus arantibus ita iugum imponere conſueſſe, vt frenum etiam, ſeu capiſtrum adderent, ne paſcendi gratia de arandi labore quicquam remitterent. Vetat hanc inhumanitatem DEVS, & non vult hoc frenum imponi, vt iumentum interim paleis veſci queat ac ſe refocillare.

Eleganter Tertullianus, *Boui etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præſentis laboris. quo facilibus in pecudibus præmeditata* HVMANITAS, *in hominum refrigeria erudiretur.* Et alibi *Cum etiam hæreticorum Apoſtolus ipſam legem indulgentem bobus terentibus os liberum, non de bubus ſed de nobis interpretetur.* quid ab hominibus requirat, ſatis indicat. Iterum. *Boui terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere ſubmouendi ante præcepit, quia dignus operarius mercede ſua.* Tandem Apoſtolus, *ex labore ſuo vnumquemque docens viuere oportere ſatis exempla præmiſerat militum, paſtorum, ruſticorum; ſed diuina illis auctoritas deerat. Legem igitur opponit Creatoris, ingratis, quam deſtruebat* (agit contra Marcionem) *ſui enim DEI nullam talem habebat*: Boui, *inquit*, terentios non alligabis: *& adiicit*; Nunquid de bubus pertinet ad Dominum? *etiam de bubus propter hominem benignus!* *Tert. lib. 2. in Mar. cap. 17.* *Lib. 3. cap. 5.* *Lib. 4. cap. 21.* *Lib. 5. cap. 9.*

Itaque & Sapiens iumenta nominans, homines etiam intellexit, docere volens, Iuſtos & mercedem laborantibus dare & humanos ſe præbere: Iniuſtos contrarium facere: quorum viſcera ſunt crudelia: Hebraice רחמי Rachame *miſerationes crudeles*: id eſt, vt exponit Quirinus N. tunc etiam cum lenius agere videntur, ſæuiunt. LXX. *τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἀσεβῶν ἀνελεήμονα: viſcera impiorum immiſericordia.* Bonus, clemens, humanus paterfamilias compatitur operariorum ſuorum imbecillitati. Crudelis & malus non ſolum non compatitur: ſed iuxta quod Dominus ait *Percutit ſeruos & ancillas: & alligat onera grauia & importabilia*, non iumentis ſolum, ſed etiam hominibus. Eſt enim hoc obſeruatum, quod qui efferi ſunt in iumenta, crudeles quoque eſſe in homines: & qui iumenti ſui miſereſcit, hominis operarii facilius miſericordia capi. Cerne Neronem, monſtrum illud noſtri generis, paſcitur animalium laniena: ſed non minus carnificina hominum. An idcirco alicui laniones, vt optimi carnifices adſciſcuntur, à iuſtitia ad puniendos reos? Ita refert Gregorius Toloſanus. *Matt. 24.* *Suet. in Ner.* *Greg. Tolos. lib. 30. cap. 38.*

Nec

Digitized by Google

Nec male Opianus venationem laudans, eam tamen ſi nimis longa ſit Regibus interdicit, Ne, vt loquitur, *cæde animalium delectati hominum quoque interneciones cogitent.*

Opian. lib. 2. de venat.

DEINDE vero, ad hanc humanitatem erga operarios ſpectat laborum aliqua intermiſſio, vt alterna requie vires reſtituant, & alacrius per ceſſationis & laboris viciſſitudines ad conſueta munia redeant. Obſeruauit illud Salomon in ædificatione templi Ieroſolymitani. Nam vt ſcribitur 3. Reg. 4. Elegit operarios de omni Iſraël, & erat indictio triginta millium virorum, mittebatque eos in Libanum decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita vt duobus menſibus eſſent in domibus ſuis.

Operariis danda laborum intermiſſio.

HVC præterea facit in cohortando ſuauitas, in diſquerendo de ipſorum neceſſitatibus ſolicitudo, in ſubleuando, ſi deficiat anxietas, in loquendo adfabilitas, familiaris quoque agendi modus, quantum vtriuſque permittit conditio, domini & famuli conductoris & mercenarii. Quod minime neglexerunt in gente Hebræa primi illi Patriarchæ, homines opulentiſſimi, quibus admiranda fuit erga operarios & domeſticos humanitas: principum quoque ac regum in eadem republica. Sed non deſunt in hoc genere legis nouæ exempla, poſtquam Rex regum, formam ſerui accepit, & humaniſſime ac beneuolentiſſime cum operariis vineæ ſuæ egit, quibus etiam tam fuit familiaris, vt non tam Domini perſona ſuſtinere videretur, quam Patris: imo non ſeruos, qui illi tamen ſeruitutem debebant, ſed amicos vocauerit, imo, filiorum & fratrum loco habuerit.

Humanitatu functiones.

De S. Martino ita refert Seuerus Sulpitius. *Cum eſſet annorum quindecim raptus & catenatus, ſacramentis militaribus eſt implicatus, vno tantum ſeruo comite contentus, cui tamen verſa vice dominus ſeruiebat, adeo vt plerumque ei & calceamenta ipſe detraheret, & ipſe detergeret, cibum vna caperent, hic ſæpius miniſtraret. Multa illi circa commilitones benignitas, mira caritas, patientia vero, atque humilitas vltra humanum modum.* Quibus virtutibus ita omnium animos deuinxerat, vt eum miro venerarentur affectu.

S. Martinus. Seue. Sulp. in vita Sur. Nou. 11.

Lius eſt in hoc genere ſingularis S. Caroli Borromæi Cardinalis, qui quam comis fuerit erga ſuos, & quantam ipſorum curam habuerit, domeſticorum ipſius teſtimonio conſtat, qui hoc dictitare ſunt ſoliti, S. Cardinalem amaſſe ſuos omnes non vt ſeruos, ſed vt filios & fratres, & large ſuppeditaſſe, quæ oportebat. Quinetiam, quanquam nollet ab vllo ſibi ſeruiri ſpe vllius beneficii Eccleſiaſtici, omnium tamen merita pro ratione perſonarum, atque pro meritis cumulate remunerabat. Inſuper etiam conſueuerat, quotquot domi habebat, alloqui, interdum etiam cum ſingulis colloqui, etiam infimis atque ex ipſo ſtabulo, & coquina, vt reſciret, quomodo tractarentur, & an alicui fieret iniuria.

S. Carolus Borromæus. Amat ſeruos vt fratres.

Et quamuis in ſeipſum valde ſeuerus eſſet, in famulos tamen omnem moderationem tenebat. Itaque cum nocte ad ſua ſtudia ſurgebat, ne quemquam moleſtia vlla adficeret, ipſemet manu ſua lumen petebat ex lampade, quam ob hanc cauſam in ſuo cubiculo ardere continuo volebat. Ipſe quoque cùm maturum erat anagnoſtæ ſuo lumen deferebat, ſed ſilentio ne dormientem excitaret, vt cùm deinde expergiſceretur, accenſam inueniret lucernam. Idem etiam cum aliquis ſuorum ægrotaret, iubebat eum omninò quam diligentiſſime curari, eique muneri homines peritos, & caritate Chriſtiana flagrantes præfecerat, ac ſubinde ab aliis domeſticis viſitari volebat, & ipſemet etiam viſitabat, non ſolum nobiliores,

Seuerus in ſe in famulos moderatus.

res,ſed & iuſimos, tanta eomitate & ſuauitate, & nemo eſſet, cui non illa Domini ſui humanitas morbum leuare videretur.

Hæc ſe ex intimis Sancti Cardinalis aecepiſſe teſtatur Hieronymus Platus N. in libro de Cardinalitia dignitate: eademque relata reperio in Theſaur. Polit. aphoriſm. Eiuſdem Sancti Principis relege Epiſtolam ad Battoreum Cardinalem, ſi amas intueri tabulam omni præceptorum genere refertiſſimam, quibus vitam probus paterfamilias ad omnem religionem ac humanitatem componat.

Hier. Platus lib. de Card. dig. cap. 23. Theſaur. polit. aphor. lib. 5. cap. 1.

Eodem nomine commendatur Iulianus Cardinalis Cæſarinus, qui cùm exiguos haberet reditus, non ampliores ſane, quam à Galero, & tenui quadam Eccleſia percipiebat, medioerem alebat familiam, quæ erat triginta omnino hominum; ſed hanc præcipuo amore complectebatur ac fouebat. In morbis ipſe, tum neceſſaria præbebat omnia, tum etiam vltro inuiſebat, & conſolabatur ægrotos, multiſq; contigit, vt in eius manibus cum magno ſuo ſolatio ſpiritum Deo redderent.

Iulianus Cæſarinus. Idem ibid.

Quid celebro Cardinales, cum poſſim producere Pontifices, omitto antiquiores ſacris factis inſcriptos quibus vt nulla virtus, ita multo minus hæc quæ hominis eſt propria, defuit. Pius II. vt ſcribit Platina mira comitate & facilitate erga omnes domeſticos vtebatur. Quos vel inſcitia vel ignauia deliquiſſe deprehendiſſet, paterna caritate admonere potius, quam ſeuera obiurgatione excipere ſolebat.

Pius 2. Platina in vita Pont.

Addidit humanitati Pius V. ſedulam curam pietatis & religionis. Quare ſtatim Pontificatus initio magno ſtudio familiam Pontificiam reformauit: multa iis ad officium eccleſiaſticorum ſpectantia præſcripſit, quæ vt obſeruarentur exemplo ipſe præibat. In ſuorum motibus, habitu, colloquio, & tota denique viuendi ratione, nihil vitioſum, aut, quod praui eſſet exempli tolerabat. Tandem eiuſmodi ſe familiam habere velle dicebat, quæ & vita & habitu cæteris exemplo eſſet, nec tam miniſtrorum numerum, quam virtutem & integritatem ſe velle. Plura recenſet Surius in Chronico ad annum M. D. LXVI. Tantum autem potuit humanitas domini erga ſuos in aula Dauidis Scotorum Regis, vt mercenarii omnes ſe mutuo, vt fratres amore proſequerentur, & nullæ rixæ, nullæ audirentur querelæ. Imo, vt ſcribit Hector Boethius in Scotica hiſtoria, non monaſterium vllum tanta concordia, tantaque religione conſpirauit, quanta Dauidis familia regia.

Pius 5. Sur. in Com. Dauid Scotor. Rex. Hector Boëthius lib. 12. Hiſt. Scot.

In his humanitatis officiis minime negligendum eſt quod cum facillimum ſit, rariſſimum tamen apud quoſdam eſſe ſolet, ſalutationis beneuolæ ſuauitas. qua mirum in modum recreantur operariorum animi, & excitatur in patremfamilias amoris plenus adfectus. Quem cernere licuit in mercenariis Booz, viri apud ſuos opulenti, ac nobilis, quemque Iuriſconſultum fuiſſe probat ex Chaldæo Paraphraſte Franciſcus Feuardentius.

Salutationis officium. Booz Ruth. 2. Frãc. Feuard. in Ruth. pag. 142. & 143.

Is, quamprimum ad mercenarios ſuos in agrum venit, ſalutem iis dixit humaniſſime, vt eſt Ruth 2. in illos enim tanquam benignum ſidus oculos detorquens ait, DOMINVS VOBISCVM, qua ſalutationis formula nihil non boni imprecatus eſt, ſed illa tamen ſignatè, quæ mercenariis maximè ſunt opportuna ad negocium ſuum exequendum, valetudinem, laboris patientiam, æſtus tolerantiam, lætitiam & iucundam refrigerationem, frugum copiam, ac maturitatem & his ſimilia, vt præclatè diſſerit, Boozi humanitatem laudans, Nicolaus Serarius N.

Ruth. 2. 4. Nicol. Sera. Quæſt. 13. Q. 14.

Digitized by Google

qui addit, reperiri dominos quoſdam, qui ſi ad ſeruos aut mercenarios ſuos accedant in opere occupatos, tantam præ ſe aut grauitatem aut maieſtatem ferunt, vt illos tantummodo, & quidem ſæpe inflatis buccis, rugatiſque ſuperciliis aſpiciant, nullo autem dignentur verbo, niſi forte imperioſo, truci, ac minitabundo, nulla vnquam impertiantur ſalute.

Humanitatis fructus. Non ſic humaniſſimus paterfamilias Booz, cuius imitandam valde comitatem & affabilitatem monet Serarius, quod ea ſeruorum, operariorum, inferiorumque omnium, mirabilem in heros, dominos & ſuperiores beneuolentiam & amorem excitet, fidelitatem pariat, induſtriam exacuat. *Se ſiquidem à dominis & ſuperioribus diligi, ſeque non omnino deſpici & pro nihilo putari cum ſentiunt infimi, delectantur, & gaudent, indeque in illos à quibus delectationis & gaudii hoc accipiunt, beneuoli, fideles, obſequioſi & deuoti, exiſtunt: inde muniis operibuſque ſuis funguntur accuratius, dominorumque vtilitati conuenientius. Qui ſecus agunt domini, ſeruos habent contumaces, & mercenarios, vel parum ſedulos, vel infideles, quibus magiſter officii, timor ſolummodo, & lucrum. Ille vbi abeſt, iſtud vero quoquo tandem modo adeſt, dominos, & conductores nihili faciunt: eos oderunt: eos quaſi tyrannos, & immanes quoſdam ex hominum ſublatos numero diſcupiunt.*

DEVS indignatur. Præclara monita, quæ vt obſeruentur, moueat DEI beneuolentiſſimi patrisfamilias indignatio erga iſtiuſmodi duros, & arrogantes efferos operarum vexatores. Eam DEVS ſingulari quodam exemplo teſtatam relinquere voluit, vt quid mereantur crudelitate ſua alieno incommodo diſcant ſæui patresfamilias, & quod paria non ferant, gemina meriti, indulgentiæ diuinæ adſcribant, non æqualitati ſuæ.

Mulier ob acerbitatem in ancillas punita. Greg. Alex. in vita Chryſ. Hiſtoriam, vt eſt in vita S. Ioannis Chryſoſtomi, à Gregorio Alexandrino conſcripta refero. Mulier quędam Chriſtiana nomine iam annos ſupra ſeptem profluuium patiebatur ſanguinis: Contubernalis vir eius, vt qui anxiam ageret curam pro eius curatione, multa iam inſumpſerat in medicos, nec quicquam valuit efficere; Eadem cum audiſſet, quæ per Ioannem Chryſoſtomum DEVS edidiſſet ſigna obſecrabat virum ſuum, vt ſe traduceret ad illum: credebat enim: tametſi ſum indigna, quæ cernam Angelicam eius effigiem, at certe noui quia non à ſe me reiiciet, neque abominabitur me peccatricem: exemplum imitatus communis omnium Domini, quia à ſe nunquam diſpulit ſimili vitio obnoxiam, ſed tactu fimbriæ veſtimenti ſui ſanitati reſtituit. Huius igitur vir cum iumento impoſuiſſet duxit ad monaſterium, & relicta ea extra ianuam vna cum ipſius comitibus ingreſſus ad Ioannem proiecit ſe ad pedes eius dicens: Pater auxilio ſis nobis apud DEVM. His dictis cauſam expoſuit aduentus. Tum Ioannes excuſatione facta de tanta poteſtate ſibi data & allatis cauſis, cur DEVS homines percutiat, dixit: Dic vxori tuæ, finem vt imponat impudenti ſuæ voluntati: deſinat à præfracta & contumaci temeritate, qua erga ancillas ſuas vſa eſt, agnoſcens ſe eſſe eiuſdem cum eis naturæ, & ex eadem conſperſione ſiue maſſa conditam, tametſi in præſenti vita domina earum vocetur, iſthæc omnia demolitur ac diſſoluit, factaque repentina impreſſione, vtramque (dominam & ancillam) exæquat. Dic rurſus vt ſedulo curam obeat animæ propriæ, ſolicite incumbens refouendis pauperibus & egenis. Obſeruet præfinitos, & expreſsè ſtatutos dies Sanctorum ac venerabilium ieiuniorum. Iiſdem diebus ne ſe contaminet per ingluuiem immoditam, ſed in ſancta Dei Eccleſia vacet orationi: Quod ſi hæc audierit, & obſeruauerit, Deus quoque vires ſuggeret & ſanitatem. Vir autem hæc omnia renunciat

vxori. At illa exerta voce ait: Pater ſancte, tua hæc cumprimis honoranda, & quæ Deum nihil dedecent præcepta omnia obſeruabo ad extremum vſque vitæ halitum. Reuerſus ad ſanctum vir eius dixit: Ecce, pater, condixit, quæ à tua ſanctitate iuſſa ſunt ei omnia ſe facturam.

Reliquum eſt, vt ne nos auerſeris, vt ne excidamus aut fruſtremur prærepta ſpe noſtra eo vſque humiliati. Tunc reſpondens. B. Ioannes dixit viro: Perge in pace, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanabit eam à tormento, quo cruciatur. Eadem hora ſe ſtitit ſanguinis profluuium, ſenſitque ſibi eſſe reſtitutam ſanitatem. Cumque gratiarum actionem exoluiſſent qui cum ea erant, vniuerſi receperunt ſe in domos, quique ſuas cum gaudio magno publico præconio proteſtantes beneficia & admirabilia Dei opera erga ſe facta per S. ſeruum ſuum Ioannem.

Quamuis autem plurima ſint, quæ incitare poſſint patremfamilias, ad humanitatem, & clementiam operariis ſuis exhibendam: nam & inprimis ipſius intereſt, habere famulos obſequentes, operarios ſedulos, mercenarios ſibi addictos, denique ſeruitium ſiue domeſticum, ſiue forenſe ad omnem nutum verſatile: tamen duæ rationes ex diuinis oraculis potiſſimum educuntur, quibus mirificè, & dominorum erga famulos moroſitas comprimitur, & eorundem beneuolentia ac humanitas prouocatur. Prior DEVM ſpectat: poſterior naturæ humanæ communionem. *Cauſa cur paterfamilias humanus erga famulos eſſe debeat.*

Si DEVM conſideret paterfamilias, animaduertit illum in operarios ſemper fuiſſe indulgentiſſimum, maximè ſi ex fidelium numero fuerint, & populo ſibi dilecto. Quas ille non leges tulit in ſeruorum & ancillarum gratiam? Exodi 21. præcipit, vt ſerui ſeptimo anno liberi dimittantur: id eſt, libertate donentur. Leuitici 25. ita lex loquitur. *Si paupertate compulſus, vendiderit ſe tibi frater tuus, non opprimes eum ſeruitute famulorum, ſed quaſi* mercenarius, *&* colonus *erit. Mei enim ſerui ſunt* (obſtupeſce benignitatem patrisfamilias cœleſtis) *& ego eduxi eos de terra Ægypti, non veneant conditione ſeruorum.* Prohibet ne habeantur eiuſdem fidei homines, Hebræi, ſicut Gentiles, hi perpetua ſeruituti adſtringi poterant, illi minime. *Deus erga operarios indulgens.* *Exod.21.*

Quod ſi ſeruus Hebræus liber egredi renueret, ob vxorem quam in domini poteſtate relinquere cogebatur: & diceret: *Diligo Dominum meum, & vxorem & liberos, non egrediar liber:* offerebat eum Dominus Diis, id eſt, adducebat ad Iudices, & Magiſtratus, quos, Deos Scriptura vocat, & applicabat eum Dominus ad portam vrbis, vel poſtem: in portis enim vrbium, quo homines confluebant, conſiderabant Iudices & cauſas cognoſcebant; deinde perforabat aurem eius ſubula, & erat eius ſeruus in ſeculum. An ſemper? nequaquam: & hic benignitatem Domini poſcebat Deus, nam anno quinquageſimo iubilæi, erat liberandus cum vxore & liberis, vt conſtat Leuitici 25. Vbi etiam diſces: ſi Hebræus inopia preſſus, ſe vendidiſſet aduenæ, aut peregrino proſelyto, potuiſſe redimi à quolibet propinquo, vel ſi ipſe pretium perſoluiſſet. In qua ſerui redemptione habebatur ratio operæ, quæ in ipſa redemptione æſtimabatur, quanti æſtimari ex æquo & bono debebat; precium autem, ac merces operarum deducebatur, de precio redemptionis, & quod æſtimata opera ſerui Iſraelitæ reliquum erat perſoluebatur ab eo ipſi emptori. Quod ſi non redimebatur, anno iubilæi liber exibat vna cum filiis. Tanta erat cura Deo ſeruientium. *Seruus Hebræus vſque ad annum 50.*

Digitized by Google

Non tradendus ſeruus domino. *Deut. 23.* Quantæ autem clementiæ eſt illa lex Deuteron. 23. in eorundem gratiam condita? *Non trades ſeruum domino ſuo qui ad te confugerit.* Quæ locum habebat in mancipio gentili ſi à domino quæreretur ad necem, aut aliud graue incommodum, detrimentum, vel malum.

Item illa exodi 21. *Qui percuſſerit ſeruum ſuum vel ancillam virga, & vno die, vel duobus ſuperuixerit, non ſubiacebit pœna, quia pecunia illius eſt.* Quod de ſeruis intelligitur, quos Hebræi ex gentibus habebant, nam ſerui, qui Hebræi erant, non erant pecunia dominorum, quia non erant in ſeruitute perpetua. Illorum autem magis acerba erat conditio, præſertim apud duros heros. Quorum tamen rationem haberi vult DEVS & non tam enormiter percuti. Quare ſtatuitur, vt pœnæ non ſubiaceat dominus, ſi ſerui mors ſtatim non fuerit ſequuta, quia in mancipium ſuum egit, quod, vt equum aut bouem poſſidet. Quo pacto nunc etiam Iuriſconſulti adfirmant, corpus ſerui, ſicut animalis eſſe pretio æſtimabile: corpus autem liberum nullam recipere æſtimationem, L. vlt. A. de his qui effuder. vel de ſec.

Præmiſerit autem lex. *Qui percuſſerit ſeruum vel ancillam, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.* id eſt, morte mulctabitur: ſeu digna pœna afficietur, quia certo conſtat ex verberibus, ſeu plagis ſeruum obiiſſe. Quod non ita certum erat, quando dies aliquod in viuis manebat. Si autem dominus ſeruum ſuum etiam ex gentibus mutilabat, ipſo iure ſeruus libertate donabatur. Quibus legibus domini ad humanitatem informabantur, quam non minus promouet.

Deus eſt Dominus conductorum & mercenarii. *Ad Eph. 6. 5. 6. 7. 8.* Conſideratio altera, qua à patrefamilias ſpectatur DEVS tanquam communis heri æque, ac famuli Dominus. Quod incitamentum adhibet Paulus Apoſtolus Epiſtolæ ad Epheſios cap. 6. de dominorum erga ſeruos officiis diſſerens. Cum enim præmiſiſſet. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut CHRISTO. Non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino & non hominibus: ſcientes, quoniam vnuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber*; ſubiungit, *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes, quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* Quæ ſententia monet illos qui aliorum vtuntur famulatu, ne ſint imperioſi, minaces, truculenti, memores vnum eſſe Dominum, cui conditionis diuerſæ homines ſeruiant: qui à dominis rationem dominii, inquit ibi Cornelius N. & tyrannidis in ſeruos ſeueram exiget: & talem ſe iis exhibebit, qualem illi ſe ſeruis exhibuerunt. Non enim reſpicit perſonam hominis, an quis ſeruus ſit, an dominus, ſed quemque ſiue ſeruus ſit, ſiue dominus, pro bonis operibus præmiabit, pro malis puniet, gehennæque & ergaſtulo infernali addicet. Dum autem dicit Paulus *Eadem facite illis*, ſignificat, dominos exhibere debere ſeruis eandem humanitatem, benignitatem, amorem, ſinceritatem, fidelitatem, qualem ſerui domino præſtare oportet.

Serui æque ac domini ſunt homines. Jam ſi naturæ communio ſpectetur, an non validiſſime ſupercilium & faſtus in dominis oppugnatur, & penitus interimitur? Hæc eſt illa ratio, quam quicunque ſeruorum, operariorum, ac mercenariorum ſuſcipiunt patrocinium, premunt maximè, & dominis imprimere conantur. Quibus ſuadent, vt perpendant, quo illos propinquitatis gradu non ſolum honorarii famuli, qui ſæpe nobiliores ſunt dominis, ſed etiam viliſſima manci-

mancipia, & abiectiſſimæ ſortis ſeruuli contingant. Sunt enim, ſi ad fontem originis noſtræ reſpexerimus, eiuſdem nobiſcum naturæ, eorundem maiorum filii, nepotes, poſteri: eiuſdem generis, formæ elementorum participes: ideoque, ſi recte philoſophari velimus, amici, cognati, fratres noſtri. Nemo eſt qui ad Adamum genus non referat, aut ad illam glebulam argillaceam, ex qua primus parens formatus. Corpus omnibus eiuſdem rationis, eodem modo effuſum, ſiue in regia, ſiue in tugurio. In corpore tot famulo ſunt oſſa, nerui, arteriæ quot domino. In vtroque pari conditio ſanguinis fluctuat: nec in vno aliter quam in altero, ſparguntur venarum diſcurſus, muſculorum tubera, medullarum theſauri. In infantia pares fuere ſerui ac domini, ad lamenta æque proni, ad ſordes æque damnati, lacte & pannis æque contenti.

Corpus eiuſdem rationis.

Si animum cogitas, non alterius eſt naturæ in domino, quam ſeruo: vnus illum omnium communis parens condidit, vnus indidit, vnus eiuſdem formationis eſſe voluit. DEVS eſt omnium Dominus, qui hominem manibus ſuis ad imaginem diuinitatis ſtruxit, & de ſuo adflatu ad ſimilitudinem ſua viuacitatis animauit, ac incolatui, fructui, dominatui totius ſuæ operationis abſque vllo domini, ſeruique diſcrimine præpoſuit.

Anima natura eiuſdem.

Hæc non perpendunt, qui domini titulo inſoleſcentes, dum humanitatem exuunt, aut proculcant, ita ſe gerunt, ac ſi conditione hominibus eſſent ſuperiores, famuli vero infra homines: hinc illud ſeruorum faſtidium. At *Dominus* & *ſeruus* non naturæ ſunt nomina: Sed pœnæ ſi homines ſpectes: imparitatem hanc inter nos, non origo conſtituit, ſed inuexit hominum vel peruerſitas, vel calamitas. Peccatum induxit diſcrimen, quod ante nullum erat in noſtro genere.

Faſtus dominorum.

Dominus & ſeruus nomina peccati.

DEVS enim, *rationalem hominem* (verba ſunt Auguſtini) *factum ad imaginem ſuam noluit, niſi irrationalibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecori. Inde primi iuſti paſtores pecorum magis, quam reges hominum conſtituti ſunt: vt etiam ſic inſinuaret* DEVS, *quid poſtularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori. Proinde nuſquã ſcriptura legimus ſeruum antequam hoc vocabulo Noë iuſtus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque iſtud culpa meruit non naturæ.*

Natura, nemo ſeruus.

Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 15.

Eundem locum tractat ad mores accommodatiſſime magnus moralium Doctor Gregorius, exſtimulans aliorum rectores, & multorum dominos, vt naturæ paritatem frequenter ob oculos habeant. Si quidem; *Potentibus viris* magna eſt virtus humilitatis, conſiderata æqualitas conditionis. Omnes namque homines natura æquales ſumus, ſed acceſſit diſpenſatio ordine, vt quibuſdam prælati videamur. Si igitur hoc à mente deprimimus quod temporaliter acceſſit, inuenimus citius quod naturaliter ſumus. Plerumque enim ſe animo accepta poteſtas obiicit, eumque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillime deprimendus eſt timor elationis. Si enim apud ſemetipſum mens deſcendit de vertice culminis, citius planitiem inuenit naturalis æqualitatis. Nam, vt præfati ſumus, omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios aliis diſpenſatio occulta poſtponit.

S. Greg. lib. 21. Mor. cap. 10.

Ipſa autem diuerſitas, quæ acceſſit ex vitio, recte eſt diuinis iudiciis ordinata: vt quia omnis homo iter vitæ æque non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cum præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis attendunt, nec præeſſe gaudent hominibus, ſed prodeſſe. Sciunt enim quod an-

tiqui Patres noſtri, non tam reges hominum, quam paſtores pecorum fuiſſe memoratur. Et cum Noë Dominus filiiſque eius diceret: Creſcite & multiplicamini, & implete terram, ſubdit; Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ. Non enim ait: ſit ſuper homines, qui futuri ſunt: ſed: ſit ſuper cuncta animalia terræ. Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus eſt: & idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, & non ab homine timeatur: quia contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri quamuis plerumque à ſubditis etiam ſancti viri timeri appetunt, ſed quando ab eiſdem ſubditis DEVM minime timeri deprehendunt, vt humana ſaltem formidine peccare metuant, qui diuinia iudicia non formidant. Nequaquam ergo præpoſiti ex hoc quæſito timore ſuperbiunt, in quo non ſuam gloriam, ſed ſubditorum iuſtitiam quærunt. In eo enim, quod metum ſibi à peruerſe viuentibus exigunt, quaſi non hominibus ſed brutis animalibus dominantur: quaſi videlicet.

Nicet. Iob. 31. 15. Albut. Et Phan. lib. 4. controuerſ. 22. Athena. lib. 6. Polit. Dicuntur quidem ipſi Domini, alii ſerui; ſed hæc nomina, vt Chriſtiani cenſent, & præter Auguſtinum Nicetas pronuntiat, non ſunt *Naturæ*, ſed *Peccati*: vt profani aiebant, & habet Albutius ac Phaneus, fortuna impoſuit. Idemque docent Anaxandridas vetus poëta apud Athenæum, & Ariſtoteles in Politicis. Nec non Seneca tum Epiſtola 46. in qua ob humanitatem & affabilitatem erga mercenarios laudat Lucilium ſuum, & continet pene omnia quæ ex Philoſophia morali de hoc titulo dici poſſunt, tum Epiſtola 31. ad finem: & lib. 3. de beneficiis cap. 28. Ex quibus, quæ ad rem noſtram ad calcem commentationis apponam.

Macrob. lib. 1. Satur. cap. 2. Senecam non legiſſe modo, ſed deſcripſiſſe etiam videtur Macrobius in ea diſputatione, qua prætextatus contra Euangelium contendit, minime contemnendam eſſe operariorum ac ſeruorum ſortem, cum iiſdem conſtent elementis cum dominis, & ſeruitus non hominum, ſed fortunæ ſit vitium. Tibi autem *exclamat* cum indignatione prætextatus, *vnde in ſeruos tantum & tam immane faſtidium? quaſi non ex iiſdem tibi & conſtent, & alantur elementis, eundemque ſpiritum ab eodem principio carpant. Vis tu cogitare eos, quos ius tuum vocas, iiſdem ſeminibus ortos, eodem frui cælo, æquè viuere, æque mori? ſerui ſunt, imo conſerui.* Addit aliam rationem quæ merito beneuolentiam omnibus inſinuet.

Mutatur ſors ſeruor. & dominor. *Si cogitaueris tantundem in vtroſque licere fortunæ: tam tu illum videre liberum potes, quam ille te ſeruum. Neſcis qua ætate Hecuba ſeruire cœpit, qua Crœſus, qua Darii mater, qua Diogenes, qua Plato ipſe?* Addatur, qua Polycrates, qua Dionyſius, qua Baiaſites, qua Boleſlaus, qua Valerianus. Qui humanitatem dominis non exhibuit, humanitatem ſeruus non experietur. Vt fecit, ſic fiet. Mutari facile ſors poteſt.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.

Iud. 1. Dices fortaſſe aliquando, quod Adonibeſec: ſicut feci ita reddidit mihi DEVS.

Iuſta malis hæc eſt admiſſo crimine pœna,
Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipſi.

Eccl. 7. 22. Itaque ne tibi aliquando idem contingat, *Non lædas ſeruum* nimirum iniuſta detractione mercedis, verbo contumelioſo, minis, moroſitate, faſtidio, ſuperbia, grauitate adfectata & putida. Neque mercenarium dantem animam ſuam. *Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Quæ eſt admonitio Eccleſiaſtici, qui alio loco ad eandem humanita-

tem

Eccleſiaſtici 33.31.

rem incitat argumento à conſanguinitate petito. *Si eſt tibi ſeruus, ſit tibi quaſi anima tua, vel,* vt Græca nonnulla habent, *ſit tibi ſicut tu*: nempe ita cum illo agas, ſicut tecum ſoles, tam amice, tam blande, tam conniuenter. *Quaſi fratrem ſic eum tracta*: non tanquam beluam, aut tanquam alienum, ſed tanquam fratrem: agnoſcens illum, vt exponit Ianſenius eiuſdem tecum naturæ conſortem, ac communem in cœlis habere patrem: item agnoſcens eum in vnam tecum familiam aſcitum, cuius ope egeas, & à quo iuuari poſſit non minus, quam à fratre tuo. Addit aliam cauſam Eccleſiaſticus: *Quoniam in ſanguine animæ comparaſti eum*: hoc eſt, comparaſti eum non tanquam belluam, ſed vt ſanguinem animæ tuæ, id eſt vt tibi conſanguineum; eiuſdem naturæ, ac ſanguinis conſortem. Vel, vt eſſet tibi loco ſanguinis: id eſt, vitam tuam tueretur ſuo labore, ac defenſione.

Si læſeris eum iniuſtè in fugam conuertetur: & ſi extollens *diſceſſerit, quem quæras, & in qua via quæras illum, neſcis.* Græca magis ſunt conciſa: *ſi afflixeris eum iniuſtè, & leuans* (ſcilicet ſe) *aufugerit, in qua via quæres illum?* Non impellit te ad humanitatem erga mercenarios, naturæ communio, moueant ſaltem tua commoda, & quæ è contrario ſequitur calamitas. Si enim tuis illos minis territaueris, ſi moroſitate, aſperitateque offenderis, illi pertæſi minarum & aſperitatis fuga ſibi conſulerit tam cautè, vt qua via quæri debeant, ignoretur, nec ſit, qui de illorum fuga rogari poſſit, aut qui rogatus, ſubducentem ſe ab inhumaniſſimo domino ſeruum demonſtrare velit.

Ergo ſi tibi conſultum velis, tracta ſeruum tuum quaſi fratrem. Vt frater ergo blande conueniendus eſt, fraterne ac comiter ſalutandus. Si non vis tractare vt fratrem, ſaltem age cum illo velut cum amico. Nec id quicquam autoritati tuæ detrahet. Ita viſum eſt Regis Inſtitutori Xenophonti, qui Cyrum introducens monet, vt qui ὑπὸ τῶν ἀρχομένων φιλεῖσθαι deſiderat, ſe erga eos gerat, quemadmodum erga amicos, qui ὑπὸ τῶν φίλων στέργεσθαι. Quod etiam adnotat Stobæus Sermone 46. de Regno.

Paterfamilias.

Macrob. l. 1. Saturnal. c. 11

Verum dum patremfamilias vocari audio operariorum conductorem, & ſeruorum dominum, reor non malè inde deduci, filiorum loco eſſe debere mercenarios, & famulos omnes. *Hinc enim*, vt apud Macrobium ſeruorum patronus diſſerit, *noſtri maiores omnem in dominis inuidiam, omnem ſeruis contumeliam detrahentes,* Dominum, PATREMFAMILIAS, ſeruos, FAMILIARES *appellarunt.*

Serui ab heris, tanquam patribusfamilias benigne tractandi.

Ex eodem patrisfamilias nomine, ſeruos quaſi filios, ac fratres, vocatos ad eandem cœleſtem hæreditatem tractandos eſſe docet egregie S. Auguſtinus libr. 19. de Ciuit. cap. 16. Quocirca etiam ſi habuerunt ſeruos iuſti patres noſtri, ſic quidem adminiſtrabant domeſticam pacem, vt ſecundum hæc temporalia bona, filiorum ſortem à ſeruorum conditione diſtinguerent: ad DEVM autem colendum, in quo æterna bona ſpectanda ac ſperanda ſunt, omnibus domus ſuæ membris pari dilectione conſulerent. Quod naturalis ordo ita præſcribit, vt nomen patrumfamilias hinc exortum ſit, & tam late vulgatum, vt inique etiam dominantes hoc ſe gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias ſunt, omnibus in familia ſua tanquam filiis ad colendum & promerendum DEVM conſulunt: deſiderantes atque optantes venire ad cæleſtem domum, vbi neceſſarium non ſit officium imperandi mortalibus, quia neceſſarium non erit officium conſulendi iam in illa immortalitate felicibus: quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quam ſerui tolerare, quod ſeruiunt.

Sed i

Digitized by Google

Sed nemo elegantius & ad mores accommodatius de toto hoc genere egit, quam Seneca Epiſtola 47. in qua laudat amicum, quod ſeruorum rationem habeat, cum iis agat humaniter, & monet ipſos diligendos eſſe. Et quia officium exponit accurate humani patrisfamilias, & crudelis quoque indicia continet, lubet illam attexere.

Sen. Epiſt. 45.

L. ANNÆVS SENECA LVCILIO S.

Libenter ex his qui à te veniunt cognoui, familiariter te cum tuis ſeruis viuere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui ſunt? imo homines. Serui ſunt? imo contubernales. Serui ſunt? imo humiles amici. Serui ſunt? imo conſerui, ſi cogitaueris tantundem in vtrosque licere fortunæ. Itaque rideo iſtos, qui turpe exiſtimant eum ſeruo cœnare. Quare? niſi quia ſuperbiſſima conſuetudo cœnantem dominum ſtantium ſeruorum turba circumdedit? Eſt ille, pluſquam capit, & ingenti auiditate onerat, diſtentum ventrem, ac deſuetum iam ventris officio, vt maiore opera omnia egerat quam ingeſſit. At infelicibus ſeruis mouere labia, ne in hoc quidem, vt loquantur, licet: virga murmur omne compeſcitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta ſunt, tuſſis, ſternutamenta, ſingultus, magno malo illa voce interpellatum ſilentinm luitur, nocte tota ieiuni, mutique perſtant. Sic fit vt iſti de domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet.

At illis quibus non tantum coram dominis, ſed cum ipſis erat ſermo, quorum os non conſuebatur, parati erant pro Domino porrigere ceruicem, periculum imminens in caput ſuum auertere. In conuiuiis loquebantur, ſed in tormentis tacebant. Deinde eiuſdem arrogantiæ prouerbium iactatur. Totidem eſſe hoſtes, quot ſeruos. Non habemus illos hoſtes, ſed facimus. Alia interim crudelia & inhumana prætereo, quod nec tanquam hominibus quidem, ſed tanquam iumentis abutimur: qui cum ad cœnandum diſcumbimus, alius ſputa detergit, alius reliquias temulentorum ſubditus colligit, alius pretioſas aues ſcindit per pectus & clunes certis ductibus circumferens, erudita manu fruſta excutit. Infelix qui huic vni rei viuit, vt altilia decenter ſecet, niſi quod miſerior eſt, qui hoc voluptatis cauſa docet, quam qui neceſſitatis diſcit. Alius vini miniſter in muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur.

Non poteſt effugere pueritiam, ſed retrahitur. iamque militaris habitus glaber reſtrictis pilis, aut penitus euulſis, tota nocte peruigilat, quam inter ebrietatem domini ac libidinem diuidit, & in cubiculo vir, & in conuiuio puer eſt. Alius cui conuiuarum cenſura permiſſa eſt, perſtat infelix & expectat, quos adulatio & intemperantia, aut gulæ, aut linguæ reuocet in craſtinum. Adiice obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt cuius rei ſapor excitet cuius delectet aſpectus nouitate nauſeabundis erigi poſſit, quid iam ipſa ſatietate faſtidiat, quid illo die eſuriat. Cum his cænare non ſuſtinet, & maieſtatis ſuæ diminutionem putat, ad eandem menſam cum ſeruo ſuo accedere. Dii melius, quod ex iſtis dominos habent, ſtare ante limen Calixti dominum ſuum vidi, & illum qui ei impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam ſeruus. Ille in primam decuriam deiectus, in qua vocem præco experitur, & ipſe illum inuicem apologauit, & ipſe non iudicauit domo ſua dignum.

Vis

Vis tu cogitare iſtum, quem ſeruum tuum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cœlo, æque ſpirare, æque viuere, æque mori? Tu tam illum ingenuum videre potes, quam ille te ſeruum. Mariana clade quam multos ſplendidiſſime natos, ſenatorium per malitiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit, alium exillis paſtorem, alium cuſtodem caſæ fecit. Contemne nunc eius fortunæ hominem, in quam tranſire, dum contemnis potes. Nolo in ingentem me locum immittere, & de vſu ſeruorum diſputare, in quo ſuperbiſſimi, crudeliſſimi, & contumelioſiſſimi ſumus. Hæc tamen præcepti mei ſumma eſt, ſic cum inferiore viuis, quemadmodum tecum ſuperiorem velis viuere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in ſeruum liceat, veniat in mentem, tantundem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum. Bona ætas eſt, forſitan habebis. Neſcis qua ætate Hecuba ſeruire cœperit, qua Cræſus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? viue cum ſeruo clementer. In iter quoque & in ſermonem admitte & in conſilium, & in conuictum. Hoc loco acclamabit tota mihi manus delicatorum, Nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eoſdem deprehendam, alienorum ſeruorum oſculantes manum.

Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerint? Dominum patremfamiliæ appellauerunt, Seruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. Inſtituerunt diem feſtum non quo ſolum cum ſeruis domini veſcerentur, ſed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam rempublicam eſſe iudicauerunt. Quid ergo? omnes ſeruos admouebo menſæ meæ? non magis quam omnes liberos. Erras, ſi exiſtimas me quoſdam quaſi ſordidioris operæ reiecturum, vt puta illum mulionem, & illum bubulcum. Non miniſteriis illos æſtimabo ſed moribus. Sibi quiſque dat mores, miniſteria caſus aſſignat. Quidam cænent tecum, quia digni ſunt, quidam vt ſint. Si quid enim in illis ex ſordida conuerſatione ſeruile eſt, honeſtiorum conuictus excutiet. Non eſt mi Lucili, quod amicum tantum in foro & in curia quæras, ſi diligenter attenderis, & domi inuenies. Sæpe bona materia ceſſat ſine artifice. Tenta & experire.

Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius ac frenos ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ veſtis nobis modo circumdata eſt, æſtimat. Seruus eſt, ſed fortaſſe liber animo. Seruus eſt hoc illi non nocebit. Oſtende quis non ſit. Alius libidini ſeruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo conſularem aniculæ ſeruientem. Dabo ancillulæ diuitem. Oſtendam nobiliſſimos iuuenes mancipia. Pantomimorum nulla ſeruitus turpior eſt, quam voluntaria. Quare non eſt quod faſtidioſi te deterreant, quo minus ſeruis tuis hilarem te præſtes & non ſuperbe, ſuperiorem colant potius te quam timeant.

Dicet nunc aliquis me vocare ad pileum ſeruos, & dominos de faſtigio ſuo deiicere, quod dixi, colant potius dominum, quam timeant. Ita inquam, prorſus colant tanquam clientes, tanquam ſalutatores. Hoc qui dixerit, obliuiſcetur id Dominis parum eſſe quod Deo ſatis eſt, qui colitur & amatur. Non poteſt amor cum timore miſceri. Rectiſſime ergo te facere iudico quod timeri à ſeruis tuis non vis, quod verborum caſtigatione veteris. Verberibus multa admonentur, non quicquid nos offendit & lædit, ſed ad rabiem cogunt venire deliciæ, vt quicquid non ex voluntate reſpondit, iram prouocet. Regum nobis induimus animos. Nam illi quo-

Digitized by Google

que obliti & vitium ſuarum & imbecillitatis alienæ, ſic exardeſcunt, ſic ſæuiunt, quaſi iniuriam acceperint, à cuius periculo rei illos fortunæ ſuæ magnitudo tutiſſimos præſtat. Nec hoc ignorant, ſed occaſionem nocendi captant, quærendo acceperunt iniuriam, vt facerent. Diutius te morari nolo. Non eſt enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cætera boni mores, placent ſibi, & permanent, leuis eſt malitia, ſæpe mutatur non in melius ſed in aliud.

Huc etiam ſpectant, quæ habet Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 28. Non eſt dubium, quin beneficium aliquãdo à ſeruo Dominus accipiat; Quare potius perſonæ rem minuat, quam perſonam ipſa res cohoneſtet? Eadem omnibus principia, eademque origo. Nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocat, noti magis quam nobiles ſunt. Vnus omniũ parens mundus eſt, ſiue per ſplẽdidos ſiue per ſordidos gradus, adhuc prima cuiuſque origo perducitur. Non eſt quod te iſti decipiant, cum maiores ſuos recenſent. Vbicunque fulſit nomen illuſtre, ilico DEVM fingunt. Neminem deſpexeris, etiamſi circa illum obſoleta ſunt nomina, & parum indulgente adiuta fortuna: ſiue libertini ante nos habentur, ſiue ſerui, ſiue exterarum gentium homines, erigite audacter animos & quicquid in medio ſordidi iacet, tranſilite. Expectat vos in ſummo, magna nobilitas.

Quid ſuperbia in tantam vanitatem attollimur vt beneficia à ſeruis indignemur accipere. & ſortem eorum ſpectemus, obliti meritorum? ſeruum tu quemque voces libidinis, & gulæ ſeruus, & adulteræ imo adulterarum commune mancipium? ſeruum vocas quemquam! Quo tandem ab iſtis gerulis raperis, cubile iſtud tuum circumferentibus? Quo te penulati iſti in militum quidem non vulgarem cultum ſubornati? Quo inquam iſti te efferunt? ad oſtium alicuius hoſtiarii, ad hortos alicuius, ne ordinarium quidem habentis officium. Et deinde negas tibi beneficium à ſeruo tuo poſſe dari, cui oſculum alieni ſerui beneficium eſt? Quæ eſt tanta animi diſcordia? Eodem tempore ſeruos deſpicis & colis. Imperioſus intra limen atque impotens, humilis, fortis, & tam contemptus, quam contemnens; Neque enim vlli magis abiiciunt animos, quam qui improbe tollunt, multique ad calcandos alios paratiores, quam qui contumelias facere, accipiendo didicerunt.

Dicenda hæc fuerunt ad contundendam inſolentiam hominum ex fortuna pendentium, vindicandumque ius beneficii dandi à ſeruis. His adde quæ habet idem Epiſtola 31. ad finem. Quærendum eſt quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari, quo non melius poſſit optari. Quid hoc eſt? animus ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum in humano corpore hoſpitem? Hic animus tam in equitem Romanum, quam in libertinum, quam in ſeruum poteſt cadere. Quid eſt eques Romanus, aut libertinus, aut ſeruus? Nomina ex ambitione, aut ex iniuria nota. Subſilire in cœlum, ex angulo licet. Exurge modo, & te quoque dignam finge DEO: finges autem, non auro, non argento. Non poteſt ex hac materia imago DEO exprimi ſimilis. Cogita illos cum propitii eſſent, fictiles fuiſſe.

De hac eadem re inducit diſputantem egregie Prætextatum Macrobius. Ille operariorum Orator, de ſaturnalium ſolennitate diſſerens. Cum dixiſſet, ex ſententia Philochori, Saturno & Opi primam in Attica ſtatuiſſe aram Cecropem, eoſq; Deos pro Ioue terraq; coluiſſe, inſtituiſſeque, vt patresfamiliarum, & frugibus & fructibus

fructibus iam coactis, paſſim cum ſeruis veſcerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure tolerauerant, delectari enim DEVM honore ſeruorum contemplatu laboris. Euangelus indignatus, ſubiecit, ad pompam ingenii hæc dici; quis enim credat honori alicuius DEI aſſignari, quod domini cum ſeruis veſcantur: quaſi vero curent inquit diuina de ſeruis, aut ſapiens quiſquam domi ſuæ contumeliam tam fœdæ ſocietatis admittat.

Tum Prętextatus ioco ne an ſerio putas eſſe hominum genus, quod dii mortales nec cura ſua nec prouidentia dignentur? an forte ſeruos in hominum numero eſſe non pateris? Audi igitur quanta indignatio de ſerui ſupplicio cœlum penetrauerit. Anno enim poſt Romam conditam CCCCLXXIIII. Attonius quidam Maximus, ſeruum ſuum verberatum, patibuloq; conſtrictum, ante ſpectaculi commiſſionem per circum egit. Ob hanc cauſam indignatus Iupiter, Annio cuidam per quietem imperauit, vt ſenatui nuntiaret, non ſibi placuiſſe plenum crudelitatis admiſſum. Quo diſſimulante, filium ipſius mors repentina conſumpſit, ac poſt ſecundam denuntiationem, ob eandem negligentiam, ipſe quoque in ſubitam corporis debilitatem ſolutus eſt. Sic demum ex conſilio amicorum lectica delatus ſenatui retulit: & vix conſummato ſermone, ſine mora recuperata bona valetudine, curia pedibus egreſſus eſt. Ex ſenatus itaque conſulto, & Menia lege, ad propitiandum Iouem additus eſt illis Circenſibus dies: itaque inſtauratitius dictus eſt, non à patibulo (vt quidam putant) Græco nomine ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, ſed à redintegratione, vt Varroni placet, qui inſtaurare ait eſſe inſtar oouare. Addit deinde. Vides, quanta de ſeruis ad DEORVM ſummum cura peruenerit? Tum ſeruos non eſſe contemnendos docet, cum iiſdem elementis conſtent, quibus Domini; verba ſuo loco poſuimus. Adiungit: ſi amentur vitiorum ſerui, ſi nobiles, ſi potentes, ſi cognati, magis amandos quibus ſola fortuna obfuit.

Nam quid ita nomen ſeruitutis horremus? Seruus eſt quidem ſed neceſſitate. Sed fortaſſis libero animo ſeruus eſt. Hoc illi nocebit, ſi oſtenderis quis non ſit. Alius libidini ſeruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes ſpei, omnes timori. Et certe nulla ſeruitus turpior quam voluntaria. At nos iugo à fortuna impoſito ſubiacentem, tanquam miſerum, vilemque calcamus: quod vero nos noſtris ceruicibus inſerimus, non patimur reprehendi.

Inuenies inter ſeruos aliquem pecunia fortiorem, inuenies dominum ſpe lucri oſcula alienorum ſeruorum manibus infigentem. Non ergo fortuna homines æſtimabo, ſed moribus. Sibi quiſque dat mores: conditionem caſus adſignat. Quemadmodum ſtultus eſt, qui empturus equum, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ac frenos, ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ modo veſtis nobis circumdata eſt, æſtimandum putet.

Non eſt mi Euangele, quod amicum tantum in foro, & in curia quæras. Si diligenter attenderis, inuenies & domi. Tu modo viue cum ſeruo clementer, comiter quoque & in ſermonem illum, & nonnunquam in neceſſarium admitte conſilium. Ad quod nos moneant, non tam Ethnicorum adhortationes, quam exemplum humaniſſimi patrisfamilias CHRISTI, qui, quorum operas ad vineam ſuam colendam conduxerat, vocare ſolebat, non ſeruos, ſed amicos; & in ea illos domo commorari voluit: *Vbi enim eſt Gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber: ſed omnia & in omnibus CHRISTVS.* *Ad Coloſſ. 3. 11.*

Digitized by Google

COMMENTATIO XII.

Dominica Septuageſimæ.

Officium conductoris diligentis.

Paterfamilias exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20. 1.

Vigilantia.

VT paterfamilias Euangelicus conductoris iuſti, liberalis, humani, ita & diligentis documenta dedit præclara. Primo ſtatim mane vigilat. Quamuis œconomum haberet, & agrocomum, non ſtetit tamen in adultum diem, nec illi omnem curam committit. Ipſe, quamprimum per tempus licet, è ſtrato ſe eripit, domo egreditur, ad forum ſe confert, operarios quærit, examinat, conducit. En vigilantiam boni patrisfamilias! Non ſat habet ſemel ſe fuiſſe egreſſum, per interualla temporum ſæpius excurrit, ne deſint vineæ laboratores induſtrii. Circa horam tertiam, ſextam, nonam, vndecimam, fecit ſimiliter. En ſollicitudinem, & indefeſſam curam!

Solicitudo, Cura indefeſſa.

Videre operarios laborantes.

Qui tam ſolicitè conduxit, quos mitteret in vineam, eum haud reor à vinea abfuiſſe diutius: ſed, vel continuè in illa aduigilaſſe operariis, vel ſæpe ſæpius ex vrbe, ad mercenarios fuiſſe egreſſum, vt coram inſpiceret, quàm nauiter laborarent. Hoc enim pertinet in primis ad officium conductoris diligentis: cuius præſentia & oculus maxime neceſſaria eſt ad bonam agricolationem, & omnem, quæ per mercenarios fit culturam. De qua re monitiones ſunt crebræ magiſtrorum, qui de re ruſtica ſcripſerunt. Catonis præceptum eſt. *Ne opera tua parcas viſere*: &, *Ne ſatis habeas circumire.* Pluribus de eodem agit Columella ſtatim initio libri 1. vbi cum multa adminicula conductoris ſedulo ſuggeſſiſſet, præfert omnibus aliis patrisfamilias præſentiam.

Viſitatio. Cat. cap. 1. Colu. lib. 1. cap. 1.

Diligens paterfamilias, inquit, *cui cordi eſt ex agri cultu, certam ſequi rationem rei familiaris augendæ, maximè curabit, vt ætatis ſuæ prudentiſſimos agricolas de quaque re conſulat, & commentarios antiquorum ſedulò ſcrutetur: atque æſtimet quid eorum quiſque ſenſerit, quid præceperit.* Deinde, vſum & experientiam ſuadet quæ dominantur in artibus. Adhæc, vt præceptis opus accommodent, monet. Addit tandem, hæc aliaque adminicula haud profutura per ſe ſola.

Ac ne iſta quidem præſidia: non aſſiduus labor, & experientia villici: non facultates, aut voluntas impendendi tantum pollent, quantum vel vna PRÆSENTIA DOMINI. *Quæ niſi frequens operibus interuenerit, vt in exercitu, cum abeſt Imperator cuncta ceſſant officia. Maximeque reor hoc ſignificantem Pœnum Magonem ſuorum ſcriptorum primordium, talibus auſpicatum ſententiis. Qui agrum parabit, domum vendat.* nempe, vt præſens adeſſe poſſit mercenariis, quod indicat adiuncta ratione, *ne malit vrbanum, quàm ruſticum larem colere. Cui magis cordi fuerit vrbanum domicilium, ruſtico prædio non erit opus. Quod ego præceptum*, inquit Columella, *ſi poſſet his temporibus obſeruari, non immutarem.*

Præſentia Domini.

Suburbanum prædium commodiſſimum.

Nunc cum pleroſque noſtrum ciuilis ambitio ſæpe euocat ac ſæpius detinet euocatos, ſequitur vt ſuburbanum prædium, commodiſſimum eſſe putem, quo, vt occupato quotidianus excurſus facilè poſt negocia fori contingat. Diſſuadet ob eandem cauſam emere villas ac vineas longè diſſitas.

Nam, qui longinqua, ne dicam, tranſmarina rura mercantur, velut hæredibus patrimonio ſuo:

Digitized by Google

ſuo: & quod grauius eſt, viui cedunt ſeruis ſuis. Quoniam quidem & illi tam longa dominorum diſtantia corrumpuntur, & corrupti poſt flagitia, quæ commiſerunt, ſub expectatione ſucceſſorum, rapinis magis, quam culturis ſtudent.

Cenſeo igitur cum Columella prudentis eſſe patrisfamilias in propinquo agrum, aut vineam mercari, quo & frequẽter dominus veniat, & frequentius ſe venturum, quam ſit venturus, denuntiet. Sub hoc enim metu, cum familia villicus, & cum operariis, illorum præfectus erit in officio. Quicquid vero dabitur occaſionis ruri moretur. Quæ non ſit mora ſegnis & vmbratilis. Nam diligentem patremfamilias decet agri ſui particulas omnes, ac vineæ ſurculos omni tempore anni, ac eum in ea laboratur potiſſimum, circuire frequentius, quo melius naturam ſoli, ſiue in frondibus & herbis, ac palmitibus, ſiue iam maturis fructibus contempletur. Nec ignoret quicquid in ea rectè fieri poterit. Nam illud vetus eſt, & Catonis: Agrum peſſime mulctari, cuius dominus, quid in eo faciendum ſit, non docet, ſed audit villicum, aut conductum mercenarium. *Vinca propinqua. Columell. lib. 1 cap. 2.*

Eodem tendebant Catonis alia præcepta, ſed illud peculiariter, vt in emendo agro ſpectaretur *via*. Aiebat enim multum conferre agris iter commodum: ſiquidem iſta commoditas agro confert, quod eſt maximum, ipſam *præſentiam* domini, qui libentius commeaturus ſit, ſi vexationem viæ non reformidet. Non tamen ob itineris incommoda viſitationem oportet negligere. Nam vt rectè Cato Maior dicebat: pecunia pedibus compenſari poteſt, ſentiens, ſatis ſumptuoſum eſſe ad villam procul diſſitam crebro proficiſci, ſed hoc impendii pedibus compenſari, ſi dominus impiger inuiſat fundum ſuum. Cicero orat. pro Flacco. Vulgo dicitur, & verum eſt: Feraciſſimam eſſe glebam, quam ſæpe domini pes terit. Nam vt habet Ariſtoteles lib. 1. Oeconom. optimum agrorum ſtercus ſunt domini veſtigia. Illud opus eſt perfectiſſimum, quod inſpiciente domino à famulis, contuente magiſtro à diſcipulis, vidente patrefamilias, à domeſticis abſoluitur. Maiores, inquit Plinius, fertiliſſimum in agro oculum domini eſſe dixerunt: nimirum *cauſaliter*: eſt enim cauſa eximiæ fertilitatis operas & operariorum præfectos excitando, animando, adigendo. Quo etiam ſenſu, oculus domini, equum impinguare dicimus. Ariſtoteles ex Perſa & Lybico ſic effert: Domini oculus paſcit equum; Et veſtigia pingue faciunt agrum. *Iter commodum ad agrum. Ariſt. lib. 1. cap. 6. Plin. lib. 8. cap. 6.*

Itaque ad mercenarios ſe conferre in vineam viſitandi gratia & ſuam ſe illis præſentiam frequenter exhibere officium eſt diligentis patrisfamilias. Qui ſi etiam manum operi admoueat, incredibile eſt, quantum operariis accedat animi, quantum in iis extimuletur induſtria, quam cito conficiantur omnia. Longum iter & impeditum per verba & præcepta dominorum, breue, compedioſum & expeditum per exempla. Quibus operarios ſuos inſtigabant primi rerumpublicarum & regnorum conditores, quibus haud indecorum videbatur, cum conductis operis vites plantare, luxuriantes pampinos circumcidere, terram raſtro inuertere, lolium eruere, botros colligere, Quod feciſſe haud eſt dubium primos parentes, eorumque ſtirpem per multa ſecula ſtante Hebræorum republica. Idem factitarunt Romani, & barbari. *Paterfamilias manum operi admouet.*

Apud illos Curius, aliique prædiuites cum ab aratro acceſſabantur, vt conſules fierent, ſterile atque æſtuoſiſſimum ſolum Pupiniæ verſabant, delitiarumque aliarum ignari, vaſtiſſimas glebas plurimo cum ſudore diſſipabant. Imo vero, quos pericula reipublicæ Imperatores aſſerebant, bubulcos egerant. *Curius conſ. agricola. Valer. Max. lib. 4. Imperat. Bubulci.*

Attilium autem, qui ad eum accerſendum à Senatu miſſi erant ad imperium populi Romani ſuſcipiendum, ſemen ſpargentem viderant. Sed illæ ruſtico opere attritæ manus ſalutem publicam ſtabilierunt, ingentes hoſtium copias peſſumdederunt. Quæque modo aratrium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt. Nec fuit iis rubori, eburneo ſcipione depoſito, agreſtem ſtiuam aratri repetere. Poteſt pauperes conſolari Attilius, ſed nullo magis docere locupletes patresfamilias, non eſſe dedecoroſum nobilitati cum operariis partito labore agrum vineamque excolere.

Lyſander *Cic. in Cat.* Apud eoſdem Fabii, Lentuli, Piſones, Cicerones, Vitellii, Porcii, Seruii, Appii, Strophæ agreſtium nomina triumphali dignitate nobilitata ſunt. Lyſander cum ad Cyrum minorem Perſarum Regem veniſſet, in hortum ductus, admiratus & proceritatem arborum, & directos in quincuncem, ordines, & humum ſubactam, Cyrum interrogauit, à quo arbores eſſent plantatæ, & cuius arte ſolertiaque tam aptè dimenſæ? Cui reſpondens Cyrus ait: Atqui ego ipſe ſum iſta dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio, mea enim manu ſunt ſatæ. Tum Lyſander purpuram ornatumque Perſicum multo auro intuens, dixiſſe fertur: Rex Cyre, te beatum ferunt homines, quoniam virtuti tuæ, fortuna coniuncta eſt. Sed & beatitatis non non extrema eſt particula, curas ſuas ad agrum colendum vertere, & ſuis manibus, vites ac arbores quæ nepotibus fructum ferant, diſponere. Nam vere

Horat. Epod. Od. 2.

Beatus ille, qui procul negociis
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.
Nec excitatur claſſico miles truci
Nec horret iratum mare:
Forumq; vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

Myſon. *Bruſoni. lib. 7. cap. 8.* Hanc beatitudinis partem, diligentiæ ſuæ copulauit Myſon Cheneus, vir ſapientiſſimus, quem cum Oeteus, & ipſe ſapientiæ adprimè deditus, conueniret, cum reperit æſtate ſtiuam aratro aptantem. Dicente autem eo, non eſſe tempus arandi: ſatis, ait Myſon, tempeſtiuum eſt ad parandum nobis victum.

Faroates *Bruſo. ibid.* Faroates etiam Indorum Rex Apollonio de eius victu ſciſcitanti: Ego, ait, palmarum fructibus, aut oletibus paſcor, aut, quæ præbent mihi arbores, quas ego his manibus colo.

Diocletianus. Nec puduit Diocletianum, cetera ſuperbum, ac improbiſſimum huc ſe dimittere. Cum enim imperio ſe abdicaſſet, atque priuatam vitam in villa ſua inſtitueret, ab Herculio, atque Galerio, ad recipiendum imperium inſtigatus, vt peſtem illud à ſe repulit, reſponſumq; dedit: Vtinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris *Eutropius.* manibus conſita, profectò iſtud tentandum nunquam iudicaretis. Fuit autem Diocletiani villa haud procul à Salonis, vbi priuatus conſenuit.

Præceſſerant Diocletianum Romulus & Remus, ipſi quoque agricolæ: ſicut apud Arcades Pan Deorum maximus. Apud Græcos, Protheus, Apollo, Mercurius, Argus. Apud Phrygios, Paris, Priamus, Anchiſes. Celebratiſſimi quoque ſunt hoc nomine Hiero, Mithridates, Philometor, Attalus, Archelaus, Iuſtinus, alii.

Diligens

Diligens haud dubiè conductor & paterfamilias fuit qui ruris ſtudia deſcribens,& ſtudiorum horas ab ortu lucis ad occaſum, hæc de ruſticatione ſua ad amicum ſcripſit.

Rure morans quid agam,reſpondeo pauca,rogatus. *Martial. lib. 4. Epig. 90. vel 73.*
Luce Deos oro,famulos poſt arua reuiſo.
Partibus atque meis,iuſtos indico labores.
Inde Lego,Phœbumque cio, Muſamque laceſſo
Hinc oleo corpuſq; frico,molliq; palæſtra,
a *Prandeo,poto,cano,ludo,lauo,cano, quieſco* *a Quidam, Pondero, lano, id eſt, lauor.*
Dum paruus lychnus modicum conſumat olius
Hæc dat nocturnis nox lucubrata camœnis.

Primum Deos precabatur,quamuis ſacrilegus.quid decet facere Chriſtianum? pudeat ab idololatris in cultu diuino ſuperari. Quod enim hic rure faciebat, id non omittebat in palatio Alexander Imperator Romanus,de quo Lampridius: *Alexan. Imp. Lamprid.* Vſus viuendi eidem hic fuit: *primum ſi facultas eſſet, matutinis horis in larario ſuo rem diuinam faciebat.* Et Perſius de quodam,morem indicans receptum *Perſius Satyr. 2.*

Hoc ſanctè vt poſcas, Tyberino in gurgite mergis
Mane caput,bis terq;,& noctem flumine purgas.

Sed hoc alterius eſt loci; hic diligentiam conſideramus, qua excelluit iſte, qui Diis operatus, ad operas & agrum luſtrandum ſe contulit: & laborem operum partibus iuſtis æquauit per ſeruos, vt loqui amat Virgilius: vel ipſe manum operi admouit; quod non exiſtimat Raderus N. Cur autem id cenſeri non poſſit, haud video, cum & loquendi modus id indicet, & ſit boni, ac diligentis patrisfamilias ſic ſe ſuis mercenariis iungere. Quis huic otium fuiſſe diceret legendi, ſcribendi, dictandi, Muſiſque vacandi? Hoc tamen inuenit diligentia: nam ſequitur:

Inde lego, Phœbumque cio, Muſamque laceſſo.

Sic tempus antemeridianum traducebat: tum vacabat corpori aliquantulum, palæſtra ſe exercebat, ludebat, lauabatur, oleo ſe vngebat, prandebat, cœnabat, diem lucubratiuncula aliqua ſignabat,imo in noctem producebat.

Talem ſe patremfamilias exhibuiſſe gloriatur Plinius epiſtola ad Fuſium Salinatorem ſcripta,in qua ordinem vitæ,quem ruri, æſtatis tempore ſeruabat, & ſtudiorum,geſtationis ac victus modum, amicorumque confabulationes, ac venationes ſuas enarrat: alia item, in qua vitam hyemalem exponit. Sed nos ſanctiores è noſtris in exemplum adducere poſſumus, Noachum vineæ plantatorem primum, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum ruſticationi deditos & ouium paſtores: Moſem & Dauidem gregis tum ſui, tum alieni cuſtodes, qui nunquam vel à pecore quem paſcebant, vel ab operis quibus præerant, abeſſe erant ſoliti. Eodem titulo commendandus eſt extra ordinem Elimelechi *conſanguineus, homo potens & magnarum opum Booz*: qui, vt commemoratur in Ruthæ Moabitidis hiſtoria, veniebat de Bethleem, vt mercenarios ſuos inuiſeret,quos humaniſſimè ſalutabat, & precabatur præſentiam fauoremq; ſupremi Domini, *Dominus vobiſcum*: tum circumibat agrum,& an peregrinus aliquis operariis ſe ſuis miſceret, inquirebat: notatū ad laborem inuitabat,fatigatos conſolabatur, egentibus benigne faciebat, operarum præfectis, quid fieri vellet præſcribebat,omnes mira adfabilitate compellabat. *Plin. lib. 9. Ep. 36. & 40.* *Ruth. 2.*

Hæc humanitas & diligentia induſtrii conductoris exigit qua omnes excellere conuenit, qui operariis quibuſcunque præſunt, cuiuſcunque tandem ſit nominis, *Diligentia Paſtorum.*

vinito.es,

vinitores, paſtores, hortulani denique, generatim, agricolæ. Quibus appellationibus cum gaudeant in Eccleſia animarum Curatores, Epiſcopi, Antiſtites, Rectores, Parochi: per quos paterfamilias cæleſtis conducit operarios ſuæ vineæ, poſtulat, tum ipſorum officium, tum ſacri canones vt quæ partes ſunt diligentis conductoris præſtare conentur: nimirum, quas hactenus enarrauimus vigilantiam, ſolicitudinem, curam indefeſſam, viſitationem frequentem, inſpectionem aſſiduam. Quæ cum non niſi à præſentibus præſtari poſſint, paſtorum præſentiam, ac proinde reſidentiam tam ſeuere iniungunt, & non ſine graui commutatione in delinquentes, imperant.

Vigilantia Paſtoru. Conductoris, Vinitoris, Paſtoris munere fungeris, vigila non ſtertas dum clarum mane feneſtras intrat: Somnum cogitationes paſtoritiæ interrumpant: prima ſtatim hora ad operarios te tuos confer. De Paſtoribus Euangelicis lego: *Erant in*
Luca 2. 8. *regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilas noctis ſuper gregem ſuum.* In Græco eſt ἀγραυλοῦντες: *In agro cubantes,* etiam hyeme, vt eo citius euigilarent, & ad omnem
Gen. 31. 40. vſum accurrerent, nunquam à grege ſuo procul. Sic Iacob, diligentiſſimus paterfamilias, cum eſſet paſtor, die, noctuque æſtu vrebatur & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis eius. Syrus magis exprimit præſentiam, nam vertit דשרין *deſcharen, habi-*
Syrus Luca 11. 8. *tantes.* Certe apud veteres nominãtur ποιμένες ἄγραυλοι. quod in Græco ſint αὐλιζόμενοι *habitantes*: minus enim parabilia adferunt, qui ab αὐλεῖν, quod eſt tibia canere deriuant.

S. Ambroſ. lib. 2. in Luc. cap. 2. Videte, inquit Ambroſius, Eccleſiæ ſurgentis exordium. CHRISTVS naſcitur & paſtores vigilare cœperunt: qui gentium greges pecudum more ante viuentes in caulam Domini congregarent, ne quos ſpiritualium beſtiarum per effuſas noctium tenebras paterentur in curſus. Et benè paſtores vigilant, quos bonus paſtor informat. Grex, populus; nox, ſeculum; Paſtores ſunt ſacerdotes. Aut etiam fortaſſe ille ſit paſtor, cui dicitur: Eſto vigilans & confirma. Quia non ſolum Epiſcopos ad tuendum gregem Dominus ordinauit, ſed etiam Angelos deſtinauit.

Epiſcopos tamen maximè quibus Paulus diligentiam commendat, & continuam curam, *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos*
Actuu. 20. 28 *regere Eccleſiam* DEI, illorum eſt perluſtrare ouile dominicum, paſcua inuiſere nunquam à grege abeſſe.

Conc. Trid. Seſſ. 6. Serio, ſeuereque Patres Concilii Tridentini, Sacra ſynodus *omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & cathedralibus Eccleſiis quibuſcunque, quouis nomine ac titulo præfectos monet ac monitos eſſe vult, vt attendentes ſibi, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos* mercenariorum *more deſerant, atque omnium ſuarum quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo iudice requirendus, cuſtodia minimè incumbant: cum certiſſimum ſit non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit.*

Ac nihilominus quia nonnulli, quod vehementer dolendum eſt, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſolicitudine, ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos. Placuit Sacroſanctæ Synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum iniuria penè in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes pro-

promulgatos innouare, quemadmodum virtute præſentis decreti innouat, ac vlterius pro firmiori eorum reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus, in hunc qui ſequitur, modum ſtatuere atq; ſancire: Si quis à Patriarchali, primatiali Metropolitana ſeu cathedrali Eccleſia ſibi quocunq; titulo cauſa, nomine ſeu iure commiſſa, quacunq; ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento ſeu iuſtis & rationalibus cauſis ceſſantibus ſeu menſibus continuis extra ſuum diœceſim morãdo abfuerit, quartæ partis fructum vnius anni fabricæ Eccleſiæ, pauperibus loci, per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo iure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit, al am partem fructuum Quartam ſimiliter applicandum eo ipſo amittat. Creſcente vero contumacia, vt ſeuerioris ſacrorum canonum cenſuræ ſubiiciatur, Metropolitanus ſuffraganeus Epiſcopos abſentes, Metropolitanum vero abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, pœna interdicti ingreſſus eccleſiæ eo ipſo incurrẽda, infra tres menſes per litteras, ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur, qui in ipſos abſentes, prout cuiuſque maior aut minor contumacia exegerit, ſupremæ ſedis auctoritate animaduertere & Eccleſiis ipſis de paſtoribus vtilioribus prouidere poterit, ſicut in Domino nouerit ſalubriter expedire.

Idem Concilium ſeſſ. 23. cap. 1. de reformatione, ſic loquitur: Cum præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre; verbique diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorũ operum exemplo paſcere; pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munera paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: S. Sancta ſynodus admonet eos, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis in iudicio, & veritate paſcant, & regant.

Cum hæc ſit Concilii vniuerſalis, id eſt, Eccleſiæ totius ſanctio, non eſſet opus ad fidem impetrandam alia adiungere. Sed iuuat tamen videre conſpirationem noſtri ſeculi & ſuperiorum. Prodeat itaque Thomas Aquinas, qui Theologiæ ore ſic diſſerit.

Dicendum quod in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis Obligant autem ſe Epiſcopi ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem. Et ideo vbi ſubditorum ſalus exigit perſonæ paſtoris præſentiam, non debet paſtor perſonaliter ſuam gregem deſerere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter perſonale aliquod periculum imminens, cum bonus paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ouibus ſuis. Si vero ſubditorum ſaluti ſufficienter in abſentia paſtoris per alium prouideri poſſit, tunc licet paſtori, vel propter aliquod commodum Eccleſiæ, vel perſonæ periculum corporaliter gregem deſerere. Vnde Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Honoratum: fugiant de ciuitate in ciuitatem Chriſti, quando eorum quiſque à perſecutoribus quæritur, vt ab aliis, qui non ita quæruntur, non deſeratur Eccleſia. Cum autem omnium commune eſt periculum, hi qui aliis indigent, non deſerantur ab his, quibus indigent. Si enim pernicioſum eſt nautæ in tranquillitate nauem deſerere; quanto magis in fluctibus? vt dicit Nicolaus Papa, & habetur 7. quæſt. 1. &c. His addit Thomas Caietanus in Commentario ad hunc locum Sancti Thomæ, Paſtor nec nomen paſtoris meretur, ſi non perſonaliter attendat ſuo gregi. Non

Digitized by Google

enim quilibet ouium dominus, ſed ille tantum, qui paſcit ſuas, vocatur paſtor, alioqui Principes habentes multos ouium greges, quos per alios paſcunt, paſtores eſſent, quod falſum eſt. Epiſcopus autem eſt vere paſtor, iuxta verbum Domini ad Petrum: Paſce oues meas. Ad hoc dicitur, quod Epiſcopus tenetur ex præcepto diuini iuris ad reſidendum perſonaliter in ſuo Epiſcopatu. Ad cuius euidentiam tria agenda ſunt. Primo, monſtrabitur, quod hoc cadit ſub præceptó diuino. Secundo, ex qualitate præcepti redditur ratio contingentium. Tertio ſatisfiet obiectis quoad primum. ad illud tenetur Epiſcopus ſub præcepto diuino, quod neceſſarium eſt ad finem Epiſcopi, cui eſt cura animarum. Sed reſidentia Epiſcopi eſt neceſſaria ad curam animarum. Ergo Epiſcopus tenetur ad perſonaliter reſidendum in ſuo Epiſcopatu. Maior propoſitio eſt per ſe nota, & patet inductione. Conſtat namque quod omnis qui ſimpliciter tenetur ad aliquid agendum, tenetur ad medium neceſſarium ad illam actionem. Dixi autem ſimpliciter, ad diſtinctionem eorum, qui tenentur ex ſuppoſitione: v. g. famulus tenetur ad ſequendum dominum, ſi prouidetur ei de equo & expenſis.

Milites aliqui tenentur ad pugnandum ſi prouidetur eis de armis &c. Epiſcopus autem non ex ſuppoſitione, ſed abſolutè & ſimpliciter tenetur ad curam animarum, & propterea tenetur ad medium ſibi poſſibile, neceſſarium ad curam animarum. Nec ſolum tenetur, ſed eadem neceſſitate, qua tenetur ad finem, tenetur ad medium; ex quo medium eſt ita neceſſarium, quod ſine illo non poteſt finem conſequi: & quia conſtat, quod de neceſſitate præcepti diuini iuris tenetur Epiſcopus ad curam animarum, conſequens eſt, quod etiam de neceſſitate præcepti teneatur ad medium neceſſarium ad curam animarum, &c. Sic patet Maior. Minor autem ſcilicet quod reſidentia perſonalis Epiſcopi eſt neceſſaria ad curam animarum, Probatur: Epiſcopus tenetur ad curam animarum mediantibus his actibus perſonalibus, ſcilicet, doctrina, miniſtratione ſacramentorum, conſecrationibus, viſitatione, cuſtodia ac diligentia. Ergo reſidentia Epiſcopi perſonalis eſt neceſſaria ad curam animarum. Conſequentia iſta eſt clariſſima. Antecedens quo ad ſingulas eius partes probatur. Quo ad doctrinam, patet ex auctoritate Apoſtoli: Oportet Epiſcopum habere Doctorem, & in ordinatione Epiſcopi dicitur: Vade, prædica populo Dei; & non dicitur: mitte ad prædicandum &c.

Quo ad viſitationem, cuſtodiam ac vigilantiam, patet ex eo, quod niſi ad hæc perſonaliter teneretur, non eſſet ipſe paſtor cuſtodiens gregem & vigilans ſuper eo, ac viſitans ſingulas oues, vt cuique tribuat, quod conuenit, ſed vt dictum eſt, eſſet Dominus ouium habens paſtorem ouium, illum ſcilicet mercenarium, cui committit, quod vigilet, cuſtodiat, & viſitet. Et tamen liquido conſtat Epiſcopos ipſos eſſe paſtores ouiũ Chriſti, & ad illos ſpectant actus ſex Ezec. 34. à Domino expreſſi, ſcil. conſolidare infirmum, ſanare ægrotum, alligare confractum, reducere abiectum, requirere perditum, cuſtodire pingue ac forte. Ad illos denique in Petro dictum eſt: Paſce, non paſcere fac, oues meas, &c.

Quibus ſubſcripſit Dominicus Soto de Iuſtitia & Iure lib. 10. q. 2. his verbis: Indubie tenenda eſt pars affirmatiua, quam hic expreſſe D. Thomas in priori concluſione affirmat. Quandoquidem, ait, propter nullum imminens periculum perſonale licere Epiſcopo Eccleſiam ſuam tempore neceſſitatis deſerere. Idque confirmat. eſt motio Chriſti, quæ ideo in ſenſu præceptorio intelligitur: ſic ſcili-

ce.

Digitized by Google

cet, quod nemo ſit bonus paſtor bonitate, quæ ad gratiam, amicitiamque Dei retinendam neceſſaria, niſi vbicunque neceſſitatis caſus occurrerit, cum periculo vitæ gregi ſuo fauore & auxilio præſens vſque ad mortem adfuerit. Idque Auguſtinus ſupra ad Honoratum citatus aſſeueranter enunciat, dicens, quod inſtante perſecutione Epiſcopus non poteſt fugere, ſed exemplo Chriſti debet animam pro ouibus ſuis ponere. Verbum namque (non poteſt) neceſſitatem præcepti ſignificat. Vnde S. Thom. 2. q. 26. art. 5. ad tertium argumentum, vbi ait non ſemper charitatis neceſſitatem obligare hominem ad offerendum pro amico vitam, caſum excipit, quo tenetur ſaluti eius prouidere, ad officium potiſſime Epiſcopi alludens. Ab hac ergo veritate de qua nemo nunquam ambigere quiuit, peregregium argumentum ſumitur, reſidentiam eſſe de iure diuino. Nam ſi non eſſet, niſi de iure poſitiuo, cum Pontificia præcepta, vt quadrageſimale ieiunium, & feſti obſeruatio, vt libro primo ſcriptum reliquimus, non conſueuerint ad mortis vſque periculum obligare, non facile perſuaderer, teneri Epiſcopum in periculo mortis reſidere, eo potiſſimum, quod, vt ſupra dictum eſt, prędicti auctores verbum Chriſti de ſe proprie aſſertum arbitrantur, & tamen ſi illud verbum neges vim habere præcepti, nihil relinquit, vnde inferatur teneri Epiſcopum tempore neceſſitatis vitam pro ſuo grege ponere, quæ tamen omnium eſt generalis confeſſio, &c.

Quare etſi Caietan. in præſentiarum eaſdem cauſas ſub tribus generibus complectatur, quæ ſunt, neceſſitas impedimenti, qualitas negocii, & conditio perſonæ, ad commodum tamen Eccleſiæ ſunt omnes referendæ.

Propter ignauiam & perniciosiſſimam Epiſcoporum aliorumque paſtorum iniuriam cuncta ſunt hæreticis plena, qui ſacramenta omnia execrantur, blaſphemiisque conſpurcant. vnde ſequitur: Et ecce proiiciam à vobis brachium ſeu armum, quod eſt robur dignitatis veſtræ, & regiminis baculum. Ac demum diſpergam ſuper vultum veſtrum ventriculum ſolemnitatum veſtrarum.

Simile eſt apud alium Prophetam, nempe Zachariam 11. O paſtor & idolum derelinquens gregem. Ad viuum profecto exprimit naturam ingeniumque paſtoris, derelinquentis gregem. Eſt enim nil aliud quam paſtoris idolum, nempe imaginem tantum præ ſe ſoris gerens, & perſonam paſtoris, & ſculptus lapis, re tamen ipſa carens, Gladius ſuper brachium eius, hoc eſt, ſuper regiminis poteſtatem, & ſuper dextrum oculum eius, puta ſemper rectum ſenſum, & iudicium. Nam poſtquam ſua libido eos coëgit Eccleſiæ gubernaculum deſerere, illico eis ſuadere incipit, non ea obligatione teneri quam ſapiens docet, quod eſt oculum dextrum eruere. Vtinam ille, qui lux venit in mundum, quotquot ſuper candelabrum Eccleſiæ ſuæ erexit, ſic illuminet, & inflammet, vt iura ſui muneris tum clare cognoſcant, tum & charitatis ardorem motibus exhibeant &c.

Hæc approbat Cardinalis Bellarminus in Admonitionem ad Epiſcopum Theanenſem nepotem ſuum & ſubdit. Ex quibus omnibus facile quiuis intelliget, hoc tempore plurimos Epiſcopos in maximo periculo ſaluris amittendæ verſari; Vt enim auctores citati euidenter probant, Epiſcopus non poteſt deſerere gregem & ſuper ipſum inuigilare & rationem reddere Deo de ſingulis ſuis ſubditis qui pereunt. Vide & attentiſſime lege Concil. Tridentinum Seſſ. 3. cap. 1. de reformatione: nec ſolum attentiſſime lege quæ Spiritus S. per Concilium docuit, ſed cogita & recogita ſingula verba, cauſas ibi redditas, pœnas appoſitas, & niſi penitus excæcatum cor habeas: intelliges reſidentiam omninò eſſe neceſſariam.

Digitized by Google

Deus induſtris Conductoris Idea.

Sed hæc alibi fuſius & ſcholaſticè diſputauimus: hic ſolummodo patrisfamilias vniuerſim officia, quæ diligentiæ œconomicæ ſunt deſcribimus. Cuius perfectiſſima Idea eſt Deus ipſe cui omnes operas noſtras locauimus.

Aduigilat. *Ieremiæ 1.12.* *Iſa.26.9.*

Is inprimis aduigilat ſemper, nunquam ſopori indulgens. non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Oſtendit ſe Ieremiæ ſymbolo virgæ vigilantis, quod explicat ipſe, quia *vigilabo ego*. Et, *de mane vigilabo ad te*. Iſaiæ 26.9

Viſitat. *Aug. lib.16. de ciuitate cap 9.*

Viſitat ſnos frequenter, quod, vt ſignificetur in diuinis litteris, quia ſemper eſt præſens omnibus, implens omnia, dicitur interdum venire, aſcendere, deſcendere. Geneſis 11.7. *Venite deſcendamus*, dicit Deus, vel ad Angelos, vt exiſtimat Auguſtinus, Caietanus, Pererius: vel Deus Pater, Filio, ac Spiritui ſancto, vt Chryſoſtomus, Procopius, Rabanus, Rupertus, Cornelius, vt indicetur, hominum curatorem abſque loci mutatione, ſuorum opera cominus, tam exactè, ſerio, lentè intueri, ac ſi ad illos viſitandos, è ſumma cœlorum regia deſcenderet. Eodem capite dicitur: *Deſcendit Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam.*

Quid ſit Deū deſcendere. *Philo de confuſione linguar.*

Sic Geneſis 18. cum tumultuarentur peſſimi Sodomitæ, iterum ait: *Deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non eſt ita vt ſciam.* Deus, inquit Philo, *dicitur ad viſendum deſcendere, quia omnia priuſquam fiant, præuidet, manifeſtiſſimè, vt doceamur, ne quis homo de abſentibus & futuris, & incertis putet ſe poſſe coniecturam facere: ſed prius maximè proſpicere debet. Viſus enim certus potius, quam fallax auditus teſtis adhibendus eſt.*

Viſitatio Dei. *Lucæ 1.* *Vide Toletum. Annot. 146*

Quod exemplum deriuat Chryſoſtomus ad Prælatos omnes, quos monet, vt quemadmodum Deus deſcendant ad ſuos ac videant. Quod non fit ſine crebra viſitatione, quæ paſſim in ſacra ſcriptura Deo adſcribitur Exodi 3.16. *viſitans viſitaui vos.* Exodi 13.19. *Viſitabit vos Deus. Viſitauit nos Oriens ex alto. Benedictus Dominus Deus Iſrael quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Lucæ 1.

Viſitatio Epiſcoporum. *Trident. Seſſ. 24.cap.3.* *Conc. Toletan. 4.35.*

Hanc mirum eſt quam commendent Canones operarum Præfectis Paſtoribus & Epiſcopis ſacri Canones, præſertim Concilii Tridentini.

Seſſ.24.cap.3. Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi propriam diœceſim, per ſe ipſos: aut, ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum generalem vicarium, aut viſitatorem, ſi quotannis totam, propter eius latitudinem viſitare non potuerunt, ſaltem maiorem eius partem: ita tamen, vt tota biennio per ſe vel viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant.

Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores in iis Eccleſiis vbi hactenus viſitationem exercere legitimè conſueuerunt, debeant quidem adſumpto notario, de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſe ipſos tantum ibidem viſitare.

Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam, orthodoxamq; doctrinam expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamq; accendere: cetera prout locus, tempus, & occaſio feret, ex prudentia viſitantium ad fidelium fructum conſtituere.

S. Bonifacii conſtitutio.

Multo ante S. Bonifacius Epiſcopus & Martyr decreuit in quodam Concilio iuſſu Gregorii Papæ 3. vt quotanni Epiſcopus parochiam ſuam circum eat ad confirmandum populū, plebes docendas & inueſtigādas, vt adnotauit Baronius to. 9. & eſt in Bonifacii epiſt. 48. Noſtris temporibus de eadē multa, admodū vtilia, præſcripta ſunt, & vſus demonſtratus tum à S. Carolo Borromæo, & habentur in Actis

Eccleſiæ

Eccleſiæ Mediolanenſis, ac Placentina Synodo: tum à Gabriele Palæotto Cardinale & Archiepiſcopo Bononienſi, in Archiepiſcopali Bononienſi: tum à Claudio Eſpencæo in Digreſſione vltima cap. vltim. Epiſt. 1. ad Timoth. tum ab aliis iuris Pontificii, & Theologiæ doctoribus.

Auctores de Viſitatione a. entes. Manuale Viſitatorum. Feliciani Epiſcopi Comenſis. Praxis compendioſa de viſitatione Pauli Salodii Michaelis Timothei. Luci Antonii Reſte. Pauli Fuſchi. Marc. Sacc. Franciſc. Pauini. B. Anton. 3. P. tit. 20. c. 5. Petri Epiſc. S. Papuli canones in cap. Cum ex off. ciū de præſcript. ſtimulus Paſtorum.

Et ſane *a* ſi quid eſt, quod Operariorum Euangelicorum Præfectum, & animarum præſidem, ſeu gregis dominici paſtorem proxime attingit, id viſitationis officio continetur. Quod niſi ipſimet diligenter obeant, ſi poſſint neſcio ſane quomodo muneri ſuo dici poſſint ſatisfacere. Certe Apoſtoli ipſi, quamuis ampliſſimam & nullis terminatam finibus in orbe vniuerſo poteſtatem haberent à CHRISTO ſibi delegatam, ideoque nullibi pene conſiſterent, tamen muneris memores recurrebant ſubinde ad illos quos prius inſtruxerunt viſitationis cauſa. Ita Paulus, quem premebat ſolicitudo omnium Eccleſiarum Barnabam conueniens aiebat: *Reuertens viſitemus fratres in quibus prædicauimus verbum Domini quomodo ſe habeant.* Actuum 15. 36. & alio loco de eodem ſcribit Lucas: *Facto ibi aliquanto tempore, profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam regionem & Phrygiam confirmans omnes diſcipulos.*

Vbi recte *b* notat Lorinus, hanc eſſe partem paſtoralis muneris, & quidem præcipuam, obire, ac viſitare, non obiter ac perfunctorie greges, ſed καθεξῆς, ſigillatim & ordine, & poſt inſtitutionem alias ibi factam, nam has prouincias multo ante Paulus tranſiuerat prædicans Euangelium.

Hanc *c* viſitationem non per alios faciendam monent Patres, & illi vrgent maxime, qui Reſidentiam Paſtorum exiſtimant eſſe iuris diuini, de quibus Franciſcus *d* Turrianus N. Profecto, Damaſus Papa Epiſtola ad Epiſcopos ſcribit quoſdam, nutricibus ſimiles haberi poſſe, quæ ſtatim vt pariunt infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, vt ſuam citius valeant explere libidinem. Hoc modo Epiſcopos nonnullos gregis, id eſt, prolis ſuæ, quam in Domino pariunt, vel deberent certe, vicariis committere, vt pro ſuo libito ſecularibus curis inhient, & quod ſibi viſum fuerit liberius agant.

Dixit haud inconcinne auctor non *e* contemnendus. Valde ridiculum futurum eſſe, ſi vxorem quis ducat frigidus, aut maleficio vitiatus, fiducia eam per vicariam operam fœcundandæ. Simile quid contingit, dum cura animarum ſuſcipitur, duciturque in ſponſam Eccleſia, ſpe per adminiſtrum, ſobolem Chriſti propagandi & educendi.

Salſum eſt, quod *f* in iſtiuſmodi officii deſertores iacit Clicthouæus, vicariam quidem ſalutem, perſonalem vero perniciem eos in futuro manere ſeculo.

Pulchræ ſunt ad hanc rem Epiſtolæ *g* Athanaſii Cõſtantinopolitani Patriarchæ, quas recitat *h* Turrianus, ex quibus illud breuiſſime excerpo. Cum à principio decretum eſſet, vt bis annis ſingulis ſynodi haberentur; deinde decretum fuiſſe, vt ſemel, ne propter crebram abſentiam paſtorum oues à lupis facile inuaderentur. Tanta erat cura antiquis illis temporibus, vt Antiſtites ipſi, ſibi ſubditos inſpicerent, eos opportunis temporum interuallis viſitarẽt, ab illis quantum proferret perferret longinquitas terminorum, & Eccleſiæ totius neceſſitas nunquam abeſſent, ſicque opportunis temporum interuallis creberrime viſitarent. Quod ſi aliquantulum ſe à conſpectu gregis ſibi commiſſi ſubducere cogerentur, ſaltem mitterent ſuo nomine fideles, & ſe alteros, qui viſitationis munere accurate fungerentur, ſicut paterfamilias mittit interdum oeconomum ad vineam vt operas inſpiciat, & labores ſingulorum præſens penſitet.

a *Viſitatio maximè neceſſaria.*
b *Paſtoralis muneris pars præcipua.*
c *Viſitatio per ipſos paſtores facienda.*
d *Franciſc. Turri. opuſc. de Reſid. Caietan.*
e *Peraldus.*
f *Vicaria ſalus perſonalis pernicies.*
g *Athanaſius Conſtantinopol.*
h *F. Turrian. opuſc. cit.*

Digitized by Google

Nuncii Apoſtolici. Hæc eſt origo nunciorum Apoſtolicorum, & legatorum Pontificiorum, quos Papa Romanus, cui orbis, eſt vna diœceſis, cui præſidet, ad diuerſos Epiſcopatus amandat, vt quos præſens viſitare ipſe non poteſt, per fidiſſimos fratres conueniat. *Epiſtola Gregor. VII.* Ita ſumo ex Epiſtola Gregorii 7. in qua Pontifex ſic loquitur. *Quoniam propter occupationes ad peragendum noſtræ ſollicitudinis debitum ſingularum prouinciarum Eccleſias per noſmetipſos* VISITARE *non poſſumus: neceſſarium valde eſt, vt exigente ratione, vel tempore, aliquem, modo ad has, modo ad illas partes mittere ſtudeamus, per quem commiſſa nobis ſecundum voluntatem* DEI *repræſentetur auctoritas, & Dominici gregis ſalus, atque communis prouideatur vtilitas. Scimus enim quoniam ſine detrimento & magno animarum periculo eſſe poteſt, cum illius diligentia, ad quem ſumma negociorum & cura neceſſitas præcipue ſpectat diu ſub litis ac commiſſis ſibi fratribus deeſt.*

Petri coadiutores. Ob hanc cauſam, quia Petrum, primum à Chriſto conſtitutum vrbis ac orbis Epiſcopum ſæpe peregrinari contingebat, refert Epiphanius, deſignatos fuiſſe Romæ epiſcopos Linum & Cletum, vt vrbs ſuos haberet inſpectores, ac viſitatores. *Corinth. 3. Ioan. Ep. 3. Damaſ. Pontif. Ioa. 3. Ep. Vnica.* Erant autem iidem, primi epiſcopi, qui non niſi vnius eſſe poteſt Adiutores, & cooperarii, quo pacto Paulus dicit, DEI *enim ſumus Adiutores:* & Ioannes monet in ſua Canonica vt *Cooperatores ſimus veritatis.* Tales fuiſſe Linum & Cletum aſſerunt Damaſus Papa, & Ioannes 3.

Eodem fine mittebatur à Paulo ſolicito ſuorum curatore, nunc in Cretam, nunc Epheſum Tychicus, quando inde euocabat Epiſcopos Titum ac Timotheum. Nempe iudicabat eſſe maxime neceſſarium, vt eſſet ſemper præſens, qui populum inſpiceret, & viſitatoris officio defungeretur.

Agnoſcendus vultus pecoris. Prouerb. 28. 23. 24. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, inquit Sapiens, tuoſque greges conſidera: non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur in generationem & generationem. Hoc paſtori dicitur Eccleſiæ,* ait Beda, *diligenter adhibe curam iis, quibus te præeſſe contigerit: agnoſce animos, actuſque ſingulorum: & ſi quid in iis vitii ſorditantis inueneris, citius caſtigare momento. Non enim tu ſemper oues Dominicas paſcēdi poteſtatem habebis, ſed æterna eſt corona quam percipies, ſi commiſſum tibi gradum ſuo tempore bene adminiſtraueris.* Idemque habent Hugo & Salonius.

Agnoſcere γνωςῶς. Exodi 33. 13. Græce eſt Γνωςῶς ἐπιγνώσῃ ψυχὰς ποιμνίου σου, ϗ ἐπιςήσῃς καρδίαν σου ταῖς ἀγέλαις. Quod vertere poſſis, *Aperte, euidenter, & notorie & cognoſcenter; ac facie ad faciem; ſeu, coram & in præſentia* (quo pacto Moſes deſiderans videre DEVM, Oſtende te inquit, mihi γνωςῶς, facie ad faciem) *cognoſces animas gregis tui, & applicabis cor tuum tuis armentis.* Porro, agnoſcere in ſacro ſermone, idem eſt, quod rei vel perſonæ prouidentiam ſuſcipere: *Nouit Dominus dies immaculatorum* Pſal. 26. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas* Prouerb. 12. Nouit iuſtus cauſam pauperis. Prouerb. 29. Prouidere autem integræ communitati non poteſt diligenter, coram & in præſentia: qui nunquam illam præſens inſpicit, nunquam viſitat. Et multo minus illi agnoſcendo cor apponet, id eſt, mentem ac voluntatem impendet, qui nunquam corporis ſui copiam facit, & nunquam vel raro benignitatis oculo dignatur.

Prælati otioſi qui gregi non aduigilant. Otioſus Epiſcopus quis? Alf. Salmero. tom. 7. tract. 33. N. 12. At grauiores id occupationes & aulæ negocia non patiuntur. Imo iſtiuſmodi Antiſtites, habendos eſſe operarios, titulo, re otioſos, vel potius, nihil agentes: quibus paterfamilias, conductor opprobat. *Quid ſtatis tota die otioſi?* ingenioſe probat Alfonſus Salmeron N. cuius verba adfero, ne mea offenſionem pariant.

Eſt otioſus quiſquis ab eo, quod debet præſtare ſemotus aliena, & quæ ad ſe minime ſpectant, curat. Ideo otioſi ſunt Epiſcopi, *qui relicto grege ſuo, ad quem paſcendum, & præſentia ſua conſo-*

conſolandum, lege naturali, & Eccleſiaſtica tenentur, in aulis Principum volunt conſeneſcere, profana & peculiaria ſiue ſecularia negocia ſedulo tractantes.

Et cum iſtis poßit dici ; Quid hic ſtatis tota die ocioſi : *non poſſunt reſpondere* : Quia nemo nos conduxit : *cum à DEO ad vineam ſuam colendam ſint conducti. Et vt ille dixit* : Præſtat ocioſum eſſe, quam nihil agere : *hoc eſt, quam res nullius momenti, & friuolas tractare vt qui totum diem forcipibus adſumptis charta pro libidine ſcindenda vacaret, res nullius momenti ageret, & deterior eſſet ocioſo. Ad hunc modum epiſcopi, qui ingenio & prudentia valent, & dimiſſo grege implicant ſe ſecularibus Regum negociis, omiſſo eo, quod à principe Regum omnium acceperant, profecto deteriores ſunt, quam ſi ocioſi deliteſcerent. Nam etſi tales aliquid efficere ſibi videantur, quod reipublicæ ſit conducibile, intelligant tamen, quod dixit Bernardus* : Ingratum eſſe, Spiritui Sancto, quicquid ei obtulerint, neglecto eo, ad quod tenentur.

Plin. ep. 9. ex Attilio.
Bernard.

Et ad quid magis tenentur, quam quod nomen ipſis cotidie ſuggerit. *Qui ſeruit Eccleſiæ*, inquit, Hieronymus, agens de Clerico vniuerſe, *interpretetur primo vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata nitatur eſſe quod dicitur.* Id faciat epiſcopus, & nunquam viſitationem omittet; imo ſi fieri poſſit, nunquam à ſuis aberit. Luſtrabit frequenter gregem ſuum, illumque præcedet, ne ſine Imperatore diffluat exercitus, ſine Nauarcho fluctuet nauis, ſine auriga inuertatur currus, ſine anima corpus iaceat.

Nomen Epiſcopi inſpectionem ſuggerit.
Hiero. Epiſt. ad Nepotem.

Vitur hoc argumento Ioannes Lorinus N. monens nomina ipſa epiſcopi, & Paſtoris ſuſſicere ad perſuadendam viſitationis vigilantis ac ſedulæ neceſſitatem *αὐτοπροσώπως, perſonaliter*, ab iis ipſis faciendam, qui eiuſmodi nominibus nolunt haberi indigni, titulumque ſine re magis : glorioſe quam vere retinere : & magis peregrini cenſeri, quam ſponſi; extranei, quam Patres : paſcentes ſeipſos, non oues : non ædificantes ſed deſtruentes.

Viſitatio αὐτοπροσώπως.

Non eſt, inquit, idem, Ianitorem turpius non ſedere ad ianuam, villicum ad villam, gubernatorem nauis, ad gubernaculum, præceptorem ad ſcholam, aliosque ad ſua munera, quam epiſcopum ſua non verſari in diœceſi, eam non obire, non agnoſcere vultum pecoris, & animas gregis ſui *γνωστῶς*, viſuali, vt ita dicam, ac intuitiua per oculos ipſos ſua notitia & inſpectione.

Perſarum reges viſitant ditionem.

Agnouerunt hanc viſitationis neceſſitatem profani, quibus fuit in vſu. De Perſarum regibus notum eſt illos obire ſolitos ditionem vniuerſam, vt viderent quid opem regiam deſideraret. Id ipſum refert Plato feciſſe Minoëm Cretenſium Radamanthi & Taloënis opera, & quidem in anno ter pagatim circumferendo æreas legum tabulas. Et faciendum patrifamilias in Oeconomicis præſcribit Ariſtoteles.

Plato in Minoë.
Ariſt. Oecon. lib. 1. cap. 6.

Apud Hebræos frequens erat viſitationis officium, vocabanturque viſitatores ipſi, Apoſtoli, vt meminit Epiphanius, & Codex Theodoſianus : ac notant Turrecremata, Ianſenius, Adamus Sasbaut, Baronius, Iſidorus. Sed ego Dei exemplum proponebam, quo maxime permoueri, eius vicarios & cooperatores permoueri conuenit. Fructum viſitationis diuinæ animaduertens Iobus exclamare potuit : VISITATIO *tua cuſtodiuit ſpiritum meum.*

Viſitatores Apoſtoli.
Epiphanius hæreſi 30.
Cod. Theodoſ. lib. 14.
Turre. T. de Ecc. c. 18.
Ian. c. 7. Concor.
Adam. Rom. 1.
Baron. tom. 1.
Iſider. l. 2. off.
Iob. 10. 12.

Sed non ſat eſt optimo patrifamilias viſitare ſuos mercenarios, ipſe etiam manum operi admouet, quod erat poſtremum diligentis conductoris iudicium. Ipſe plantat, ſerit, occat, metit, putat : ipſe terram inuertit, ipſe fœcundat. Denique, facit ipſemet omnia, & operatur in omnibus, ſine cuius auxiliari manu, nihil merce-

Deus operatur in ipſis.

de...

Actuum 17.28. de dignum faceret vllus operarius. *In ipſo,* hoc eſt, per ipſum, *viuimus, & mouemur, &*
Iſa. 62.12. *ſumus. Omnia opera in nobis operatur Dominus. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*
Rom. 11.36. *Ipſi gloria in ſecula.* AMEN.

COMMENTATIO XIII.

SCHOLASTICA.

Ex contractu locationis colligit Theologus ſcholaſticus Deum iuſtiſſimum conductorem in hac vita etiam, ſtatim mercedem debitam reddere.

Dominica Septuageſima.

Non morabitur opus mercenarii tui apud te vſque mane Deuter. 24. 14. Sed ſtatim ei mercedem reſtitue. Tobiæ 4.15.

Augmentum gratiæ reſpondens actibus.

EST inter ſcholæ Doctores nonnulla controuerſia, de redditione mercedis, quorundam operum, quibus, quia meritorum, & à conducto operario procedentium, cum reſpondeat merces aliqua; quando autem illa à Deo detur mercenario non exiguæ eſt difficultatis, ob plurima quæ inde duci videntur conſectanea, quæ à multis, tanquam à Philoſophiæ, ac Theologiæ ſubtilioris ſcitis minus belle reſpondeant, reiiciuntur. Si ad Iuriſconſultum Chriſtianum cauſſa deferatur, reſpondebit abſque multis ambagibus, iure cautum tam diuino quam humano, vt conductor debitam mercedem peracto opere annumeret: cur ergo Deus illam differat. Ego, quoniam res eſt, quæ plurimum facit ad vitæ ſtudioſe exercitamenta, quæ ſemel virtuti addictus incepit, continuanda, quam conſentanee legibus humanis diuiniſque Iuriſconſultus ita opinari poſſit, breuiter expediam, probabilem ſequens ſententiam abſque præiudicio ſubtilioris deciſionis quam in ſcholaſticis diſputationibus confirmamus.

Merces perfecta, Imperfecta.

Pono itaque, quod Catholicorum nemo negabit, mercedem quam Deus operariis ſuis addicit, vnam eſſe *plenam*, *ſeu perfectam*, quæ dici poteſt, *vltimata ſeu finalis*: alteram *imperfectam*, quæ eſt *proxima*, & *temporalis*. Inſinuat hanc partitionem ſacra-ſcriptura. Nam cap. 2. Ruth, Booz bene precando Moabitidi: *Reddat*, inquit, *tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino* DEO *Iſrael.* Quæ ſententia, vt ibi obſeruat Nicolaus Serarius, bifariã ex Hebræo reddi poteſt. *Primo*, enunciatiue: *Reddet tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem* recipies. Iunius & Tremellius, inter Nouatores noti, legunt: *Rependet Iehoua opus tuum: & erit merces tua perfecta à Iehoua. ſecundo*, precatiue: *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias.*

Nicolaus Ser. Quæſt. 21.

Merces plena. πλήρης.

Igitur, operum bonorum merces, duplex recte ſtatuitur: *plena*, ſeu *perfecta*. Nam Græcum πλήρης, & Latinum, *plena*, reſpondet Hebræo *Schelemah*: quod idem eſt, ac *perfecta, & completa.* Altera *imperfecta*.

Merces imperfecta.

Merces imperfecta in hac vita fere redditur, niſi imperfectam etiam vocare libeat, beatitudinis eſſentialis appendices, & alia quædam ſeculi alterius donatiua, quæ quia felicitatis ſolidæ ac perpetuæ ſunt ornamenta, & illam vel antecedunt proxime, vel comitantur, melius ad illam referuntur. Certum, merces imperfecta non incommode diſpeſcitur, in bona naturalia, & tranſnaturalia: Seu naturæ, & Gratiæ ad illam pertinent, quæ ab hominibus ſola pene, vt bona æſtimantur, & fortunæ adſcribuntur à profanis, diuinæ prouidentiæ à ſacris auctoribus, diuitiæ,

honores,

Digitized by Google

honores, valetudo corporis, robur, pulchritudo, voluptatum copia, vxor, liberi, imperium, clientes, ſubditi, & ſexcenta alia eius generis. Ad hanc ſpectant, ipſa imprimis gratia habitualis, ſeu ſanctitas, quæ dici ſolet ſanctificans: tum illius acceſſio, ſiue augmentum quæ *gratia ſecunda* vocatur à nonnullis: deinde virtutes infuſæ, caritas, ſpes, fides, & aliæ harum comites, ſingularumque incrementa.

Porro, gratia, & quæ illi nexa ſunt, haud incommode merces perfecta appellari poſſet, tum reſpectu mercedis corporeæ, quæ vilis eſt: tum quia, quemadmodum fructus eſt in ſemine, quod cum eo nomen aliquando participat, ita Gloria, quæ perfecta eſt merces, in Gratia continetur, cui reſpondet. Quoniam tamen, quamdiu peregrinamur à Domino deperdi poteſt, ac decreſcere, augerique, imperfecta cenſeri debet: ſunt *plena*, ac *perfecta*, vitæ alterius beatitudo, caſibus non obnoxia & extra omnem amiſſionis ac diminutionis aleam.

Vtramque operi reſpondere mercenario aduertit ſapienter Boozus: atque idcirco tam illam, quam hanc precatur à conductore DEO reddendam Moabitidi. Quod paulo clarius, quam Latinus interpres indicat Chaldæus. Thargum, qui ita ad precationem tranſtulit: *Retribuat tibi Dominus retributionem bonam in hoc ſeculo, propter opus tuum bonum*: en imperfectam, ac temporalem. *Et ſit merces tua perfecta, ad ſeculum, quod à Domino Deo veniet: ſeu, in ſeculo futuro.* quod Rabbini vocant *bolam habbo*: & dicunt, *Dah matthan ſchecaran ſchel tſadditim lehathid labo: ſcias donum mercedis iuſtorum eſſe in futuro ſeculo*; nimirum *mercedis plenæ, ac perfectæ*. Quam CHRISTIANI aliquando vocant Requiem, vt S. Ambroſius in funebri Imperatoris Theodoſii: *Da requiem perfectam ſeruo tuo Theodoſio*: Requiem *illam, quam præparaſti ſeruis tuis.*

Vtraque merces debita operi.

Elias Thisbi in 5. Helam & Harid.

Ceterum, quia merces & meritum reciprocantur, quod vel ex Varrone diſcere potuerunt ſcioli Nouatores: Meriti quoque, ſiue operum meritoriorum eſt diuiſio in illud quod *plenum*, vel *perfectum* dici poteſt. Theologi vocant *condignum*, vel de *condigno*, cui infallabiliter & ex debito ſiue iuſtitiæ, ſiue fidelitatis debetur à Deo merces: & in *meritum imperfectum*, quod *congruens*, aut *congruitatis*, vel *de congruo* nuncupatur: cui nempe ex quadam congruitate, & beneficentia merces redditur.

Merces & meritum reciprocantur.

Var. de L. L.

Iam intuere & obſtupeſce iuſtitiam ac liberalitatem Dei conductoris erga nos homines, mercenarios ſuos, ac imitare erga tuos, quorum opus non moretur apud te vſque mane: ſed ſtatim iis mercedem reſtitue. Principio itaque homo, nondum in domeſticorum patrisfamilias cœleſtis album relatus, peregrinus & hoſpes, imò inimicus, qualis eſt peccator quilibet amicitiæ diuinæ, per gratiam adoptionis non reſtitutus, operatur nonnihil per auxilia ſupernaturalia gratis ſibi communicata, & ambit diuinam familiaritatem, eo ipſo meretur, quamuis imperfecte, congrue tamen, *gratiam primam iuſtificantem*. Quod etiamſi negent Doctorum aliqui ex recentioribus, Sotus, Victoria, Valentia, Aluarez; docent tamen conſtanter veterum plerique, Magiſter Lombardus, Thomas Aquinas, Bonauentura, Scotus, Albertus, Alenſis, Marſilius, Maior, Gabriel, quibus accedunt è iunioribus, Vega, Roffenſis, Ruardus, Caietanus, Medina, Driedo, Bellarminus, Vaſquez.

Deus in remune ando iuſtiſſimus

Sot. libr. 2. de Nat. & Gra. cap 4.

Victo. relect. de poteſt. Eccl. N. 4.

Valent. Diſp. 8. q. 6. §. 4.

Aluar. libr. 7. de Auxil. Diſp. 59. Nu. 10. concl. 4.

* Patrum autem antiquiorum, haud obſcura eſt hac de re ſententia, dum paſſim pronuntiant, diſpoſitiones ad gratiam mereri aliquomodo gratiam. Sane Origenes, Homilia 3. in Leuit. ait, confeſſionem peccatorum mereri eorum remiſſionem. & Homilia 2. Pœnitentiam mereri peccatorum veniam. Sic quoque Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 13. docet Achabum pœnitentia meruiſſe indul-

S. Thom in Mag. 2. Diſt. 27. q. art. 4.

Bona. ab. art. 2. q. 1. & 2.

Scot. in 2. diſt. 28. q. vna.

Digitized by Google

Alb. in 1. diſt. 41. art. 2. Alen. 3. p. q. 61. M. 3. ar. 2. § 1. Mar. in 2. q. 18. art. 3. Gabr. 1. D. 41. q. 1. & 2. Veg. lib. 3. in Trid. cap. 7. Roff. art. 1. Ruard. art. 1. Caiet. tom. 1. op. tract. 4. q. 1. Medina 1. 2. q. 109. ar. 6.

indulgentiam. quod repetit cap. 19. de muliere peccatrice. Eadem phraſi vtitur B. Cyprianus in expoſitione Orationis Dominicę agens de precibus Publicani. Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. de negatione Petri: *Lachrymæ*, inquit, *veniam non poſtulant, ſed merentur.* Et lib. 2. de Pœnitentia cap. 3. Filium prodigum cum longe abeſſet à patre, dicit metuiſſe veniam: atque in cap. 8. ad Romanos, ſcribit, ſperando nos mereri ſalutem. Nec aliter Hieronymus, qui lib. 2. contra Iouinianum, confeſſionem peccatorum aſſerit ratione humilitatis mereri eleemoſynam apud Deum. Gregorius autem lib. 3. in lib. 1. Regum cap. 4. *Niniuitæ*, inquit, *dum graui pœnitentia ſe deiicerent, Dei miſericordiam meruerunt.* Imò Auguſtinus Magiſter gratiæ, cui plurimum ſemper deferre conſueuit, plane concedit eſſe meritum aliquod ad remiſſionem peccatorum.

Epiſtola 89. q. 4. parum à principio: & Epiſt. cap. 5. Remiſſionem, ait, peccatorum, non eſſe ſine aliquo merito, ſi fides eam impetrat. Ac de prædeſtinat. SS. cap. 2. *quis dicat, cum qui cœpit credere, à Deo in quem credit, nihil mereri?* Idem docet Tract: 44. in Ioann. Neque hanc ſententiam retractat S. Doctor, quamuis retractare videatur lib. 1. Retract. cap. 23. quod dixerat, propoſitione 60. in Epiſt. ad Rom. *Fides meretur gratiam.* Solum enim docet, cum dixit, Fidem mereri gratiam, addere ſe debuiſſe: Fidem etiam eſſe donum Dei ne indicaret, initium ſalutis humanæ eſſe ex nobis, non ex Deo.

** Diſpoſitiones ad gratiam merentur illam.*

Tried. de Concor. par. 2. cap. vlt. & de Redem. tract. 5. part. 2. c. 2. Bell. lib. 1. de iuſt. c. 21. ib 5. c. 22. Vaſq. di. 228. à cap. 2.

Ratio *a* idem roborat. Quoniam ad meritum de congruo, non requiritur aliud, quam honeſtas operationis, quæ tali mercede remunerari poſſit. Atqui in officiis virtutum, quæ tanquam præparamenta præcedunt iuſtificationem talis eſt honeſtas ſupernaturalis, quæ ſanctitatis habitu, ac remiſſione peccatorum poſſit remunerari. Quid enim magis congruum, quam vt vere pœnitentibus peccata remittantur, & amicitiæ diuinæ fiant participes? Eſt itaque in iſtiuſmodi diſpoſitionibus ratio congrui meriti ad obtinendam remiſſionem peccatorum, ac infuſionem illorum donorum, quæ in iuſtificatione cœlitus immittuntur. Et hæc ſunt merces illorum operum.

a Quid requiratur ad meritum de congruo.

b Deus dat gratiam ſubito.

At quando *b* redditur? tam ſubito, vt nihil temporis intercedat inter vltimam diſpoſitionem, & infuſionem gratiæ. Imo ſunt, qui exiſtimant, DEVM tam diu non expectare in redditione mercedis, ſed hanc dare, quaſi in antecеſſum ante operis meritorii conſummationem: cenſent enim, diſpoſitiones proximas quibus homo diſponitur ad iuſtificationem effectiue procedere ab habitu gratiæ, fidei, ſpei, caritatis, ac proinde hos habitus prius natura infundi, quam actus illi eliciantur.

Iuſtificationis inſtans.

Quod etſi non probem, negari tamen non poteſt, eo momento quo quis de peccatis conteritur, Deum gratiæ ſuæ mercedem protinus offerre: eodem enim inſtanti homo iuſtificatur.

Gratia proportionatur diſpoſitioni.

Quoniam vero non omnes qui primam gratiam accipiunt, æque feruenter ad illam ſeſe compararunt, ideoque inæquales ſunt in operationibus, idcirco Deus, quod iuſtitiæ regula exigit in mercedis huius redditione proportionem ſeruat, & plus gratiæ ſanctificantis illis confert, qui maiori diligentia ac melius ſe ad illam diſpoſuerunt. Licet enim infantes, qui ante vſum rationis, baptizantur, æqualem gratiam accipiunt tamen ii qui per proprios actus ad illam ſe diſponunt ſecundum diuerſos gradus, intuitu meritorum, ſanctitatis habitum participant.

Nec

Nec contentus mercede gratiæ Deus, addit in iuſtificatione, aliarum virtutum habitus. Iuſtificatio enim vt docemus in Theologicis, includit primo quidem infuſionem gratiæ: tum verò etiam donationem trium virtutum Theologicarum, fidei, ſpei, & caritatis: denique conceſſionem virtutum moralium infuſarum, quæ ſupernaturales ſunt, ac diuerſæ eſſentialiter ab adquiſitis. His namque diſponitur homo ad operandum prudenter, fortiter, iuſtè ac temperanter prout expedit ad finem ſupernaturalem.

In iuſtificatione, præter gratiam infunduntur alii habitus.

Cernitur eadem optimi conductoris iuſtitia & liberalitas in augmento gratiæ & donorum ſupernaturalium. Admittunt enim omnes, mereri iuſtos de condigno ſibi augmentum gratiæ, per opera meritoria, quæ exercent. Clare Concilium Tridentinum Seſſione 6. Canone 32. *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera, ita eſſe dona DEI, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita. Aut ipſum iuſtificatum, bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam & IESV CHRISTI meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.*

Augmentum gratiæ.

Hoc autem neceſſario intelligitur, de merito pleno, perfecto, ſeu de condigno: tum quia gloriam, & alia commemorata eodem ſententiæ contextu merentur condignè: tum quia ad meritum illud exigit Concilium conditiones eas, quæ poſtulantur ſolum ad meritum de condigno: tum quia cum concilium abſolutè loquatur de merito, deſignat meritum de condigno, quod abſolutè eſt meritum. Et profectò, operationes hominis iuſti meritoriæ habent omnia, quæ ſcrupuloſiſſimè Theologi ad meritum de condigno exigunt. Cum igitur ſint meritoriæ augmenti gratiæ, vt docet Synodus Tridentina, & conſtat ex illo Iacobi 2. 24. Ex operibus iuſtificatur homo, vt exponit Tridentinum Concilium: & ex Apocalypſis 22. 2. Qui eſt iuſtus, iuſtificetur adhuc: & Eccleſiaſtici 18. 22. *Ne verearis iuſtificari vſque ad finem*: & illo Prouerbior. 4. *Quaſi lux ſplendens creſcit vſque ad perfectum diem*: neceſſe eſt, ipſius opera eſſe meritoria de condigno. Quod confirmatur ex cap. 19. Lucæ & 25. Matthæi vbi fideles operarii lucrari dicuntur alia talenta: quod non ſignificat niſi augmentum gratiæ: quod non ad lucrum, ſed ad donum ſpectaret, niſi tanquam merces redderetur meritis.

Meretur iuſtus augmentum de condigno.

Iam vero & illud adiungatur, non ſolum actus intenſiores quam ſit habitus à quo procedunt, ſed etiam æquales, imo & remiſſiores eſſe augmenti meritorios: ac proinde, hominem iuſtum mereri illud augmentum, per quodlibet opus meritorium. Hoc tanquam certum, & ſuo loco demonſtratum hic ſumo: eſt enim protſus conſentaneum Scripturæ, Patribus, Conciliis in quibus abſolutè docetur, iuſtos per bona opera mereri augmentum gratiæ. Quæ cum ſit acceptatio ad gloriam: & iuſtus per quodlibet opus pium mereatur augmentum gloriæ, plane idem adfirmandum eſt de augmento gratiæ: gloria ſiquidem eiuſque gradus reſpondent gratiæ. Accedit, quod actus remiſſus poſſit eſſe perfectior, quam alius magnæ intenſionis, tum propter excellentiam obiecti, tum propter circumſtantias quæ accidunt, quare ſi hic eſt meritorius, erit & ille. Nonne actus amandi Deum ſuper omnia, quamuis remiſſus, perfectior eſt, quam actus temperantiæ vel alterius virtutis licet intenſus. Si igitur huic, vt merces, reſpondet, acceſſio gratiæ, reſpondebit & illi. Quod intellige etiam de continuatione eorundem actuum.

Omne opus bonum iuſti meritorium augmenti.

Eſt autem conductoris optimi ea conſuetudo, quam locationis contractus poſtulat,

Augmentum Caritatis n n

differtur in alteram vitam. ſtulat, vt merces iſta non reſeruetur vſque ad mane ſequentis diei ſeu vitæ, ſed reddatur, ſaltem ad finem operis. Hoc eſt quod docent Theologi: Augmentum gratiæ eſt caritatis, quod datur etiam propter opera remiſſa non differri, neque ad futuram vitam, neque ad tempus, quo actus vel intendatur, vel multiplicetur. Loquuntur autem de augmento non tantum moraliter ſumpto, verum etiam Phyſicè per multiplicationem graduum, qualitatis illius, quæ animæ inhæret. Hoc enim habet rationem mercedis reſpectu operum præcedentium. Deducitur id neceſſario, ex illa Pauli Apoſtoli diſputatione, quæ eſt de multiplicatione ſeminis 2. ad Corinth. 9. Vbi hortatur fideles vt larga manu in pauperes ſemen eleemoſynæ ſpargant: ſic enim fore vt Deus augeat fructus largitionis ac liberalitatis: *Multiplicabit*, inquit, *ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*: inſinuans & corporalem & ſpiritualem illis mercedem reddendam: corporalem quidem, per multiplicationem ſeminis ex quo panis conficitur; ſpiritualem vero, per multiplicationem gratiæ, quæ eſt ſemen vitæ æternæ. Loqui autem Apoſtolum de augmento præſenti, conſtat ex verſiculo ſequenti: *Vt in omnibus locupletati, abundetis.* Præmiſerat autem; *Potens eſt* Deus *omnem gratiam abundare facere in vobis*, quo indicatur abundantia gratiæ quæ ſit merces præcedentis munificentiæ ac liberalitatis. *Ep. 2. ad Cor. 9.10.*

Abrahami iuſtificatio ſecunda. Manifeſtius id cernitur in iuſtificatione Abrahami, de qua differit S. Iacobus cap. 2. ex Geneſis 22. Abraham enim ſtatim augmento veræ ſanctitatis iuſtificatus eſt, quando ſacrificare voluit filium ſuum, vt diuino mandato obſequeretur. *Abraham* inquit Iacobus, *ex operibus iuſtificatus eſt, filium offerens ſuper altare.* Ex quo colligit, hominem iuſtificari ex operibus, & non ex fide tantum. Sunt autem Apoſtoli verba intelligenda neceſſario de iuſtificatione, quæ eſt augmentum ſanctitatis, & dicitur, *ſecunda iuſtificatio*, vt exponit Concil. Tridentinum Seſſ. 6. cap. 10. & liquet: Quoniam Abraham multo antequam filium immolare deſtinaret, erat iuſtus, quippe Dei amicus: nam multo ante fides illi reputata fuerat ad iuſtitiam, vt dicitur Geneſis 15. & exponit Paulus ad Romanos 4. Porro ad hanc maiorem Abrahæ ſanctificationem ſicut non fuit neceſſaria maior intenſio caritatis quam erat in habitu præcedente: ita neque fuit neceſſarium tempus aliud quo intenſius operaretur, & multo minus, alterius vitæ dies.

Matt. 19. 29. Confirmatur hoc verbis Chriſti D. Matt. 19. *Omnis qui reliquerit fratres aut agros centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* In his enim duplex continetur merces: huius vitæ nomine centupli indicata; & vitæ alterius, quæ æterna eſt. Ceterum ſermonem eſſe Domino de mercede peculiari bonorum docet S. Hieronymus, Beda, aliique Interpretes apud quos celeberrimum eſt dictum iſtud: Qui reliquerint carnalia ſpiritualia recipient, quæ ita ſe habent, quaſi centenario paruus numerus comparetur. At verò ſpiritualia illa dona licet alia quoque denotare poſſint, præcipuè tamen deſignant augmentum gratiæ & caritatis, ſine quo reliqua haud magni ſunt precii. Itaque propter opus quodlibet, quod ab operario fideli ac iuſto, in gratiam conductoris Dei perficitur, confertur tanquam merces debita, etiam in hac vita, aliquod augmentum ſanctitatis. Non eſt autem ratio vlla, cur non ſtatim opere abſoluto merces hæc tribuatur, ſi alterius diei mane non eſt expectandum.

Patrum ſententia. Ita ſenſiſſe ſemper Eccleſiæ Doctores, iuris diuini peritiſſimos mihi non eſt dubium, nec erit aliis eorum dicta diligenter, conſiderateque penſitantibus. Perpendatur, quod ſcribit Gregorius libr. 4. in 1. Regum cap. 4. ad illa capitis 9.

Aſcen-

Aſcenderunt in ciuitatem: nempe, Saul, & Samuel. Docet enim illa Pauli, 2. ad
Corinth. 3. *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, non ſolum intelli-
genda eſſe de futura æterna retributione, ſed etiam de præſenti, quia etiam in hac
vita pro merito operis tribuuntur augmenta virtutis.

Quia valde laborioſum eſt, *omnia tentamenta vincere, ad verba Doctorum, qui hoc no-
bis præcipiunt, quaſi per aſcenſus laborem conamur peruenire. Sed quia ſcriptum eſt:* Quod
vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem (*quod nimirum, non ſolum
de æterna retributione accipitur, ſed etiam de præſenti*) omnipotens DEVS *pro merito operis,
electis ſuis tribuit augmenta virtutis.* Nam & *Abrahæ filio parcenti dicitur*: per memetipſum *Gen. 22.*
iuraui, quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio propter me, benedicam tibi, &
multiplicabo ſemen tuum. *Plerumque enim, qui fideliter laborant, in faciendis iis, quæ
ſciunt, per diuinam gratiam maiora, quæ agant, cognoſcere merentur.* Loquitur aperte Pa-
pa magnus de augmento illo, quod veluti merces datur propter operis meritum.

D. Baſilius in Pſal. 83: exponens illa: *Ibunt de virtute in virtutem*, ait, *cotidie augeri
virtutem in iis, qui in operibus pietatis continuo exercentur.* Penſa, *cotidie.* Ergo non differ-
tur merces augmenti in diem alterum.

Magis generaliter Proſper Aquitanicus ſententia 95. ex Auguſtino, *Creſcit ſemper
caritatis facultas, dum vſu maiori, & largitate fit ditior*: ſi creſcit ſemper, ergo non ex-
pectat diem alterum. Excludens autem alterius vitæ ſpatia ſententia 99 ſic ſcribit:
*Melior eſt etiam in hoc tempore cauſa iuſtorum; qui quanto acrius impetuntur, tanto glorioſius
coronantur.* Quod enunciatum de corona præſentis quoque temporis abſque dubi-
tatione accipi debet.

Idem innuunt ſcholaſtici, & imprimis Sanctus Thomas, ac præterea B. Vincen- *S. Thomas in*
tius Ferrerius, dum adfirmant, *futuram eſſe maiorem beatitudinem, ſecundum quod quis* *6. diſt. 49. q. 1.*
habuerit de charitate. Iuxta quam ſententiam, augmentum charitatis, quod merce- *art. 4. q. 4.*
dis inſtar, redditur bene operantibus, ſolum in hac vita confertur, ac proinde, ſta-
tim ſaltem atque opus perficitur. quoniam in hac vita nullum aliud tempus ratio-
nabiliter poteſt adſignari, in quo merces illa reddi debeat.

Neque alio ſenſu commode explicari poteſt, quod habet Concilium Trid. de *Concil. Trid.*
hac ipſa re diſſerens, ſeſſione 6. cap. 10. *Iuſtificati, & amici* DEI *ac domeſtici facti, eun-* *Seſſ. 6. c. 10.*
tes de virtute in virtutem, renouantur, vt Apoſtolus inquit, de die in diem: hoc eſt, mortificando *Pſal. 83.*
membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem, per obſeruationem manda- *2. Corinth. 4.*
torum Dei, & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per CHRISTI *gratiam accepta, cooperante fide bonis, cre-* *Coloſſ. 3.* *Rom. 6.*
ſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. *Et ite-* *Apoc. vlt.*
rum: Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. *Et rurſus*: videtis quoniam ex operi- *Eccl. 18.*
bus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. *Hoc vero iuſtitiæ incrementum petit San-* *Iacob. 2.*
cta Eccleſia cum orat, Da nobis Domine fidei, ſpei, & caritatis augmentum. Canone *Dom. 13. poſt*
autem 32. damnat vt errorem fidei contrarium: ſi quis dixerit, hominem, per bo- *Pentecoſt. Ex*
na opera, quæ ab eo per DEI gratiam fiunt, non mereri vere augmentum gratiæ. *Aug. lib. de natura &*
Quia nimirum definiuerat cap. 10. hominem per bona mereri illud augmentum, & *gratia. ca. 43.*
per illud creſcere, ac magis iuſtificari. Non igitur expectat DEVS alterius vitæ
tempus vt debitam operibus iſtis mercedem perſoluat: ſed ſaltem ad finem operis,
mercenario fideli augmenti nummum adnumerat.

Dixi *ſaltem*: Sunt enim præclari Theologi, qui conductoris DEI munificentiam *An augmen-*
magis exaggerant, & arbitrantur cœleſtem patremfamilias, tam eſſe erga operarios *tum gratiæ*
ſuos liberalem, vt non expectata operis, quamuis imperfecti, ac remiſſi conſumma- *detur initio operis.*

tione : imo, nec continuatione, ſed conferat ſtatim mercedem ſimul ac opus inchoatur : adeo vt in primo inſtanti iuſtus operans, mereatur, & aſſequatur certam aliquod augmentum diuiſibile, quod ſucceſſiue creſcat, dum actus per continuationem extenditur. Quæ ſententia probabilis admodum eſt, eamque tuentur Gabriel, Maior, Almanius, Corduba, Aragonius: amplectitur vero eo nomine Franciſcus Suarez eandem, & defendit ab oppugnatoribus Franciſcus Gumel. Præter quos ex contractu locationis eam deducit Lorinus Leuit. 19. vbi præcepit Devs, ne moretur opus mercenarii apud conductorem vſque mane.

Merces æterna ad mane alterius vitæ differtur.

Docet enim imitari oportere liberalitatem conductoris Dei, qui legem quam aliis ſcripſit in hac re ipſe primus ſeruat. Quamuis enim mercedem æternam differat vſque ad mane ſequentis diei, ſeu vitæ quodam ſenſu, non dimittit tamen vacuos ſuos mercenarios à fructu operis vſque ad illud tempus: accipiunt enim mercedem ante mercedem: mercedem imperfectam, ante plenam & exaggeratam.

Matt. 10. 10.
Luca 10. 7.
1. Tim. 5. 18.

Quod explicat, Radulphus Enarrator Leuitici de alimentis operario Euangelico debitis, ex Matthæo, Luca & Paulo Apoſtolo : qui quamuis huic mercedi ſponte renunciaſſet, ex inſtituto tamen probat debitam eſſe. Præterea de *centuplo:* quod in hoc etiam tempore Christvs percipiendum promiſit. Illud autem exponere videtur Radulphus de *Donis gratis datis*, & de animæ quiete, quæ omnibus, inquit, mundi huius diuitiis anteponenda eſt.

Matt. 19. 29.
Marci 10. 30.
1. Cor. 12. 28.

Augmentum ſtatim datur.

Addit Lorinus, de Augmento gratiæ, per quæuis opera meritoria, quod *ſtatim* detur. Nam Devm iuſtum, inquit, qui ſponte voluit ſe ipſum ad hoc veluti præmium obligare, non decet differre. Quemadmodum paruis meritis apud homines ſua mox merces perſolui debet. Nec refert quod ſolus Devs effector ſit gratiæ, quaſi propterea eum oporteat in producenda modum cauſæ phyſicæ ſequi, quæ qualitatem non intendit in ſubiecto, niſi ſit ipſa magis intenſa. Eſt enim idem Devs moralis cauſa ſimul : ita, vt poſita lege, pactoque de munerandis meritis, teneatur productionem gratiæ, & ſimilium donorum accommodare ad rationem illorum cuiuſcunque ſint quantitatis. Declarat id exemplo ad rem noſtram perquam accommodato.

Dimidiato labori reſpondet dimidiata merces.

Cum enim vineæ operario debeatur denarius diurnus: hunc denarium, ſi aliunde non habeat, nec habere poſſit, niſi creet, vineæ dominus creare debebit, ſi tali potentia ſit præditus, & pro dimidiato labore, dimidiatam mercedem perſoluere. Vno verbo. Efficientia phyſica Dei accommodanda eſt ad rationem cauſæ moralis, vt qui debet, ſoluat ſtatim : & qui non poteſt, niſi phyſicè producendo, phyſicè ſtatim producat. Et quorſum differat iuſtus & liberalis præmiator Devs hanc augmenti mercedem.

Iuſtitia actus reddere poſt opus.
Liberalitatis, ante opus.
Ioa. Cromb. lib. 1. de ſtudio perfectio. cap. 36. Num. 29.

Sed hæc fortaſſe æque ad finem, ac ad operationum initium referri poſſunt: nam hoc ſolum exigit iuſtitia contractus locationis, vt opere confecto merces reddatur : Si ad operis exordium detur, liberalitatis eſt, à qua Devm conductorem commendunt ſpiritualium rerum Magiſtri, vt ad bene operandum diſcipulos exſtimulent. Id agit Ioannes Crombecius N. Lib. *de ſtudio perfectionis* cap. 36. vbi hunc in modum diſſerit.

Augetur in iuſtis gratia & virtutes, ſed proprio labore, quem Devs liberaliſſimus ſtatim, non expectata futura retributione, remunerat. Alioqui poſſet quis queri, opus eſſe longa expectatione. Fruſtra operariis nonnullis dari nummum plumbeum, ſymbolum baiulatæ ſarcinæ, quo certam probatæ pecuniæ ſummam

recipiant

Digitized by Google

recipiant. filiis adoptiuis litteras adoptionis tradi, quibus negari debeat hæreditas. Devs igitur ſingulis operibus nummum vnum, non plumbeum, ſed vere aureum caritatis, ac gratiæ largitur, menſuræ & dignitati operis in numero, pondere, ac menſura reſpondentem: id eſt, tantum gratiæ, quantum opus ipſum ex Dei promiſſione meretur: & in eo numo litteræ adoptionis, acius ad hæreditatem cæleſtem, plenamque compenſationem, præſcriptum eſt, atque exaratum. Vt merito de Meſſia, tanquam conductore, ad nos, velut mercenarios ſuos veniente dici potuerit: Ecce merces eius cum eo reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Si actus feruentior eſt, amplior gratia: Si remiſſior, non propterea nulla ſed minor redditur. *Iſa. 41.* *Apoc. 22.*

Porro, non minus in principio, & continuatione dari partem aliquam mercedis, quam in fine totam, licet non omnino plenam probare conatur exemplo ad vulgi ſenſum perquam appoſito: Eodem inquit momento, quo quiſpiam bene egerit, infunditur à Deo precioſus ille gratiæ liquor: Oleum effuſum tuum. Sicut enim, dum in torculari oliuæ premuntur, perpetuo oleum defluit, vel guttatim, vel vbertim, pro vt prælum contorſeris, & abundantes oliuas ſubieceris: Sic & ex operum noſtrorum prælo, ſeu contentione, ſi copioſe, ſi ardenter, ſi continenter materiam ſuppeditemus, vberiores, atque auctiores riuuli gratiæ defluent. Torcular vero iſtud Christi calcat ac premit, quia & oleum hoc ex eius meritis elicitur: ideoque dicit Torcular calcaui ſolus. *Exemplum diſtillatoris.* *Cant. 1.* *Iſai. 63.*

Nec requiritur inter meritum & præmium, inter mercedem & opus laborioſum aliqua temporis ſucceſſio: ſufficit enim ordo cauſalitatis, & naturæ quædam anteceſſio, quomodo effectum præcedet cauſa. Niſi fortaſſe talis ſit conditionis merces, vt cum opere meritorio copulari nequeat: vbi accidit in mercede omnibus modis perfecta, ſeu beatitudine, quæ fidem excludit, ex qua tamen illius meritum in viatoribus procedit.

Quamobrem nihil conficit eorum ratiocinatio, qui ita argunnt. Augmentum gratiæ & caritatis, vel datur eodem inſtanti, in quo eſt meritum: vel poſt. Non in eodem inſtanti: nam meritum debet antecedere præmium: opus laborantium, mercedem conductoris. Non etiam poſt quia cum non ſit maior ratio vnius partis temporis poſterioris, quam alterius, aut in nullo dabitur, aut in omni. *Obiectio.*

Facile enim occurritur, ſi dicatur. Dari in illo ipſo inſtanti, in quo eſt meritum. Hoc autem præcedere debere præmium ac mercedem, non tempore, ſed natura. Quod ſi ſit neceſſarium, vt antecedat tempore, id non eſſe per ſe, ſed quoniam merces & opus locantium in quo eſt ratio meriti non poſſunt eſſe ſimul: vt fides in quo fundatur meritum, & viſio beatifica, quæ eſt merces vltima ac perfecta fideliter in Domini vinea laborantium. *Reſponſio.*

At quoſdam, qui Philoſophiæ naturalis anguſtias magis rimantur, quam diuinæ liberalitatis immenſitatem conſiderant, illud torquet: Quod habitus naturales creſcant tantummodo per actus ipſis intenſiores: itaque & habitus ſupernaturales: de quorum augmento philoſophandum eſt, non aliter quam de augmento naturalium. *Habitus naturales quomodo augeantur.*

Sed falluntur in comparatione rerum valde diſſimilium. virtutes enim ſupernaturales, quæ cœlitus infunduntur, non augentur effectiue per actus: cum tamen habitus naturales, quos adquiſitos vocamus, per actus acceſſionem ſuam accipiant. Quo fit, vt iſtiuſmodi habitus non poſſint augeri proxime, niſi per actus, *Diſcrimen inter naturales & ſupernaturales.*

quam

quam ſint ipſi intenſiores: infuſi autem poſſint, ſiue per æquales, ſiue remiſſiores. Cum enim potentia illa, in qua eſt habitus infuſus non poſſit effi.ere actus intenſiores, quam ſit habitus, niſi extrinſece aliquo alio præſidio ſubleuetur, ſane ad augmentum habitus infuſi abſque ratione poſtulatur actus intenſior, quem habitus ille efficere nequit: Sed proportionata diſpoſitio, & meritum reſpectu augmenti tanquam mercedis eſt iſte actus, quo quis habitu infuſo vtitur, accommodate ad vires ſibi communicatas, ſeu, ſecundum facultatem ſuam, non interuenien-te ignauia operantis, quæ opus alioqui bonum dedecoret.

DEVS conductor iuſtus.

DEVS igitur, Iuſtiſſimi Conductoris inſtar, mercedem perfectam reddit abſoluto locationis tempore, & confecto laborum curriculo: imperfectam vero, tum, nondum elapſo vitæ huius die, non expectans mane alterius, quod eſt iuſti: tum

Liberalis.

ſtatim, imo in anteceſſum, atque ad ipſam laboris inchoationem, quod eſt liberaliſſimi. Cuius tituli decus, egregie etiam tuetur, quando cuiuslibet virtutis ſupernaturalis officium præſtanti, mercedem reddit, non ſolum augmentum gratiæ, verum etiam illius virtutis cuius opus exercetur.

Virtutum habitus creſcunt actibus illorum.

Exiſtimo enim veriſſimam eſſe illam Theologorum ſententiam, qua ſanciunt. Quolibet opere hominem iuſtum, quo meretur vitam æternam, & augeſcit gratia, creſcere etiam virtutem illam, cuius opus perficitur. Exercitio abſtinentiæ creſcit temperantia: credendo, creſcit fides, ſperando, ſpes: tolerando, patientia.

Antlia attrahitur aqua. Ioan Cromb. lib. 1. de Perf. cap. 36. Tri l. ſeſſ. 6. cap. 10.

Populariter Ioannes Crombecius. *Sicut ex antlia, quoties brachium vibras, elicis aquam: & quo frequentius, eo copioſior exſilit, atque educitur: ſic ex ſingulis actibus virtus ipſa nouis aquis ſcaturit, fitque fons ipſe auctior, & abundantior. Qua de re ne dubitare liceat, Concilium Tridentinum ſtatuit iuſtificatos per obſeruationem mandatorum DEI ire de virtute in virtutem. Non vult autem nos nouam virtutem adquirere, quia in iuſtificatione omnes infunduntur: ſed eaſdem augeri, nunc vnam nunc alteram, pro ſingulorum operum merito & exigentia.*

Meritum per ſe. Conſequutiue

Itaque, qui meretur, laborando in Domini vinea augmentum gratiæ, meretur etiam augmentum illius virtutis infuſæ, cuius actus exercetur. Quod intellige, non tantum conſequutiue, ſed etiam per ſe. Quæ diuerſa ſunt, & alterum plus aliquid indicat, ad locationis conuentionem ſpectans. Siquidem, bifariam intelligi poteſt, quod quis mereatur augmentum virtutum infuſarum: vno modo, conſequutiue, quoniam meretur gratiam, ex qua illæ conſequuntur, & quodammodo fluunt, tanquam proprietates quædam; ſicut, qui meretur gloriam animæ, conſequenter meretur gloriam corporis, quæ ex beatitudine, tanquam paſſio emanat. Altero modo, per ſe: ſi concipiantur dari virtutes iſtæ, non ſolum conſequenter, velut paſſiones gratiæ, ſed etiam tanquam merces debita operationibus meritoriis.

Iuſtus meretur per ſe augmentum virtutum. S. Thomas 22. q. 2. Ar. 9. & q. 24. Art. 6. Durand. in 1. diſt. 17. Q. 8 Aegid. Q. 1. Richar. Art. 3. Carthuſia. Q. 7.

REOR igitur iuſtos mereri augmentum virtutum infuſarum moralium, non tantum priori, verum etiam poſteriori modo. Quoniam merces accommodatiſſima actibus virtutum eſt augmentum ipſarum virtutum. Et ad hoc merendum, homo iuſtus habet omnes conditiones neceſſarios. Deinde: quemadmodum actus virtutum naturalium augent virtutes naturales phyſice: ita actus virtutum ſupernaturalium, oportet vt augeant virtutes ſui generis meritorie: huc enim tendit virtutum functio. Atque ita ſentiunt grauiſſimi Theologi S. Thomas, Durandus, Aegidius, Richardus, Carthuſianus: atque omnes ij, qui docent, virtutes infuſas incrementum accipere per actus. Indicaturque in Tridentino Seſſ. 6. cap. 10.

vbi

Digitized by Google

vbi decernitur, iuſtum bonis operibus creſcere in iuſtitia, & procedere de virtute in virtutem.

Atenim, creſcitne quolibet actu cuiuslibet virtutis infuſæ, omnium illarum congeries? Ita quis ſuſpicari poſſet; ſed neque id iuſtitia locationis, neque liberalitas DEI exigit. Sat enim eſt, quod augmentum accipiat caritas & illa virtus, cuius eſt exercitatio. Nam quolibet actu iuſtus meretur augmentum gratiæ, ergo & caritatis, quæ vel non eſt diſtincta à gratia, vel ſaltem hæc non augetur illa non aucta: ſunt enim indiuiduæ comites, & eiuſdem ſemper quantitatis. In humanis quoque id cernimus, quod omnia obſequia ac ſeruitia augeant amicitiam, ac beneuolentiam. Idem itaque exiſtimandum de amicitia diuina: quæ, cum conſiſtat in gratia & caritate, augeri nequit, non aucta caritate. *Non creſcunt omnes virtutes vnius exercitio.*

Quod autem non ab quemlibet actum augeantur omnes virtutes, inde imprimis deduci poſſe videtur: quod nulla talis mercedis exhiberi poſſit promiſſio à DEO conductore facta: abſque promiſſione autem mercedis, non eſt illius meritum, nimirum de condigno. Præterea: virtutes naturales omnes non augentur, per quemlibet actum virtutis, ſed per proprium. Itaque, néc ſupernaturales augeri debent, per quemlibet actum meritorium, ſed per proprium. Nec ſane rerum naturis videtur conſentaneum, vt V.C. functione modeſtiæ augeatur fortitudo: exercitatione temperantiæ, prudentia: operatione humilitatis, magnificentia: non eſt enim inter hæc vel affinitas, vel proportio.

At caritas augetur. Ergo & virtutes ceteræ. Magna eſt inter caritatem & ceteras diſparitas. Quænam illa? Nam actus omnes meritorii pendent quodammodo à caritate: non ab aliis virtutibus. Ad hæc: quilibet actus meritorius meretur gloriam. Gloria autem, cum reſpondere debeat gratiæ: neceſſe eſt, vt etiam mereatur gratiam, quæ vel non eſt à caritate diuerſa, vt nonnulli volunt, vel ab illa eſt inſeparabilis. Quod in aliis virtutibus locum non habet.

Verumenimuero nonne virtutes illæ ſupernaturales infunduntur cum gratia? & illa ablata auferuntur? Igitur cum eadem intenduntur. Neque hoc magnopere vrget. Nam virtutes illæ ſunt propriæ amicorum: idcirco cum gratia donantur, & tolluntur. Quia tamen incrementum accipere debent per actus meritorios, qui non omnes eiuſdem ſunt virtutis, non omnes augentur iiſdem actibus. Atque ita contingit aliquando vt vna ſit magis quam altera perfecta ob iteratos actus.

Non diſplicet tamen quod boni auctores tradunt, in cœlo virtutes omnes in eadem proportione cum gratia & charitate fore. Quanta eſt hæc DEI Conductoris liberalitas, qui vni operatoris ſui mercenarii, functioni ſtudioſæ, tam multiplicatam mercedem reddit: primo, augmentum gratiæ: ſecundo caritatis; tertio, virtutis infuſæ cuius eſt actus; quarto gloriæ, quinto omnium virtutum in altera vita. Et quamuis gloria hic dari non poſſit, gratiæ tamen & virtutum augmentum ad mane alterius diei non differt, ſed memor legis ſuæ, ſtatim operariis ſuis mercedem debitam reſtituit: vt vere dicere poſſit; *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt.* *Apoc. vltim.*

T COM-

ASCETICA.

COMMENTATIO XIV.

Dominica Septuageſimæ.

Ex contractu locationis, Magiſtri vitæ ſpiritualis multa ad virtutum exercitationem incitamenta eliciunt.

IN contractu locationis conſiderantur, operarius, qui locat operam, cõductor, qui mercedem perſoluit, labor, tempus laborandi, tempus quieſcendi; tandem, ſingulorum circumſtantiæ: è quibus plurima ad morum informationem & pietatis ſtudium deducit rerum ſpiritualium præfectus.

Operarii, ἐργάται.

Operarii, operæ, opifices Græcis, ἐργάται, quod nomen frequenter, præſertim in N.T. pro ruſticis operariis ſumi videtur, tanquam ſynonymum τοῖς γεωργοῖς, vnde ἐργάτωνες, aut ἐργάωνες, loci in agris, vbi ſerui cubant. Latius autem cum ſumitur, adiungi ſolet interdum, vt conſtringatur, genitiuus τῆς γῆς. Vniuerſim Græci nominant θῆτας, qui mercede alteri inſeruiunt. Vocantur operarii ab opere, vel operando: vt qui operarium ſe eſſe, profitetur, meminerit, ad operandum ſe conductum eſſe non ad ociandum. Nomini non reſpondet, nec ſatisfacit contractui, qui non operatur.

Homo naſcitur ad laborem.

Homo naſcitur ad laborem. Iob 5. A die natiuitatis aſciſcitur in operarium. Ergo etiam, vt ſtrenuè operi incumbat. Nec id peccato tribuendum, ſed conditioni hominis quem noluit Deus ocio torpeſcere. Vix creatus erat Adam, primus Dei conductus operarius, & poſuit illum Paterfamilias cœleſtis *in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Geneſ. 2.15. Senſus ſimpliciſſimus eſt: Adamum tanquam operarium eam ob cauſſam inductum à Deo in paradiſum, vt ipſe labore ſuo agrario paradiſum excoleret, non quidem ad fatigationem, ſed ſumma cum voluptate & delectatione, laborando tamen, vt ſe horti à DEO ſibi traditi cultorem & operarium recordaretur.

Adam. Primus Dei in mundo operarius. Aug. lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 8. Agricolari.

Videamus, inquit Auguſtinus, quid ſit, quod dictum eſt, *vt operaretur & cuſtodiret.* Nunquid forte agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non eſt credibile, quod eum ante peccatum damnauerit ad laborem? Ita ſanè arbitraremur, niſi videremus, cum tanta voluptate animi agricolare quoſdam, vt eis magna ſit pœna inde ad aliud auocari. Quicquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc vtique longè amplius erat, quando nihil accidebat aduerſi, vel terra, vel cœlo. Non enim erat laboris adflictio, ſed exhilaratio voluntatis, cum ea, quæ Deus, creauerat, humani operis adiutorio lætius, feraciusque prouenirent: Vnde creator ipſe vberius laudaretur, qui animæ, in corpore animali conſtitutæ rationem dediſſet operandi, ac facultatem, quantum animo volenti ſatis eſſet, non quantum inuitum indigentia corporis cogeret.

Quod enim maius, mirabiliusque ſpectandum eſt, aut vbi magis cum rerum natura, humana ratio quodammodo loqui poteſt, quam, cum poſitis ſeminibus, plantatis ſurculis, translatis arbuſculis, inſitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis quid poſſit, quidue non poſſit: Vnde poſſit: vnde non poſſit: quid in ea valeat humorum inuiſibilis, interiorque potentia, quid extrinſecus adhibita diligentia, inque ipſa conſideratione perſpicere, quia,

quia, neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat, Deus: quia & illud operis quod accedit extrinſecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit, atque ordinat inuiſibiliter Deus.

Deriuant hinc Interpretes penè omnes tam veteres quam recentiores *Monita moralia*, quæ operarium ſpectant. Pulchre Delrius. Extra Paradiſum Deus Adamum creauerat, poſtea in eum tranſtulit, *vt iucundè & per modum recreationis illum coleret, nec fatigaretur, nec ocio labaſceret.* Benè etiam Leonardus Marius: *Primo homini prouiſum eſt de labore honeſto: ocia enim corporu animi ocia ſæpe cauſſant & vitia.* Breuiter, ſed neruoſe Ioannes Mariana: *Vides, ne in Paradiſo quidem Deum velle locum eſſe ocio & ignauia.*

Monita moralia.
Del. Gloſſa.
Mar. in Pen.
Ioan. Mariana Notis.

Didicerant hi à Patribus, non temere à Spiritu Sancto hanc in Paradiſo occupationem primi hominis adnotatam fuiſſe. Chryſoſtomus Homil. 14. in Geneſ. *Non ſimpliciter dixit* ſacer ſcriptor, In Paradiſo, *vt excellentem voluptatem, qua fruiturus eſſet in habitando, nobis declararet. Addit,* vt coleret illum. *Etiam hoc magna cura & prouidentia erga nos argumentum eſt. Nam cum omnibus delitiis potirentur ibi vitam agentes, tam de oblectamentis eorum, quæ videbant, quam lætitia eorum quibus fruebantur: vt ne immodica proſperitate homo inſoleſceret* (omnem enim malitiam docuit ocium) *propterea præcepit* Deus, *vt operaretur illum. Quid autem*, dicet aliquis, *hominis cura indigebat Paradiſus. Non hoc dico, ſed voluit tum, vt paruam quandam, ſibique congruam gereret curam, operando. Erat autem operatio tunc citra laborem* (nempe moleſtum:) *Deerat quidem occupationem ſed quæ neque laborem, neque moleſtiam habebat.*

Chryſ. Hom. 14.

Colligunt ex hoc alii, boni vtique in Chriſtiana Philoſophia Dialectici, nobis, primi illius operarii filiis, & nouo locationis contractu, ad laborandum conductis, licet prima conuentio ad id ſatis videri poſſet operandum eſſe aſſidue, ne ſimus degeneres, & officii ex iure contractus neceſſarii deſertores.

Adæ filiis operandum ſtrenuè.

Cum legatur Adam in loco voluptatis ab initio poſitus vt operaretur, quis ſanum ſapiens, filios eius in loco afflictionis ad feriandum poſitos arbitretur? inquit Bernardus.

Bern. Serm. de Sapient. & Prudent.

Idemque alio loco. *Non ad hoc de Paradiſo voluptatis animaduerſio diuina eieciſſe videtur* Adamum & nos in illo: *vt alterum ſibi hic Paradiſum adinuentio humana pararet. Homo ad laborem natus, ſi laborem refugit, non facit ad quod natus eſt, ad quod venit in mundum. Quid reſpondebit ei, qui miſit eum, qui inſtituit, vt laboraret?*

Ser. Ecce nos reliquimus omnia.

Nec ſolùm iure conducti, & locati, verùm & poſtliminii, aut potius hæreditario teneri ad operandum Adam, poſteros iuridice deducit idem Doctor mellifluus: maximè ſi addatur, eoſdem eſſe nepotes CHRISTI, cuius hoc fuit patrimonium, quam diu in terris egit, illudque teſtamento nobis tranſcripſit.

Ius poſtliminii.
Hæreditatis.

Duo nobis in hæreditatem reliquerat ille vetuſtus Adam qui fugit à facie DEI laborem & dolorem. Laborem in actione: dolorem in paſſione. Non hoc ipſe audierat in Paradiſo, quem acceperat, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Operaretur delectabiliter, cuſtodiret fideliter, & ſibi & poſteris ſuis. CHRISTVS Dominus laborem & dolorem conſiderauit, vt traderet eos in manus ſuas: imo ſe magis in manus eorum, infixus in imo profundi, & intrauerunt aquæ iſtæ, vſque ad animam eius. Vide ad patrem, inquit, humilitatem meam, & laborem meum: quia pauper ego ſum, & in laboribus à iuuentute mea. Laboraui ſuſtinens. Manus eius in laboribus ſeruierunt. De dolore vide quid dixerit: O vos omnes, qui tranſitis per viam attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.

Bern. Feria 4. Hebdo. Pœno.
Hæreditas Adami labor, dolor.
Pſal. 118.
Thren. 1.
Iſai. 53.

Verè labores noſtros ipſe tulit, vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia abſque peccato. Et in vita paſſiuam habuit actionem; & in morte paſſiuam actionem ſuſtinuit, dum ſalutem operaretur in medio terræ. Quapropter (en bonum operarium) memor ero, quamdiu fuero, laborum illorum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum eius, conuitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobationum, clauorum, horumque ſimilium, quæ per eum, & ſuper eum abundantius tranſierunt.

Sapientia hominis laborare. *Serm. de obed.* In hac Magiſtri noſtri imitatione veram ſapientiam collocat alio loco Bernardus. Videſne (inquiens) quam ſit vtile homini ſcire ſe hominem, vt proinde ſit paratus ad mandatum & ad mandatorum obedientiam, & tolerantiam flagellorum: ac deinceps ſtudeat, vt qui nec laborem interim poteſt effugere, nec dolorem: ſic ſaltem laboret, & doleat, vt hæc ſibi in cibos tranſeant ſalutares. Et hæc quidem, vt ſciant homines, quoniam homines ſunt, actionibus iam & paſſionibus deputati. Erat, quando in actione & meditatione poſitus erat homo ſine paſſione habens actionem; habens etiam ſine labore meditationem. Dico autem, quando poſitus eſt in Paradiſo vt operaretur & cuſtodiret.

At eiecto è Paradiſo dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Sed hoc cum peccato iure hæreditatis ad nos delatum eſt, operationem autem etiam fœlix Innocentiæ ſtatus habebat, ne ocio flacceſceret, cuius beatitudo in opere, & actione eſt poſita. Ad quam, vt operarios ſuos animaret Deus, ipſe, non prius Adamum in operarium conduxit, quam quomodo operandum illi eſſet exemplo demonſtraſſet. O diligentem patremfamilias! Certe: quod dicitur, poſitum hominem in Paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret illum S. Auguſtinus ad Deum refert: quaſi dictum ſit, vt Deus operaretur illum (id eſt hominem) id eſt, illum excoleret ad virtutem. Quod verum ſenſus litteralis admittat examinaui commentationibus in Geneſim: hic contemplationibus tropologicis indulgeo, ex ingenio Auguſtini.

Deus operarius. S. *Aug. lib.* 8. *de Gen. litt. cap.* 10. *Eccl.* 10. *Eſt enim alius in his verbis ſenſus*: nempe *vt ipſum hominem operaretur* DEVS, *& cuſtodiret. Sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat eſſe terram, ſed vt cultam atque fructuoſam. Sic* DEVS *hominem multo magis, quem ipſe creauit, vt homo ſit, eum ipſe operatur vt iuſtus ſit, ſi homo ab illo per ſuperbiam non abſcedat: hoc enim eſt apoſtatare à Deo, quod initium eſt, ipſa ſcriptura teſtante, ſuperbia.* Quia ergo DEVS eſt incommutabile bonum, homo autem eſt ſecundum animam, & corpus res mutabilis; niſi ad incommutabile bonum, quod eſt, DEVS, conuerſus ſubſtiterit, formari, vt iuſtus beatuſque ſit, non poteſt. Ac per hoc DEVS, idem, qui erat hominem, vt homo ſit, ipſe operatur hominem, atque cuſtodit, vt etiam bonus beatuſque ſit. Quapropter qua loquutione dicitur homo operari terram, quæ iam terra erat, vt ornata, atque fœcunda ſit: ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui iam homo erat, vt pius ſapienſque ſit: cumque cuſtodire, quod homo ſua poteſtate in ſe, quam illius ſupra ſe delectatus, dominationemque eius contemnens, tutus eſſe non poſſit.

S. Aug. c. 11. Sumpſit itaque Dominus Deus hominem, quem fecit & poſuit eum in Paradiſo, operari eum, vt iuſtus eſſet: & cuſtodire, vt tutus eſſet, ipſe vtique dominatione ſua: quæ non eſt illi, ſed nobis, vtilis. Ille quippe noſtra ſeruitute non indiget: nos verò dominatione illius indigemus, vt operetur, & cuſtodiat nos. Et ideò verus & ſolus eſt Dominus, quia non illi ad ſuam, ſed ad noſtram vtilitatem ſalutemque ſeruimus.

In

In eundem ſenſum Nicolaus Lyranus, poſitum Adamum in paradiſo interpretatur, vt operaretur DEVS hominem, gratiæ ſuæ beneficiis ipſum perficiendo: & cuſtodiret illum ad tempus in paradiſo terreſtri, donec eſſet ad cœleſtem gloriam transferendus.

Nicol. Lyra. Gloſſ.

Exſtimulabat igitur exemplo ſuo operarium, bonus paterfamilias, vt ipſe terram, hortum, vineam ſibi commiſſam cuſtodiret, & in ipſa operaretur. Quæ illa vinea, quis hortus? Adamo fuit paradiſus, ſi litteram ſpectes, quem operaretur *per agriculturam*, vt loquitur Auguſtinus, *non laborioſam, ſed delitioſam, & mentem prudentis magna & vtilia commonentis*: Atque vt cuſtodiret ab iniuria beſtiarum, ſiue, quæ intra paradiſum erant, ſiue quæ extra: nam & intra fuiſſe beſtias Ioſephus, Baſilius, Damaſcenus ſcribunt; & ex ſerpente, qui Euam tentauit, liquet.

Adam operarius Paradiſi. *Aug. lib. 8. Gen. litt. c. 10. Ioh. 1. Ant. Baſil. Hom. 11. Damaſc. lib. 2. cap 1.*

Si myſterium attendas, idem hortus, eadem vinea, verus paradiſus DEI, fuit ipſe homo: qui eſt, hortus voluptatis DEI, cuius delitiæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Fuit, ſi aliquid peculiarius adſignare velis, anima, potentiis variis tanquam plantulis & viribus conſita. Hic ager fuit Adamo, vt operario, fodiendus, arandus, conſerendus, cuſtodiendus, nouo agricolationis genere, quod nobis maxime commendatur: & non eſt aliud, quam mandatorum diuinorum obſeruatio, ac ſolidarum exercitatio virtutum.

Ita Procopius Gazæus primi operarii ruſticationem exponit. Quærit enim admirabundus: *Quid operis ibi facturus cum paradiſus omnibus adflueret bonis.* Reſpondet autem, *opus erat, quo ſe exerceret lex DEI, & fides in creatorem, hæc enim ſi ſolicite cuſtodiret, operabatur. Ipſe enim Dominus, præceptum opus appellat, dicens: dicens opus Dei eſt, vt credatis in eum, quem ille miſit. Opus igitur vel labor hominis erat, vt ſedulo operam daret, ne delinqueret in latam à Deo legem, & ſibi noxam contraheret. Aut fortaſſe monet, vt ſibi caueat ab ingreſſu Diaboli, qui ingreſſus in hortum clanculum, dolo malo hominem circumuenit.*

Ruſtica Adami Procop. Gen.

Paulo enucleatius ad eundem intellectum Rupertus. *Quid operaretur, aut, à quo cuſtodiret paradiſum? operaretur vtique opus Dei, quod non eſt aliud, niſi opus fidei, niſi officium ſpei, niſi obſequium caritatis. Itaque, vt operaretur per fidem, & vt cuſtodiret eum: ſcilicet, ne deſerta fide, vel dilectione creatoris ſimul perderet datum optimum.* Ob quam cauſam datum illi præceptum adfirmat.

Operatio virtutum. Rup. lib. 2. in Gen. cap. 30.

Similia ſuggerit Auguſtinus, ſcribens: Vt operaretur, *non laborioſe, ſed delitioſe, & mentem prudentis magna & vtilia commouerent.* Et cuſtodiret. *Quod faceret in terra per agriculturam, cuſtodiret in ſe per diſciplinam: vt ſicut ager obtemperaret colenti, ita ipſe DEO præcipienti. Vel cuſtodiret paradiſum, nec committeret, vnde expelli deberet. Quare accepit præceptum, quo cuſtodito: id eſt, quo ſeruato, non perderet.*

S. Aug. in Gen.

Alio modo Ambroſius, ad mores tamen haud minus accommodate, monens: Non eſſe idem operari & cuſtodire, licet vtrumque ad operarium ſpectet. In opere enim quidam virtutis progreſſus eſt; in cuſtodia, quædam conſummatio operis deprehenditur, eo, quod quaſi conſummata cuſtodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, vt & operibus, noua quærat & parta cuſtodiat.

S. Amb. lib. de Parad. c. 4.

Philo autem quoniam ſpiritualia, Iudaico non capiebat adfectu intra moralia ſe tenuit, vt diceret hæc duo quæri, opera in agro, cuſtodiam domus. Et quamuis, inquit, paradiſus operibus ruralibus non egeret: tamen, quia primus homo lex poſteritatis futurus erat; ideo legitimi etiam in paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris: vt nos ad operationem, & cuſtodiam debiti officii, & hæreditariæ ſucceſſionis munus adſtringeret.

Philo.

Digitized by Google

Pſal. 126.

Hæc duo ergo à te exiguntur titulo locationis, & ex munere operarii, *ſiue moraliter ſiue ſpiritualiter.* Quod etiam Pſalmus te propheticus docet: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerant, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. *Vides eos laborare, qui in operis ſunt, ædificationiſque proceſſu: iſtos vero vigilare, qui iam cuſtodiam perfecti operis receperunt. Vnde Dominus Apoſtolis ait, quaſi iam perfectioribus. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, docens perfectæ naturæ munus, & plenæ virtutis gratiam eſſe ſeruandam nec quemquam, etiam perfectiorem, niſi vigilauerit, debere eſſe ſecurum.*

Math. 6.

S. Greg. lib. 19. Mor. cap. 13.

Gemina pene eſt monitio Papæ Gregorii, illud inculcantis haud eſſe ſatis, vt bona agamus & operemur; ſed requiri præterea, vt illa cuſtodiamus. *Perit omne quod agitur ſi non ſolicite in humilitate à nobis cuſtodiatur. Vnde bene de ipſo primo parente dicitur*: Poſuit eum dominus in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret. *Operatur quippe qui agit bonum, quod præcipitur: ſed quod operatus fuit, non cuſtodit, huic hoc ſurripit, quod prohibetur.* Itaque ipſum operarii nomen ad operandum inſtigat. Locauimus patrifamilias cæleſti noſtras operas, promiſimus nos laboraturos fideliter & ſtrenue, quiſque ſua in vinea, aut magnæ vineæ adſignata ſibi parte Pontifex Maximus in tota eccleſia diuinitus illi commiſſa. Epiſcopus quilibet in ſua diæceſi: Curio in ſibi concredita parochia: religioſus in officio demandato. Cuilibet adclamat Paulus operarum præfectus: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Ad opus conductus es in vineam, igitur operandum, laborandum, ſudandum.

Operarius operari tenetur.

2. ad Tim. 4.

Exſtimulat Apoſtolus operarium ad opus horribili comminatione & teſtificatione formidanda: *Teſtificor coram DEO & CHRISTO IESV, qui iudicaturus eſt, viuos & mortuos, per aduentum eius & regnum eius, prædica verbum: inſta, importune, opportune, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Quis hæc audiens, inquit Auguſtinus & merito ſi DEO fideliter ſeruit, ſi doloſus operarius non eſt, ab hac diligentia & inſtantia quieſcat? quis ſub tanta teſtificatione ſegnis eſſe audeat?

Aug. lib. 1. in Creſco. c. 6.

Operario ſæpè deeſt facultas operandi.

At, vellem, dicis, populis etiam remotis & barbaris Euangelium annunciare, optarem ire vltra Garamantas, ad Indos ac Sinenſes: audeo deſiderio inſtituendi ignorantes, reducendi ad ouile CHRISTI errabundos, iuuandi pauperes, perpetiendi æſtum, tolerandi frigus, ſuſtinendi pondus diei & æſtus, in votis mihi eſt docendi, laborandi, mundum conuertendi: Sed deeſt facultas: vox, latera, pectus dictionem impediunt: corporis debilitas profectionem non admittit: perpetua ſtomachi deiectio labores intercipit, ieiunium non perfert, & multorum dierum inediam: alia ſunt pene innumera, quæ aſſiduitatem operandi interrumpunt, meque domi deſidere cogunt, imo lecto adfigunt.

Contractus locationis quid exigit.

Conſolationem tibi promo, ſi vera refers, ex contractu locationis. Qui locat operas ſuas, ſi per ipſum non ſtet, quo minus illas præſtet, iure accipit integram totius temporis mercedem. Id in humanis ſancitum inuenietis L. *Qui operas. ff. Locati*: vbi habetur: *Qui operas ſuas locauit, totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſteterit, quo minus operas præſtaret. Aduocati quoque, ſi per eos non ſteterit, quo minus cauſam agant, honoraria reddere non debent.* Et in L. *Sed addes* §. vltimo ff. *Locati. Cum quidam exceptor operas ſuas locaſſet, deinde, is, qui eas conduxerat deceſſiſſet, Imperator Antonius cum D. Seuero reſcripſit ad libellum exceptoris in hæc verba:* Cum per te non ſtetiſſe proponas, quo minus locatas operas Antonio, ac filio ſolueres, ſi eodem anno, mercedes ab alio non accepiſti, fidem contractus impleri æquum eſt.

Vnde

Digitized by Google

Vnde inductum fuiſſe ſciunt LL. periti, vt qui legatum comitarentur in prouinciam, eo intra annum mortuo, haberent nihilominus ſtipendium totius anni, quia per eos non ſtaret, quo minus operas ſuas locatas præſtarent: dummodo non poſtea comites cum aliis eodem tempore fuiſſent. L. Diem functo. ff. *de officio aſſeſſorum.*

In L. autem *Colonus.* §. *Nauem conduxit.* ff. Locati, ait IC. Nauem conduxit, vt ex prouincia Cyrenenſi Aquileiam nauigaret olei metretis tribus millibus certa mercede. Sed euenit, vt onerata nauis in ipſa prouincia nouem menſibus retineretur, & onus impoſitum commiſſum tolleretur. Quæſitum eſt, an vecturas, quas coëmerit à conductore ſecundum locationem nauis exigere poſſit. Reſpondi ſecundum ea, quæ proponerentur poſſe.

Prætetea. In lege: *Si quis in ſacris.* C. de proximis ſacrorum ſcriniorum L. 12. Si militans in ſacris ſcriniis deceſſerit, & in eius locum fuerit alius ſubrogatus; ſalarium ei debitum inter creditores diuiditur, hæreditate nondum habita, ſalua tamen priuilegiorum prætogatiua: habita vero hæreditate, ſalarium hæredibus debetur etiam reſidui temporis abſque vlla imminutione.

Tandem, vt omittantur alia L. *Poſt duos.* C. *de aduocatis diuerſorum Iud.* Aduocatus ad hæredes ſuos, ſeu ſucceſſores, ſiue liberi, ſiue extranei fuerint, habet liberam facultatem tranſmittendi tum ex teſtamento, tum ab inteſtato ſalarium totius anni in quo exceſſit è viuis.

Si tantum poteſt apud mortales æquitatis ratio, vt à quo culpam abeſſe ſciunt, ab eo etiam damnum procul eſſe velint, & commodi participem fieri, quamuis nihil commodi cauſa laborauerit, quia non potuit: quid de immortali Deo exiſtimandũ ad cõmoda noſtra ſemper vigili? An ille patietur, vt iis iuſta merces detrahatur, qui volens lubens, ſe, ſuaq; omnia, optimo patrifamilias locauit de eius benignitate, ac munificẽtia confiſus, exhibiturus alacriter, conſtanterque, ſi voluntati poteſtas reſpondiſſet? Abſit ſuſpicari. Quantum hinc homini probo ſolatium, ſi quando in morbum non data cauſa incidat: Si debilitato corpore ſolitis non poſſit vacare pietatis operibus: ſi nullum ob debilitatem ferre queat corporis laborem, ſi ad vineam conductus, deſidere, aut in lecto decumbere cogatur: Si votis deſiderioque, effectus, fructuſque quem præconcepit animo non reſpondeat. Non contriſteris, Amice, non te adfligat corporis imbecillitas; inuictum animi robur collige. Et ſi non laboras, quia non potes, merces tamen tua copioſa eſt in cælis. Sancita lex eſt: Qui locat operas, ſi per ipſum non ſteterit, quo minus ipſas præſtet, iure accipit integram totius temporis mercedem.

Solatium ægri ex locationis contractu.

At non fallas: Devs vt non decipit, ita, nec decipitur. Non fingas cauſam ociandi, ſi laborandi vires ſuppetunt. Homini tui ſimili imponere poteris, non illudas omnipotenti. Non omnes qui negant ſe operari poſſe, morbo ſontico detinentur. Sunt quidam, qui ſtant toto die in foro otioſi, & mentiuntur quod non ſint cõducti. Sunt alii, qui imbecillitatem ſimulant, cum ſint validiſſimi. Multi videntur delicatuli, qui tales ſe fingunt, hypocritæ extenuantes facies ſuas. Sunt *operarii* nonnulli *ſubdoli, ἐργάται δόλιοι, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti* inquit Paulus *μετασχηματιζόμενοι* quaſi alienam perſonam induentes.

Operarii doloſi.

2. Cor. 11. 13.

Hi duplicis ſunt generis: quidam enim fucum faciunt deſidia, fingunt nihil magis ſibi eſſe in optatis quam vineam patrisfamilias, eccleſiam, animas, ſe, ac ſibi commiſſas, excolere; ſed nunquam manus exerunt, nunquam ſe accingunt ad

Subdoli operarii.

opus:

Digitized by Google

opus: alii doloſe laborant, non ex patrisfamilias preſcripto, non ad ipſius, ſed ſuum commodum: quicquid agunt, ſimulate faciunt, vt incautos fallant, fraudulenti doloſi, ſubdoli CHRISTVM prædicantes, inquit Ambroſius, *auaritiæ cauſa non religioſa mente.*

Subdolus operarius (inquit Primaſius Apoſtoli ſenſum elucidans) *aliud fingit, aliud agit, & habitu ſimplici prædicationis* CHRISTI, *rapacitas belluina contegitur. Tales vt placeant, & placendo accipiant, neceſſe eſt, adulentur, & adulando decipiant, illa dicentes quæ placeant, non quæ expediant, audienti.*

Doloſi operarii. Doloſi iſtiuſmodi Operarii frequenter cum execratione deſcribuntur à diuino ſpiritu per operarum præſides, Prophetas veros, qui falſos, & ſimulatores abominabantur. *Ierem.23.14.* Ieremias cap.23. *In Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacii.* Deinde. *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* *Ier.23.21.* *Ier.14.14.* *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos: viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.*

Idem optimus præmonitor alibi. *Falſo Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos: & non præcepi eis, neque loquutus ſum ad eos. Viſionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis.* Iterum, alio loco; *Nolite audire verba Prophetarum, quia non miſi eos, ait Dominus, ipſi prophetant in nomine meo mendaciter.* Denique. *Non vos ſeducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtri, & diuini veſtri, & non ad ſomnia veſtra attendatis, quæ vos ſomniatis, quia ipſi falſo prophetant vobis in nomine meo, & non miſi eos dixit Dominus.*

Benedictus Iuſtinian. *2.Cor.2.13.* Quæ verba, ſicut & Apoſtoli ſuperius recitata, vti vere & eleganter ſcribit illamet enarrans Benedictus Iuſtinianus ſuis pene coloribus exprimunt noſtri ſeculi hæreticos. Qui, ſi ſermonem ipſorum ſpectes, nihil aliud crepant, quam CHRISTVM, eiuſque merita, purum ac putum DEI verbum, ſacras litteras, Euangelium, fidem, iuſtificationem, & id genus alia ſpecioſa verba, quibus non imperitæ ſolum multitudini fucum faciunt: ſed etiam quibuſdam doctoribus imponunt. Interim *Hæretici operarii ſubdoli.* tamen Antichriſtum pro CHRISTO prædicant: pro puro & puto verbo mera ipſorum ſomnia: pro ſacris litteris adulterinas interpretationes, pro Euangelio, falſorum dogmatum, atque errorum portenta: pro fide inanem fiduciam nobis obtrudunt. Et dum CHRISTI merita, & neſcio, quam, fictam iuſtificationem extollunt, omnem nobis merendi vim, veramque iuſtitiam adimunt: vt non immerito eos, quaſi nouos Chymicos, non viliora metalla in aurum; ſed DEI verbum *Chymici.* in purum putum mendacium, fidem in meram hæreſim, hæreſim in atheiſmum, hoc eſt, in nihilum conuertere quis poſſit adfirmare. Caluiniſtas hic nominat Cornelius, qui omnia inquit, ſacra, ritus, ſacramenta, templa, monaſteria, ſacerdotia, altaria, pietatem, DEI cultum & religionem deformant, ac profanant, Reformatores tamen dici haberique volunt.

Hi ſunt operarii, callidi, verſipelles, omnino doloſi, qui fruſtra mercedem ſperant, cum conductorem fraudent labore ac opera. Lege autem cautum eſt, vt qui locauit operas ſuas, ſi illas non ſoluat dolo, vel culpa ſua lata, aut leui, ſubducatur merces. *L. ſi fundus. ff. Locati.* & *L. Aediles. ff. de Aedilit. edicto.* Imo, contingere poteſt, vt locans teneatur ex culpa leuiſſima.

Nam qui expreſſè operam ſuam locauit in cuſtodia, vt omnes animarum, ac gregis dominici cuſtodes, & quilibet ad animæ propriæ cuſtodiam adſcitus, de negli-

de negligentia tenetur, de lata, leui, & leuiſſima culpa, ſi quid ſiniſtri rebus contingat, quas vel vehere, vel cuſtodire promiſerat: vt dicitur L. *in iudicio.* 38. & L. *Si vt certo* §. *Videndum.* de locatione apud Iuſtinia. in Cod. & confirmat Petrus Toloſanus lib. 27. Syntagmatis Iuris. Vbi addit: de leuiſſima teneri, ſi damnum ex eius culpa, qui promiſit, contingat. Notent id Præſides animarum, Epiſcopi, Curiones, ſuperiores quilibet. Qui hoc etiam non ignorent, quod iuriſperiti docent.

Petr. Toloſan. ſyntag. lib. 27. c. 3.

Ad culpam pertinere imperitiam locatoris, ex l. *item quæritur* 14. in principio & §. *Si gemma. Locat.* Exemplum dant: Si quis errauerit, putans domino veſtem reddere, quam precio poliendam, vel ſarciendam acceperat, reddiderat alii, vel inſcius cum alio permutauerit: d. L. *Item quæritur.* §. *etſi pallium* vel ſi eam à moribus corrodi permiſerit. d. L, *Item.* §. *ſi fullo*, Suntque ſimiles caſus non pauci in d. L. *Item* quæritur.

Imperitia ad culpam ſpectat.

Quod magis mirere, aliquando, locans caſum fortuitum præſtare tenetur, ſi culpa præceſſerit, vel ſi ſe caſui fortuito commiſerit. L. *ſi merces.* §. *vis maior.* & L. *videamus.* §. *ſi hoc loc.* P. Hinc accidit, vt ſi non reſtituatur res locata, vel id, ad quod quis propter culpam tenetur, in id, quod intereſt, communi æſtimatione damnetur. Vt dicitur L. videamus. §. ſi hoc loc. P. Timeant igitur ſibi negligentes Parochi, metuant ignorantes gregis diuini cuſtodes, formident deſides operarii: ſed multo maximè doloſi.

Locans tenetur caſum fortuitum præſtare.

Qui alibi à Paulo vocantur κακοὶ ἐργάται, *Mali operarii,* quos cauendos monet: *Videte canes, videte malos operarios.* Rectè Syrus, Cauete, nimirum improbos ſimulatores, errorum ac hæreſum magiſtros, qui vos allatrant & mordent, canum inſtar, cum cauda adblandiri videantur. Hanc vim habet verbulum, videte, id eſt videndo fugite, cauete. Sic ad Coloſſenſes. 1. 8. videte ne quis vos decipiat, ſunt enim verſipelles mali operarii. Idemque ſunt ἐργάται τῆς ἀδικίας vt illos vocat Dominus Lucæ 13. cum poſtulantibus mercedem, reſpondet, cum indignatione illos reiiciens: Neſcio vos vnde ſitis: diſcedite à me omnes OPERARII INIQVITATIS: id eſt, operarii iniqui, nequam, fraudatores.

Operarii mali.
Philip. 3. 2.
Mercenarii iniquitatis.
Luca 13. 27.

E contrario, qui diligenter fideliterque laborant in vinea Domini, ad quam excolendam ſunt conducti, dici poſſunt OPERARII IVSTITIÆ, iuſti, boni, probi. Neſcio, annon plus aliquid exigat Apoſtolus à diſcipulo ſuo, quem monet: *Solicitè autem cura te ipſum probabilem exhibere* Deo, OPERARIVM INCONFVSIBILEM, *rectè tractantem verbum veritatis* 2. ad Timoth. 2. vult, vt ſe exhibeat δόκιμον τῷ Θεῷ, *probum,* ſeu, *probatum*, cuius paterfamilias tanquam diligentiſſimi famuli introitum & exitum, dicta, facta, cogitata: arationem, ſationem, vindemiationem, probet, gratumque habeat. Et, vt ſit *inconfuſibilis*, Græci legunt ἀνεπαίσχυντον, quo vno vocabulo continentur boni operarii laudes omnes.

Operarii iuſtitiæ.
Operarius inconfuſibilis.
2. ad Tim. 2. 15.

Nam, qui *inconfuſibilis* eſt, non pudefit, non verecundatur, non erubeſcit dum ad vineam cum falce & ligone eſt proficiſcendum: Crucem Domini plantat, ſi non manu, certè lingua in medio nationis prauæ: infert ſe intrepidus in confertiſſimam contradicentium multitudinem: CHRISTVM prædicat, & hunc crucifixum obſtrepentibus licet Iudæis, ridentibus paganis, ſubſannantibus atheis. Ita Chryſoſtomus, Græcique illud epitherum exponunt.

Inconfuſibilis.
I.

Qui eſt inconfuſibilis operarius, illum non confundit nec pudore adficit, ſua *II.*

ignorantia, quæ ex locationis titulo pro culpa reputatur: illum non arguit mala doctrina, illum non reprehendit vita lubrica. Sic Anſelmus dictionem illam explicat.
III. Denique, qui eſt *Inconfuſibilis*, ad huius vitæ veſperam, & alterius mane, cum locationis erit finis & coram DEO examen inſtituetur, non confundetur; ſed cum laude mercedem eiuſque auctuarium accipit, cuius ſpem certiſſimam concipere poteſt, ſi recte tractet verbum veritatis: id eſt exponat, ſcindat iudicio, & ſecet, vti cibi ſolent ad auditorum captum. Erit enim aliquando finis operandi, & tempus mercedis accipiendæ.

Finis locationis perpendendus. *Ioan. Cromb. lib. 1. cap. 36.* *Mercedis memoria grata.*

Quod in contractu locationis maxime conſiderandum proponunt morum informatores, vt ita ad laboris aſſiduitatem languentes excitent, & ſolentur feſſos. Ex iis inter ſpirituales Magiſtros, eximius Ioannes Crombecius. *Nihil audit lubentius operarius labore fatigatus, quam dominum quæſtori dicentem:* Voca operarios, & redde illis mercedem: *nihil miles optat auidius, nihil agit ardentius, quam vt in ſpolia, & ſi non ſine euidenti vitæ periculo impetum faciat: nulla denique dies quærenti theſaurum abſconditum, lætior affulget illa, qua theſauri illius inuentio obtingit, vt anhelantem animam ſatiet. Et nos quoque etſi Deo velimus ſeruire, & laborare nullo propoſito præmio, lubenter tamē, de certa quadam retributione cognoſcimus, quibus ad agendum incitemur. Nec id* Deus *liberaliſſimus remunerator prætermittit, etſi ſine cura noſtra.*

Mercedis mentio frequens. *Apoc. 22.* *Auguſtin. Pſ. 36.* *Concio. 2.* *Pſal. 103.* *Apoc. 14.*

Hinc toties repetita in diuinis litteris mercedis mentio variorum præmiorum nominibus expreſſa. Chriſtus Apocalypſis 22. *Ecce venio cito & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* Breue eſt tempus locationis, & laborum, longum mercedis, quia æternum. *Non ſolum temporalem, voluit laborem tuum Deus,* inquit Auguſtinus: *ſed etiam breuem.* Vnius diei: imo nec diei, ſi ad æternitatem fiat collatio. *Exibit homo ad opus ſuum, & operationem ſuam vſque ad veſperam.* Operandi finis erit veſpera: tunc merces dabitur, & à labore quies: *Amodo dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.*

S. Bern. Serm. ad Cleri. cap. 15. *Apoc. 2.* *2. Tim. 4.* *Apoc. 2.* *Luc. 6. 38.*

Non enim tranſeunt opera noſtra vt videntur, ſed temporalia quæque, quod monet Bernardus, *velut æternitatis ſemina iaciuntur*: mercedis inde ſeges aurea. *Eſto itaque fidelis vſque ad mortem & dabit tibi coronam vitæ.* Non ambigas. *Repoſita eſt tibi corona Iuſtitiæ, quam reddet tibi Dominus in illa die iuſtus iudex. Vincenti dabit edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo DEI. Vincenti dabit manna abſconditum*: laboranti dabit mercedem *bonam, confertam, & coagitatam & ſupereffluentem.*

MERCENARIUS.

Hanc ſpem fouet ex locationis titulo aſcitum nomen, MERCENARIVS, quod mercedem ſonat, mercedis cogitationem inijcit, mercedis memoria ſudantem ſolatur, modo quæ ſunt boni mercenarii fideliter peragat. Non ſunt enim omnes mercenarii, quales eſſe deberent operarii fideles. Eſſe quoſdam infidos, leues, inconſtantes, animi nimis ſeruilis monuit ipſe paterfamilias CHRISTVS, opponens ſe, qua paſtorem bonum mercenario. Bonus paſtor animam dat pro ouibus ſuis, *Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit*, & lupus rapit & diſpergit oues: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Attende conditiones praui mercenarii.

Ioan. 10. 12. 13.

Conditiones mali mercenarii.

Primò, Mercedem ſolam quærit: hic illi ſcopus, hic finis, hæc laborum meta: hoc vnum ſpectat. Seruire Deo nollet, nec laborare in vinea, nec oues ducere ac cuſtodire, niſi mercedem is aliam, quam ſe, qui tamen eſt ſummum bonum, proponeret. Non eſt illi motiuum merces, ſed ſpei vltimum: mercedem ſomniat, & frequenter temporalem, de patrisfamilias amicitia minus è ſolicitus.

Digitized by Google

tus. Numos, commoditates, honorem, dignitates, infulam, purpuram, tiaram triplicem, diadema, ſceptrum ambit. Itaque ſiue Domini vinea bene excolatur, & floreat, ſiue ſyluefcat, labruſcis opulenta: ſiue grex integer maneat, ſiue diſſipetur: ſiue nouale ſuo tempore proſcindatur, ſiue incultum horreat, nulla illi cura eſt, quia ipſe mercenarius eſt, ſed prauus. Si vinea exareſcat, ſi lupus ingrediatur ouile, ſi ouiculæ rapiantur: ſi ager non niſi lolium proferat: quid ad me inquit, Quod perit, Domino perit: non eſt meum iſtud peculium. Siue iaciat ager incultus, ſiue floreat, nec mihi damno eſt, nec lucro: mercede ego mea contentus reliqua nihili facio.

Deinde non eſt illi curæ obligationis titulus, quandocunque poteſt, ſe ſubducit à labore: fugit dum lupus de longè conſpicitur, cum æſtus inflammat, cum frigus conſtringit. *Non pertinet ad eum de ouibus*, inquit CHRISTVS: oues, vineam, agrum aliena putat: Suam rem non agi exiſtimat: nihil ad ſe præter mercedem ſpectare arbitratur.

Huiuſmodi mercenarios eſſe in Eccleſia, obſeruat Auguſtinus, ſed tolerandos dicit, modo nonnihil faciant: nam timore mercedis perdendæ non ſunt plane ſemper officii deſertores. *Diligendus*, inquit, *paſtor, cauendus latro, tolerandus* mercenarius: *tam diu enim vtilis eſt, quam diu non videt lupum, furem & latronem.* *Mercenarius tolerandus.* *S. Aug. Serm. 49. de verbo Domini.*

Et alibi, mercenarii *neceſſarii ſunt multi, quippe in Eccleſia commoda terrena ſectantes,* CHRISTVM *tamen prædicant: & per eos vox* CHRISTI *auditur, & ſequuntur oues, non* mercenarium, *ſed vocem paſtoris, per* mercenarium. *Serm. 40. 6. in Ioan.*

Deinde, ſubiungit. *Inde* mercenarius *lædit, vnde male facit, non vnde bona facit. Botrum carpe, ſpinam caue, ne dum quæris fructum, laceres manum. Et cum audis bona dicentem, ne imiteris malefacientem. Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: cauete ſpinas. Etiam per* mercenarios *vocem paſtoris audite: ſed nolite eſſe* mercenarii, *cum ſitis membra paſtoris.* Quod intellige de peruerſis mercenariis.

Sunt enim alii probi, qui inclinant cor ſuum ad faciendas iuſtificationes Domini in æternum propter retributionem: ſed in illa non conquieſcunt, licet ea initigentur tanquam occaſione, vel motiuo: vnde non ad tempus certum, ſed perpetuo ſe Domino mancipant, cuius contrarium facit prauus mercenarius, quem ſedulo ac feruenti operario opponit Bernardus Epiſtola 253. exponens illud Sap. 4. *Conſummatus in breui, expleuit tempora multa. Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe: nunquam dicit, ſatis eſt: Sed ſemper eſurit, ſitit que iuſtitiam: ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet: ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus inſtar* mercenarii, *ſed in æternũ diuino ſe mancipat famulatui.* Boni operarii vox eſt: *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me.* Sempiterna autem hæc eſuries, ſempiternam meretur refectionem. *Mercenarius ad certũ tempus locat operas.*

Eiuſdem nominis conſideratio conditionis nos noſtræ admonet. Indicatur n. mercenarii vocabulo, non minus meritum & labor, quam merces, ſunt enim vt loquuntur Philoſophi, correlatiua, quorum alterum ſine alio ne concipitur quidem. Mercenarius niſi operetur, non meretur, niſi laboret, non manducat. Deinde mercenarium non pudet laborioſæ vitæ exercitatio: Vinitor non erubeſcit dum conſpicitur à tranſeuntibus maritate vites, putare pampinos, botros exprimere. Agricola non verecundatur dum ſtiuam tenet, & terram ſulcat. Opilio abſq; rubore gregem ſequitur, & pedum vibrat. Nec tibi ſit pudori, viuendi in virtutis palæſtra, laborioſum genus. Mercenarium te cogita, humanæ ſortis memor, quam damnare videntur, qui in labore hominum eſſe recuſant, aut cum hominibus flagellari. *Mercenarii conditio.*

Sanctis laboribus libenter dediti. Martyr. 28. Iun. Spec. Exempl. diſt. 5. Ex. 24. Lib. 1. vit. c. 4. Volateran. Antropolog. lib. 20. in Benedict. Platus lib. 2. cap. 26. Naucle. Gener. 25. Ch. Brouuer. lib. 1. c. 4.

At viri ſancti, quamuis nobilis familiæ, imo illuſtriſſimæ proſapiæ: Principum quoque & Regum, ac Imperatorum ſoboles, qui operas ſuas DEO atque labores, vel in ſtatu Eccleſiaſtico, vel religioſo locant, illique ſeruiunt nocte ac die cum lacrymis, & omni humilitate, nō erubeſcunt quamuis viles & ſordidos labores. Ipſi in agris terram inuertunt, ipſi fimum inuehunt, ipſi ſeminant, ipſi metunt: à quo exercitio cognomen S. Ioanni Monacho Thereſti datum: & cuius rationem diuinitus accepit Bernardus, cum eam à DEO ſuppliciter poſtulaſſet: Illuſtriſſimorum filios & nepotes in officina coquinaria ad ollatiam functionem ſponte abiectos, ac magna hilaritate, maiore tamen demiſſionis adfectu lebetes mundare, cacabos abluere, lances detergere. Carolomannus Martelli P. Caroli M. Patruus Abbatis ſui Patronacis iuſſu greges Caſſinenſis monaſterii pauit, vt laudat Volateranus in Benedicto: claudicantem ouem humeris ſublatam, ſtabulo reddidit, vt Caſſinenſium Annales celebrant: idem ſedulus miniſter coco vapulans adfuit, eius miniſterii ſordes non auerſatur vt Rhegimanis Chronicon, & ex eo Chriſtophorus Browerus noſter in Antiquitatibus Fuldenſibus recenſet.

And. Scotth. in vita Borg. 53. c. 1. 17. Plat. l. 2. c. 26

Gulielmus Dux Vaſconum religionem ingreſſus, panem coxit, illuſtri miraculo humilitatem ſignans: cum enim furnus perpurgandus prius eſſet, in illum iam flagrantem ipſe ingreſſus, quia ſcopæ ad manus non erant, veſte ſua pauimentum illæſus, & intactus purgauit Vt Hieronymus Platus refert.

Franciſcus Borg. lib. 4. vitæ c. 1.

Franciſcus Borgia Dux Gandienſis mundano faſtu ſpreto religioſam humilitatem in Societate Ieſu amplexus Calenſi in Collegio Luſitaniæ Oſtiarii officio perfungi gaudebat. Quo tempore accidit, porcum iugulatum eleemoſynæ vice offerri, quem ille humeris ſublatum in ſuperiorem domus partem per gradus non ſine labore portauit: mirantibus ſociis facti commendationem ſic eluſit: Quid mirum ſi porcum porcus commode tulerit?

In eo ipſo collegio dum claues oſtii geſtat, quidam ſocietatis candidatus Hiſpali adueniens cum bona ſpe fore, vt à Franciſco ceteris adſcriberetur cui tunc commiſſa prouincia erat. Videt Franciſcus cubiculum proximum plenum ſordibus. Age inquit, ne otiemur, purgemus hoc conclaue: ſumptiſque impigre ſcopis cum illo pariter cubiculum verrit, ſordes extulit.

Lib. 4. cap. 3.

Idem cum Pintiæ euocaretur à Ioanna Luſitaniæ Principe ſchedulam offerenti oſtiario, reſpondit à coquo veniam poſcendam, cui operam dabat. Conceſſit coquus facultatem eundi, addito eo, vt Principi ſignificaret coquo operas locatas eſſe, quo facilius miſſionem impetraret. Quod fecit ſui contemptor egregius.

Adulphus Alſat. Comes Plat. lib. 2. cap. 26.

At pudet harum vilitatum, ſed ſuperandus eſt intempeſtiuus pudor. Præiuit Adulphus Alſatiæ comes ex Franciſcana familia, qui ſua in ciuitate lactis lagenam quam mendicato acceperat, deferens, tribus filiis cum magna pompa incedentibus occurrit: pudore inde perfuſus, hæſit aliquantulum, tum generoſo animi impetu, elatam ſuper caput lagenam inuertens ſe totum lacte tinxit.

Chriſtoph. Brouuer. Antiq. Fuld. lib. 4. Anno M. D. XLIV.

Non puduit Carolum V. Imperator. in Comitiis Spirenſibus lauare pedes 12. pauperum: quod facit etiam in orbis theatro Pontifex Maximus.

Quod ſi hæc, tam abiecta apud ſeculum, pudori non erant, tanti ſanguinis heroibus cum ſe mercenarios eſſe humillimi Domini CHRISTI cogitabant, certe nemini erubeſcendum eſt in officiis Eccleſiaſticis, quæ iam tamen ad inferioris ſubſellii hominibus demandari videmus, quaſi primæ exedræ viros minime deceat iis humeros ſubmittere. Pudenda ſuperbia, vel ignorantia, aut diuinorum con-

Digitized by Google

contemptus. Profecto eo alicubi ventum, vt qui de patrimonio CHRISTI viuunt, CHRISTI ſe ſacerdotes dici erubeſcunt. Si Canonici ſint in cathedralibus Eccleſiis, imo collegiatis ſacerdotes fieri reſpuunt, ne ſacrificare cogantur. Viliores è ſuo collegio, vicarios, præbendarios, Portioniſtas ad ſacerdoria promoueri curant, ipſi ſacerdoriorum fructibus ſaginantur. Si beneficio adnexa ſit ſacerdotalis officii conditio, vel potius Sacerdotio coniunctum beneficium, miris exceptionibus, interpretationibus, confictis cauſis, & mendaciſſimis prætextibus, quæ indiſſolubili iuncta eſſe deberent vinculo, ſeparent, & principali neglecto, acceſſorium ſibi vendicent, cum tamen ex iuris regula, acceſſorium ſequi debeat ſuum principale. Non loquor de iis, quibus legitima cauſa eſt ſacris ordinibus non in perpetuum ſe adſtringendi: quales eſſe nonnullos, haud eſt dubium, & ſummus Eccleſiæ Paſtor, penes quem eſt eius rei diiudicatio, adprobat.

Illos arguo, quos vel contemptus, vel ruſticus pudor, vel ſui propudioſa æſtimatio, à laborioſis ſacerdotum officiis deterret, & detinet. Abeſſe voluit ab operario Eccleſiaſtico hunc arrogantis animi pudorem Paulus Apoſtolus, monens ſerio Timotheum ſuum: *Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum eius.* Ad quod exemplo ſuo incitat diſcipulum, paulo poſt ſubiungens, *Hæc patior, & non confundor: ſcio enim cui credidi*: nempe, recordabatur cui operam ſuam locauerat, & quis mercedem illi eſſet numeraturus. Non confundebatur Paulus, ob prædicationem euangelii, ob paupertatem, ob laborum tolerantiam, ob vilitatem veſtitus, ob abiectionem apud gentiles, ob deſpectum popularium, ob carcerem, pedorem, vincula: & tu erubeſcis ob munus ſiue officium ſacerdotale, ſeu epiſcopale, qui ambis cenſus ſacerdotales, & inſulam epiſcopalem. *Timoth. c. 1. 8.*

Neſcis, mi homo, quod *Epiſcopus* & *Presbyter, & Diaconus, non ſint meritorum nomina, ſed officiorum. Nec dicitur: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonũ deſiderat gradum; ſed bonũ opus deſiderat: quod in maiori ordine conſtitutus, poßit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum.* Vt loquitur D. Hieronymus Libr. 1. aduerſus Iouinianum. Itaque illius ſenſu, epiſcopus, ſacerdos, Diaconus eſt operarius, mercenarius, labôrator, cum poteſtate quidem, ſed non ab operatione auulſa. Audi Auguſtinum: *In actione non amandus eſt honor in hac vita, ſiue potentia, quoniam omnia vana ſub ſole: ſed opus ipſum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi recte atque vtiliter fit: id eſt, vt valeat ad eam ſalutem ſubditorum, quæ ſecundum DEVM eſt. Propter quod ait Apoſtolus:* Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. *Exponere voluit, quid ſit epiſcopatus, quia nomen eſt operis non honoris. Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis quibus præficitur, ſuper intendit, curam illorum ſcilicet gerens: ἐπὶ quippe, ſuper: σκοπὸς vero intentio eſt. Ergo ἐπισκοπεῖν ſi velimus, Latine ſuper intendere poſſumus dicere: vt intelligat, non ſe eſſe epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe.* Sed hæc alterius ſunt conſiderationis. *Sacerdotis, & Epiſcopi nomina ſunt officiorum.* *S. Hier. lib. 1. in Iouin.* *Aug. lib. 19. de ciuit. cap. 19.*

Hic nomen mercenarii premo, & contractum locationis, quo qui ſe patrisfamilias obſtrictum conſiderabit, nunquam officii laborem refugiet, benefici commodis opulentus. Contrarium poſtulat eius nominis proprietas & conuentionis obligatio, quæ primo laborem inſinuat, tum mercedem ſuggerit: illum imperat, hanc promittit: quietem poſt laborem, otium poſt opus. Contrarium ſi fiat, prævaricatur mercenarius. De lectiſſima illa fœmina, quæ mulier fortis vocatur diuinis oraculis, eſtque operatricis animæ typus, ſcribitur: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent illam in portis opera eius.* De fructu manuum ſuarum, id eſt operum, *Eccleſiaſticus Mercenarius.* *Prouerb. 31.*

 dita-

ditabitur, & comedet, non de alienis ſudoribus ocioſa ipſa & iners. *Panem ocioſa non comedit. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Manum ſuam miſit ad fortia* : operata eſt alactiter, & viriliter. Tuum debet hoc eſſe encomium, quiſquis operarii Chriſtiani gaudes titulo : quicunque Deo locaſti operas. Labores manuum tuarum, quia manducabis : *Beatus es, & bene tibi erit.*

Pſal. 127.

Nihil boni facere Eſt facere aliquid mali.

Tandem ne in vnam commentationem congerantur omnia, ex contractu locationis hoc deducit Chryſoſtomus. Si mercenarius nihil boni faciat, illum cenſeri aliquid mali facere : quod non eſt in aliis contractibus. Nam & vulgo veriſſimum habetur, multum illum boni agere qui nihil facit mali : Et laudatur Lyrici gnome.

—— *Sapientia prima eſt*
Stultitia caruiſſe ——

S. Chryſoſtomus homilia de virt. & vit.

Falſum id eſt in mercenario. Nam nihil faciendo, ſuo is deeſt officio, & prætermittit, id, quod nominis ratio (nam operarius dicitur) & conuentionis ſubſtantia poſtulat. Exempli cauſa, inquit Chryſoſtomus, ſi quis tibi operas ſuas locaſſet ad domeſtica munera, & animaduerteres illum non rapacem, non ebrioſum, non contumacem, ſed ſobrium, moderatum, vitii omnis expertem : idem tamen, totos dies, ſi domi deſideat ocioſus, omittatque ea, quæ ad ſuum munus attineant, nonue grauiter vapulabit? Atque nihil maleficii commiſit : ſed ſatis maleficii eſt, munus, officiumque ſuum neglexiſſe.

Quid? Operarius conductus ad vineam, qui ceteris in rebus quidem vacet culpa, ſed domi ſe contineat, vinetum non adeat, vites non circumcidit, luxuriantes pampinos non cohibeat, nonne is quoque ad pœnam trahetur? At nihil iniuria intulit : nihil damni. Verum ceſſationem ipſam, iniuriam damnumque ducit conductor. Atque etiam in ipſo noſtro corpore, ſi manus ita affecta ſit, vt non linguam quidem illa præſcindat, non oculos eruat, nihil denique detrimenti adferat, ſed deſidioſa ceſſet, reliquo corpori nullo modo ſeruiat, quis non iſtiuſmodi manum inutilem, & præſcindendam potius quam retinendam putet? Eodem modo, non ſolum aliquid feciſſe mali; verumetiam aliquid omiſiſſe boni, in eo qui contractu locationis Deo eſt obſtrictus magna comprobatur iniuria. Itaque ſi pacto cum Deo inito, ſi nomini ab eo nobis impoſito, ſi titulo nobis communicato ſatisfacere velimus, dum dies eſt operemur, & cum ſero factum fuerit, audiemus læti dicentem Dominum vineæ procuratori

VOCA OPERARIOS ET REDDE ILLIS MERCEDEM.

Quam auditoribus meis cumulatiſſimam
precor.

COM-

Digitized by Google

COMMENTATIO XV.

DEVS CONDVCTOR. HOMO LOCATOR. Dominica Septuageſimæ.

Ex contractu locationis conficit Theologus, augeri mercedem operariorum, ex difficultate & labore operum.

Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. 1. Corinth. 3. 8.

MVLTOS laborioſis pœnitentiæ, ac miſericordiæ, aliarumque, infra caritatem, virtutum officiis eximiè deditos, angit triſtis, & plenæ abiectionis cogitatio, nonnullorum, acutè fortaſſè, at minus ſolidè philoſophantium vel concepta, vel aucta ſermonibus quibus ſpargi fertur, paruam aut nullam potius à conductore cæleſti rationem haberi operum laborioſorum: ſpectari tantum adfectum caritatis internæ: huic commenſurari mercedem operariis promiſſam: ex inæqualitate operum, quæ imperantur à caritate, ſiue illa ſint fortitudinis, vt vitam ponere pro Chriſto, ſiue temperantiæ, & abſtinentiæ, vt ieiunare frequenter; pane & frigida contentum viuere: nunquam vino ſe recreare, vel ſicera: ſiue miſericordiæ, vt in noſocomiis operam infirmis addicare, facultates in pauperes largiter diſtribuere, captiuos inuiſere, & redimere, ſiue pœnitentiæ, vt ſacco indui, nudipedem incedere, flagellis in corpus ſæuire, cubare humi, cinere ac lacrymis potum inſpergere: & ſexcenta eiuſmodi, religioſorum maxime exercitamenta, non creſcere augmentum mercedis, ſeu huius vitæ, quæ conſiſtit in augmento caritatis; ſeu vitæ alterius, quæ ſita eſt in Gloria, vel beatitudine eſſentiali, cuiuſque augmento.

QVAM opinationem & pernicioſam admodum Chriſtianis moribus vniuerſe, *Opinio hæc* & religioſis ordinibus peculiariter aduerſam, & perfectioni status cuiuslibet re- *pernicioſa.* pugnantem, & inimicam feruori pœnitentiam ſemper arbitratus ſum: nunc vero etiam, nec conſentire diuinis oraculis, nec conuenire cum ſanctionibus Eccleſiæ, nec reſpondere Theologiæ ſcitis, nec, quod hic potiſſimum agimus iuri æquitatique naturali eſſe conſentaneum, ſi locati, & conducti regulæ penſitentur, probare aggrediar, ſi hoc præmiſero.

Contingere poſſe, vt ex adfectu caritatis æquali in intenſione & multitudine *Ex æquali caritate actus* graduum, imperentur, deriuenturque actus aliarum virtutum inter ſe inæquales. *inæquales.* Quemadmodum enim quiſpiam, impellente caritate, quatuor graduum perfectionis, poteſt ſanguinem pro Chriſto profundere, ac vitam dare: ita poteſt, eadem ſtimulante, vel oratiunculam aliquam recitare, vel eleemoſynæ titulo, nummulum pauperi erogare. Cum enim intenſio actus circa quodcunque obiectum creſcere valeat, ſi accedat conatus maior, & voluntas efferueſcat; non eſt arduum intelligere, circa obiectum orandi vel tribuendi eleemoſynam, poſſe eſſe operationem tam intenſam, quam eſt illa, qua alius ſtatuit vitam in fidei cauſa offerre. Imo fieri nil vetat, vt ſit magis intenſa caritas, è qua imperetur actus facilior, ac minus perfectus.

Iam

Conductores plus mercedis dant grauius laboranti.

Iam vero, qui Deo locauit operas, vt in vinea gnauiter laboret, plusne conſequetur ex labore mercedis, ſi opus aliquod difficilius, quam ſi faci ius eadem caritatis intenſione exequutus fuerit? Id æquitatis ratio poſtulare videtur, & conductorum conſuetudo. Hic certe quotannis ſenatus dum mercedem præſcribit, operariis dietim numerandam, ſeruata proportione laboris, plus minuſque huic vel illi attribuit. Non eſt eadem merces collectori vuarum, quæ Hottario, vt vocatis: plus datur baiulatori, quam aurigæ: minus illi, qui ſtipites tantum euellit, quam qui torculari vinum exprimit. Idem in aliis mercenariorũ generibus ſeruatur: quod iuſtitiæ id ratio exigat. Et Devm exactiſſimum laborum trutinatorem, qui ſuorum greſſus omnes in numero habet, tantum vix brachia rotanti quantum omnibus corporis membris in opus incumbenti largiturum exiſtimamus?

Eſt tamen cuiuſdam perſuaſio, ſi adfectus interior ſit æqualis, ex difficultate, ſeu præſtantia actus virtutis qui imperatur à caritate, non augeri mercedem eſſentialem gloriæ ac proinde, nec dari augmentum caritatis in hac vita: licet accidentale aliquod præmium, velut auctarium aliquod ſic operantibus accedat: Ita docuit Dominicus Bannetz commentario in 2. dam. 2. dæ. S. Thomæ Quæſt. 24. Art. 6. Dub 5. concluſione 6. reprehendens Franciſcum Victoriam adfirmantem, poſſe euenire, vt plus mereatur ille, & conſequenter, ampliorem accipiat mercedem, qui adfectu minus intenſo, rem omnem familiarem Dei amore diſtribuit, quam qui adfectu magis intenſo, exilem largitur indigenti eleemoſynam.

Dom. Bann. Relect. de carit. augm. conc. 5.

Quocirca idem auctor relatione ſeparatim edita de caritatis augmento, diſputans de hac ipſa re, adfirmat. Si quis cum æquali intenſione caritatis det pauxillum frigidæ ad refocillandum ſitientem; alius vero cum æquali intenſione vitam & ſanguinem fundit pro Christo hos æqualiter mereri, atque ita conſequuturos æqualem gloriæ eſſentialis mercedem.

Ex operum excellentia creſcit merces.

Contrarium & certum reor, & omnibus operam ſuam Deo, mercedis intuitu, locantibus proponendum. Ac imprimis eccleſiæ definitionem produco, minime, vt mihi quidem videtur ambiguam. ſtatuit enim illa veritatis magiſtra contra Iouinianum hæreſiarcham certa fide credendam eſſe, non tantum meritorum, ac mercedis diſparitatem in aliquibus reperiri, verumetiam, hanc ipſam ex operum inæqualiter excellentium deriuari. Conſtat illud tum ex erroribus illius Sardanapali, tum ex Pontificio Sircy Papæ in Iouinianum decreto, tum ex concilio Mediolanenſi, eum in finem coacto.

Iouiniani error. Hier. lib. 1. in Iouin. Aug. hæreſi 82. Sand. hæreſi. 87. Prat. 5 Iouin. Gual. Tab. An. 300. Bellar. To. 1.

Error hic Iouiniani manifeſtus eſt. Aperte enim Matrimonii meritum, & in eo degentium mercedem, virginitatis merito, ac mercedi æquiparabat: vt conſtat ex Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, & recentioribus Prateolo, Sandero, Gualterio, Bellarmino. Quid autem eſt hoc aliud, quam detrahere partem aliquam mercedis debitæ officio præſtantiori, ſeu operi magis laborioſo ac difficili?

Pammachius Hier ad Pammachiũ ep. 50.

Aduerſus hoc monſtrum primus, cum eius ſcripta Romæ vulgata eſſent, ſurrexit Pammachius, nobilis ſenator, & doctrina clarus, S. Paulæ gener, de quo Hieronymus: *Idcirco, te, poſt Dominum, faciente, damnatus eſt*, Iouinianus, *quod auſus ſit perpetuæ virginitati, matrimonium comparare*: nimirum merito & mercede. Inſtigauit itaque is, & alii fideles Sircium Papam, vt dogma peſtilentiſſimum proſcriberet: quod fecit, vt ipſe adſerit in Epiſtola ad Eccleſiam Mediolanenſem ſcripta. In qua ſic inprimis Iouinianum depingit.

Deſcribitur

Pudicitiæ aduerſarius, luxuriæ magiſter, cruditatibus paſcitur (ſic emendat Baronius, quod

quod legebatur crudelitatibus) *abſtinentia punitur, odit ieiunia, miniſtris ſuis prædicantibus, eadem dicit eſſe ſuperflua, ſpem non habens de futuris* : id eſt, non attendens ad inæqualem remunerationem in futurum. Deinde, nonnullis interpoſitis, ſubiungit: *Nos nuptiarum vota non aſpernanter accipimus, quibus velamini interfuimus: ſed virginum nuptias* DEO *deuotas maiore honorificentia honoramus. Facto igitur Presbyterio, conſtitit doctrinæ noſtræ, id eſt,* CHRISTIANÆ *legi eſſe contraria. Vnde Apoſtoli ſequuti præceptum, quia aliter, quam quod accipimus, nunciabant, omnium noſtrum tam Presbyterorũ, & Diaconorum, quam totius etiam cleri, vna lata fuit ſententia, vt Iouinianus, & qui cum illo incentores nouæ hæreſis, & blaſphemiæ inuenti ſunt, diuina ſententia, & noſtro iudicio, in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.*

Iouinianus
Baron tom. 4. A. CCC.XC.

Eandem damnationis ſententiam confirmauit Concilium Mediolanenſe, vt patet ex Epiſtola ſynodali ad Papam in qua ſic perorant: *Agreſtis vlulatus eſt, nullam virginitatis gratiam, nullum caſtitatis ordinem ſeruare, promiſcue omnia velle confundere, diuerſorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cæleſtium remunerationum inducere, quaſi vna ſit palma, aut non abundent tituli præmiorum.* Pluribus deinde demonſtrant virginitatem præferendam eſſe matrimonio: viduitatem CHRISTI amore ſeruatam ſecundis nuptiis: ieiunia temperato victui.

Concil. Mediol tom. 1. Epiſt. Pontif. pag. 42.
S. Ambr. Epiſ. 81.

Itaque cenſebat Eccleſiæ, tanquam fidei dogma, credendum, maius eſſe meritum virginum, quam cõiugatarum, ac proinde ampliorem illis debere mercedem. Quod nihil eſt aliud, quam creſcere meriti ac mercedis rationem ex difficultate, ac nobilitate ſtudioſæ operationis. Nam ſi meritum & merces, creſceret ſolum ex intenſione maiori actus imperantis: ita vt quando adfectus caritatis eſſet maior in virgine, maius & iam tunc haberet meritum, & deinde mercedem: ſi affectus eſſet minor, ſuperaretur merito, ac mercede à coniugatis: ſi eſſet æqualis, parem mercedem reciperet: Nihil ſane contra Iouinianum actum eſſet, qui omnia ex adfectu metiebatur: atque ideo poſt ſordidam tunicã, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, ad candidam veſtem, & nitidam cutem, ad mulſum & elaboratas carnes, ad iura Apicii & Paxami, ad balneas quoque ac fritillas & popinas ſe contulerat; tantundem enim meriti & mercedis ſe ita expectare poſſe exiſtimans, modum par adfectus eſſet in vtroque ſtatu. Sanciuit igitur Concilium, quando alia omnia ſunt paria, in opere virginitatis maius eſſe meritum, quam in opere coniugali, aut matrimoniali caſtitate: Virgineſque manere maius præmium, quam coniugatos, mercedem merito reſpondente.

Mercedem autem cumulatiorem, eſſe perfectionem beatitudinem, & non ſolum additamentum aliquod accidentale, liquet ex argumento, quod ſubiungit Concilium. Nam *pia virgo*, inquit, *præfertur dicente Apoſtolo:* Qui iungit virginem ſuam bene facit, & qui non iungit melius facit. Melior igitur Virginitas, per quam regni cæleſtis hæreditas adquiſita & cœleſtium meritorum reperta ſucceſſio. Ergo ratione mercedis illius, quæ eſt, regnum cœleſte, dicitur eſſe maius meritum virginitatis. Quod non admittit, qui negat, creſcere mercedem, ex ipſiuſmet operis præſtantia quando in adfectu Caritatis eſt æqualitas.

Pramium eſſentiale maius.
1. Corint. 7. 38.

Maximum hæc robur accipiunt, ex diſputatione Hieronymi qui orienti hæreſi quam primum ſeſe oppoſuit, libris duobus contra eius auctorem ſcriptis. In eorum priori *Proponam*, inquit, *breuiter aduerſarii ſententias, & de tenebroſis libris eius, quaſi de foueis ſerpentes protraham, neque ſinam venenoſum caput ſpiris maculoſi corporis protegi. Pateat quod noxium eſt, vt poſſit conteri cum patuerit. Dicit, virgines, viduas, & maritatas,*

S. Hierony. Iouiniani debellator.
Lib. 1. in Iouinianum.

quæ ſemel in CHRISTO *lotæ ſunt, ſi non diſcrepent cæteris operibus eiuſdem eſſe meriti.*

Idem dicit, qui adfirmat, non creſcere augmentum caritatis & gloriæ ex præſtantia operum, ſi æqualis ſit caritatis imperantis adfectus. Si enim non diſcrepent cæteris operibus, hoc eſt, in intenſione caritatis, virgines, viduæ & maritatæ, eiuſdem ſunt meriti, ſaltem quo ad mercedem regni cæleſtis, ſeu, eſſentialem.

Argumenta Hieronymi.

Refellit deinde Hieronymus hanc hæreſim iis rationibus, quibus plane demonſtrat, in ſanctitate huius vitæ, ac in beatitudine alterius, quæ reſpondet illi ſanctitati, futuram inæqualitatem inter nominatas perſonas, etiamſi in cæteris operibus non ſit diſcrimen.

Virgines magis amantur à Chriſto. Ioan. 7. Matt. 19.

Aſſerit enim Doctor eximius, virginum eſſe maius meritum, quia virgines magis amantur à CHRISTO, quam caſti coniugati. Verba ſunt aduerſarium iugulantis. *Propoſuit ἀγωνοθέτης, præmium, inuitat ad curſum, tenet in manu virginitatis brauium, oſtendit puriſſimum fontem & clamitat:* Qui ſitit, veniat, & bibat: qui poteſt capere, capiat. *Non dicit velitis, nolitis, bibendum nobis eſt, atque currendum: ſed, qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille ſatiabitur. Et ideo plus amat virgines* CHRISTVS *quia ſponte tribuunt, quod ſibi non fuerat imperatum.* Iam vero, quem plus amat CHRISTVS, plus etiam mercedis accipiet tempore retributionis, & meliori apud illum loco erit in regno cœlorum. Pergit Hieronymus, cuius quot ſunt paragraphi longiſſimæ diſputationis, tot ſunt argumenta noſtræ ſententiæ confirmandæ.

Maioris gratiæ eſt, offerre, quod non debeas, quam reddere quod exigaris. Hoc faciunt coniugati, illud virgines, ergo magis merentur: amplius præmiabuntur. *Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum. Mihi* (inquit CHRISTVS) *illi eunuchi placent, quos caſtrauit nō neceſſitas, ſed voluntas. Libenter illos in meos ſinus recipio, qui ſe caſtrauerant propter regnum cælorum: & ob mei cultum noluerunt eſſe, quod nati ſunt.* Si CASTRATI MERCEDEM *habent*, REGNVM CÆLORVM, *Ergo qui ſe non caſtrauerunt, locum non poſſunt accipere caſtratorum.* Nimirum: ſi cætera ſint paria: hoc eſt, ſi ex aliquo alio capite non ſit exceſſus, quo virginitatis præſtantia compenſetur.

Caſtrati.

1. Cor. 7.

Grandis fidei eſt, grandiſque virtutis, DEI *templum eſſe puriſſimum, totum ſe holocauſtum offerre* DEO *& iuxta Apoſtolum, eſſe Sanctum corpore & ſpiritu. Hi ſunt eunuchi, qui ſe lignum aridum ob ſterilitatem putantes, per Iſaiam audiunt, quod pro filiis & filiabus, locum in cælis habeant paratum.*

Iſa 56.

Huius maioris mercedis ſpe excitat deinde fideles ad virginitatem colendam. *Si mundus tranſit, quo vniuerſa clauduntur: imo, figura & conuerſatio huius mundi, quaſi nubes præterit: inter cetera, mundi opera, & nuptiæ præteribunt neque enim erunt poſt reſurrectionem connubia. Si autem mors finis eſt nuptiarum, cur neceſſitatem, non in voluntatem vertimus? & quod inuitis extorquendum eſt, cur non* SPE PRÆMIORVM *offerimus* DEO?

Hoc vt perſuadeat, dicit virgines & continentes futuros beatiores: nempe, etiamſi reliqua omnia ſint paria. Tandem; *Fructus ſanctificationis, qui vel ad virginitatem vel continentiam pertinet vita penſatur æterna.*

Auguſtinus Hær. 82.

Eodem modo impugnat ſententiam Iouiniani Auguſtinus, qui hæreſi 82. dicit Iouiniani hæreſin ortam tempore iuuentutis ſuæ: illius autem caput vnum fuiſſe, quod virginitas & continentia caſtorum coniugum atque fidelium meritis adæquentur: ideoque, virginitas vtilis quidem ſit, non tamen propter regnum cælorum, ſed ad fugiendas moleſtias & curas coniugii. Quod ipſe refellit Lib. de

ſancta

Digitized by Google

ſancta virginitate: qui totus eſt in hoc argumento. cap. autem 19. clariſſime aſſerit errorem eſſe, quod in vita æterna non ſit futura amplior merces illorum, qui ſeruant continentiam.

Ne quis putaret, inquit, *duorum operum boni atque melioris æqualia fore præmia, propterea contra eos differendum fuit, qui, quod ait Apoſtolus*: Exiſtimo autem hoc bonum eſſe propter præſentem neceſſitatem, *ita interpretati ſunt, vt non propter regnum cœlorum, ſed propter ſeculum præſens virginitatem vtilem dicerent, tanquam in illa vita æterna, nihil cæteris amplius habituri eſſent, qui hoc melius elegiſſent.* S. Aug. lib. de S. virg. c. 19.

Et paullo poſt: Cum error vterque ſit, vel æquare ſanctæ virginitati nuptias, vel damnare, nimis fugiendi inuicem duo iſti errores aduerſa fronte confligunt, quia veritatis medium tenere noluerunt, quo & certa ratione, & ſanctarum ſcripturarum auctoritate, nec peccatum nuptias eſſe inuenimus, nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus. Alii quippe, appetendo virginitatem, nuptias, tanquam adulterium deteſtandas eſſe putauerunt: Alii vero, defendendo connubium excellentiam perpetuæ continentiæ, nihil amplius, quam coniugalem pudicitiam voluerunt quaſi vel Suſannæ bonum, Mariæ ſit humiliatio: vel Mariæ maius bonum, Suſannæ debeat eſſe damnatio. Abſit. Cap. 20.

Præmiſerat autem cap. 12. Mirabiliter deſipiunt, qui putant, huius continentiæ bonum non eſſe neceſſarium propter regnum cælorum: Sed propter præſens ſeculum: quod ſcilicet coniugia terrenis pluribus, atque arctioribus diſtenduntur, qua moleſtia virgines, & continentes carent: quaſi ob hoc tantum melius ſit non coniugari, vt huius temporis relaxentur anguſtiæ: non quod in futurum ſeculum aliquid proſit.

Quod pluribus ipſe refellit. Tandemque cap. 23. CHRISTVS dicit, veritas dicit, virtus & ſapientia DEI dicit, eos, qui pio propoſito ab vxore ducenda ſe continuerint caſtrare ſeipſos propter regnum cœlorum. Et contra humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præſentem tantummodo neceſſitatem moleſtiarum coniugalium deuitare: in regno cœlorum amplius quicquam cæteris non habere. Sic quoque alii.

Animaduertebant enim doctiſſimi PP. contrariũ dici non poſſe, ſi ſcripturarum diuinarum retinenda eſſet auctoritas. Quid enim clarius illo Pauli Teſtimonio? 1. ad Corinth. 3. 8. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

Itaque operarius, qui ex adfectu æquali plus laborauerit, maiorem conſequetur mercedem. Quid aliud quam augmentum beatitudinis, ſeu mercedis cœleſtis deſignat CHRISTVS Dominus, dum pronunciat, eſſe, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum? Matt. 19. 12. Et ſubiungit. *Qui poteſt capere capiat*, ſignificans difficultatem, excellentiam, ac nobilitatem operis eſſe tantam, vt de illo præceptum dari non debeat: eſſe tamen illi addicendum excellentiſſimum quoddam regni cælorum præmium, quod non conſequantur in coniugio viuentes. Nam quod hæretici noſtrates garriunt: Tà *propter regnum cœlorum*, idem eſſe, quod, *propter Euangelium, vt illi nimirum ſeruiant*, Catholicorum nemo admittet, qui ſciat illos hoc commentos ex timore, ne alioqui, meritum & mercedem virginitatis cogantur concedere. Senſus itaque eſt ad promerendam ſingularem regni cæleſtis mercedem, vt Origenes, Hilarius, Chryſoſtomus, Auctor imperfecti, & Euthymius interpretantur.

D. Chriſoſtomus Homil. 8. de patientia, poſtquam exempla nonnulla enar-

Digitized by Google

raſſet de continentia, & paupertate non præcepta à Domino, ſed conſilii in modum propoſita ſubdit in perſona patrisfamilias conductoris. *Non cogo, non grauo, ſed proficientem quidem* CORONABO, *non proficientem non punio.* Plus igitur mercedis accipiet continens, & Euangelicus pauper, quam eodem adfectu in matrimonio, & diuitiis adfluens, DEO tamen ſeruiens. S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum. Quomodo illud non animaduertis omnium ſapientiſſime & ingenioſiſſime, atque ad virtutum arcem & verticem Chriſtianos coarctans, quod in legibus noſtris, alia parendi neceſſitatem imponunt, nec ſine periculo prætermitti poſſunt, alia non neceſſitate conſtringunt, ſed in electione & voluntate poſita ſunt, ac proinde hanc rationem habent, vt qui ea cuſtodierint HONORE & PRÆMIIS exornentur, qui autem minus ea expleuerint, nihil periculi pertimeſcant.

1. *Corinth.* 7. 38. 40. Loquitur autem de præmiis cæleſtibus, de quibus, alii, quoque Patribus ſermo eſt dum Pauli mentem exponunt, Corinth. 7. vbi non tantum aſſerit Apoſtolus, melius facere illum qui non iungit virginem ſuam matrimonii vinculo: ſed, vt omnibus innoteſceret, & difficultate, atque excellentia huius operis non præcepti manere continentes maiorem beatitudinem, vtitur comparatiuo dum de viduitate loquitur, & beatitudinem nominat: *Beatior erit ſi ſic permanſerit.*

Vbi notat Theodoretus, non dixiſſe, Apoſtolum illam eſſe beatam, ſed *beatiorem*, vt indicaret non excludi à beatitudine illam, quæ ſecundum ineat coniugium, quo refelluntur Nouatiani, qui digamiam, tanquam fornicationem accuſant: ſed maiorem fore in beatitudinis mercede viduam, quam in ſecundis nuptiis coniugem.

Addit S. Hieronymus: beatam eſſe illam, quæ virum habet ſi caſte viuat, beatiorem viduam, quæ maiore laude caſtitatis præſtat: beatiſſimam vero virginem, quæ ſeiuncta à coniugii laboribus ad ſumma quæque contendit.

Ambroſius vero: *Prima, inquit, nuptiæ ſub benedictione. DEI celebrantur ſublimiter, ſecundæ autem, etiam in præſenti carent gloria, conceſſæ ſunt autem propter incontinentiam. Sed quia præſtat continere, ſaluberrimum eſt conſilium Apoſtoli, vt ſic permaneat.* Et exponit *beatiorem*, hoc eſt digniorem eſſe in futuro ſeculo.

Nec alio pacto ſenſum Pauli expoſuit S. Cyprianus, dum libro de *habitu virginum* ad calcem, docet propter rei difficultatem non eſſe poſitum præceptum virginitatis. *Neque hoc iubet Dominus, ait, ſed hortatur, nec iugum neceſſitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem ſuum eſſe dicat* CHRISTVS, *meliores habitaculi hoſpitia demonſtrat. Habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes, maioris gratiæ præmium in cœleſtibus obtinetis. Nam licet per ſanctitatem Baptiſmi omnes iuſti ad patria beatitudinem tendant: ſed natiuitatis iterata maior eſt ſanctitas vobis.*

Itaque Cyprianus inæqualitatem mercedis illam conſtituit inter continentes ac coniugatos, quam CHRISTVS ſignificauit, cum dixit, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* Ioannis 14. 2. & quæ oritur ex inæqualitate ſanctitatis. Hæc autem inæqualitas eſt in beatitudine eſſentiali, ſecundum quam Apoſtolorum & CHRISTI manſiones æquales non ſunt, vt colligit Gregorius Lib. 4. Moral. cap. 42. & lib. 35. cap. 24. & lib. 4. Dialog. cap. 36. & Homil. 16. in Ezechiel. Cyrillus Leontius in Ioann. Tertullianus in Scorpiaco, Theodoritus li. 3. in Cantic. & 1. ad Corinth. 15. Ex iiſdem ſane verbis S. S. Thomas 1. P. Quæſt. 12. & 1. 2. Q. 5. probat in beatis eſſe inæqualitatem beatitudinis, ac viſionis beatificantis.

Loqui-

Digitized by Google

Loquitur de eadem clariſſime S. Auguſtinus lib. de S. Virginitate cap. 24. Sic ſcribens. De quibus autem ſpadonibus loquitur DEVS per Iſaiam Prophetam, quibus ſe dicit daturum in domo ſua & in muro ſuo locum nominatum, meliorem multo, quam filiorum, atque filiarum, niſi de iis qui ſe ipſos caſtrant propter regnum cœlorum? Nam illis quibus ipſum membrum virile debilitatur, vt generare non poſſint, ſicut ſunt eunuchi diuitum, & regum, ſufficit vtique cum Chriſtiani fiunt, & DEI præcepta cuſtodiunt, eo tamen propoſito ſunt, vt coniuges, ſi poſſent, haberent; ceteris in domo DEI coniugatis fidelibus ad æquari, qui prolem licite, pudiceque ſuſceptam in DEI timore nutriunt docentes filios ſuos, vt ponant in DEO ſpem ſuam: non autem accipere meliorem locum, quam eſt filiorum atque filiarum.

S. Auguſtin. lib. de Virg. cap 24.
Iſa. 56.

Ne quis autem dicat, mercedem quidem virginum & coniugatarum eſſe eandem, dari tamen virginibus nonnihil amplius, ſicut iis qui operam locant, & ſtrenuiſſime laborarunt auctuarium ſolet adiici, ſeu accidentale præmium, diſtinguit accurate Auguſtinus, meritum mercedemque vitæ æternæ, quam maiorem virginibus adſignans, à gloria quadam accidentali, quam iis etiam deberi non eſt dubium. Sic enim ſcribit cap. 21. de S. virginitate: *Nos ſecundum ſcripturarum ſanctarum fidem, ſanamque doctrinam, nec peccatum eſſe dicimus nuptias: & earum tamen bonum non ſolum infra virginalem, verum etiam infra vidualem continentiam conſtituimus, præſentemque neceſſitatem coniugatorum, non quidem ad vitam æternam, verum tamen ad excellentem GLORIAM, & HONOREM qui perpetua continentiæ reſeruatur impedire eorum meritum dicimus.*

Itaque quod Synodus Tridentina definit: Melius eſſe atque beatius, manere in virginitate, aut cœlibatu, quam iungi matrimonio, intelligi oportere exiſtimo etiam ſecundum maiorem beatitudinem eſſentialem: quam certo certius ſacrarum litterarum, & Patrum recitatæ ſententiæ indicant.

Seſſ. 24. Canon. 10.

Sic etiam contra noſtri temporis ſectarios facilius meritorum, & mercedis ratio in verbo DEI toties commendata defenditur. Nam Lutherus quidem in Epithalamio agnoſcit vtilitatem aliquam virginitatis ſed illam vult ſolum eſſe temporalem, quia nimirum liberat à multis afflictionibus: Melanchton vero, & Petrus Martyr admittunt quoque aliquam vtilitatem ſpiritualem; conducit enim ad orandum, prædicandum, & ſimilia. *Nos vero*, inquit, Orthodoxorum ore Bellarminus, *præter has duas agnoſcimus tertiam, nimirum, ad placendum* DEO, & PRÆMIA MAXIMA *promerenda.* Qui autem magis placet DEO, maiorem quoque ob opera, quibus placuit, mercedem beatitudinis eſſentialis accipiet.

Luther. in Epithal.
Phil. Melanchton. loc. de caſtitate.
Petr. Mar. in 1. Corinth.
Bellar. tom. 1. libr. 2. de Monach. cap. 9.

Ratio id idem conuincit, ſiue Theologiam conſulas, ſiue iuris æquitatem in contractibus, & mercedis largitione ſecundum operum, laborumque proportionem. Theologus nunquam negabit, tunc eſſe maius meritum reſpectu beatitudinis eſſentialis, quando adfectus caritatis eſt præſtantior. At quando eſt æqualitas intenſionis, ſi imperentur opera inæqualia, ille adfectus eſt nobilior, præſtantior, excellentior, à quo dimanat opus excellentius atque nobilius. Itaque maius in illo eſt meritum, & ei amplior reſpondebit merces. Minor eſt euidens. Quoniam diligere quempiam, eſt velle illi bonum, qua bonum, illius eſt: quocirca velle alicui maius bonum eſt maior dilectio illius. Nam illo in actu eſt habitudo & ordo quidam intrinſecus ad illud bonum, quod amico deſideratur. Quamobrem in illo actu, in quo eſt reſpectus ad maius bonum eius, qui diligitur, reperitur maior

Adfectus caritatis perfectior.

Digitized by Google

perfectio intrinſeca dilectionis, licet in gradibus intenſionis ſit minor illo actu, quo minus bonum dilecto optamus. Iam vero, qui ex adfectu æque intenſo perficit opus difficilius & magis Deo gratum, maius bonum vult Deo, quam qui minus excellens & facilius aliquod operatur. Habet igitur actum amoris perfectiorem.

Duplex perfectio in actu voluntatis.

Hoc vt nemini videatur mirum, OBSERVO: In voluntatis actibus duplicem conſiderari perfectionem: vna dici poteſt, *Intenſionis*: altera vero, *Obiectiua*, deriuata videlicet ab obiecto. Illa *intenſionis* oritur ex maiori conatu potentiæ operantis, & conſiſtit in multitudine graduum ſiue partium actionis. *Obiectiua* deſumitur ex præſtantia obiecti. Hæc iterum eſt duplex, *Eſſentialis* quæ habetur ex obiecti perfectione eſſentiali. Quo pacto actus caritatis eſſentialiter eſt perfectior, quã aliarum virtutum functiones, quoniam obiectum illius eſſentialiter eſt perfectius. Altera appelletur, *Indiuidualis*: quæ ſumitur ex maiori præſtantia obiecti in eodẽ genere, ac ſpecie. Hac perfectione præſtat voluntas largiendi multum, eleemoſynæ nomine: & eſt perfectior voluntate dandi parum, reliquis paribus. In electione quoque mediorum ad finem, illa cenſetur excellentior, qua eligitur medium excellentius.

Atque in hunc modum, caritatis ille adfectus, quo imperatur opus magis arduum ac nobile, perfectior eſt, perfectione obiectiua, quamuis non ſemper excedat alium intenſionis gradibus. Conueniunt quidem omnes actus caritatis in perfectione eſſentiali, diſtinguuntur tamen indiuidualiter ratione boni deſiderabilis.

Porro tam eſſentialis, quam indiuidualis perfectio obiectiua, eſt in qualibet actus particula: nulla enim eſſe poteſt, quæ obiectum non reſpiciat: itaque in actu quoque remiſſo ſecundum gradus intenſionis reperitur. At perfectio *intenſionis*, non eſt, in qualibet parte, ſed aggregatione omnium. Quod diſcrimen adnotandum eſt.

In S.S. res, & obiectum virtutis attenditur.

Hæc diuinis ſcripturis eſſe conſentanea non negabis, ſi animaduertas, in iis non tantum commendari feruorem, conatum, alacritatemque in officiis virtutum exequendis, ſed ſæpè etiam rem ſolam, vel obiectum, propter difficultatem. Præclarus eſt locus Geneſis 22.16. Vbi, *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem*, nempe tam difficilem carni & ſanguini, tam repugnantem naturæ, tam abhorrentem à parentis in filium adfectu; *& non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.*

Premit hic Legatus Dei, Angelus, obiectum, rem hanc & ex illius difficultate, ac nobilitate actum prædicat, ac illius meritum, cui præter mercedem augmenti gratiæ ac gloriæ reſpondeat etiam merces alia maxima, ſed alterius generis. Exiſti-

Perer. in Gen. Cornel. Lap.

mant enim boni Interpretes hoc actu meruiſſe Abrahamum, ſaltem de congruo vt ex ſua ſtirpe potius, quam alia, imò ex eodem Iſaac, qui imolandus fuerat, naſceretur CHRISTVS, id eſt, vt Abraham fieret CHRISTI pater.

Actus dilectionis.

Idem licet obſeruare in actu illo dilectionis, quem aliis maiorem dicit Dominus ipſe Ioannis 15.13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Senſus eſt, vt exponit Maldonatus. Hac dilectione qua quis animam ſuam ponit, pro amicis ſuis, nemo maiorem habet. Qua ſententia probat

CHRI-

CHRISTVS ſe dilexiſſe diſcipulos, quanta maxima fieri poteſt caritate. Fuitne ergo vllus maior actus caritatis in CHRISTO, ſi intenſionem ſpectes? nequaquam: nam magis intenſe amabat Patrem, & intenſius potuiſſet amare diſcipulos, augentur enim gradus intenſionis in infinitum. Significabat igitur dilectionem illam eſſe maiorem, qualibet alia erga diſcipulos perfectione obiectiua.

Vitam offerre.

Ex quo etiam conſequitur, illum magis diligere Deum qui æquali intenſione pro illo effundit ſanguinem, aut *animam*, id eſt, *vitam*, ponit, hoc eſt voluntarie offert: quam, qui tribuit, actu eiuſdem intenſionis, pauxillum frigidæ, vt pauperem ſitibundum refocillet.

Maior dilectio, quæ?

Omittere hic non debeo interpretationem Dominici Bannez, qui ne hac Domini ſententia conſtringatur, ſcribit, in ea, per maiorem dilectionem, intelligi ſignum maioris dilectionis, & eius expoſitionis auctorem nominat S. Thomam. Quod ego quidem in Doctore Angelico non reperio. Siquidem non adfirmat, illo loquutionis modo ſignificari tantum dilectionis ſignum, ſed oſtendi efficaciam dilectionis, quæ eſt, vt quis mortem ſuſtineat, quod eſt ſignum maximæ dilectionis, non autem ſignum magnum dilectionis, quæ in ſenſu plurimum diſcrepant.

Verba Aquinatis ſunt. *Hic oſtendit efficaciam dilectionis, quæ eſt, vt quis mortem ſuſtineat pro amicis ſuis: quod eſt ſignum maximæ dilectionis.* Quia, *cum vita corporalis ſit potiſſimum quod nos poſt animam habeamus, ideo potiſſimum eſt ipſam exponere propter proximum, & maioris dilectionis ſignum.*

Maxima caritas Aug. lib. de nat. & grat. cap. vlt.

Agnoſcit igitur S. Thomas, dilectionem hanc quod etiam docuit S. Auguſtinus, eſſe maximam nempe obiectiua perfectione. Inchoata enim caritas, & inchoata iuſtitia. Caritas autem maxima, quando pro ipſa contemnitur vita.

Lib. de virginit. cap. 45. 46.

Matth. 20.

Quapropter idem Auguſtinus lib. de ſancta virginitate exhortans virginem ad humilitatem, docet caritatem, qua quis vitam pro Deo offert, non ſolum maiorem eſſe, quam illa, qua opus aliquod facile exequimur, ſed etiam, quam illa, qua virginitas colitur, intellige ſi paria ſint alia. Quod roborat Chriſti D. reſponſo, quod dedit fratribus prima loca ambitioſe poſtulantibus, inſinuans ea merito martyrii eſſe comparanda. Poteſtis, inquiebant, bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ex quo conſequitur, licet in adfectu intenſionis ſit æqualitas, maius tamen eſſe meritum in voluntate bibendi paſſionis calicem, quam in voluntate alicuius alterius operis minus nobilis, ac proinde ampliorem reſpondere mercedem futuræ gloriæ.

Hieron. lib. 2. in Iouinian.

Quod confirmo Hieronymi adfirmatione, quam opponit Iouiniani cauillo. Quamuis ſit vna corona eorum qui æquali voluntate ſe offerunt ad martyrium: ſi quis tamen fugiat, & in ſolitudine moriatur, non futuram eandem coronam cum moriente. Ergo opus Martyrii ex ſe ſe, quoniam laborioſum, conducit ad maius præmium.

Aug. Serm. 9. & 48. de tempore.

Et quoniam D. Thomæ expoſcitur auctoritas, legatur quod docet 1. 2. q. 114. art. 4. vbi aſſerens, gratiam principalius per caritatem, quam per alias virtutes operis meritorii principium exiſtere, obiicit, id minus videri conuenire cum dicto Pauli: vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem: caritas autem magis diminuit laborem, quam augeat. Nam vt Auguſtinus diſſerit; omnia ſæua & immania, facilia & prope nulla facit amor.

Reſpondet. Quod opus aliquod poteſt eſſe laborioſum & difficile dupliciter. Vno modo ex magnitudine operis, & ſic magnitudo laboris pertinet ad augmentum

tum

rum meriti. Et ſic caritas non diminuit laborem: imò facit aggredi opera maxima. Magna enim operatur, ſi eſt, inquit Gregorius. Alio modo ex defectu operantis. Vnicuique enim eſt laborioſum & difficile quod non prompta voluntate facit: & talis labor diminuit meritum, & à caritate tollitur.

Homil. 30. in Euang.

Quam doctrinam auide accipiunt ſpiritualium rerum Magiſtri. Atque ex illa Ioan. Crombecius N inter octo induſtrias quibus gratia, virtutes, ipſaque perfectio egregie augetur, *ſextam* effingit: quæ ardua ac difficilia quæque aggreditur, ac conatu ſuperare nititur. In illo namque aſcenſu vt laudis, *ita* meriti plurimum inuenitur. Adiungit: oriri difficultatem poſſe ex quatuor capitibus. Primo ex natura operis. Quædam enim ardua ſunt ac difficilia opera ex natura ſua, quæque noſtræ naturæ imbecilliori repugnant: quale eſſet, pane & aqua vitam ſuſtentare: parentes deſerere: abdicare à ſe bona omnia: Chriſtum nudum ſequi, vitam cœlibem, domita carne ſectari. De his dici poteſt: Difficilia quæ pulchra. Ac in iiſdem maius eſt meritum, cui maior reſpondet merces.

Ioa. Crombecius lib. 1. de Perf. cap 37.
Induſtria augendi meritum.

Secundo ex eius, qui operatur, imbecillitate. Quæ confert ad meritum & mercedem, ſi hominis vitio non ſit inducta. Plus ſane meretur qui cum debilis ſit ieiunat, quam qui robuſtus: & qui duos obolos, cum plures non habeat, dat indigenti, quam opulentus, qui viginti. Qui tamen ſua culpa, vt ebrietate, aut bonorum dilapidatione ad eas redactus eſſet anguſtias, is parum quidem ex hoc capite meritum augeret, nam ſponte ſe ac culpa ſua in eam ſe coniecisſet neceſſitatem,

Tertio, ex praua conſuetudine. Quarto, ex tentatione, quæ ex voluntate operum non pendet. Vt autem difficultas ex his orta capitibus conferat ad mercedem, egregia opus eſt animi hoſtibus fortiter reſiſtentis conſtantia. Hoc certè inde habemus: Quando opus eſt laborioſum ex ſe, quia arduum natura ſua & hominum communi imbecillitate non procurata, tum laboris magnitudinem ſpectare ad mercedis incrementum ſicut facit ad maius meritum.

Quod etiam deſumitur ex S. Thoma 1. 2. q. 21. art, 4. ad 3. ad firmante. Quamuis non omnis actus honeſtus ſit meritorius per ordinem ad communitatem politicam: ſecundum ſe totum, & ſecundum omnia ſua: tamen omnem actum bonum habere rationem meriti apud Deum, quantum eſt ex parte actus: quia totum quod homo eſt, & quod poteſt, ac habet, ordinandum eſt ad Deum. Quæ verba ſic ſunt intelligenda, vt bona opera naturalia, ſint meritoria apud Deum auctorem naturæ, ſupernaturalia apud eundem Deum, finem ſupernaturalem, quantum eſt ex parte actus: nimirum, ſi iniuſtitia & peccatum operantis non impediat, vt Caietanus exponit. Atque hanc doctrinam adprobant præcipui D. Thomæ diſcipuli. Ex qua conſequitur. Quando per caritatem imperatur opus magis laborioſum, ex hoc capite augeri meritum ac mercedem.

Iuris æquitas.

Nunc autem Iuris æquitatem ſpectemus in contractu locati & conducti. Ea poſtulat, vt pro operum proportione & augmento, augeatur merces, etiam eſſentialis, quatenus ab honorariis, auctuariisque diſtinguitur. Quæri ſolet. An ſi quis operas ſuas locauerit, ea conditione, vt inſeruiat certæ alicui familiæ, vt puta Canonicorum Collegio, vel religioſorum monaſterio, debeat augeri merces, ſi numerus perſonarum in illa familia creuerit: tunc enim operoſius erit, quam ante ſatisfacere.

Abbas. cap. Quanto. de cenſ.

Reſpondet Abbas in *cap. Quanto. De cenſibus*. Si locauerit operas. v.c. ad coquendum

dum panem, ad lauanda veſtimenta, ad radendum, vel curandos infirmos certo conuentui, qui definitum habet perſonarum numerum, nimirum triginta, quadraginta, centum, aucto numero, augendam eſſe mercedem ex iuſtitia, quia creſcit operis difficultas.

Quod etiam verum eſſe, & rationi conſentaneum, quamuis locans, operam addixerit familiæ, quę certum perſonarum numerum non habet docet Ioannes Azorius N. Nam numero aucto, magis grauatur operarius. Imo ſi Titius cum Caio conductore pactus fuiſſet, vt certa mercede in perpetuum molat triticum gratia familiæ, & hæredum Tirii, & curſu temporis heredes multiplicati notabiliter fuerint, cenſent graues iuriſperiti, augendam eſſe mercedem ex iuſtitia. Ac quod æquitati eſt congruum, vt ſeruetur laboris & mercedis proportio, quæ conſtituta haud dubiè fuiſſet, ſi conductori & locatori iſtiuſmodi caſus in mentem veniſſet.

Ioan. Azor. tom. 3. lib. 8. cap. 14. q. 2.

Deinde, in republica ſi merces, vel præmium dandum eſt titulo laborum, diuerſis, qui pro communi bono operas obtulerunt: Iuſtitia diſtributiua commutatiuæ coniuncta exigit, vt qui eſt exceſſus in labore & opere, idem ſit in mercede ſingulis adnumeranda.

Merces ex iuſtitia diſtributiua.

Hoc argumento fere vtuntur, qui probant in foro cœleſti, Conciliis Euangelicis plus mercedis deberi ac donari, quam mandata Dei obſeruantibus. Nam in bene inſtitutis Rebuspublicis, præter præmia & pœnas conſtitutas ſeruantibus, aut transgredientibus leges, ſunt etiam præmia quædam decreta heroicis operibus. Hinc apud Romanos præter ſtipendia, debita militibus, non violantibus militiæ diſciplinam, erant coronæ ciuicæ, ouationes, ſupplicationes, triumphi. Quia plus laborantibus, plus debetur præmii & mercedis. Plus autem laborat, qui opus magis arduum, ideoque non imperatum aggreditur, & perficit.

Rob. Bellar. lib. 2. de Mona. cap. 12.

Firmantur hæc ipſis iis rationibus, è quibus nonnulli contrarium nituntur elicere. Inducunt inprimis viduam euangelicam: de qua Lucæ 21. & Marc. 12. quæ dicitur plus miſiſſe in gazophylacium, quam reliqui omnes: nimirum quia maiori caritatis adfectu duos obolos dedit. Ex intenſione ergo ſola caritatis ſumenda eſt caritatis & gloriæ augmentum.

Vidua euangelica. Luc. 21. 3. Marc. 12. 43.

Sed hoc exemplum oſtendit ex operis præſtantia oriri meriti ac mercedis magnitudinem. Cauſſam enim adſignat Dominus cur plus ceteris miſerit, quia ceteri ex rebus, quibus abundabant aliquid, illa ex penuria ſua miſit totum victum. Quo indicatur opus viduæ fuiſſe magis Deo gratum ob adfectum præſtantiorem, in ordine ad obiectum, quod erat tota viduæ ſubſtantia. Itaque ex difficultate ac præſtantia operis imperati in affectu imperante erat maior bonitas & ratio meriti.

Vtrumque expreſſerunt Gregorius & Beda ad illam narrationem: Quia Deus adfectum & conſcientiam intuetur: nec perpendit quantum, ſed ex quanto: id eſt, ex quanta diuitiarum copia. Porro viduæ & pauperi, vt recte monet Maldonatus plus duo minuta erant, quam diuiti permulta: & maioris erat caritatis, non quidem intenſione, ſed præſtantia in ordine ad obiectum, viduam, duo illa, quibus vitam ſuſtentatura erat dare minuta, quam diuitem grandem pecuniam in Dei theſaurum inferre. Dabat enim illa *ex penuria ſua* (vt eſt apud Marcum) id eſt, ex eo quo vix ſpiritum trahebat: & dabat *totum victum*, quod erat obiectum præſtantiſſimum, & opus maximè arduum.

Y Neque

Meritum ex interno opere penſatur.

Neque his aduerſatur commune Patrum pronunciatum: Meritum ex interno adfectu penſari, non ex opere externo. Gregorius Homil. 5. in Euangelium. Externa noſtra, quantumlibet parua Deo ſufficiunt: Cor namque *& non ſubſtantiam penſat*: hoc eſt, interiorem adfectum, non magnitudinem doni, quod offertur. Eodem modo loquitur Beda in cap. 21. Lucæ. Et multo clarius. P. Vincentius Sermone 4. in Septuageſima, vbi: *Communis*, inquit, *ſententia Sanctorum Doctorum eſt, quod meritum gratia in hoc mundo, & gloria in alio magis eſt ex feruore Spiritus, quam ex multiplicatione operum bonorum. Quanto enim plus, aut minus habet de caritate, tanto apud* Deum *eſt maior aut minor.*

Veriſſima hæc ſunt: nam incrementum meriti reſpondet magnitudini adfectus & caritatis, ex quo malè infetas, mercedem maiorem reſpondere tantummodo intenſioni maiori: nam præter hanc, eſt alia intrinſeca in actu deſumpta ex præſtantia obiecti.

Habet autem aliquid peculiare B. Vincentius, quod minime duxi negligendum. Addit enim, maius eſſe meritum in illo, qui quaſi ignitus magno feruore opera minora efficit. Nimirum, quum perfectio adfectus creſcat tum intenſionis gradibus, tum per ordinem ad obiectum præſtantius, contingere poteſt, vt ratione intenſionis plurimum excedentis, maius ſit meritum in voluntate intenſiſſima faciendi opus minus præſtans, quam in voluntate remiſſa operis præſtantioris. Ad quod tamen eximius quidam exceſſus eſt neceſſarius, quando in operibus imperatis magna eſt inæqualitas. Quod indicauit vir ſanctus, illa formula, *Ignitus magno feruore.*

Ex qua tamen & illud colligas, exiſtimaſſe eunde m, creſcere meritum, & mercedem ex præſtantia ac difficultate operis imperati: alioquin dixiſſet, quemlibet leuem exceſſum eſſe ſatis ad maius meritum, quamuis opera ſint longe minora.

Huius etiam doctrinæ conſectaneum eſt, poſſe fieri, vt quiſpiam caritate minus intenſa patiatur martyrium, & tamen plus mercedis mereatur, quam alius qui maiori, aut æquali intenſione dat eleemoſynam exiguam. Quamuis non ſit neceſſarium tunc dicere in martyre magis creſcere meritum ex actu fortitudinis imperato, quam remiſſo caritatis impetantis. Quoniam totum meritum remiſſæ caritati reſpondet, quia in illa eſt obiectiua perfectio, quatenus eſt imperium operis illius nobiliſſimi, quod eſt, martyrium. Id eam ob cauſam adiungere placuit, ne quis ſuſpicetur ex doctrina propoſita, effici, meritum principale & mercedem eſſentialem vitæ æterna principaliter reſpondere aliis virtutibus, non autem caritate: hoc enim non aſſerimus.

Obiectio S. Thom. 2.2. q. 184. ar. 1. ad 2. 1. 2. q. 114. art. 4.

Illud tamen vrgenr pattus aduerſæ patroni. Quod merces eſſentialis, quæ eſt beatitudo æterna debeat commenſurari eſſentiali perfectioni vitæ Chriſtianæ; accidentalis merces, perfectioni accidentali, vt S. Thomas. Eſſentialis autem perfectio poſita eſt in ſola caritate.

Sed ne hic fallamur, vtendum eſt diſtinctione Theologica; caritatis actualis & habitualis. Magnitudo enim mercedis eſſentialis reſpondet perfectioni caritatis non actualis, ſed habitualis in qua iuſtus moritur. Ea vero augmentum ſumit non ſolum ex intenſione, verum etiam ex perfectione obiectiua circa obiectum arduum.

An Confeſſores minoris ſint meriti

At ſi hoc ita eſt, & illa caritas eſt maxima quæ martyrium imperat. Martyres igitur maiorem habuere caritatem, quam omnes confeſſores, imo quam virgo Dei-

Digitized by Google

Deipara. Conſequutionis illius vim facile declinabit, qui dixerit, multos è conſeſſoribus habuiſſe efficacem voluntatem patiendi Martyrium: atque ita iis non defuiſſe eius meritum. Deinde, cum meritum augeatur multiplicatione operum, ac intenſione circa idem opus, aut diuerſa, hoc etiam pacto, multos è Confeſſoribus meritis ſuperare poſſe martyres. *quam Martyres.*

Tandem, nec illud ignorandum eſt: Quando aſſeritur meritum, ac mercedem augeri ex præſtantia operis à caritate imperati, bifariam id poſſe intelligi. Primo diuiſim: vt vna pars mercedis reſpondeat actui caritatis, altera, actui virtutis alterius tanquam cauſæ totali partis illius augmenti. *Secundo* copulatiue. Nempe vt ex actu caritatis imperantis opus aliquod arduum, & ex operis imperati excellentia conferatur maius præmium vel merces, quaſi ex vna cauſa adæquata ad quam totum augmentum referatur.

Prius illud non admittimus. Nam ex actu imperante, & imperato vnus actus conſtituitur in genere moris, vt docetur in Theologicis. Itaque merces quæ datur operi bono imperato, debetur etiam imperanti. Nec diuidi debet, vt certa aliqua pars reſpondeat operi imperato, alia imperanti. Ac proinde, meritum, & merces, tum gratiæ tum gloriæ non creſcit diuiſim ex operis imperati præſtantia immediate ſicut ex cauſa immediate ſufficiente. Quod ſatis eſt, ne meritum & merces dicatur principalius reſpondere aliarum virtutum actibus, quam caritati. Quocirca, quando actus virtutum ſupernaturalium ac infuſarum imperantur ab affectu caritatis, non aufertur ab iis intrinſecus valor, ſed coniungitur cum valore adfectus caritatis imperantis; in quo adfectu, quemadmodum in ſua origine & cauſa actus imperatus continetur. Atque ita fit vt totum augmentum meriti & mercedis debeatur vtrique actui ſicut vni parti cauſæ totius meritoriæ, cui completa merces reſpondet.

Maior itaque merces eſſentialis beatitudinis datur copulatim operario fideli ac ſtrenuo, propter opus dignius & magis laborioſum, quod ex caritatis adfectu deriuatur, ſi reliqua ſunt paria, vt hactenus eſt demonſtratum. Contra quod friuolum eſt, quod de denarii à conductore Euangelico mercenariis ſuis dati vnitate obiicitur.

Quid ſibi ergo vult, inquiunt ille DENARIVS, qui opere vineæ terminato æqualiter omnibus redditur, ſiue iis, qui à prima hora, ſiue iis, qui vna hora operati ſunt? *Denarius vnus.* Reſpondeat Auguſtinus. Quid vtique niſi aliquid ſignificat, quod omnes communiter habebunt, ſicuti eſt ipſa vita æterna, ipſum regnum cœlorum vbi erunt omnes, quos DEVS prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, glorificauit? Hic eſt ille DENARIVS, MERCES omnium. Stella autem ab ſtella differt in gloria: ſic & reſurrectio mortuorum. Hæc ſunt merita diuerſa ſanctorum. Si enim cælum ſignificaretur illo Denario, nonne in cœlo eſſe omnibus eſt commune ſideribus. Et tamen alia eſt gloria Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum. *Rom. 8.30. 1.Cor.15.35. 41.*

Si Denarius iſte pro ſanitate corporis poneretur: nonne cum recte valemus omnibus membris communis eſt ſanitas, & ipſa ſi vſque ad mortem permaneat, pariter & æqualiter omnibus ineſt. Et tamen poſuit Deus membra, ſingulum quodque eorum prout voluit, vt nec totum ſit oculus, nec totum auditus, nec totum adoratus: & quicquid eſt aliud habet ſuam proprietatem, quamuis æqualiter habeat cum omnibus ſanitatem. Ita, quia ipſa vita æterna pariter erit omnibus ſanctis, æqualis denarius omnibus attributus eſt. Quia verò, in ipſa vita æterna di-

ſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ ſunt manſiones apud patrem. Ac per hoc, in denario quidem non impari, non viuet alius alio prolixius: in multis autem manſionibus honoratur alius alio clarius.

Pergite itaque diligenter mercenarii. Ad laborandam & colendam vineam Domini Sabaoth conducti eſtis, gnauiter rem gerito. Si terra bidente aperienda, ſi in ſcrobos ſurculi immittendi, ſi viui radices depungendæ, ſi raſtro inutiles & adulterinæ herbæ extirpandæ, ſi corbe dorſuaria fimus transportandus, ſi vites in quincuncem locandæ, ſi ſuis cum paxillis maritandæ, ſi falce putoria circumcidendæ, ſtramine ac iunco iugandæ, & luxuriantes viciendæ, ſi lapides è ſolo legendi, ſi ſepes, & maceria circumducenda, nulli parcite labori. Confortamini & non diſſoluantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro. VNVSQVISQVE PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECVNDVM SVVM LABOREM.

Lib. 2. Par. 15.
1. Cor. 3. 18.

Miſcellanea.

Dominica Septuageſimæ.

COMMENTATIO XVI.

Ex conditionibus contractus locati & conducti deducitur, cumulatam mercedem deberi conſtanter laborantibus, nullam, ante tempus condictum, opus deſerentibus.

Bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo, metemus, non deficientes. Ad Galatas 6. 9.

PRIMA DISQVISITIO AN ex æquitate contractus locationis recte diducat THEOLOGVS Iuris diuini peritus, plus mercedis mercenario Euangelico, ſi operationem bonam, quam ex caritate eſt orditus, continuet eodem conatu & intenſione, quamuis non feruentius operatus fuerit poſtea.

NEGAT id Dominicus Bannez 2. 2. diſputans de augmento caritatis. nam Dub. 3. concl. 2. aſſerit. Si contingat virtutis ſtudioſum continuare actum dilectionis cum eadem intenſione, cum qua cœpit, non mereri maius augmentum gratiæ, caritatis, & gloriæ, quam ſi in vnico inſtanti haberet eundem actum.

Contrarium euincimus omni genere argumentorum in Theologicis, vbi docemus, iuſtos per continuationem operum caritatis vere mereri augmentum caritatis, gratiæ, ac gloriæ; quemadmodum per multiplicationem operum omnino ſimilium in intenſione.

Diutius & breuius laborantibus idem datur denarius.

At operariis Euangelicis, quos conduxerat paterfamilias datur vnus Denarius, idque ex vi contractus, etiamſi alii magis, alii minus operationem ſuam continuaſſent. Verum id quidem eſt, ſed male inde colligas, propter temporis inæqualitatem, ſi reliqua ſunt paria, non eſſe inæqualia præmia: vel, ſi quis diutius laboret, idcirco eius non augeri mercedem. Nec enim hanc collectionem in ea inæqualitate latere animaduerterunt diligentiſſimi parabolæ illius ſcrutatores & interpretes: ſed potius educunt contrarium.

Qui breuius laborarunt, feruentius id præſtiterunt.

Quidam enim è Patribus adfirmant in ea parabola ſignificari eſſe, qui vna hora tantum mereantur mercedis, quantum alii pluribus, quia qui breuiori tempore operam impendunt, id faciunt maiori virium contentione, conatu, feruoreque. Ita

differit

diſſerit Gregor. Nazianzenus oratio 40. Quem explicat Nicetas eius ſcholiaſtes, & ſequitur Barradius ac Salmeron, atque alii. Hi autem neceſſario admittunt, creſcere mercedem ob temporis diuturnitatem: nam docent, breuiori tempore, neceſſariam eſſe maiorem diligentiam, feruorem, ac impetum, vt ita intenſione & alacritate voluntatis temporis longitudo compenſetur.

Alii autem, non reſpondent, propter temporis inæqualitatem, quæ in illa parabola tam ſignate ponitur, haud augeri mercedem: quod ſane dixiſſent, ſi cuiquam illud tanquam probabile in mentem veniſſet: eo enim modo difficilis parabola facilem haberet explicatum. Sed reſpondent eodem denario ſignificari eandem beatitudinis æternitatem, non autem æqualem beatitudinem. vt S. Auguſtinus lib. de S. Virginitate cap. 26. Hieronymus lib. 2. contra Iouinian. Ambroſius lib. 7. in Lucam cap. 15. Fuitque itaque perſuaſio horum aliorumque Eccleſiæ Doctorum propter inæqualitatem temporis præmium eſſentiale beatitudinis augeri aut minui, niſi interueniat quidpiam, quod in exiguo tempore alterius longitudinem compenſet.

Itaque ſi reliqua ſint paria, qui continuauerit eundem laborem diutius, plus accipiet mercedis tempore retributionis. Quod profecto æquitas obligationis, quæ ex conducto & locato oritur, requirit. Quotieſcunque enim probatur, aliquem inſeruiuiſſe domino diutius, aut laboraſſe pluribus diebus, vel militaſſe longiori tempore, plus etiam ſtipendiorum & mercedis illi addicitur: dictat enim id naturalis ratio & lex iuſtitiæ.

SECVNDA DISQVISITIO. An ex contractu locationis bene probet morum informator, ſine perſeuerantia priuandum mercede ſua operarium. Ita philoſophari videtur bonus moralium Magiſter Bernardus, Epiſtola 129. quæ eſt ad Ianuenſes. *Prorſus abſque* perſeuerantia, inquir, *nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeuerantiam,* NEC OBSEQVIVM MERCEDEM HABES, *nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique* non qui cœperit, ſed, qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Sine perſeuerantia.* *Matt. 10. 22.*

At, quomodo? dicis, prima ætatis meæ hora conductus à patrefamilias, ſecutus ſum præeuntem, intraui religionem, vineam à Deo electam, plantaui vites bonorum deſideriorum, putaui palmites luxuriantium adfectuum, collegi botros piorum operum, expreſſi ſuccum torculari mortificationis, portaui pondus diei & æſtus: Sed fatigatus paullo ante deſii quam duodecima audita eſſet hora: an idcirco præcedentium horarum omnium mercede ero priuandus? Conueni cum hero, vt in domeſticis illi eſſem ad manum, nihil detrectaui, mane primus ſtratum deſerui, veſperi vltimus ad quietem me contuli, horis omnibus præſto adſtiti, laboraui ſtrenue, promptus ad vitia, expeditus ad grauia, velox ad imperia: ſed anno nondum elapſo, vt de alio domino circumſpicerem, diſceſſi, an propterea tot menſium labores erunt irriti? obſequium ſine mercede?

Ita Bernardus pronunciat, non ſuo magis, quam CHRISTI ſenſu: nam illius ſententiam recitat. Potuiſſet & exemplum adducere Mercenarii ad aratrum conducti, cui nihil ſe ſe daturum ex contractu edicit cœleſtis conductor, niſi ſtiuam conſtanter ad finem vſque tractauerit. *Reſpi ciens retro.*

Arator Euangelicus.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei Lucæ. 9.62. Manum cuilibet in aratrum mittere eſt, quaſi quodam compunctionis inſtrumento, ligno & ferro Dominicæ paſſionis, duritiem ſui cordis atterere, atque ad proferendos bonorum operum fructus aperire. Quam ſi quis excolere incipiens Loth ad ea, quæ reliquerat, vitia reſpicere delectatur, ante tempus à conductore præfixum ex agro herili ſe ſubducens futuri iam regni mercede de qua pepigerat, priuatur: vt exponit S. Gregorius, & venerabilis Beda.

S. Greg. Hom. 3. in Ezech. Beda. Loth. 9.

Et bene proponitur exemplum vxoris Loth, cui vnica perſeuerantia defuit: ſi conſtanter perrexiſſet, cum aliis mercedem libertatis fuiſſet conſequuta. Hanc eandem omnibus ad famulatum ſuum adſcitis producit ſpectandam Dominus: *Qui fuerit in lecto, & vaſa eius in domo, ne deſcendat tollere illa: & qui in agro, ſimiliter non redeat retro. Memores eſtote vxoris Loth.* id eſt, conſtanter in meo manete obſequio: ſi ante tempus abitum paraueritis, mercede carebitis. Sit vobis vxor Loth ſtatua ſalis, pharmacum ſapientiæ, quo ſapiatis, portentum quod vos doceat, ſymbolum, quo erudiamini. Magni enim illius viri.

Luca 17. 31.

Sedulius.

—— dum reſpicit vxor
In ſtatuam mutata ſalis, ſtupefacta remanſit
Ad pœnam conuerſa ſuam. Quia nemo retrorſum
Noxia contempti vitans contagia mundi,
Reſpiciens ſaluandus erit, nec debet ARATOR
Dignum opus exercens, vultum in ſua terga referre.

Claudius Victor lib. 3. Gen.

Pactum illam non ſeruaſſe canit alius Poëta, ſicut non ſeruat, qui locationis tempus interrumpit, & recto itinere non graditur.

Talia quin etiam Loth, heu! miſerabilis vxor
(Seu tanto ſtupefacta metu, ſeu ſtulta cupido
Illa fuit, vetitum contra conſurgere PACTVM.
Fœmineis innata animis: quæ denique cumque
Cauſa fuit) Sodomam inſpectans ſe pone ruentem.
Confeſtim pœnas violata lege ſubiuit.
In ſtatuam conuerſa ſalis ſpoliata que luce
Sic animam infelix cum corpore perdidit omni
Vt nullum extaret forma remanente cadauer.

Ne fugax eſſet imago, quam ſæpe operarii inſpicerent, voluit illam Devs diutiſſime ſupereſſe. Teſtes Brochardus, Bredenbachius, & ante hos, Tertullianus, qui ſic de eadem.

Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſeruans
Durat adhuc. etenim nuda ſtatione ſub æthra
Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis
Quin etiam ſi quis mutilauerit aduena formam
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.

Vxor Loth, imago hominis inconſtantis.

Eſſe autem ſimulacrum hominis in Deo obſequio inconſtantis, & ante finem locationis à religioſa vita, vel virtute, ſeu obſequiis cœleſtis patrisfamilias deficientis Patres magno conſenſu & ex iis ſpiritualis vitæ Magiſtri adfirmant.

Auguſtinus lib. 16. de ciuitat. cap. 30. Proſp. par. 1.

Auguſtinus clariſſime. *Quo pertinet, quod prohibiti ſunt, qui liberabantur ab Angelis* retro reſpicere, *niſi quia non eſt animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur ſi vltimum iudicium euadere cogitamus.* Si non redeundum eſt animo tantum,

tantum, multo minus animo & corpore. *Vxor Loth vbi reſpexit, remanſit, & in ſalem* *de promiſſ. cap. 16.*
conuerſa hominibus fidelibus quoddam præſtitit condimentum, quo ſapiant aliquid, vnde illud *Rupert. Gen. 19.*
caueatur exemplum.

Et alibi contra Fauſtum Manichæum, poſtquam dixiſſet Lothum ab omni So- *Auguſt contra Fauſtum. lib. 22. c. 41.*
domitarum contaminatione purum, ac integrum typum geſtaſſe corporis Chriſti,
quod in omnibus ſanctis, & nunc inter iniquos atque impios gemit, quorum fa-
ctis non conſentit, & à quorum commixtione in ſeculi fine liberabitur, illis da-
mnatis ſupplicio ignis æterni; ſubiungit in eius vxore aliud genus hominum fuiſ-
ſe figuratum, eorum ſcilicet, qui per gratiam Dei vocati retro reſpiciunt: non ſicut
Paulus, qui ea, quæ retro ſunt, obliuiſcitur, & in ea quæ ante ſunt extenditur. Vnde *Philip. 3. 13.*
& ipſe Dominus, nemo, inquit imponens manum ſuper aratrum & reſpiciens re- *Luca 9.*
tro, aptus eſt regno cœlorum. Nec illud exemplum tacuit, quo nos tanquam ſale *Matth. 5.*
condiret, vt non fatui negligeremus, ſed prudentes caueremus hoc malum. Vnde
& illa, vt hoc admoneret, in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. Nam cum præciperet, vt ſe *Gen. 19.*
quiſque perſeuerantiſſima anteriorum intentione, ab iis, quæ retro ſunt eriperet,
mementote, inquit, vxoris Loth.

Sed nullibi accuratius & fuſius de ea re egit S. Pater, quam in Pſalmum 75. ex- *In quolibet ſtatu neceſſaria perſeuerantia.*
plicans illa, *Vouete & reddite.* Vbi docet, in quolibet ſtatu neceſſariam eſſe in bono
perſeuerantiam, ſi quis mercede multis laboribus ambita, tandem non velit orbari.
O vtinam religionum apoſtatæ legant, & perpendant. Auguſtinus ita diſſerit. *Aug. in Pſal. 75.*

Eſt quidam modus communis omnibus bene viuendi. Furtum non facere,
non caſtimoniali præcipitur, & nuptæ non præcipitur. Sed vt adulterium non fa- *Votorum duo genera.*
cere, omnibus præcipitur. Non amare vinolentiam qua ingurgitatur anima, &
corrumpitur in ſe templum Dei, omnibus æqualiter præcipitur. Non hominem
occidere, non odiſſe fratrem, non aduerſus aliquem tenere perniciem, omni-
bus in communi præcipitur. Hoc totum omnes vouere debemus. Sunt etiam vo-
ta propria ſingulorum, alius vouet Deo caſtitatem coniugalem, vt præter
vxorem ſuam non nouerit aliam: ſic & fœmina vt præter virum ſuum non no-
uerit alium. Alii etiam vouent, & ſi experti tale coniugium, vltra nihil tale pati,
nihil tale concupiſcere aut ſuſtinere: & ipſi vouerunt aliquid maius quam illi.
Alii virginitatem ipſam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, qua-
le illi experti ſunt, & reliquerunt, & iſti vouerunt plurimum. Alii vouerunt do-
mum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis aduenientibus, magnum votum vo-
uent. Alius vouet omnia ſua relinquere diſtribuendo pauperibus, & ire in com-
munem vitam, in ſocietatem Sanctorum, magnum votum vouit. Vouete & red-
dite Domino Deo veſtro.

Quiſque quod vouere voluerit, voueat: illud attendat vt, quod vouerit, red-
dat vnuſquiſque Deo quod vouet; Si reſpicit retrorſum, malum eſt. Neſcio
quæ caſtimonialis nubere voluit, Quid voluit? quod & virgo quælibet. Quid
voluit? Quod & mater ipſius. Aliquid mali voluit? Malè plane. Quare?
Quia iam vouerat DOMINO DEO ſuo. Quid enim de talibus dicit Apo-
ſtolus Paulus, cum dicat viduas adoleſcentulas nubere ſi velint? ſed tamen ait
quodam loco, Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum con-
ſilium. Oſtendit beatiorem ſi ſic permanſerit, non tamen damnandam ſi nu-
bere voluerit. Quid autem dicit de quibuſdam quæ vouerunt & non reddiderunt?
Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt

primam

primam fidem irritam fecerunt? vouerunt & non reddiderunt. Nemo ergo poſitus in monaſterio frater dicat, Recedo de monaſterio: neque enim ſoli, qui ſunt in monaſterio, peruenturi ſunt ad regnum cælorum, & illi qui ibi non ſunt, ad Devm non pertinent. Reſpondetur ei: ſed illi non vouerunt, & tu vouiſti, & retro reſpexiſti. De die iudicii cum Dominus minaretur, quid ait? Mementote vxoris Loth. omnibus dixit: Quid enim fecit vxor Loth? Liberata eſt à Sodomis & in via poſita reſpexit retrorſum. Vbi reſpexit? ibi remanſit? Facta eſt autem ſtatua ſalis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non ſint fatui, non retro reſpiciant: ne malum exemplum dantes, ipſi remaneant, & alios condiant.

Nam & modo dicimus illud quibuſdam fratribus noſtris, quos forte videtimus velut infirmari in propoſito bono. Et talis vis eſſe, quales illi; obiicimus illis quoſdam, qui retro reſpexerunt, illi fatui ſunt in ſe. Sed alios condiunt, quando commemorantur: Vt illorum timentes exemplum, ipſi retro ne reſpiciant. Vouete & reddite Deo noſtro, quia illa vxor Loth ad omnes pertinet. Maritata mulier voluit facere adulteriũ, de loco ſuo quo peruenerat, retro reſpexit. Vidua quæ iam ſic permanere voluerat, nubere voluit. Hoc voluit quod licuit ei quæ nupſit: ſed illi non licuit, qui de loco ſuo retro reſpexit. Virgo eſt caſtimonialis iam dicata Deo: habebat & cetera, quæ vere ornant ipſam virginitatem, & ſine quibus virginitas turpis eſt. Quid ſi enim corpore integra ſit & mente corrupta? Quid eſt quod dixi? Quid ſi nullus tetigerit corpus, ſed ſi fortaſſe ebrioſa ſit, ſuperba ſit, litigioſa ſit, linguoſa ſit? Hæc omnia damnat Devs. Si, antequam vouiſſet, nupſiſſet, non damnaretur. Elegit aliquid melius, ſuperauit, quod ei licebat: Superbit & illicita tantum committit. Hoc dico, nubere licet, antequam voueat, ſuperbire nunquam licet. O tu virgo Dei nubere noluiſti, quod licet: extollis te quod non licet.

Melior virgo humilis, quam maritata humilis; ſed melior maritata humilis, quam ſuperba virgo. Quæ autem reſpexit ad nuptias, non quia voluit nubere damnatur; ſed quia iam ante receſſerat, & ſit vxor Loth reſpiciendo retrorſum. Non ſitis pigri, qui poteſtis, quibus aſpirat Devs, apprehendere gradus meliores, quia non iſta ideo loquimur, vt voueatis, ſed vt voueatis & reddatis. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Iam quia iſta tractauimus forte volebas vouere, & modo non vis vouere. Sed quid tibi dixerit Pſalmus attende. Non dixit, nolite vouere, ſed vouete & reddite. Quia audiſti, reddite, non vis vouere? Ergo vouere volebas & non reddere? Imo vtrumque fac. Vnum ſit ex profeſſione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur. Aſpice eum qui te ducit, & non reſpicies retro vnde te ducit, qui te ducit ante te ambulat, vnde te educit poſt te eſt. Ama ducentem & non te damnat retro reſpicientem.

Proſper lib. 1. de Prædictio. cap. 16. Didicerat hæc à Magiſtro ſuo Proſper, qui eodem ſenſu, vxor, inquit, *Loth ſtatua ſalis effecta ſuo exemplo fatuos condixit in propoſito ſancto, quo tendunt proficientes, noxia curioſitate retro non debere reſpicere.*

Phil. lib. 2. Allegoriar. L.L. Libr. de ſomniis. Ad idem probandum Philo quoque ſtatuam hanc inducit lib. 2. Allegoriarum legis, vbi docet, multos qui bene inchoant, ſuntque inter operarios diligentiſſimi, abripi poſtea & tot præcedentium meritorum iacturam facere. Et lib. de ſomniis, Lothi vxorem, ait, poſtquam reſpexit, ſcriptura narrat verſam in ſalis ſtatuam, & merito. Quia ſi quis in anteriora viſu audituque digna non proſpicit, hoc eſt, in virtutes & earum opera, malens à tergo relicta reſpicere, vanam gloriam,

cæcas

cæcas diuitias, inſenſatam corpulentiam, dementem formoſitatem, & id genus alia conſectando, ſtabit in anima ſtatua, tabeſcetque paulatim. Sal enim eſt res parum ſolida.

Et libro de profugis: Quiſquis contempto præceptore per innatam ſimul & conſuetam ſocordiam relinquit anteriora, per quæ poſſet videre, audire aliſq; vti potentius ad res naturales diiudicandas: & circum acta retrorſum ceruice, cæca vitę negocia pluris facit, quā partes ſui corporis, infamis ſtatua fit, nihil à ſurdo inanimatoq; lapide differens. Non habent enim, vt Moſes loquitur, tales mores cor vt intelligant, oculos vt videant, aures vt audiant; ſed cæcam, ſurdam, ſtupidam, omni ſenſu orbatam, minime vitalem vitam ſibi reddiderunt: nihil curantes eorum, quæ curare deberent. huius chori princeps eſt rex regionis corporeæ conuerſus, inquit Pharao intrauit in domum ſuam, ac huic quidem rei mentem adhibuit, ac ſi diceret, nihil vnquam curauit, ſed paſſus eſt ſe tanquam plantam incultam areſcere & ſterileſcere.

Phil. lib. de profug.

Liceat igitur quemlibet è vobis, qui conducti à cœleſti patrefamilias, tam ſtrenue in colenda eius vinea operam poſuiſtis, affari verbis, quibus Lucinium ſuum Hieronymus: *Obſecro te, & moneo parentis adfectu, vt qui Sodomam reliquiſti, ad montana feſtinans, poſt tergum ne reſpicias: ne aratri ſtiuam, nec fimbriam Saluatoris, nec cincinnos eius nocte roris madefactos, quos ſemel tenere feciſti, aliquando dimittas. Ne de tecto virtutum priſtina quæſiturus veſtimenta deſcendas. Ne de agro reuertaris domum. Ne campeſtria cum Loth & amœna hortorum diligas, qua non irrigantur de cœlo, vt terra ſancta; ſed de turbido flumine Iordanis, poſtquam dulces aquas maris mortui commixtione mutauit. Cœpiſſe multorum eſt, ad culmen perueniſſe, paucorum. Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis. Paulus malè incæpit, ſed bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.* Lege Ezechielem, *Iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit.*

Adhortatio S. Hieronymi. *Epiſt. 28.*
Hieron. ad Furi. Epiſt. 10.
Ezec. 33. 12.

Nimirum, qui totum locationis ſuæ tempus laborando non explet, & mercedem tranſactis laboribus reſpondentem, non accipit, & nihil impoſterum à conductore meretur. Hoc contractus iſtius conditio poſtulat, vt in operis ad ruſticum laborem conductis oſtendimus. Sed idem in aliis omnibus obtinet. Si quis operam locet in militia ad pugnandum & alia illius diſciplinæ munia obeunda. Si quis Gymnaſtæ, vt in palæſtra depugnet: ſi quis Laniſtæ, qui in ludo gladiatorio partes ſuas agat. Si quis Agonothetæ, qui certamen cum ceteris ineat. Si quis Brabantæ, qui curſu cum reliquis in ſtadio contendat, excidit ſpe præmii & mercedis, niſi vſque ad finem conſtanter ſe habeat. Si ante tempus conſtitutum ſigna deſerat: ſi relinquat militiæ baltheum: ſi in palæſtram veniat, ſed mox clanculum fugam ineat: ſi dum certamen ardet, pugnare deſinat: ſi antequam metam attingat, fatigetur, fruſtra ſtipendium vel vnius menſis, fruſtra corollam, palmam, mappam, brauium expectat. Nemini propterea fit iniuria, quia ſeruatur conuentionis æquitas.

Merces omnis perit deficienti.

Vtuntur ſæpè hoc argumento Patres, vt mercenarios Euangelicos ad conſtantiam animent. Cyprianus iis reuocat in memoriam, quod militiæ ſe addixerint: itaque ante miſſionem honeſtam, aut belli finem non eſſe recedendum.

Milites ante miſſionem honeſtam non abeunt.

Hortamur, inquit, *vos per communem fidem, per pectoris noſtri veram circa vos, & ſimplicem caritatem, vt gloriam veſtram forti & perſeueranti virtute teneatis. Adhuc in ſeculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, de vita noſtra cotidie dimicamus.* Igitur arma non ſunt deponenda, à ſignis non eſt abeundum. *Miſſio* militem labore ſoluere debet, & ad quietem ducere. Hæc non datur, niſi poſt *confecta ſtipendia*, quæ certum annorum nume-

Cyp. lib. 1. Ep. 5.

Pœna militiam deſerentium.
Lipſ. lib. 5. de Milit. Dial. 18.
Petr. Toloſan. Syntag. lib. 27. cap. 2. de locat. Feſtus. Varro in Fragmen. Auſon. in Centonis praf.

rum reſpiciunt, ante quem peractum ponere militiam non licet. Si quis ante ſe ſubducebat apud Romanos, pœna certa erat, præter amiſſionem ſtipendii, mors, aut ſeruitus. Aes ralibus non dabatur. Vnde ære dirui, aut æs reſignari militi dicebatur, cum ſtipendium negaretur. Si quis Chriſto Imperatori Sacramentum dixit, ipſius militię adſcriptus, etiamſi multis annis in acie fortiter dimicarit, quamuis in pugna primus, & imperterritus conſtiterit, tametſi eminus & cominus hoſtem aſſiduè laceſſiuerit, niſi tamen ad finem vſque huius militiæ, quæ iiſdem cum vita terminis circumſcribitur locum ſuum tetinuerit, non eſt, quod ſe ſtipendii ſpe ſoletur, nihil illi pro præteritis laboribus numerabirur, ære dirutus & infamis.

Mors deſertori.

Mors etiam & ſeruitus talibus irrogabatur. De C. Matuno lego in Liuii epiroma, quod exetcitum in Hiſpania deſeruiſſet damnatũ, ſub furca diu cœſum eſſe virgis & ſeſtertio nummo veniiſſe. Et ſane pro deſertore puniebatur, ſi quis ante tempus conſtitutum receſſiſſet. Quis autem deſertori ſtipendium numeret, aut det mercedem?

Ex locatione Athletica Deſertores nihil mercedis accipiunt.
S. Baſil. Epiſ. ad Chilon.

D. Baſilius legem reſpicit, quam habẽt Athletæ, Curſores, Pugiles, ex locatione. Sic enim ſcribit ad Chilonem anachoreticæ vitæ ſtudioſum. *Id tibi perſpectum velim, frater, & perſuaſum, non eum, qui bene cœpit, continuo debere decerni perfectum ex qualicunque declinatione pii operis: ſed quisquis legitimo curſu ſtadium iſtius ſemel abſoluit vita, hic Dei iudicio comprobatur. Ne igitur dederis ſomnum oculis tuis, neque palpebris tuis dormitationem, frater, vt dorcadis in morem liberêre à reti, vtque volucris è laqueo. Scito te ingredi inter medios, quibus vndique cingeris laqueos.*

S. Aug. ad Frat. in eremo.

Eodem ſpectat S. Auguſtinus, in eremo degentes operarios inſtigans. *O fratres mei, non tadeant incipere magna, nec faſtidiat tenere inchoata, ſcientes, quod perſeuerantia informat meritum, colorat boni propoſitum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum. Hac eſt tunica talaris S. Ioſeph vſque ad finem contingens. Hac eſt tunica ſacerdotalis, vſque ad pedes perueniens. Hac eſt cauda hoſtia, quam tenemur reddere Deo & offerre. Hac eſt calcaneum bona operationis, quod contra ſerpentis morſum debemus obſeruare. Hac eſt virtus, qua Deum ligat. Hac eſt, qua omne bonum informat. Hac eſt perſeuerantia, qua laureantur Martyres, qua ſacordotes ſublimantur, & confeſſores.*

Lex locationis ad opera domeſtica.
Ioa. Azor. tom. 3. lib. 8. cap. 13 q. 6.

His adde legem locationis ad domeſtica miniſteria, Nam ſi famulus ante tempus conſtitutum receſſerit à domino ſine iuſta ac debita cauſſa, totam mercedem amittit. Quod non ſolum aſſerunt Iuriſcouſulti ſed Theologi quoque, mitiores ſæpè, quam rigidi iuris exactores. Ita enim cum aliis reſpondet Ioannes Azorius. rationem adiungit, eo quod debito famulatu dominum fraudat. Quocirca, vt lege principis ſanciri ſolet, vel Reipublicæ mandato, ne quis in famulum admittat eum, qui à priori domino receſſerit. non petita & imperrata gratia: ita conſtituitur iiſdem auctoribus, vt iſtiuſmodi deſertor integram mercedem deperdat. Intereſt enim Reipublicæ, ne famuli priſtinos dominos deſerant, & ne ab aliis heris admittantur, niſi cognita, & probata cauſſa talis deſertionis dominorum. Ergo contra iuſtitiam agis ſi mercedem audes petere non expleto famulatus, militiæ, curſusque tempore: non expletur autem iſtud, quam diu ſpiritus hos regit artus.

S. Ambroſ. Exhort. ad virg.

Donec vita eſt iſta, inquit Ambroſius, exhortans virgines, certamen non deerit, non erit corona. Nullus probatur, niſi qui perſeuerauerit, vſque in finem, poſtea poßit, qui legitimè certauerit, coronari. Quis fortior Saulo? quis beatior? Ille tamen vas electionis Dominica, non ante coronam ſibi vindicauit, quam certamen omne conſummaretur: ideoque ait: Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi

corona

corona iuſtitiæ, quam non ſolum ſibi, ſed etiam omnibus diligentibus aduentum Domini dicat eſſe reddendam. Pulchre dixit, Aduentum Chriſti diligentibus. Nemo enim feſtinat ad iudicium, niſi de innocentia ſecurus, aut, qui de labore præſumit: cui aut gratia Domini, aut pia pro Chriſto certamina ſuffragantur. Itaque diligentes in vinea Domini operarii, *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes.* At deficere ante tempus me cogit laboris grauitas, quæ valetudinem lædit, vt operam, quam ſolebam, non poſſim impendere. Non te terreat, dilecte, ſponte non fraude procurata per fraudem infirmitas. In tui gratiam, ſit

2. Tim. 4. 7.

Ad Galatas 6. 9.

TERTIA DISQVISITIO. An conductor poſſit mercedem ſubducere, ſi famulus, qui ei locauit operas in morbum incidens laborare amplius non poſſit. Scio diuiſos eſſe ſententiis Iuriſconſultos. Nam Ioan. Andr. Anton. Butr. Imola & Panormitanus in cap. 1. de clerico ægrotante, volunt, conductorem mercedem locatori non debere, ex L. *ſi vno.* Item eum quidam. ff. locati & gloſſa in L. *In rebus. ff. commodati.* & in L. vlt. §. Idem iuris. ff. Ad L. *Rhodiam de iactu.* Hoc ſequuntur Moralis Theologiæ Magiſtri tanquam communem ſententiam, Sylueſter in Summa V. Familia Num. 4. & Angelus eod. V. At vero Innocentius in cap. *Propter ſterilitatem* de locato. & Peminianus L. 1. de Clericis non reſidentibus in 6. & Salicetus in L. *licet.* C. de *locato* adfirmant, tempore infirmitatis famulo mercedem deberi.

De mercenario incidente in morbum.

Azorius has ſtatuit regulas. *Primo:* ſi inter famulum & dominum aliquid de mercede actum fuerit, id eſſe ſeruandum. *Secundo:* ſi conſuetudo gentis prouinciæ, vel populi ſit, vt famulo ægrotanti merces non ſubtrahatur, ſtandum eſſe conſuetudini. *Tertio:* ſi nil actum fuerit, nec appateat conſuetudo, dominum famulo in morbum lapſo non mercedem ſed alimenta & impenſas neceſſarias debere.

Famulo infirmo quid dandum.

Azor. tom. 3. lib. 8. cap. 14. q. 3.

Non video tamen, cur famulus, qui non in diem conuenit cum hero, ſed in annum pro certo ſtipendio, eo priuari debeat, ſi aliquo anni tempore infirmitate detentus laborare non potuerit. Nec videtur id in vſu apud patresfamilias non ſordidiſſimos clericos etiam videmus, ſi ob aduerſam valetudinem domi detineantur, frui ſacerdotiorum fructibus, imò nec priuari cotidianis diſtributionibus, quæ tamen in præſentes tantum conferri conſueuerunt.

Sed, vt vt ſe res habeat apud mortales, commodis ſuis plus æquo inhiantes, & alieni laboris iniquos æſtimatores; DEVS profecto, vt iuſtiſſimus, ita liberaliſſimus conductor, nemini operariorum ſuorum mercedem ſubtrahit, quod ob corporis infirmitatem non poſſit operam impendere. Imò, quod mirificè conſolari poteſt, valetudine corporis minus propitia fruentem, in morbo auget mercedem. Conſtans eſt enim illa Theologorum doctrina, morborum, vt aduerſitatum reliquarum à Deo immiſſarum hunc eſſe fructum vt ſi patienter tolerentur gratiorem Deo reddant eius famulum, ac proinde gratiam & gloriam augeant, quæ eſt illa ipſa merces, quam appetimus.

Deus ob morbum neminem priuat ſalario.

Suauiſſime Auguſtinus & ad ſolamen mercenarii malè habentis. *Tuſſi laboras, pulmone deficis, cibum ſtomachus reſpuit, phtiſi decoqueris, vinum faſtidis, dyſenteria ſauciaris, multimodo morborum genere afficeris? Hæc, ſi oculum habes, ſi cordatus es, Dei dona ſunt. Diſciplinam patris ne abiicias, fili. Vis ſcire, quia infirmitas corporis ſalutem animæ*

S. Aug. lib. de viſit. infirmor.

Prou. 3. 11.

2. Cor. 12.

parturis? Audi Dominum Apoſtolo reſpondentem: virtus in infirmitate perficitur. Ac ſi dicat: Complectere, quam pateris, infirmitatem, quoniam ita proficies de virtute in virtutem.

Ergo conducit infirmitas corporis ad maiorem mercedem, tantum abeſt, vt idcirco, priuandus ſit ſtipendio Dei famulus. Purgat ſuos paterfamilias cœleſtis, & experimentum ſumit virtutum variarum, in morborum moleſtiis, vt ſic occaſionem habeat, fidis ſibi operariis melius faciendi. Aeger erat Bellicius, Ambroſio carus, metuebat ne ſibi obeſſet inualetudo, torquebatur idcirco ſolicitus. Scribit illi Ambroſius conſolationem, qua docet, quod hic profitemur. Iactatum te graui ægritudine ſignificaſti mihi. Credidiſti in Dominum IESVM etiam cœpiſti reualeſcere. Ad ſalutem igitur ea infirmitas fuit, plus aculei, quam periculi ferens, quia diu promiſſum remordebas. Hoc eſt, quod ait, percutiam & ſanabo. Percuſſit infirmitate, & ſanauit fide.

S. Ambroſ. lib. 2. Epiſt. 9.

Deut. 32. 39.

Cyprianus Ser. 3.

Præclare Cyprianus ad patientiam exhortans, quæ eſt magnum opus ſpiritualis mercenarii. *Examinandis nobis, atque explorandis diuerſi importantur labores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de iactura facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatu vulnerum, de amiſſione carorum. Nec aliud magis iniuſtu diſcernit, & iuſtos, quam quod in aduerſis per impatientiam queritur, & blaſphemat iniuſtus:* atque ita mercedem ſuam iuſte perdit, & ne quidem alimoniam meretur. *Patientia iuſtus probatur, ſicut ſcriptum eſt,* In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum atque argentum. Sed nolo iam in locos communes excurrere, & de ægritudinis corporeæ bono agimus ex inſtituto in MEDICO CHRISTIANO.

Eccl. 2. 20.

Noluerunt aliqui à morbis liberari.

Hoc tamen huius eſt loci. Cùm non neſcirent induſtrii mercenarii conductoris DEI, quantam ad mercedem pactam acceſſionem faceret, morborum calamitas, optaſſe illam ſibi, aut non curaſſe depellere, quamuis potuiſſent facillime.

S. Petronilla.

De Petronilla S. Petri Apoſtoli, filia, vt vulgus exiſtimat ſecundum carnem; vt ſapientiores ſecundum ſpiritum, quia ab illo ad fidem & cultum Chriſti adducta, habetur ex hiſtoriis Eccleſiaſticis, cum febri conflictaretur, noluiſſe Petrum illam ſanitati reſtituere. Nimirum, ſciebat quam illi ægritudo prodeſſet ad meritum.

Ex S. Marcello de eius vita.

Hoc fine Petronillam calamitati fuiſſe expoſitam oſtendit euentus. Mirantibus enim nonnullis, cur Petrus, cuius vmbra curabat extraneos, deſereret filiam, Petronillam iuſſit ille in pedes erigere ſe ſe, & diſcumbentibus miniſtrare, quod fecit ſumma alacritate, ſed peracto miniſterio voluit illam ad lectum redire, in quem denuo febris malignitate concidit.

Beniamin Eremita.

Tripart. lib. 8. cap. 1.

Eandem ob cauſam Beniamin Eremita, quamuis oratione ſola multos à grauiſſimis morbis liberaret noluit à ſe intercutis graue malum propellere: rogabatque eos qui ſui miſerabantur, vt non tam corporis, quam animæ curam gererent, veniamque à Domino exorarent peccatorum, quæ ſanus commiſſet.

Romitus VV. PP. Par. 11. c. 148. Ruffin. lib. 3. Num. 158.

Eiuſdem profeſſionis, ac mentis fuit Romitus, eremi cultor de quo in VV. PP. Hic quum quotannis graui morbo tentaretur à Deo, doluit, quod vno anno liber fuiſſet, ſuſpicatus, ſignum hoc ſibi minus propitii Numinis eſſe: dicebatque: Dereliquit me DEVS, & non viſitauit me.

Paſch. ca. 20. Num. 2. Roſvveyd in IV. PP. lib. 5.

Eſt

Eſt & illud memorabile in vita S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi. Quidam valetudinis recuperandæ cauſa ad ſepulchrum Diui ſe contulerat: orauit, voti compos, ſanus domum reuertit. Poſtea in dubitationem incidit, nam ſanitas reſtituta, æque, ac infirmitas, ad meritorum cumulum prodeſſet. Itaque redit ad Martyris tumulum: ſupplicat ſoſpitatori ſuo, vt ſi ſanitas non conduceret ad hunc finem, in morbum priſtinum recideret. Quod factum, certo poſterorum documento, DEI operarium, nihil ex mercedis portione infirmitatis tempore deperdere. Maxime ſi tum non minus Domini ſui vineam, id eſt, animam propriam piis commentationibus, orationibus ad DEVM fuſis, & patientiæ exercitatione excolat.

Pelag. libell. 7. Num. 41.

Quod feciſſe multos accepimus. De ſeruulo paralytico mira narrat Gregorius Papa in Dialogis omnibus nota. De. B Poſthumio vitæ SS. PP. *Si quando infirmitas febrium, aut ſtomachi dolores graui tormento eum afficerent, non dedit indulgentiam morbo infirmitatis, nec calidis vſus eſt rebus, nec ieiunia minorauit, æſtimans, quod ſi corpori calido cibo conſuleretur, à Domino redemptio animæ non daretur. Nam ſi aliquando valetudo grauis debilia genua fatigaret: ita vt ad vigilias Poſthumius exſurgere nõ valeret, orando & pſallendo in ſtrato ſuo, non deſinebat. Si lingua præ ſiti ſiccaretur, cordis intima rugiebant, ne ſilentis eius hoſtis animæ Diabolus lætaretur, aut in opere DEI vir ſanctus negligens inueniretur.* Ita morbis Poſthumius non cedebat.

In morbis pii & patientes. Seruulus. S. Greg. Dial. lib. VV. PP. lib. 1. Roſvveid. p. 235. B. Poſthumius non cedit morbis.

Nec morbi vlli in ſtudio virtutum retardabant Polychronium, vt ſcribit Theodoretus Cyri epiſcopus, addens: cum à variis morbis obſideretur, eoſdem labores ſuſtinebat. Et tam diligens mercenarius mercedis parte aliqua priuaretur? Imo merces illi augebitur.

Polychronius morbo non retardatur in ſtudio virtutum.

Ita conſolabatur Theodotum ægrum S. Pachomius. Theodoro grauis paſſio capitis, verba ſunt Dionyſii Exigui, dolores acerrimos excitabat. Qui cum rogaret Pachomium, vt cum ſuis releuaret orationibus, dixit: Putas ne fili, quod alicui cõtingit dolor, aut paſſio aut aliquid huiuſmodi ſine permiſſione DEI? Idcirco in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: & quando voluerit Dominus conferet tibi ſoſpitatem. Quod ſi te diutius probare dignatur, eſto gratus, vt fuit patientiſſimus & perfectiſſimus Iob, qui multas tribulationum, & cruciatuum tentationes excipiens, Dominum benedicebat. Et ſicut ille, tu quoque pro doloribus tuis maiorem requiem à Chriſto percipies. Bona quidem eſt abſtinentia, & in oratione perſeuerantia: tamẽ INFIRMVS MAIVS PRÆMIVM adipiſcitur, cum longanimis & patiens inuenitur. Eſt igitur apud patremfamilias cæleſtem patientiæ in ægritudine maximum meritum, cui deinde reſpondet merces proportionata. Et quoniam de induſtriis operariis eſt ſermo, vis ſpectare aliquem & ſemper infirmum & nunquam non manibus etiam laborantem. Attende & admirare.

VV. PP. Roſvv. pag. 841. VV PP. S. Pachomius Roſvv. p. 136. Vi a S. Pachomii cap. 51. Dominus in infirmitate benedicendus.

Zachæus Monachus, vt eſt in vita S. Pachomii poſt longa patientiæ ac continentiæ tẽpora, regio morbo correptus, ſequeſtratam à fratribus habuit cellulam, tota vita ſua pane tantum & ſale contentus. Semper autem pſiathros operabatur: tantumque contritionem propter Dominum ſuſtinebat, vt ſæpenumero funiculos intorquens, compungerentur manus eius, & ſanguineæ guttæ effluerent: In tantum vt ex ipſo opere magna viri tolerantia demonſtraretur. In tanta igitur infirmitate corporis conſtitutus, nunquam fratrum collectam deſeruit: ſed ad explendas omnes diurnas orationes, ſolicite conuolauit, adeo vt nunquam dormiret interdiu. Conſueuerat autem per ſingulas noctes, priuſquam caperet ſomnum, de

Zachæus Monachus, infatigabilis etiam in infirmitate operarius. Vit. S. Pachom. c. 52. VV. PP. Roſvv. pag. 137. A 136. B.

ſcripturis ſanctis meditari: totaque membra ſua Chriſti ſignaculo muniens, glorificabat iugiter Devm, & ita paululum quieſcebat. Deinde circa noctis medium ſurgens, vſque ad matutinas orationes alacer permanebat.

Huius aliquando manus quidam frater inſpiciens operis nimietate atque violentia fortiter ſauciatas & reſperſas ſanguine dicit ei: Quid ita pater duriſſimo labore te diſcrucias, maxime tali infirmitate depreſſus? An forte metuis, ne apud Devm contrahas offenſam, vel otii crimen incurras, ſi non ſedulo fueris operatus? Scit Dominus quid pateris, & quia nemo tantis tribulationibus afflictus, vllum valet opus attingere: præcipue tu, qui nulla neceſſitate conſtringeris. Nam ſi peregrinis poſt Devm ſufficientiam pauperibuſque largimur, quanto magis tibi tanto patri cum deuotione maxima ſeruiemus? Ad quem ille reſpondit: Impoſſibile eſt mihi non operari. Et frater ait: ſi hoc, inquit, tibi placet, ſaltem manus tuas oleo perunge: ne tantum ſanguinem profluentes in labore deficiant. Qui conſilio eius acquieſcens, fecit quod hortatus eſt eum: & in tantum vulneratæ manus eius grauatæ ſunt, vt nequaquam poſſet ferre cruciatus.

Ad quem viſendum beatus Pachonius veniens, cauſamque cognoſcens, ait ei: Putabas frater quod te oleum poſſet iuuare? Quis enim coegit ita ſedulo laborare, vt ſub prætextu operis, in hoc viſibili oleo magis quam in Deo ſpem tuam poneres? Aut nunquid impoſſibile eſt Deo ſanare te? Aut ignorat ægritudines ſingulorum, noſtriſque commonitionibus indiget? vel deſpicit nos qui eſt natura miſericors? Sed vtilitatem conſiderans animarum noſtrarum ſinit ad momentum nos pati triſtitiam, vt tolerantiæ perpetua præmia largiatur. Super ipſum igitur omnem curam noſtram ſolicitudinemque iactemus: & quando voluerit, vel quomodo iudicauerit, ipſe terminum doloribus noſtris benignus imponet. Qui reſpondens ait: Ignoſce mihi venerabilis pater & ora pro me Dominum, vt & hoc mihi delictum remittere pro ſua pietate dignetur.

Senis de infirmitate ſententia.
Ruffin. lib. 3. Num. 157.
Pelag. libell. 7. Num. 16. tit. Syncletica.
VV. PP. Rosvv. pag. 675. b.

Non eſt igitur quod ſe cruciet Dei mercenarius, nam vel poteſt operari æger, & duplici mercede donatur: vel laborare nequit, ſaltem corpore, & patientiæ mercedem accipit. Quare optime magnus ille ſenex, de quo in VV. PP. infirmanti diſcipulo ſuo dicebat: *Ne contriſteris, fili, ac infirmitate, vel plaga corporis tui. Summa enim religio eſt, vt in infirmitate quis gratias agat* Deo. *Si ferrum es, per ignem amittis æruginem. Si vero aurum es, per ignem probatus à* magnis *ad* maiora *procedis; Ne anxieris ergo, frater. Si enim te* Devs *vult in corpore torqueri, tu quis es qui eius voluntati reſiſtas, aut moleſte feras? Suſtine ergo, & roga* Deum *vt, quæ ipſe vult, illa concedat.* Securus es de mercede tui famulatus, quid angeris? Eſt illa heri tui liberalitas, vt decumbentem etiam & in molli culcitta, ſi morbi grauitas, id exigat, quieſcentem, tanquam ſi in vinea excolenda ſtrenuè laborares remuneret, morbi tempus, non minus computans, quam laboris.

COM-

COMMENTATIO XVII.

DEVS CONDVCTOR,
HOMO LOCATOR.

Dominica Septuageſimæ.

Ex contractu locationis colligit Iuriſconſultus Chriſtianus, Deum neminem abſque cauſſa domo eiicere.

Egredere, & abi. Cant. 1. 7.

EST quorundam patrumfamilias tanta auaritia, vt famulis quorum opera locata vſi ſunt liberaliter ac ſæpè prodigè & crudeliter, vel non dent pactam mercedem, vel ex parte defraudent, vel in longum differant ſolutionem, vel, niſi magiſtratus ſententia cogantur, non ſoluant: vt autem non cogantur, mercenarium ſuum, arrepta, vel ementita cauſa ante tempus definitum dimittunt, aut eiiciunt. Si vel in minimo offendat, imo, ſi non offendat, dicitur illi herus imperat, *Egredere & abi.* Quæ cauſa? Sic volo, ſic iubeo, tyrannicum imperium. *Auaritia conductorum.*

Hoc fortaſſe metuit, qui vt vineam excolat, vocatus, hæret, vel aueſatur conducentem. Fortaſſe prima hora ingreſſus, ſecunda faceſſere iubebas: poſtquam laborauero horis aliquot, veniet, qui me expellet: ante veſperam dimittar vacuus. Hæc cauſa, quæ aliquos à ſeria vitæ emendatione, nõnullos à religionis ingrediendæ conſilio, pleroſque à ſeueriotis vitæ inſtituto reuocat, vel retardat. Inanis cogitatio: metus plebeius vel puerilis. Hunc tibi demat IVRIS-CONSVLTVS Chriſtianus, qui DEVM non iuſtiſſimum ſolum ſed & benigniſſimum conductorem agnoſcit. *Tentatio eorum qui vocantur.*

Eſt autem contra iuſtitiam contractus conducti & locati, famulum, ante tempus ſine iuſta cauſa expellere. Quod ſi fiat, condemnabitur Conductor. Et licet non condemnetur in foro exteriori, tamen ſecundum conſcientiam, renetur integram illi mercedem dare: & præterea id quod famuli intereſt: quia per famulum non ſtat, quin toto tempore ſuas operas præſtet. Ita legibus, & Theologiæ ſcitis conuenienter pronunciat Ioannes Azorius. *Famulus non expellendus ante tempus.* *Ioa. Azor. tom. 3. lib. 8. cap. 13. q. 5.*

Itaque ſis ſecurus DILECTE, ſi ſemel operam tuam cœleſti patrifamilias addixeris, ſi te in famulum aſſumpſerit, ô bona ſors! ſi te in familiam ſuam admiſerit, & inter domeſticos numerauerit, nunquam nolentem expellet, nunquam abire coget reluctantem, nunquam ſine iuſta cauſa egredi iubebit: nunquam, niſi prius deſertus à te ſemel ſuſceptum deſeret.

At, multos poſt annorum aliquot diligenter nauatam operam expulſos legimus, aliquos vix in familiam adſcitos, mox iterum eiectos, nonnullos à prima ad nonam magna induſtria in domo verſatos, de repente abire iuſſos. Fateor. Sed neminem nominabis qui non iuſtam cauſam dederit, vt meruerit expelli. Dicunt omnes, ſi verum fateri volunt: *Omnia in recto iudicio feciſti nobis Domine, quia peccauimus tibi.* *Aliqui à Deo expulſi.*

Dicitur fortaſſe alicui, qui minime illud expectabat. *Egredere & abi.* Quod ſponſæ à ſponſo in Canticis accinitur, triſtiſſimum carmen, & amaroris pleniſſimum. Sed non prius illud audit, quam ſui oblita, & dignitatis ad quam à DEO adſumpta, non.

Orig. Hom. 2. Nyſſ. Serm. 2. Greg. lib. 30. Mor. c. 25. Apon. lib. 2. Cant. 1. 7. Bernard. Ser. 35. in Cant.

non ſatis vel gnara, vel memor negligentius ſe habuit, vt communi conſenſu Patres animaduertunt, Origines, Nyſſenus, Ambroſius, Gregorius, Aponius, Philo, Theodoretus, Caſſiodorus VVilleramus. Et contextus ſatis inſinuat.

Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres EGREDERE *&* ABI *poſt veſtigia gregum: & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Dura & aſpera increpatio, inquit Bernardus, quod dicit, Egredere.

Hoc quippe verbum ſerui audire ſolent, à valde iraſcentibus, & indignantibus dominis: vel ancillæ à dominabus ſuis, cum grauiter illas offenderint: Exi hinc; exi à me. egredere à conſpectu meo, & à domo iſta. Ergo ignorabat conditionem & dignitatem ſuam ſponſa? Ignorabat vere, ſi Synagogam accipias, vt licet, & exponit Aponius, eam inducens ſui immemorem, cui ſponſus: Si ignoras te, quæ pulcherrima eras inter omnes mulieres: imo, quia ignoraſti te, & pulchritudinem quam à me receperas. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo, & abominabilem feciſti decorum tuum. Ideo egredere, & abi poſt veſtigia gregum & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.*

Sponſa ignorat ſuam conditionem.

Ezech. 16. 15. 25.

Egredi quid.

Lud. de Pont. lib. 3. in Cant. Exhor. 13. §. 5.

Quæ myſticè exponens Ludouicus de Ponte N. ſponſum fingit dicentem. Egredere de regione tua, & de terra promiſſionis, in qua te conſtitui. Egredere de templo Ieroſolymitano, & de domo mea, in qua ego habitare & variis ſacrificiis coli ſolebam. Egredere à mea protectione & regimine, & ab omnibus bonis quæ per me pacifice poſſidebas, quia deinceps non eras populus meus, nec hæreditas mea, nec tui curam geram. Sed abi captiua & vaga poſt veſtigia gregum, diſperſa per vniuerſam terram, inter varias gentium nationes, earum beſtiales mores ſequens, earumque legibus ſeruiens, tributis oppreſſa & omnibus execranda.

Paſcere hædos quid?

Paſce hædos tuos, id eſt, filios tuos reprobos, ſicut & patres: paſce, inquam, ceremoniis legis Moſaicæ, vanis, futilibus, & nociuis. Paſce iuxta tabernacula tuorum paſtorum, ſeu Rabbinorum, qui vt cæci ſunt & duces cæcorum: ita omnes in foueam cadunt. Paſce etiam iuxta tabernacula paſtorum; ſeu Regum & Principum idololatrarum, in quorum poteſtatem traderis. Nam quamuis non ſis in illorum tabernaculis, illorum ritibus idololatricis ſeruiens, es tamen iuxta illa tanquam infidelis ac idololatra ſeruiens: In has calamitates deuoluta eſt ſynagoga, quia ignorauit conditionem ſuam: nec illi dictum fuit, Egredere, niſi poſt quam non cognouit ſe, nec tempus viſitationis ſuæ.

Sed quoniam hæc applicari poſſe putant animæ, quæ ſui notitiam habet non Rabbini ſolum, qui, quando ſoli ſunt, nugas vere vendunt, Abenezra, Tarrius, & Ionathan Chaldæus: Sed Iuſtus Orgelitanus, Guilielmus, Honorius, Rupertus, & è recentioribus, Iacobus Valentia, Guidacerius, Luiſius, Oſorius iunior, Genebrardus, Delrius: Poteſt accipi vt exponit S. Bernardus, hypothetice: fore vt egredi iubeatur, ſi illam ſui obliuio cœperit.

Sub conditione ſi ſe ignoret, expellitur è domo.

Hoc, inquit, *verbo aſpero, & amaro ſatis, nimiumque increpatorio vtitur modo ſponſus contra dilectam, ſub conditione tamen, ſi ſe ipſam ignorauerit. Nil quippe validius, efficaciuſque ad terrendum potuit in eam intendere, quam, vt egredi minaretur. Quod & tu aduertere potes, ſi bene attendas, vnde quo egredi iubeatur. Vnde enim, quo putas, niſi de ſpiritu ad carnem, de bonis animi ad ſecularia deſideria, de interna requie mentis ad mundi ſtrepitum, & inquietudinem curarum exteriorum, in quibus omnibus non eſt niſi labor & dolor, atque afflictio ſpiritus.*

Quam autem ſit acerbum expelli ab herili domo, cum qui ſemel in ea operas locauit egregie explicat in ſequentibus. Quæ enim anima ſemel à Domino didicit, &

Digitized by Google

cit, & accepit intrare ad ſe ipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam inſpirare, & quærere faciem eius ſemper (ſpiritus enim eſt Devs, & qui quærunt eum, oportet eos in ſpiritu ambulare, & non in carne, vt ſecundum carnem viuant) talis, inquam, anima, neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pænaliuſue ducat, quam poſt ſpiritualis ſtudii huius guſtatam ſemel ſuauitatem exire denuo ad illecebras, vel potius ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem reperere curioſitatem, dicente Eccleſiaſte: Oculus non impletur viſu, nec auris auditu. *Eccl.1.*

Pergit exaggerare tantum malum. Audi hominem expertum, quæ loquimur: Bonus es, inquit, Domine ſperantibus in te animæ quærenti te. Ab hoc bono ſi quis ſanctam illam animam auertere conaretur puto, haud ſequus accepiſſet, quam ſi ſe de paradiſo, & ab ipſo introitu gloriæ conſpiceret deturbari. Audi adhuc & alium ſimilem huic: Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram; vnde & dicebat: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Eiuſdem loquens ad animam ſuam dicens: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Dico ergo vobis, nihil eſt, quod in tantum formidet, quiſquis hoc beneficium ſemel accepit, quam ne à gratia derelictis neceſſe habeat, denuo egredi ad carnis delectationes, imo deſolationes, rurſumque carnalium ſenſuum ſuſtinere tumultum. Terribilis proinde ac nimis formidoloſa comminatio. Egredere & paſce hædos tuos. Quod eſt, indignum te voueris illa tua familiari, & ſuaui rerum contemplatione cæleſtium, intelligibilium, diuinarum. Quamobrem egredere de ſanctuario meo, corde tuo, vbi ſecretos, ſacroſque veritatis, ac ſapientiæ ſenſus dulciter haurire ſolebas, & magis tanquam vna de ſenſibus, paſcendis & oblectandis tuæ carnis ſenſibus intricare. *Thren.3. Pſal.118. Pſal.26. Pſal.72.*

Tam grauem itaque pœnam Devs ſine iuſta cauſa non irrogat. Præcedit eiectionem è domo ſua grauis culpa operarii. Neminem dimittit ante tempus locationis finitum, vt non ſoluat mercedem bene merenti: Sed vt puniat delictum peſſime famulanti. Collocauerat Adamum in paradiſo vt operaretur illum tanquam domeſticus operarius. Nondum euoluto conductionis curriculo *Emiſit eum Dominus* Devs *de paradiſo voluptatis*, imo, *Eiecit*, vt famulum ſolet herus, dum non amplius inter ſuos illum retinere proponit, & mandat expelli. *Adam eiectus è Paradiſo. Gen.3.23 24. Emiſit.*

Primo dicit ſacra S. *Emiſit*, LXX. ἐξαπέστειλεν, quod conuenit cum Latino, ſicut & Hebræum ישלחהו *ieſchallech hu* à verbo *ſchalach*, miſit. Sed ne quis emiſſionem intelligeret, quæ cum bona venia fieri ſolet abſq; vehementia, & ignominia, mox ſubditur, *Eiecit*, LXX. ἐξέβαλεν: Hebr. ויגרש *uegaraſs*. Eſt a. גרש *garaſe* Hebræis cum infamia ac ignominia eiicere. Quo ſignificandi modo, mulier repudiata vocatur *geruſcha* Leu 22.14. putantque nonnulli hanc ignominioſam eiectionem factam per Angelum, famulum Dei honoratiorem, qui Adamum tanquam viliorem, manu apprehenſa, vi rapuerit, aut violenter protruſerit. Cum non fuiſſet in domo ſui Conductoris, niſi ſolis ſex horis vt exiſtimat Ephrem apud Barcepham, Philoxenus & Iacobus Sarugenſis qui opinatur Adam creatum hora tertia antemeridiana: id eſt, noſtra, nona matutina: Lapſum noſtra tertia pomeridiana, ſeu Iudæorum nona. Certe eadem die eiectum, quo admiſſus fuerat in familiam, ſentiunt quoque Irenæus, Cyrillus Epiphanius, Diodorus. *שלח Scalach. גרושה Geruſcha. Lege Pererium.*

Non tamen expulit eum niſi poſt præuaricationem legis poſitæ. Non dixit illi, *Abi & egredere*, niſi poſtquam mulierem magis, quam patronum audiens comedit *Adamus non expellitur niſi poſt peccatum.*

Auguſtinus in Geneſ. Proco. in Gen. Bernar. Ser. 1. in Feſt. omn. SS.

de ligno vetito, & ne delitias ſuas offenderet, patrisfamilias nihili fecit imperium. Ob peccatum motti ſe obnoxium fecerat, alienandus ergo erat à vitæ arbore, ac proinde ablegandus ab horto vitæ, iam moriturus, vt argute notauit S. Auguſtinus. Et Procopius pulſus eſt homo ſecundum præcepti tenorem è paradiſo, quia hic ſuſcipiebat viuentes, non morientes. *Miſeri* vere Adam & Eua, vt loquitur Bernardus, *qui conuerſi in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis dum confeſſionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, & à facie Domini eiciuntur.* At non Domini crudelitate qui neminem ex operariis ante tempus locationis abſolutum abigit; ſed culpa ſua, qua expelli meruerunt.

Cain eiicitur Geneſ. 4.

Itaque vane conqueritur & improbe, parricida primus Cain *Ecce eiicis me*, nempe, ignominioſe ac violenter, ſicut parentes è paradiſo; horret ad hanc eiectionem improbiſſimus homo: ſed dicere non audet: *Quid commerui*? nam recurrebat identidem & animo obſeruabatur innocentiſſimus Abel nefario ſcelere trucidatus.

Iudas exit.

Ioan. 13.

Sic & Iudas expelli metuiſſet è domo CHRISTI niſi tanta fuiſſet huius patrisf. milias erga domeſticos benignitas, vt ſceleratiſſimos etiam pateretur in conſortio, qui peccatorum ſaluandorum cauſa nouam inſtituerat in terris familiam. Sed tamen ille peſſimus operarius, cum accepiſſet bucellam exiuit continuo. Exiuit, inquit Origines, non ſolum recedendo de domo in qua tenebatur, ſed omnino egreſſus eſt à IESV cuius conuictu, conſcientia perurgente ſe indignum cognoſcebat. Niſi dicere placet, & hunc è domo pulſum vt nequam ſerui ſolent, per carnificis aſſeclas. Nā poſt bucellam ingreſſus in Iudam Satanas, exire coëgit, quod ſub eodem tecto hoſpitari non poſſet, tam humanus paterfamilias, & tam efferus mercenarius famulus.

Non eſt igitur moris noſtro patrifamilias, quod facere ſolent ſordidiſſimi mortales, vt famulos excludat immerentes, ne mercedem debitam ſoluat. Hoc ergo non eſt metuendum; ſed potius, ne expelli merearis & à conſpectu tam benigni cōductoris profligari. Quo nihil metuendum magis Dei operario. Ea propter poſt grauiſſima adulterii ac homicidii crimina tam ſolicitè precabatur Rex pœnitens.

Proiicere à facie. Pſal. 50. 13.

Ne proiicias me à facie tua: id eſt, ne expellas me è domo tua: non iubeas me abire è familia tua: ne abiicias Tu, qui es paterfamilias, & herus meus, famuli tui, & eatenus operarii domeſtici tui, curam, cuſtodiam, fauorem: ne me, tanquam Dominus, ſeruum; Pater, filium; Rex, militem; conductor, operarium, amandes, & proſcribas. Hoc illi ſuppliciorum omnium videbatur grauiſſimum.

S. Ambroſius Apolog. Dauid c. 14.

Si quis nos offenderit ſeruulorum, inquit Ambroſius, *auertere ab eo vultum ſolemus. Plerique autem diuitum amandare ſolent mancipia ſua, & per agellulos relegare. & hac pœna grauior æſtimatur. Denique, ſolent magis ſe offerre verberibus. Si apud homines hoc graue ducitur, quanto magis apud Dominum* Deum *noſtrum*?

Dauid quaſi ſeruus petit non expelli è domo.

Matt. 25. 13.

Pſal. 26.

Pſal. 18.

Confirmat id exemplo Cain. *Quaſi non hinc dolor parricidalis reprimendus quidem, ſi qua eum pietas tentare potuiſſet, eruperit, quod faciem ſuam Deus à Cain muneribus auertit, reſpexit autem ſuper munera Abel Itaque tacito vultu alterum innocentē pronunciauit, alterum peccatorem. Ergo Dauid, quaſi vltimus* Seruus *humiliat ſe, & quaſi in peccato deprehenſus & offenſa reus obſecrat, vt flagelletur potius, quam proiiciatur à facie Domini. Quomodo autem proiiciat* Deus *à facie ſua, audi dicentem.* Tollite illum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. *Qui non emendatur à facie eius in tenebris conſtituitur. Ideo iuſtus, ne tenebras patiatur, ait,* Vultum tuum Domine requiram. *Vbi enim Domini vultus, ibi lumen eſt: ſicut ſcriptum eſt* Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum. *Denique vbi*

primum

Digitized by Google

primum intuitus Petrum vidit.& illuminauit. Grande igitur ſupplicium proiici à facie Dei. *Adam.*
Proiectus eſt Adam de paradiſo : nec immeritò. ipſe enim ante ſe abſconderat à facie Dei. *Exiuit* *Cain.*
& Cain à facie Dei,*non ſolùm, pòſt parricidale commiſſum, ſed etiam poſtquam* Deum *puta-*
uit eſſe fallendum, vt crimen negaret. Peccator igitur excluditur à facie Dei : *Iuſtus autem di-* *Lib.2.Reg. 24*
cit, Ecce ego. Denique ipſe Dauid, cum videret interire populum, ſemetipſum obtulit, dicens : Ego
ſum, ego peccaui:&, ego paſtor male feci. *Et ſic ira Domini mitigata eſt, & venia donata.*

Simul oſtendit, quia ſancti permanent, criminoſi proiiciuntur. Ideoque ſeruanda eſt nobis gra- *Proiiciuntur*
tia ſpiritualis, ne propter peccata noſtra auferatur à nobis. Non enim proiicitur, in quo Spiritus *criminoſi.*
Sanctus eſt, ſed in offenſo muneris ſui fructu, ſtudet ſe Domino ſemper offerre, ſicut ille, qui dicenti
Domino : Nunquid & vos vultis recedere, *reſpondit*: Ad quem ibimus? verba vitæ æ- *Ioan. 6.*
ternæ habes?

Tantum malum eſt Dei famulo, proiici à facie Domini, vt dicat ſe neſcire Ber- *Gehennam*
nardus, An vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius ſit, & pœnalius ſit. *experiri me-*
Merito : nam vt extremum malorum omnium in diuinis oraculis ponitur, ſic pro- *lius, quam*
iici. Expertus id Saul, cui intonat Samuel : *Quia proiecisti ſermonem Domini, & proiecit* *proiici à fa-*
te Dominus. Et ipſe Deus ad Samuelem, vt iam actum de homine illo ſciret. *Vſque* *cie Domini.* 1. *Reg* 15. 26.
quo tu luges Saul cum ego proiecerim eum? Hoc vnicè deprecabatur Salomon in tem- 1. *Reg.* 15. 1.
pli dedicatione. *Sit Dominus* Deus *noſter nobiſcum, ſicut fuit cum patribus noſtris, non de-*
relinquens nos, neque proiiciens. Lib.3.Reg.8. Sed reſpondit Dominus : *Si auerſione* 3. *Reg.* 8.57.
auerſi fueritis vos, & filii veſtri non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea, & ceremonias
meas, quas propoſui vobis, ſed abieritis, & conſulueritis Deos *alienos & adoraueritis eos, aufe-*
ram Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis, & templum, quod ſanctificaui nomini meo. 3. Re- 3. *Reg.* 9. 6.
gum 9. 6. Poſtea vero vt eſt 4. Reg. 24. iratus fuit Dominus contra Ieruſalem & 4. *Reg.* 24.
Iudam, *donec proiiceret eos à facie ſua.* 20.

Hoc metuebat Rex Dauid, inſtantiſſime orans : *Ne proiicias me à facie tua*, quem *Pſal.* 50.
animo effingere poſſis, & velut oculis ſubiicere, quod facit pathetice Ioannes *Ioa. Lorin.*
Lorinus, ſupplicem, mendicum, famulum, malefactorem operarium ad pedes
patrisfamilias, quem offenderat, & à quo expelli verebatur, intentis oculis de-
miſſiſſimè flagitantem, Domini ſui opem, atque miſericordiam, & auidiſſimè ex-
pectantem, hianti velut ore, tum benignum aſpectum, tum quaſi ſuauem auram
fauoris illius obiicientem : & ſe, quod faciat, doctore facere, atque poſtulato-
re ipſo Spiritu Sancto, per inenarrabiles gemitus. Petiiſſe quidem prius, vt à pec- *Rom.* 8. 26.
catis auerteret faciem Deus : & optare, vt proiiciat poſt tergum & in profundum *Pſal.* 50. 2.
maris omnia peccata ſua, hoc tamen etiam atque etiam ſuppliciter petere, etiam- *Iſ.* 38 17.
ſi alia non obtineat, ne audiat ab irato Domino, quod erat meritus, *Egredere &* *Miche.* 1. 9.
abi : hoc enim nihil ſibi poſſe accidere luctuoſius. *Ne proiicias me à facie tua.*

At enim, eiicit ne bonus paterfamilias ita vllum è ſuis mercenariis, vt nulla
ſpes ſit redeundi ad priſtinum officium? & vt omni priuetur mercede quam
præcedentibus laborioſis officiis erat meritus? Hæc multiplices quæſtiones in-
uoluunt, quibus alibi fuſe ſatisfacimus. Ideoque breuiſſimè, quantum ad præ-
ſens de locante & conducente inſtitutum.

Primo : Neminem Deus ex iis qui operam ipſi locant, expellit ante finem *Quid Deus*
temporis condicti, vt illum debito priuet ſtipendio, quod ſatis ſuperque de- *præſtet opera-*
monſtratum eſt. Secundo : Quoſdam negligentes, infideles, ſeditioſos, tan- *riis.*
quam familiæ ſuæ peſtes, abripi iubet & eiici, aut ſponte abire, ſiue è cœtu Deo
familiarum, id eſt, amicorum, qui gratia eius ſpeciali fruuntur; ſiue ex fidelium

numero, ſeu Eccleſia, ſiue è religioſo conuentu. Tertio: omnibus, qui ſerio de commiſſis ſceleribus pœnitentia ducuntur, & parant reditum, operam ſuam iterum offerentes, patentem portam aperit, & muneribus priſtinis reſtituit. Quarto, In gratiam receptos, ſi officio ſuo ſatisfaciant, & conſtanter operentur, nulla parte mercedis, etiam illius, quam erant meriti, ante expulſionem, orbari permittit.

An aliqui omni gratia deſtituantur. Verùm, cùm redire nequeant, aut reſipiſcentiæ ac reditus voluntatem accipere, niſi patrefamilias, iterum ad forum ſe conferente, & à vinea expulſos, ſemel vel exire iuſſos, iterum conducente, eſtne eius benignitatis vt omnes denuo aduocet: quod eſt quætere, An in hac vita ita vllum proiiciat Deus, ab eoque omnem gratiam, & fauorem auferat, vt etiam neget illam, quæ ſit ad ſalutem conſequendam, & ad recuperandam iuſtitiam neceſſaria & ſufficiens?

Scio in hac re quoſdam fuiſſe magis, quam expediat, & diuinæ miſericordiæ rationes nobis ſuggerunt, ſeueriores, homines tamen docti, & de Eccleſia Catholica, ac nominatim de ſcholaſtica Theologia optimè meriti. Docuerant enim quibuſdam hominibus, propter multitudinem & grauitatem peccatorum negari præſidia, ad reſipiſcendum, & Deum ſibi reconciliandum ſufficientia. Quam perſuaſionem inducere conatur Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 46. quæſt. 1. Henricus Gandauenſis Quodlib. 8. quæſt. 5. quamuis hic non omnino audeat id pro certo adfirmare. Caietanus in cap. 12. Ioannis. Epiſcopus Abulenſis quæſt. 12. in cap. 4. Matth. Cardinalis Roffenſis art. 36. & Ruardus Tapperus, artic. 7. qui ſcribit, etiamſi oppoſita ſententia ſit magis pia, hanc tamen eſſe magis conformem doctrinæ Sanctorum Patrum.

Iulius Mazarinus. Concio 74. in Pſal. 50. Horum ſententiam, quamuis eo rigore, quo aſſeritur, veram non eſſe aſſerat Iulius Mazarinus N. adfirmat tamen Deum, qui nemini hominum omne omnino auxilium denegat, neque penitus deſerit, ex vna quidem parte, nonnullis maximis peccatoribus, ſufficiens, at in infimo quodam gradu præbere: ex altera vero permittere, vt tam variæ ac viuidæ peccandi occaſiones ingerantur, vt moraliter certum ſit, talem, quantumuis adiutum, meliora non ſequuturum conſilia, ſed in obſtinata ad malum voluntate, pertinaciter perſeueraturum: ac, quod inde eſt conſequens, in æternum damnandum. Quo temperamento ſententiam illorum, quos nominaui mitigat: an ex ſenſu eorundem non diſputo.

Non datur omnibus gratia efficax. Addit verò ipſe, certum eſſe, tam efficax auxilium, quod omnia impedimenta malarum occaſionum ſuperet, ſine quo nullus moraliter loquendo conuertitur non omnibus donari, ſed negari multis, cum ſit donum ſpeciale. Deinde plurimos multitudine ſuorum demeritorum mereri, vt hæc ipſis gratia denegetur. Denique Deum, quorundam peccatis irritatum ſceleratos aliquos domo excludere, abiicere ac deſerere. Quod probat ſimilitudinibus, parabolis, orationibus, expoſitionibus, euentibus.

Deus inſtar Patris deſerens filium. Eſt enim Deus inſtar patris, qui filium ſuum diſcolum, ac immorigerum, quem mille modis corrigere, atque ad meliorem frugem reuocare conatus eſt, tandem foras eiicit, dicens, *Egredere*, & *abi*: ac quodcunque tibi collibitum fuerit, fac: nolo te impoſterum caſtigare amplius: multo minus tuis me immiſcere negociis, aut

Exec. 16. de iis cognoſcere: *Zelus meus recedet à te, vt non iraſcar.* Audi Deum aperte profiten-

Pſal. 80. tem *Dimiſi eos in deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.*

Eſt

Eſt tanquam Mater, quæ filio deſperatè laboranti & à medicis conclamato, quidlibet concedit, quamuis ſanitati aduerſari ſciat. *Tradidit eos* DEVS, inquit Paulus, *in deſideria cordis eorum in paſſiones ignominiæ.* *Inſtar matris.* *Rom.1.*

Habet ſe velut Maritus adulteram vxorem deſpolians, eiiciens, vel interimens. DEI voces ſunt ad ſynagogam ſic expelli & tractari meritam. *Ecce ego extendam manum meam ſuper te, auferam iuſtificationes tuas, dabo te* in manus odientium te: congregabo omnes amatores tuos ſuper te, nudabo ignominiam tuam coram eis, & dabo te in ſanguinem furoris & Zeli. *Tanquam maritus.* *Ezech.18.*

Agit ſicut paterfamilias, qui operarium aut famulum ebrioſum, rapacem, ac fugitiuum, de quo nulla ſpes ſupereſt emendationis excludit, & ſi mancipium ſit, vendit lictori aut ad triremes: *Tradam*, inquit DEVS, *Ægyptum in manum dominorum crudelium.* Sane crudeliſſimi domini ſunt concupiſcentia, caro, mundus, peccatum, Diabolus. *Sicut pater familias.* *Iſa.19.*

Imitatur medicum, qui animaduertens infirmum, cuius ſuſcepit curam, & quem diligentiſſime fouit hactenus, in peius cotidie prolabi, eum pro depoſito habet, recedit, nihil præſcribit amplius, dicens comitibus ſuis. *Curauimus Babylonem, & non eſt curata, derelinquamus eam.* *Medici inſtar.* *Ierem.51.*

Præbet ſe iudicem, non crudelem quidem, ſeuerum tamen, & poſt ſententiam decretoriam, inexorabilem. *Vt Iudex.*

Tandem, ceu vinitor poſt vindemiam paucułas uvas in vinea frigori & omnibus aëris intempeſti iniuriis expoſitas relinquit. *Derelinquetur Filia Sion ſicut vmbraculũ in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur.* Prædæ etiam exponetur feris: *Dereliquit, quaſi leo, tabernaculum ſuum.* Quamdiu enim leo ibi cõmoratur, nullum imminet à beſtiis periculum, eo recedente, *fit cubile Draconum, & paſcua ſtruthionum, occurrunt dæmonia Onocentauris, & piloſus clamat alter ad alterum.* Ita ille diſſerit. *Vinitor.* *Iſai.1.* *Ierem.25.* *Iſa. 34.*

MIHI autem longe certiſſimum eſt eam eſſe optimi patrisfamilias erga omnes, quamuis ingratiſſimos operarios benignitatem, vt ex hominibus, qui rationis ſunt compotes, neminem ita derelinquat, vt præſidiis gratiæ ſufficientis ſpoliet, ſuoque omni fauore, cura, inuitatione deſtituat. Sane, cum CHRISTVS Dominus inuitet omnes humaniſſime, imo iubeat vt ad ſe veniant, etiam poſtquam ſemel è vinea fuerunt egreſſi: nam nullum tempus aut perſonam excipit, ridiculum plane id eſſet, niſi conferret ſimul auxiliatem manum, ac gratiam ſufficientem ſuppeditaret, vt venire poſſent, & venienti aditum patefaceret, quod obſeruat Caſſianus collatione 13.cap.7. Et ex eo, quod Ioannis 1. dicitur, Illuminat omnem hominem, quod de ſole iuſtitiæ, ac lumine gratiæ intelligunt S. Chryſoſtomus ac Cyrillus eo loco, atque Auguſtinus lib. ſuper Gen. contra Manichæos. cap. 3. idem liquet. *Nulli negatur adulto gratia ſufficiens.* *Matth. 4.*

De ſole quoque, qui eſt omnis bonitatis fons & auctor accipiendum eſſe illud Matt. 5. Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos docent S. Ambroſius ſer. 8. in Pſal. CXVIII. aliique PP. Eleganter Tertullianus: *Florem lucis huius ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit*, bonus DEVS. *Et temporum officia, elementorum ſeruitia, totius geniture tributa dignis ſimul & indignis patitur occurrere.* Siquidem *ſatius eſt prodeſſe etiam malis propter bonos*, vt *Seneca* philoſophatur, *quam bonis deeſſe propter malos. Ita diem ſolem, hiemis, æſtatiſque curſus, & media veris autumnique tempora, imbres, & fontium hauſtus ventorum flatus ſtatos pro vniuerſis* DEVS *inuenit.* Hoc benignitas diuina poſtulat in naturalibus, & eadem auferat, quæ neceſſaria ſunt vt recipiatur in gratiam, qui ſemel *Sol omnibus lucet.* *Lib. de patient.* *Sen. lib. 4. de Ben. cap. 28.*

mel

Dei benignitas. mel offendit, in ſupernaturalibus? Abſit opinari. Ipſiuſmet patrisfamilias conteſtatio eſt: Nolo mortem impii, ſed vt conuertatur & viuat Ezech. 32. Ipſe vult omnes conuerti ad pœnitentiam, & neminem perire ſecundæ Petri tertio. Quod non eſſe aliud quam omnibus largiri gratiam, quæ ſufficiens ſit docet S Auguſtinus lib. de ſpirit. Et litt. cap. 33.

Ezech. 32. 2. Petr. 3. Aug. lib. de Spiritu & Litter.

Devs miſeretur omnium: diligit omnia: parcit omnibus Sap. 11. Quæ vera eſſe nequeunt, niſi adminiſtret omnibus ſufficientem gratiam. Idem vult omnes homines ſaluos fieri 1. ad Tim. 11. Quod eſſe gratiam ſufficientem dare præter Auguſtinum libro nominato affirmant Proſper, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theophilactus, Oecumenius.

Proſper de vocatione Gen. lib. 2. cap. 23. & 25. Amb Chryſ. in Ep. Paul.

Christvs mortuus eſt pro omnibus 1. Corint. 15. Dedit ſemetipſum pro redemptione omnium 1. ad Timoth. 2. Est salvator omnivm. 1. ad Timoth 4. Eſt propitiatio pro peccatis totius mundi 1. Ioannis 2. Quæ quomodo conſiſterent, ſi aliquem ita eiiceret è domo, vt redeundi ſpem omni ſublato ſufficientis gratiæ auxilio præſcinderet. Itaqve etiamſi ſemel abire iuſſus fueris, aut te tua ſcelera eiecerunt, non diffide, iterum accede, ora, deprecare, Devs prope eſt omnibus inuocantibus ſe. *Crede* Deo, *& recuperabit te.*

Pſal. 144. Eccl. 2. 6.

COMMENTATIO XVIII.

Dominica Septuageſimæ.

Quid pro Medicorum prærogatiua contra Iuriſconſultos ex contractu locationis adducant Archiatri.

Nobilior ne Medicina, quam Iuriſprudentia.

Lis eſt inter Ivrisperitos & Medicos, vtrorum diſciplina nobilitate præſtet: pugnant pro ſua vtrique, vt mos eſt inter artium diuerſarum Magiſtros. Sed nemo hactenus pro medicina copioſius egit, explicatis omnibus argumentorum copiis, quam Petrus Andreas Canonherius volumine primo in Aphoriſmos Hippocratis. Huc ſpectat quod ex titulo, mercenarivs, ducit, auctoremque nominat Hippolytum Obicium in opuſculo de nobilitate Medici Dialogo 1.

An Iuriſconſulti mercenarii.

Ivrisperiti, inquit, ſunt mercenarii, cum mercedem pro labore accipiant, & eorum præmium merces, qua Mechanicum ſonat à Canone appelletur. At vero dona, quæ medicis tribuuntur, eos non faciunt mercenarios, cum ſint honoraria, iuxta illa verba Decreti C. Non ſane cauſa 14. Q. 5. *Nec medico plerique reddere volunt honorem ſuum.* Et mox. *Aduocatus vendit iuſtum patrocinium: Iuriſconſultus verum conſilium.*

Medici magis honorabiles, quam Iuriſconſulti. Eccl 38. Cornel. Ianſen in Eccl. Archidiacon. in cap. Non ſane cauſſa. 14. q. 5.

Atque idcirco magis honorabiles ſunt medici, quod elici poteſt ex Eccleſiaſtico, qui ita pronuntiat: a Deo omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Quem locum exponens Cornelius Ianſenius, ait, quod verba illa ſic ſunt intelligenda. Nempe à Rege accipiet donationem: hoc eſt regaliter, & liberaliter remunerandam eſſe medicinam, doniſque honorandam à magnis Principibus, quippe medicorum ope ſæpe indigent.

Vnde Cicero volens ſcribere medico donum dari, loco doni, exprimit honorem: verba ſunt Oratoris, Curio miſi, vt honos haberetur medico. Hoc idem aliis in locis legitur, velut in Canonicis decretis in quibus legitur. Nec plerique medico

dico ſuum reddere volunt honorem, nec operario mercedem. Archidiaconus autem in explanatione verborum declarat, quod *Honor* ibi vſurpatur pro præmio, quod medico debetur.

Quapropter medici, non pro mercenariis, ſed vt vitæ conſeruatores à ſapientibus haberi ſolent. Proinde, honorandi, venerandique ſunt, poſt religioſos, vt Gloſſa loco citato affirmat, cum eis omnia arcana nuda & ad aperto ſint. Vnde altiſſimus per ſacram ſcripturam loco præallegato ſic loquitur: ſcientia medici extollet caput eius, & coram principibus in admiratione habebitur. Hinc profecto multi Reges animaduertentes ſcientiæ dignitatem medici eſſe voluerunt.

Medici vt vitæ conſeruatores honorandi.
Medici poſt Religioſos honorandi.
Gloſſ. in cap. 38. Eccleſ.

Ita medici diſputant. Quibus reſpondere poſſet IVRISCONSVLTVS. Si de nomine agatur: quemadmodum medicis quod ob operam præſtitam numeratur dici poteſt Honorarium; ita & quod iuriſperitis dependitur. Legantur grammaticorum obſeruationes. In iis honorarium definitur, merces, quæ medicis, iureconſultis, aliiſque, operam beneficii loco præſtantibus dabatur. Alioqui, quod medico perſoluitur, proprie *Soſtrum* appellatur: Græcis etiam σωτήριον, & ἰατρεῖον. Germanis & Belgis Merces Medici. Quod ſi res ipſa ſpectetur. Merces eſt, quod redditur in locatione ob meritum laboris locati: Locat autem operam ſuam medicus æque, ac iuriſconſultus: nec minus hic, imo magis ſe mereri exiſtimat quam ille: Ergo tam proprie vnus, quam alter mercedem accipit. Sunt enim merces ac meritum correlatiua apud Catholicos.

Honorarium datur Medico & Iuriſconſulto.
γέρας.
Ehrenſchenck
Ehrlicher Lohn.
Artzes Lohn
Medicins Lohn.

Neque omnis merces ad mechanicum ſpectat artificem, aut ſeruilis animi vel operis eſt indicium. Iuſtis, mercedis loco datur in hac vita, gratiæ incrementum; in altera, beatitudo: an idcirco viliores quam ſi gratis hæc donarentur? Chriſto ipſi merces fuit, hominum redemptio, mundi felicitas, corporis glorificatio, non ideo tamen ad Mechanicorum tribum relegatur. Et ſi cum IVRISCONSVLTIS conferantur Medici, dicent illi, hos potius ad Mechanicorum ordinem ſpectare cum eorum magis, quam ſuorum diſciplina manuali opere indigeat.

Merces an mechanicorum tantum.

Laudandus eſſet medicus, qui honore, & exiſtimatione contentus, in ea tanquam honeſtiſſima, & artis ſuæ propria mercede conquieſceret; cum mercedem medici Cicero lib. 16. Famil. Epiſt. 9. Honorem faciat: quod Eccleſiaſtici dicto eſt conſentaneum: *Honora medicum.* Quanta commendatione dignus cenſendus Hippocrates Abderites, qui gloriatur ſe nunquam pro medicinæ vſu accepiſſe mercedem, quia, inquit, libera eſt, & DEORVM munus: plura autem adiungit quæ valeant aduerſus amantes auri, ideoque crudeles medicos, inquit Lælius Biſciola N. Hanc laudis partem Auſonius patri ſuo medico attribuit hoc diſticho.

Medici merces honor.
Eccl. 38.
Lal. Biſciol. lib. 16. Horarum ſubſeciua. cap. 11.

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemptæ:
Officiumque meum cum pietate fuit:

Contrarium poſtea obtinuiſſe videtur, vt medici plus mercedis vel exigant, vel accipiant, quam iuriſconſulti & ſi ſint honoratiores, ditiores illi. Certe in omni conſeſſu ſiue Academico, ſiue palatino iuriſconſultis poſtponuntur medici, quo titulo, ſuis locis in ACADEMICO CHRISTIANO diſſerimus.

Nunc contractum locationis ſolummodo, & mercedis rationem examinamus. Ex eo ipſo autem, qui iuriſconſulto primas deferunt ita ratiocinantur; medici ſuæ operæ mercedem accipiunt, quod nobilitati detrahit. Quæ eſt obiectio ſexageſima.

Medici accipiunt mercedem.

Digitized by Google

ſima apud Petrum Andream Canonherium. Sed, RESPONDET I. Franciſcus Valleſius de ſacra philoſophia cap. LXXIV. Et milites merent, & Duces, & ipſi Imperatores. Neq; ad nobilitatem intereſt mercedem recipias, an non: ſed ex qua arte recipias. II. Medicus non lucratur qua medicus: Sed cum idem ſit medicus & paterfamilias, victum quærit familiæ, ex arte honeſta, & nobili. Nam cum victus quærendi induſtria ad Oeconomicam pertineat, ſitque muneris patrisfamilias, & ea tribus conſtet, agricultura, mercatura, & arte: victum ex agricultura quærere, nobile certe eſt & maxime ſecundum naturam. Ex mercatura, eſt præter naturam: & niſi accedat magna opulentia (quæ tamen raro iuſta eſt) ignobile. Ex arte, nũc nobile, nunc ignobile, vt ipſa eſt ars. Medicinam vero artem eſſe nobilem, nulli debet eſſe dubium. Quare victum ex ea comparare, & mercedem ob operam locatam accipere, ignobile non eſt.

Medicus non paciſcitur de mercede. RESPONDET III. Canonherius. Quod medicinæ nobilitati detraheret, ſi medicus præmium paciſceretur. At medicus nullam mercedem paciſcitur, nec paciſcatur, nec paciſci poteſt, cum à medicorum principibus prohibeatur. Nullæ enim diuitiæ poſſunt, cum ſanitate æquiparari. Quare, ſi medico præmium datur, debet illud recipere: Si vero non datur, nihil debet petere, quia ſanitas pecunia non æſtimatur.

Addit IV. Si ſacerdotibus decimæ pro eorum opere dantur: cur medici pro ſanitate reſtituta mercedem recipere non debent? Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam, inquit D. Paulus. Et ſicut ſacerdotes vtuntur iis Apoſtoli verbis: ſi nos nobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Sic medici recte poſſunt dicere: Si nos vobis animi & corporis ſanitatem, ſine qua nihil poteſtis facere, elargimur, magnum eſt, ſi nos pecuniam veſtram recipiamus? *1. Corinth. 9.*

Senec. lib. 6. de Benef. cap. 38. Sed prudenter monet Canonherius: Quamuis medicus mercedem poſſit accipere, non eſſe tamen paciſcendum. Contra quod multi delinquunt, quibus grauis annus in quæſtu eſt, & magnus ægrorum numerus voluptati: Thaddæus Florentinus in ſingulos dies non minus quinquaginta aureis operam ſuam locabat. Nimirum, mendici eſſe nolunt, qui ſunt medici, quamuis plurimos mendicos pene dicat eſſe Biſciola, vel quod indocti, & inexperti vel quod in curando infelices. Annon in tribu paupertina cenſeri potuit, Nicolai 5. Pontificis Maxim. Pater eius temporis medicus, cuius vxor vendendis ouis lucrum facere cogebatur. Auctor Gatimbertus lib. 2. de vit. Pontif.

Mercedis denegatio in aliis ingratitudo, in Medicis impietas. Non omittamus, quod ad medicorum æſtimationem facit, & proprie contractum locationis ſpectat. Quando Iuriſperitis aut aliis Profeſſoribus merces denegatur ingratitudinem cenſeri: quando autem medico honorarium non exhibetur, appellari impietatem. Ita pronunciat Eraſmus declamatione in laudem Artis Medicæ.

Eraſm. lib. cui tit. Declamatio in laud. Art. Med. Diuinæ litteræ iubent medico ſuum haberi honorem non tantum ob vtilitatem, verum etiam ob neceſſitatem, vt in cæteros bene meritos ingratitudo ſit, in Medicum impietas, quippe qui tanquam beneficii diuini adiutor, in arte ſua tuetur, quod optimum nobis & chariſſimum largitus eſt DEVS, videlicet vitam. Parentibus nihil non debemus, quod per hoc vitæ munus accepiſſe quodammodo videmur: Plus mea ſententia debetur medico, cui toties debemus, quod parentibus ſemel debemus, ſi tamen illis debemus. Pietatem debemus his, qui hoſtem à ceruicibus depulit, & Medico non magis debemus, qui pro nobis ſeruandis, cum tot ca-

tor capitalibus vitæ hoſtibus quotidie depugnat. Reges ceu Deos ſuſcipimus, quia vitæ neciſque ius habere creduntur, qui tamen vt poſſunt occidere, certè vitam non aliter dare poſſunt, niſi quatenus non eripiunt, quemadmodum ſeruare dicuntur. Latrones, ſi quem non iugulent, nec aliam tamen vitam dare poſſunt, quam corporis.

At quanto propius ad diuinam benignitatem accedit Medici beneficium, hominem iam inferis deſtinatum, arte, ingenio, cura fideque ſua velut ex ipſis mortis faucibus retrahentis. Aliis vero in rebus poſuiſſe ſit officium: cæterum in certo corporis animæque periculo ſeruaſſe plus quam pietas eſt. Adde his, quod quidquid in homine magnum eſt, eruditio, virtus, naturæ dotes, aut ſi quid aliud, id omne medicorum arti acceptum feramus, oportet, quatenus id ſeruat, ſine quo ne reliqua queant ſubſiſtere. Si omnia propter hominem & hominem ipſum ſeruat Medicus, nimirum omnium nomine gratia debetur Medico, ſi non viuit, quia morbis obnoxius eſt & vitam ſalubrem aut reddit, aut tuetur Medicus, an non conuenit hunc ceu vitæ parentem agnoſcere?

Hæc haud dubiè magna ſunt Medicorum encomia, quos ceu ſanitatis noſtræ parentes agnoſcimus, & veneramur, eo omnibus gratiores futuros magiſque honorandos, quo magis à ſordibus alieni fuerint: & vt mercenarii vocari nec volunt ne haberi: ſic honore ſolo contenti, in eo, tanquam ſibi propria & ampliſſima mercede conquieſcant.

COMMENTATIO XIX.

HOMO LOCATOR,
DEVS CONDVCTOR.

Dominica Septuageſimæ.

Ex contractu locationis elicit Iuriſconſultus Chriſtianus dari opera ſupererogationis.

Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: SERVI inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Lucæ 17. 10.

OPVS *ſupererogationis* appellant Theologi, quod non eſt præceptum, ac ex obligatione non tenetur præſtare is qui illud exequitur: ſed libera voluntate præſtat: non peccaturus, ſi omittat. Qualia ſunt opera conſilii, vt operibus ex præcepto debitis opponuntur. Pertinet autem ad Iuriſperitos vocabulum *Supererogationis* à ſimplici *Erogo* ductum, quod ſignificat, expendo. Cicer. 7. Verrinar. *Multas pecunias iſti erogatas in operum locationes falſas, atque inanes eſſe perſcriptas.* Quod igitur ſupra debitum quodammodo exponitur, ſupererogationis appelletur. *Opus ſupererogationis.*

Iſtiuſmodi opera eſſe aliqua, quæ à Dei ſeruis exhibeantur negant hæretici, & Caluiniſtæ potiſſimum. Qui acerrimè contendunt, neminem poſſe plus facere quam præceptum eſt, Nam quicquid facimus, aut facere poſſumus, multis nominibus debemus Deo: quemadmodum ſeruus Euangelicus, cui comparantur à Chriſto omnes Dei famuli, nihil fecit, aut facere poteſt, niſi quod debuit.

Theologi multis pugnant, ſiue dum agunt de conſiliis Euangelicis, ſiue Religioſorum *Bellar, lib. 2. de Monach. cap. 6.*

Digitized by Google

gioſorum votis, falſam eſſe & pernicioſam hanc ſectariorum perſuaſionem. Sed IVRISCONSVLTVS ex contractu locationis, & ſeruorum conditione confundit aduerſarios, & palam ſui ordinis hominibus exponit ludibrio. Ac quoniam cauſſæ ſuæ præſidium, homines rationibus omnibus deſtituti, locanr in parabola de ſeruo inutili, in illam diſquirere placuit, quantum quidem ad hunc ſacræ Iuriſprudentiæ titulum pertinet.

Lucæ 17. 7. 8. 9. 10. Verba Euangeliſtæ ſunt iſta, Lucæ 17. *Quis veſtrum habens ſeruum arantem, aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi: ſtatim tranſi, recumbe. & non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem, & bibam & poſt hac manducabis & bibes? Nunquid gratiā habet ſeruo illi, quia fecit quæ illi imperauerat, Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus. Quod debuimus facere fecimus.*

Seruus non tenetur omnia facere quæ poteſt. PRIMA DISQVISITIO. An ſeruus locans operas, quicquid facit, & facere poteſt, ſit vi contractus debitum? Res ad Iuriſperitum deferatur, ridebit quæſitoris ſtoliditatem, ſi quæſitum ſerio propoſuerit. Quid magis in vſu, dicet, quam vt vnus vineæ ſe adſtringat, qui non tenetur laborare in agro? alius ad paſcendum ſe obligat: nonnulli ad arandum: aliqui ad domeſtica munera, qui diuerſam ab ea, quam ſpoponderunt, ſeruitutem præſtare non tenentur. Neque vllus eſt, qui ita noctis & diei horas omnes domino addicit vt non aliquid ſuæ commoditati, ac quieti reſeruari velit. Quod & domini agnoſcunt. Quare ſi famuli, quod corpori curando tempus eſt attributum in domini commoda conuertant, cenſentur facere vltra debitum, & agnoſcunt beneficium patresfamilias. Sed hinc oritur

An ſeruus Domino det beneficium. Seneca lib. 3. De Benef. cap. 18. SECVNDA DISQVISITIO, quæ multum ad rem facit: An beneficium dare ſeruus domino poſſit? Quod ab Hecatone quæſitum refert Seneca & reſpondet. Sunt, qui ita diſtinguant: quædam beneficia eſſe: quædam officia: quædam miniſteria. Beneficium enim id eſt, quod quis dedit, cum illi licet & non dare. Seruus autem non habet negandi poteſtatem. Ita non præſter, ſed paret. Nec id ſe feciſſe iactat, quod non facere non potuit. Iam ſub iſta lege vincam, & eo perducam ſeruum, vt in multis liber ſit. Interim dic mihi, ſi oſtendero tibi aliquem ſeruum pro ſalute Domini ſui ſine reſpectu ſuo dimicantem, & confoſſum vulneribus reliquis tamen ſanguinis ab ipſis vitalibus fundentem & vt ille effugiendi tempus habeat, moram ſua morte quærentem, hunc tu negabis beneficium dediſſe, quia ſeruus eſt! Si tibi oſtendero aliquem, vt ſecreta domini prodat, nulla tyranni pollicitatione corruptum, nullis territum minis, nullis cruciatibus victum, auertiſſe quantum potuit, ſuſpiciones quærentis, & impendiſſe ſpiritum fidei, hunc tu negabis beneficium domino dediſſe quia ſeruus eſt! vide ne eo maius ſit, quo rarius eſt exemplum virtutis in ſeruis, eoque gratius quod cum ferè inuiſa imperia ſint, & omnis neceſſitas grauis, commune ſeruitutis odium, in aliquo domini charitas vicit: Ita non ideo beneficium non eſt, quia à ſeruo profectum eſt, ſed ideo maius, quia deterrere ab illo nec ſeruitus quidem potuit. Errat ſi quis exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcendere. Pars melior eius excepta eſt, corpora obnoxia ſunt & aſcripta Dominis: mens quidem ſui iuris, quæ adeò libera & vaga eſt, vt ne ab hoc quidem carcere cui incluſa eſt, teneri queat, quo minus impetu ſuo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cœleſtibus exeat. Corpus itaque eſt quod Domino fortuna tradidit. Hoc emit, hoc vendit. Interior illa pars mancipio dari non poteſt. Ab hac quicquid venit, liberum eſt, Non enim aut nos omnia iubere poſſumus, aut in omnia, ſerui parare coguntur. Contra rempublicam imperata

rata non facient, nulli ſceleri manus commodabunt. Quædam ſunt quæ leges nec iubent, nec vetant facere, in his ſeruus materiam beneficii habet. Quamdiu præſtatur, quod à ſeruis exigi ſolet miniſterium eſt vbi plusquam quod ſeruo neceſſe eſt, beneficium. Vbi in affectum amici tranſit, deſinit vocari miniſterium.

Eſt aliquid quod Dominus præſtare ſeruo debeat, vt cibarium, veſtiarium. Nemo hoc dixit beneficium. At indulſit, liberalius educauit, artes quibus erudiuntur ingenui tradidit, beneficium eſt. Idem è contrario fit in perſona ſerui. Quicquid eſt quod ſeruilis officii formulam excedit, quod non ex imperio, ſed ex voluntate præſtatur, beneficium eſt, ſi modo tantum eſt, vt hoc vocari potuerit, quolibet alio præſtante.

Seruus (vt placet Chryſippo) perpetuus mercenarius eſt. Quemadmodum ille beneficium dat, vbi plus præſtat quam quod operis locauit, ſic ſeruus vbi beneuolentia erga dominum fortunæ ſuæ modum tranſit, & altius aliquid auſus, quod etiam felicius nato decori eſſet, & ſpem domini anteceſſit, beneficium eſt intra domum inuentum.

An æquum tibi videtur, quibus ſi minus debito faciant, iraſcimur non haberi gratiam, ſi plus debito ſolitoque fecerint? Vis ſcire quando non ſit beneficium? Vbi dici poteſt, quid ſi nollet? Vbi verò id præſtat, quod nolle licuit, voluiſſe laudandum eſt. Inter ſe contrarium ſunt beneficium & iniuria. Poteſt dare beneficium domino, ſi à domino iniuriam poteſt accipere. At qui de iniuriis dominorum in ſeruos, qui audiat poſitus eſt, qui & ſæuitiam & libidinem, & in præbendis ad victum neceſſariis auaritiam compeſcat. Quid ergo? Beneficium dominus à ſeruo accepit? Imò homo ab homine. Denique quod in illius poteſtate fuit, fecit, beneficium domino dedit. Ne à ſeruo acceperis, in tua poteſtate eſt. Quis autem tantus eſt, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat?

TERTIA DISQVISITIO. An hæc vera quoque ſint in DEI ſeruis? Sunt vera quadantenus. Nam in primis DEO nemo dare poteſt beneficium proprie. Non enim accipit commodum vllum DEVS à ſibi famulante, cum nihil in vtilitatem eius retundet. Sibi ſufficientiſſimo, & nullius egenti nihil eſt vtile, ſicut nihil damnoſum: vtilitas tota retundat in locantem officio, & affectu operantis, côtentus eſt conductor. Humana ſeruitus, vt ex Seneca audiuimus non deſcendit in totum hominem: animus liber eſt, & nulli quamuis maximo Domino obnoxius. Contrarium euenit in ſeruitute Dei. DEVS ſpirituum ponderator, ſcrutator venum & cordis, animum potiſſimum attendit: cor ſibi offerri imperat: illius exhibitione delectatur. *An homo det Deo beneficium.*

Attamen plus poteſt facere, qui Deo ſeruitutem debet quam à Deo imperetur. Eſt illa bonitas optimi patrisfamilias, vt non omnia, quæ mandare poſſet præcipiat: ad multa imperio non cogit, nec obligat: plurima libertati noſtræ relinquit, quæ omittere ſine peccato poſſumus: & tamen ſi fiant, vt Deo gratiores ſimus, ipſe non improbat, imo remuneratur.

DEVS vniuerſè non mandauit à nuptiis abſtinere. De virginibus præceptum Domini nullum ſe habere Paulus teſtatur: itaque libere quilibet ſuo arbitratu eligere poteſt, vel cœlibem vitam, vel coniugalem: ſi tamen vt Deo melius ſeruiat, caſtitatem colere conſtituat, melius facit ex Pauli ſententia, quam ſi ſtatum matrimonialem ineat. Facit igitur aliquid non iuſſus, & bonum exequitur, ad quod non obligatur. Abſtinens à cibo, cum eo frui per leges diuinas, & humanas liceret: ſed gulam tuam Deo ſacrificas, non ignarus placari virtutis amatorem his officiis. *1. Cor. 7. 25.*

Digitized by Google

Itaque plus facis, quam facere debebas: quia facis quidpiam, quod non facere abſque omni crimine potuiſſes. In Hollandia dum prælium aliquod imminet, aut periculoſa expeditio, indicitur publica oratio, & generale ieiunium. quomodo colatur, non inquiro. Certe illius ieiunii aut comprecationis nullum extat præceptum in Euangelio & tamen Deo gratum fore, impetratorium, imò meritorium victoriæ non dubitant Ordines: cur enim alioqui ſubditis, vel præſcriberent, vel ſuaderent? Coguntur igitur fateri Caluiniani, fieri multa à Dei ſeruis, quæ, ſi omitterentur, crimen non incurrerent: & conſequenter poſſe nos bona quædam agere, ad quæ Deus non obligauit ſeruituti ſuæ addictos.

Caluinus in Harmonia.

OBIICIT Caluinus & ex eo Pareus, Beza, alii. Comparat nos CHRISTVS, non cuilibet ſeruo: ſunt enim nonnulli mercenarii, quorum arbitrio & libertati nonnihil relinquitur, ſed mancipio: quod quantum quantum eſt, domini ſui eſt. Quocirca cum omnia quæ poteſt facere, debeat, nihil poteſt facere, vltra quod debeat. Sit itaque

Seruus inutilis an ſit mercenarius vel mancipium.

QVARTA DISQVISITIO. AN ſeruus inutilis apud Lucam non ſit mercenarius, ſed mancipium? Hoc arripit Caluinus vel fingit. Si Scripturæ phraſin conſulamus, ſeruorum nomine non mancipia modò, ſed etiam mercenarii intelliguntur. Certè Hebræi non erant Regum ſuorum mancipia, & tamen paſſim in Diuinis litteris ſerui appellantur. Nec atrienſes omnes, mediaſtini. Et viliſſima domus ſeruitia idcirco ſunt mancipia quia vilibus deſtinata miniſteriis. CHRISTVM autem non mancipiis conferre ſuos, ſed mercenariis conſtat ex parabola conductoris & operas locantium. Et in hac parabola, cum dicit CHRISTVS *Nunquid gratiam habebit ſeruo illi*, indicat planè de eo ſe loqui ſeruo cui dominus gratiam haberi ſoleat: gratia autem non mancipio habetur, ſi aduerſarii conſulantur, ſed ſeruo.

Quod ſi profanos conſulamus, ſeruus perpetuus mercenarius eſt, ex Chryſippi ſententia, quam Seneca approbat. Ex tot autem hactenus diſputatis, quid elicies aliud, quam qui Deo operam ſuam locarunt, eſſe *μισθωτοὺς*, ſeu *μισθοφόρους*, veros mercenarios. Sed demus, ad quod concedendum minimè cogimur, ſeruum inutilem, de quo eſt controuerſia, eſſe mancipium. De hoc ipſo eſt

Mancipium poteſt plus facere quam debeat.

QVINTA DISQVISITIO. An mancipium poſſit plus facere, quam debeat? Poſſe demonſtrat parabola, Caluini ſenſu. Nam ille putat per ſeruum à CHRISTO deſignari mancipium. Sit ita. At ſeruo, quem Chriſtus nominat, poteſt dominus habere gratiam. Ergo is ipſe ſeruus plus poteſt facere, quam debeat. Cum enim Chriſtus aſſerit, dominum non habiturum ſeruo vllam gratiam, quia nihil fuit vltra quam debebat, inſinuat, eundem ipſum ſeruum agere quidpiam potuiſſe: quod ſi feciſſet, gratiam illi dominus fuiſſet habiturus.

Deinde: Mancipium non tenetur facere, niſi quod à domino illi præcipitur, aut ad quod conſuetudo, quæ mandati ſpeciem habet illum obligat. Multa autem ſunt quæ mancipiis vel à dominis vel conſuetudine præcipiuntur.

Paulum accipe, quem mancipium eſſe Caluinus pronunciat. Is liberè conteſtatur, ſe nequaquam vſum eſſe ea poteſtate, qua ceteri cooperatores, quæ ad vitæ ſuſtentationem erant neceſſaria iure poſtulabant. Ergo faciebat aliquid, ad quod non obligabatur, quia priuabat ſe illo commodo, quo frui potuiſſet.

Tandem,

Digitized by Google

Tandem, quæ diſputat Seneca de ſeruis, qui beneficium domino dare poſſunt ad mancipia pertinent.

At poteſt dominus à mancipio exigere tanquam debitum, quicquid ab eo prouenit. Non diſputo, an id verum; ſane non eſt fas domino priuare mancipium quiete ad vitam producendam neceſſaria, de qua ſi quidpiam ſibi detrahat, id domino non debet. Sed ita ſe res habeat, vt fingis. Nemo tamen tam crudelis eſt, vt quicquid ſummo iure poteſt exprimere, id exigat: ſed humanitatis memor nonnulla remittit: & contentus mediocri labore, ac certa lucri portione, ſi quid præterea poſſit, mancipium illi relinquit. DEVS quidem vt ſupremus Dominus, vitæ, ac necis auctor, ſi ſummo nobiſcum iure agere vellet, ea quæ conſilii tantum ſunt, præcipere nobis potuiſſet, adeo vt nihil, niſi quod mandatum eſt faceremus. Sed noluit nos hac lege obſtringere, dans occaſionem vt plus aliquid, quam præceptum vrget libere faciamus.

An à mancip. omnia poſſint exigi.

SEXTA DISQVISITIO. Quare dicatur ſeruus inutilis, qui fecit, quod debuit: & nos omnes ſimus ſerui inutiles poſt fidelem DEO operam præſtitam? Hoc maxime vrgent aduerſarii. Petrus Martyr verba Chriſti, inquit, Lucæ 17. *Cum feceritis hac omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus, qua debuimus facere, fecimus,* commentum de operibus ſupererogationis prorſus excludunt.

In quo ſit & ſit inutilitas ſeruorum.

RESPONDET Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 13. ad 4. Petrum eo loco non egiſſe fidelem martyrem: nam omiſit ea verba, in quibus latebat ſolutio.

Bellarm. lib. 2. de Mona. cap. 13.

Non enim Dominus ait: *Cum feceritis omnia, dicite: ſerui, inutiles ſumus. Sed: cum feceritis hac omnia, qua præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus: qua debuimus facere fecimus.* Vnde Ambroſius Libr. de Viduis. *Hoc,* inquit, *virgo non dicit: hoc non dicit ille, qui bona ſua vendidit, ſed quaſi repoſita expectat pramia, ſicut S. Apoſtolus dicit*: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? *Non enim quaſi inutilis ſeruus quod facere debuit, feciſſe ſe dicit, ſed quaſi vtilis domino, qui commiſſa ſibi talenta, quaſitis multiplicauit vſuris, mercedem fidei atque virtutis bene ſibi conſcius, meritorumque ſecurus expectat.*

Conſiliū Chriſti non eſt amplexus ſeruus inutilis.

Addit Bellarminus: Dominum non dixiſſe *ſerui inutiles eſtis*: ſed, *dicite, ſerui inutiles* ſumus. Vult enim nos humiles eſſe, & non iactare noſtra merita: Sed ipſe tamen poſtea dicit: *Euge ſerue bone & fidelis: quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Inutilem autem ſeruum vocabit eum duntaxat, qui præceptis non obedierit, vt patet Matthæi 25. in Parabola de Talentis: *Inutilem,* inquit, *ſeruum proiicite in tenebras exteriores.*

Quod de humilitate dicit Bellarminus, antiquorum eſt interpretum. Cum enim, qui facit officium non videatur dici poſſe inutilis, exiſtimant, humilitatis cauſa hoc à Chriſto nobis inculcari: nempe vt non extollamur, ob exiguam illam noſtram, quam præſtamus, opellam. Ita Origenes Homilia 12. in Ioannem, & Chryſoſtomus Homil. de Pœnitentia. Quæ humilitas & de nobis vilis exiſtimatio veritati non eſt contraria.

Serui inutiles ex humilitate nos dicere debemus.

Eundem Parabolæ ſcopum agnoſcit Theophylactus, qui hunc in modum diſſerit. Monſtratur per hanc Parabolam, quod non oportet extolli in bono quopiam opere, imo neque in omnium mandatorum impletione. Seruo enim neceſſitas incumbit, vt faciat mandata Domini, neque bonum opus ſibi adſcribere debet. Quippe ſi non operabitur, dignus eſt multis plagis: quum autem operatus fuerit, contentus ſit, quod plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc pretium, vel honorem

Theophylacti interpretatio.

Digitized by Google

notem quærere. Liberalitatis enim Domini fuerit dare, imo largiri ei. Igitur, vt qui ſeruit Deo, etiamſi mandata perficiat, non debet extolli. Nihil enim magnum fecit, ſed væ erit ei niſi fecerit: ſicut Apoſtolus dicit, væ mihi niſi euangelizauero. Proinde ſi dona fu[...]t adſequutus, non debet inde ſuperbire, & de iis ſe iactare: beneficia enim ſunt per miſericordiam Dei illi conceſſa: non quod debeat ei aliquid Dominus. Imo ſeruus debet Domino ſuo, vt faciat omnia eius mandata. Si autem, & cum omnia eius mandata fecerimus, neque tum debemus magnum quiddam ſentire: quantum peccamus, cum maximam partem mandatorum Dei non perficimus & nihilominus extollimur?

S. Ambroſius in Commen. Luc. D. Ambroſius eundem modeſtiæ nobis ingerendæ finem Christo fuiſſe aſſerit: & ideo inutiles nos ſeruos docet, quod quicquid efficimus, Dei gratia præſtamus, ſine qua trunci inſtar, nulla in nobis virtute viuida reſidente, nihil omnino poſſemus.

Pareus lib. 5. de Iuſtit. c. 5. Hanc interpretationem carpit Dauid Pareus Caluiniſta, & negat ad rem eſſe: hunc enim ſcopum non potuiſſe Christvm intendere, cum aperte cauſam inutilitatis ponat: *Cum feceritis omnia, dicite: ſerui inutiles ſumus.* Sed multo ingenioſius expoſitionem ſuam à Chriſti verbis deducit Ambroſius, quam, vt à Caluiniſtico ſtupore eludi poſſit. Audiatur facundiſſimus Antiſtes.

Iure Domino debemus obſequium. *Hoc ideo, vt nemo in operibus glorietur, quia iure Domino debemus obſequium. Nam ſi tu non dicis ſeruo aranti, aut oues paſcenti: Tranſi, recumbe (vbi intelligitur, quia nullus recumbit, niſi ante tranſierit. denique & Moſes ante tranſiuit, vt magnum viſum videret) ſicut ergo tu non ſolum non dicis ſeruo tuo,* Recumbe: *Sed exigis ab illo aliud miniſterium, & gratias ei non agis: Ita nec te patitur Dominus vnius eſſe operis, aut laboris, quia dum viuimus, debemus ſemper operari.*

Dat gratiam operandi Dominus. *Ergo agnoſce te eſſe ſeruum pluribus obſequiis defæneratum. Non te præferas quia filius DEI diceris. Agnoſcenda gratia: ſed non ignoranda natura. Neque te iactes, ſi bene ſeruiſti, quod facere debuiſti. Obſequitur ſol, obtemperat luna, ſeruiunt angeli. Vas gentium electus à Domino. Non ſum, inquit, dignus vocari Apoſtolus, quia perſequutus ſum Eccleſiam DEI. Deinde alibi nullius ſe oſtendens conſcium culpæ ſubiecit,* Sed non in hoc iuſtificatus ſum. *Et nos ergo non à nobis laudem exigamus, nec præripiamus iudicium* Dei *& præueniamus ſententiam iudicis, ſed ſuo tempore iudici reſeruemus.*

Obiectio. Sed hæc ipſa ſatis declarant, dicere poſſet quiſpiam, quod Caluiniani maxime vrgent; Nihil nos poſſe facere, quod Domino non debeatur: neque præmium, aut mercedem expectare nos debere. Quicquid enim facimus, pluribus nominibus Deo offerendum fuit.

Reſponſio. Huic obiectioni diluendæ deſeruit acuta Euthimii in Lucam commentantis diſtinctio, quam adprobat Maldonatus. Nimirum: alia à nobis deberi Deo, quia ab eo à nobis donata: alia, quia præcepta. Si ſpectentur illa, quæ à Deo accepimus, omnia illi debemus, quia omnia accepimus. Si ſpectentur illa quæ præcepit, vt faciamus, multa illi non debemus, quia multa non præcepit, imbecillitati noſtræ conſulens: vt ſuperius ſatis demonſtratum eſt.

Caluinus in Zachæo agnoſcit opus ſupererogationis. Luca 19. Caluin. pag. 257. Et exemplo oſtendit Caluinus, ſuorum ſæpe immemor dogmatum, exponens Zachæi factum dimidium bonorum dantis pauperibus, & reddentis quadruplum, ſi defraudaſſet aliquem. *Ceterum, Zachæus,* inquit hæreſiarcha, *ſuo exemplo neceſſitate alios minime obſtrinxit, vt ſe dimidia bonorum ſuorum parte denudent. Sed tantum tenenda eſt regula, quam præſcribit Dominus, vt nos & noſtra omnia conſecremus in ſanctos vſus, & legitimos.* Itaque liberum eſt aliquibus id facere, non tamen neceſſarium: qui id faciunt,

faciunt, plus, quam tenentur, faciunt. Non igitur præcepit DEVS facere bona omnia, quæ potuiſſet imperare & ab hominibus præſtari queunt. Certe nulla lex eſt à DEO lata, quæ iubeat dimidium bonorum pauperibus diſtribuere. Et ſi id non feciſſet Zachæus, in legem diuinam non deliquiſſet.

Alio tamen modo inutilitatem ſerui exponit Beda, & Nicolaus Lyranus, vt INVTILIS dicatur, quia DEO ſuo famulatu nullam vtilitatem adfert. Quod veriſſimum eſt. Nam nullius rei extra ſe DEVS eſt indigens. Omnes dicimus cum Dauide: *Domine* DEVS *meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* DEI natura, vt canebat ille *Seruus Deo nullam vtilitatem adfert.* *Pſal. 15. 2.*

Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri. ſed alio videtur ſpectaſſe Chriſtus, nominando *ſeruum inutilem*, qui nihil facit præterquam quod illi iniunctum eſt, quod ni faceret vapularet plagis multis. Eiuſdem Bedæ venerabilis ſenſu *ſerui inutiles ſumus*, quia & ſi aliquid mercedis meriti ſumus, minus tamen meruimus, quam nobis dabitur, ſi labor noſter, merceſq; æqua lance penſentur: quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam Rom. 8. 18. Sed neque hoc CHRISTI attingere videtur mentem, quam in fine aperiemus.

SECVNDA DISQVISITIO. An *ſeruo*, Euangelice *inutili* non debeatur merces? Non deberi vllam hominibus mercedem, quamuis præcepta omnia obſeruauerint, colligit ex *Parabola* illa Caluinus & eius aſſeclæ, qui ita argumẽtatur. Seruus inutilis nihil meretur, quãuis omnia faciat, quæ debet, Ergo & nos nihil meremur, quamuis quæ imperata ſunt, faciamus omnia. Conſequentia eſt euidens, Antecedens patet, & probatur. Qui, quod debuit facere, tantum fecit, nihil meretur. Sed ſeruus inutilis, tantum quod debuit facere, fecit. Ergo nihil meretur. *Seruo inutili an merces danda.*

Argumentum plumbeum, cuius neruus eſt iſte: *Facientes quod facere debent, nihil merentur.* Quem ſi tendat IVRISCONSVLTVS, conficeret, nihil mereri operarium laborantem ex contractu in vinea: nihil militem in caſtris aſſiduum, & in hoſtes expeditum: nihil famulum, domino ad manus ad pedes, ad obſequia omnia paratiſſimum. Denique nihil fabrum, ſutorem, ſartorem, vno verbo opificem quemlibet nihil, facit enim tantum quod debet, & ad quod conductus eſt. *Facientes, quod facere debent nihil merentur.*

Hoc fundamento inſiſtunt impia Caluiniſtarum dogmata. In ſeruandis præceptis nullum eſſe meritum. Homines probos ac Deo caros, apud Deum nihil promereri, quia plus facere non poſſint, quam debeant. Operario fideli nullam expectandam mercedem, quamuis præcepta Dei omnia exequatur. *In ſeruandis præceptis an meritum.*

Nos contraria ſtatuimus. Nam inprimis falſum eſt. Neminem plus facere poſſe, quam debeat. Verum iſtud, plus fieri à multis, quam præceptum ſit. Falſum & contra ius omne, tam diuinum, quam humanum: Ex eo quod debitum eſt, non eſſe meritum, nec mercedem. Verum illud: Conductorem ſtricto iure mercedem debere famulo, quamuis vltra debitum nihil faciat. *Catholicorum dogma.*

Sed bene monuit Ambroſius: Agnoſcendam gratiam; non ignorandam naturam. Nimirum: ſi naturam ſpectes, potuit Dominus omnia à nobis exigere abſque mercede, cum ab illo habeamus omnia, ac proinde repoſcere poſſit omnia. Sed gratiæ eſt, quod ſummo iure vti noluit, quod non omnia præceperit: quod mercedem ſe daturum fideliter laborantibus ſpoponderit: quod meriti rationem in operibus ex mandato neceſſariis locarit: quod minus à malo abſtraxerit, pollicitatione ad bonum inuitauerit. *Agnoſcenda gratia.*

Hanc boni patrisfamilias benignitatem deprædicat, & exaggerat Auguſtinus, & qu- *Promiſſio Dei. Aug. Serm. 3.*

Digitized by Google

de verbo Domini. *Legis cognitio non facit perfectum.*

& quomodo ſerui inutiles ſimus, quomodo nihilominus mereamur, & præmium ac mercedem expectare debeamus declarat. *Neque perfectio*, inquit, *in legum notitia eſt conſtituta, cum ſit ſcriptum.* Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Devm, ſed factores legis iuſtificabuntur: *Neque is religioſus & ſanctus eſt, qui nouit, legem ceſſantibus factis, cum expedit facere magis, quam docere, quia moleſtum eſt, docere & non facere.*

Dei bonitas in mercede conſtituenda pro obſequiis debitis.

Vos amici mei eſtis, ait Dominus, ſi feceritis ea, quæ mando vobis. O magna bonitas Dei, cui pro conditione reddere debeamus obſequia, vtpote servi Domino, famvli Deo, svbiecti Potenti, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obſequia debita ſeruitutis extorqueat: vt quos nolle ſeruire conſpicit ſponte, ſuorum beneficiorum poſſit promiſſionibus inuitare: & quorum voluntates à ſe conſpicit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus conſtituat ſuas.

Nam vnde frequenter aut inuitat præmio, aut terret ſupplicio, niſi vt benignitatis conſilio à ſe formato homini conſulat, redempto prouideat? vt qui non terretur ſupplicio, inuitetur præmio: &, quem metus à factis reuocare non poſſit, promiſſionum benignitas poſſit. Cupit enim etiam nolentibus ſubuenire, deſiderat miſereri peccanti, ſi is, qui peccauerit, dignos fructus exhibeat pœnitentiæ. Inuitus enim in reos vindicat, ſi rei indulgentiam miſerantis non contemnant. Amat enim corripi peccatores, qui in vitam, non in mortem à principio conſtituit homines. Ipſe enim ſibi infert interitum, qui medentis Domini contemnit conſilium. Reuertimini, inquit, ad me, & reuertar ad vos. Et iterum: Nolo mortem morientis, tantum reuertatur, & viuat. Non vult Dominus in quempiam dominari mortem, non vult in pœnam deduci hominem, quem in vita conſtituit. Ceterum homo ipſe ſe dignum efficit morte, qui non paruit legi. Odit vitam, qui diuinam contemnit diſciplinam. Nam cum Dominus vellet homini demonſtrare, quæ obſeruanti vitam, contemnenti adferunt mortem, inuitauit præmio, terruit ſupplicio. Ita enim de contemptu vita non potuit prouenire, vt de obſeruantia mors euenire non poterit: vt iam homo, quod voluerit, mereatur; & eo, quod meruerit iudicetur. Et hoc totum in poteſtate hominis conſiſtit, qui ſibi ex qualitate vitæ, meritum, quod haberet inuenit.

Pronunciata Auguſtini.

Ita Auguſtinus diſputat. Quæ, ſi bene intelligo, & quis tam dilucida, in quibus nihil obſcuri, non bene intelligat? Eſt homo mancipium ſui redemptoris. Totus quantus Dei eſt. Eius opera pleraque Deo ſunt debita: Sint etiam omnia eius conditionis: nam hoc modo non agitur. Nulla hominis opera Deo quicquam proſunt. Vere ſerui inutiles ſumus: quod debemus facere facimus. Et tamen promittit mercedem ex debito operanti: & facit vt homo, quod voluerit mereatur, & eo, quod meruerit iudicetur.

Caluiniſtarum friuola ratiocinatio. *Dauid Pareus lib. 5. de Inſtit.*

Ex his diſce, quam ſint friuola, quæ Caluiniſtæ hinc eliciunt. In vno reliquorum agnoſcite temerariam audaciam. Dauid Pareus: Eſt hoc ſane, inquit, egregium; nos dici servos invtiles, quoniam cum omnia mandata ſeruauimus, nihil fecimus vltra id quod debemus: imo, nihil facimus, niſi quod debemus: & nihil nos inde iuſtæ mercedis petere poſſe, nullumque præmium Devm pro operibus nobis impiis debere.

Hæc, inquam, egregie ad mentem Christi *Aduerſarius non ex Auguſtino deſcripſit: ſed inconſiderate ad ſe ipſum iugulandum ſcripſit. Conſiderate enim ſingula, ſi nos omnia facientes, nihil facimus vltra id quod debemus (debuit dicere ex mente* Christi*: ſi nihil facimus, niſi quod*

Digitized by Google

quod facere debemus) Igitur omnia quæ facimus ſunt opera debita, Falſum igitur, quod ſint vitæ æterna merita.

Mala collectio: cum idem poſſit eſſe debitum, ac meritum: ſi operi debito accedat promiſſio præmii, vel pactum de mercede, quod Auguſtinus agnoſcit. Pergit Pareus. *Si omnia facientes, nihil facimus vltra id quod debemus: Seu, quod DEVS præcepit: falſum igitur, nos poſſe vltra id, quod debemus: ſeu quod DEVS præcipit, præſtare.*

Sed adſumitur hic quod Catholici omnes negant, non poſſe fieri, niſi quod præceptum eſt: ſeu, omnia quæ facere poſſumus eſſe DEO debita: nempe mandati debito, de quo eſt controuerſia. Sed nondum omnibus difficultatibus videtur ſatisfactum: Sit itaque

OCTAVA DISQVISITIO. An *ſeruo inutili* debeatur gratia? Quærit Dominus; *Gratia non* *Nunquid gratiam habebit ſeruo illi* herus, *quia fecit, quæ ei imperauerat*? Interrogatio vim *debetur ſeruo* obtinet negandi, vt ſæpe. Iam vero ita ratiocinantur Caluiniani Dialectici. Cui *inutili.* non debetur gratia, non debetur merces. Seruo inutili non debetur gratia. Ergo non debetur merces. Ex mera ignorantia iuris, & vocabulorum, quæ in iure diuino vulgaria ſunt, conficitur hæc obiectio. Itaque docendi ſunt ignorantes.

Aliud eſt mercedem debere; aliud debere gratiam, hoc reſpicit quidpiam, quod *Merces eſt di-* officio cui quis adſtringebatur, fuit ſuperadditum: illud officium ſimpliciter de- *ſtincta à Gra-* bitum. Itaque *Gratia* eſt additamentum mercedis, & corollarium, quod non de- *tia.* betur illi, qui nihil niſi iuſſa exequitur, ob quod mercedem accipit. Certe famulus, qui non niſi, quod ex vi contractus locationis tenetur, facit gratiam à domino non expectat, quamuis mercede priuari iuſte non poſſit.

Hoc ergo loco *χάριν ἔχειν*, ſiue *gratiam* habere, eſt, dare nonnihil præter conſti- *χάριν ἔχειν.* tutam mercedem. DICES fortaſſe in theſauro linguæ Græcæ & Latinæ haud peregrinus, *Gratiam habere* tam Latine, quam Græce, ad ſolum animum ſpectare: ſicut, *Gratiam ha-* *Gratiam referre, χάριν ἀναφέρειν*, aut ἀποδοῦναι ad remunerationem. Verum id qui- *bere.* dem in vſitatis formulis, quas ſi hic vrgeas; dicam, domino, non teneri famulo imperata facienti, nec ſolere gratiam habere, etiam animo, multo minus, ſolere agere verbis.

Sed vt erudite notat Maldonatus: ſæpe eſt in iſtiuſmodi locutionibus Tapinoſis, *Tapinoſis.* qua plus inſinuatur, quam exprimitur. Sicque vulgo dicere ſolemus: Hoc ſi feceris, gratiam habebo, indicamus autem, nos non habituros modo, verum etiam relaturos gratiam. Significat igitur Chriſtus, dominum ſeruo *inutili* nihil ſuperaddere mercedi debito. Nec eſſe, quod nos glorìemur, ſi diuina præcepta obſeruauerimus, aut ampliorem mercedem expectemus, quam quæ obſeruantibus præcepta eſt conſtituta.

NONA DISQVISITIO. *An ſeruo inutili* in CHRISTI parabola, dominus merce- *Seruo inutili* dem vt dare debuerit, ita dederit? Negat Caluinus. Quod idem eſt, ac adfirmare, *merces data.* iuſtum patremfamilias, ſeruo, qui in agro primum toto die ſtrenue laborauerat, deinde cænanti miniſtrarat, nullam ob locatas operas mercedem dare: quod iuſtitiæ eſt contrarium. Quamuis autem in parabola non fiat mentio expreſſa mercedis, nam non faciebat hoc ad ſcopum Parabolizatoris: tamen, non etiam dicitur, Nunquid mercedem dabit illi? Nam tanquam certam ex contractus conditione hoc ponendum erat, mercedem quidem illum habiturum ſuam: ſed præter hanc nullam mereri gratiam.

Vocatur autem Gratia, *corollarium mercedis*, ſiue, vt vulgo dicunt, *honorarium*, vel *Corollarium*

 bibale, mercedis, cur

gratia dicatur. **Ein trinckgelt.**

bibale, quia non ex pacto, & iure contractus, ſed ex domini beneuolentia, &, morali vt loquimur, æquitate, honeſtateque dari ſolet. An etiam debetur? Et hoc admitti poteſt. Aguntur tamen pro eo, ſicut pro ſtrenis & xeniis gratiæ à famulis: non ita pro mercede, quo ſignificant ſtricto iure ſibi non deberi.

Quis ſit in Parabola ſeruus inutilis.

Decima Disqvisitio. Quis in Parabola Euangelica dicatur *ſeruus inutilis*? Verbis ſacri hiſtorici deſignatur ſeruus ruſticus: *Quis habẽs ſeruum arãtem aut paſcentem* inquit Euangeliſta, qui *regreſſo de agro*: Græce εἰσελθόντι ἐκ τοῦ ἀγροῦ: quidam legunt ἐλθόντι. Noſter optime, regreſſo: ac ſi eſſet ἀνελθόντι, vel ἐπανελθόντι. At cuius pecoris paſtor fuit ſeruus inutilis?

Lucas Brug.

Lucas Brugenſis. ***In quibuſdam vetuſtis libris, etiam Epanorthota additur.*** Boues (boues paſcentem) ***nominatim in Brugenſi: in quibuſdam***, oues, ***duobus huius Eccleſiæ*** E, & F. ***Complures libri neutrum legunt conſonante Beda: neque Græce eſt horum alterum, dumtaxat ποιμαίνοντα. Sed ſi alterum horum addere oportet, fauent Græca iis potius, qui oues addunt, quam qui*** boues, ***quia ποιμαίνειν, proprie de paſtoribus ouium dicitur. Quocirca & D. Ambroſius, oues aut legit, aut intelligit: & Syrus agens Paraphraſtem, vertit***: Ducentem par boum, ***aut***, paſcentem oues: ***bobus enim arabatur.***

Doctores Eccleſiæ, Paſtores.

Certe, Græce, paſcendi verbum nullum habet accuſatiuum; ponitur enim apud Græcos eleganter abſolute: nec Cyprianus legit lib. 5. ad Quirinum. Et quoniam qui paſcunt in eccleſia gregem, & arant dominicum campum ſunt Doctores. Beda hos denotari putat, & doceri: non oportere ſatis habere Doctores ſi populum doctrina pauerint, & Eccleſiæ agrum arauerint, debere etiam domino miniſtrare, debere illi ſacrificia & preces offerre. Maldonatus aratione, ac paſtione nihil ſignificari putat quam conſuetum ſeruorum laborem: & arantem paſcentemque ſeruum nihil continere myſterii, ſed narrationis probabilis eſſe complementem, ac emblema parabolæ.

Ex his colligit contra religionis ſanæ aduerſarios Ivrisconsvltvs Christianvs. Primo, poſſe ſeruum quemlibet, etiam Mancipium, facere vltra, quam debeat. Nam quamuis ſeruus quicquid eſt, Domini ſit, & quicquid agat, in lucrum Domini cedat, non tamen facit ex debito quicquid facit, nam poteſt de ſomno ſibi conceſſo, in domini gratiam aliquid detrahere: poteſt tempus commodis ſuis datum domino tranſcribere, poteſt alia multa, quam quæ imperata ſunt præſtare. In his autem ſimilibuſque euentis, plus facit, quam tenetur.

Secundo: Non omnia quæ Devs iure exigere potuit, lege mandaſſe: ac proinde, non omnia quæ fiunt, fieri ex præcepto.

Tertio: In opere ex præcepto debito eſſe rationem meriti & mercedis. Sane præceptorum obſeruationi mercedem reſpondere totius in ſcriptura inculcatur, vt mirum ſit potuiſſe id in dubium reuocari. Clariſſima ſunt loca Matt. 5. 12. & 10. 41. 42. Marci 9. 41. Lucæ 6. 23. 25. 1. Corinth. 3. 8. 14. 2. Epiſt. Ioan. 8. Apocal. 11. 18. Apocalypſ. 22. 12.

Quarto: Quamuis nullum opus ſerui ex ſe ſpectatum mereatur mercedem regni: mereri tamen ob pactum Dei, & contractum initum, ſuppoſita operis bonitate ſupernaturali ex gratia. Atque ita docet S. Thomas 12. Q. 114. abſolute nos nihil mereri, ſed ex ordinatione Dei. *Quinto*: Seruo nihil præter debitum operanti nullam deberi gratiam, id eſt, nihil præter pactam, & conſtitutam mercedem. Non gloriandum homini ſi præcepta ſeruauerit: nam nihil ſingulare, nihil eximium, nihil, quod non quilibet ſeruus facere tenetur, fecit.

Sexto,

Sexto, ſeruo facienti vltra debitum gratiam haberi. Nam ſi non facienti plus nulla debetur gratia: aliqua debebitur, ſi non ex iure, ſaltem ex morali honeſtate facienti quidpiam amplius.

Septimo: vt præceptorum diuinorum obſeruationi certa reſpondet merces: ita conſiliorum obſeruationi reſpondet mercedis cumulus, ſeu auctarium, quod gratia vocatur à Chriſto, à D. Paulo etiam Gloria Sed & merces dici poteſt, bona, conferta, coagitata, & ſupereffluens. Itaque incitandi ſunt Chriſtiani ad conſiliorum obſeruationem. Quod fecit Chriſtus in exhortatoria ad adoleſcentem diuitem *Si vis perfectus eſſe, vade, vende vniuerſa, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Matt. 19.21.

Octauo: Licere operari mercedis intuitu. Nam vt loquentem audiuimus Auguſtinum: DEVS *præmia amicitiarum promittit: promiſſionibus inuitat.*

Nono: Nullam nos DEO laboribus, & ſeruitute vtilitatem adferre. Quod non ex eo eſt, quod nihil homines faciant: ſed quod ea DEI ſit nullius indigentis natura.

Decimo: Seruos inutiles dici, qui nihil aliud faciunt, nam quod tenentur præſtare: ſeu, quibus nulla à domino debetur gratia. Qua voce, non ſignificatur merces labori reſpondens, quæ ſeruo ſic inutili debetur, ac dari ſolet, ſed mercedis cumulus, & corollarium, quo ſerui, qui plus, quam debebant, laborauerunt, donari ſolent.

Vndecimo: Humilitatis incitamentum eſſe debere INVTILITATEM noſtram. Vt docent Origines Homil. 12. In Ioſuæ Cyprian. lib. 5. Epiſt. 6. & lib. 3. ad Quirin. cap. 51. Chryſoſt. Sermone de pœnit. Hiero. Epiſto. ad Cteſiphont. contra Pelagian. Bernardus ſerm. 4. in Pſal. 11. Et Epiſt. 142. Tandem, quo ſignentur hæc omnia.

Libro de præcepto & diſpenſatione Cap. 19. Vbi ſic diſſerit: Conſtat nonnulla nec fieri ſine gloria, & poſſe non fieri ſine culpa, ideoque ſi fiant digna eſſe præmiis, non tamen ſuppliciis ſi non fiant. Nam & non tangere mulierem, meriti eſt non mediocris, & nullius tamen delicti propriam amplecti coniugem. Iſtiuſmodi ſunt quæcunque euangelico illi capitulo congruere poſſunt. Qui poteſt capere, & rurſum quædam per contrarium neglecta quidem offenſam contrahunt, ſed impleta gloriam non merentur, & damnant contemptorem, & auctorem non glorificant. Talia ſunt quæcunque diuinitus lege publica imponuntur hominibus, ſine quibus nec ſaluari quæunt. Hinc illud apud Gentilem. S. Bernard. lib. de præcept. & diſp. ca. 19.

Non feci furtum, non paſces in cruce coruos.

Et in Euangelio: Si diligitis eos qui vos diligunt, quem mercedem habebitis? ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Denique & vniuerſaliter cum feceritis omnia, quæ mādata ſunt vobis, dicite, quia ſerui inutiles ſumus, quæ facere debuеramus, fecimus. Ac ſi dicat: ſi ſolis contenti eſtis præceptis & traditionibus impoſitæ legis, & non ſponte etiam perfectionis vos conſiliis & ſuaſionibus mancipatis, liberi quidem eſtis à debito, non tamen pro merito glorioſi. Euaſiſtis pœnam, ſed non acquiſiſtis

CORONAM.

COMMENTATIO XX.

Dominica Septuageſimæ.

DEVS LOCATOR,
HOMO CONDVCTOR.

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Lucæ 8. 5.

Homo plantauit vineam & locauit eam colonis. Lucæ 20. 9.

HOMO DEI COLONVS.

Ingreſſus in rem.

HActenus de contractu *conducti* & *locati* Deum inter & hominem, indeque inter vtrumque ortam obligationem reciprocam multis eſt diſputatum. Sed ita, vt Deum ſemper tanquam CONDVCTOREM induxerimus, cui operas, laboreſque noſtros omnes, quam diu in hac mortali vita degimus, veluti LOCATORVM deberi demonſtrauimus. Nunc verſa vice, DEVS, LOCATOREM ſe exhibebit; CONDVCTOR erit HOMO. Vnde nouam, nec minus, quam ſuperiorem, arctam deuinctionem, ac debitum mandatis diuinis obſequendi, & omnem conatum, ad eius vnius promerendam gratiam, animarumque noſtrarum ſalutem procurandam conuertendi deriuari ex adprobatis IVRISCONSVLTORVM reſponſis probabitur.

Parabola ſeminatoris.

Id Euangelii anteà pronunciati, non permittere tantum, ſed & poſcere videbatur myſterio prægnans multiplici parabola. In qua contemptor hæc omnia: Agricolam, qui ſeminat: Agrum, cui grana committit: Fruſtrationem in multo max ma parte: felicem prouentum in minima: ſed talem, qui Aratoris, induſtrii votis reſpondeat: viam: Petram: ſpinas: rapaces alites: ſimilia multa ad ruſticationem ſpectantia. Ex quibus hunc in modum philoſophandum arbitrabar.

Seminator, Chriſtus. Seminatores Apoſtoli. Concionatores. Omnes homines.

Quamuis primario parabolizatoris Diuini ſenſu, *ſeminator* ſit idem ille, qui profert parabolam Chriſtus Dominus: *Ager*, hominum mentes: *ſemen*, verbum Dei: Tamen, ſecundario intellectu, & accommodato, *ſeminatores* eſſe Apoſtolos: Diuinę legis exploratores alios: ſacri verbi Interpretes: & quoslibet proximorum inſtitutioni deditos: quemlibet tandem hominem, cui domeſtici agelli cura commiſſa eſt vt in illo ſeminet, & frugem promoueat, negari, niſi à ſui ignaris non poteſt.

Homo quilibet COLONVS. Ioan. 15. 1. Gen. 11. 15. Gen. 9. 20. Gen. 21. 34. Luc. 8. 5. Colonus.

Eſt quilibet dum vita viuit mortali agricola, colonus, ſeminator. Eius germanus frater, qui de agricola patre gloriabatur: *Pater meus agricola eſt.* Eius filius, quem tulit Dominus & *poſuit in paradiſo, voluptatis* campo ſpacioſiſſimo, *vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Ex nepotibus illius de quo ſcriptum eſt: *Cœpit Noe vir* agricola, *exercere terram, & plantauit vineam.* Ex illius ſtirpe & proſapia, qui cum eſſet pater credentium, *fuit* colonus *terra Palæſtinorum diebus multis.* Ex eius diſciplina domeſtica, *qui exiit ſeminare ſemen ſuum.* Inter hunc itaque, ſiue agricolam, ſiue colonum, ſiue ſeminatorem, aratoremve, nam hæc promiſcue vſurpabimus, & Deum conuentionem factam: ſeu pactum initum aſſerimus: in quo Deus nominatur, & eſt LOCATOR, Homo CONDVCTOR. De vocabulis non eſt, cùm clariſſima ſint, ad has denominationes firmandas teſtimonia.

Deus locat.

Matthæi 21. 33. *Homo erat paterfamilias* (quis ille? Deus) *qui plantauit vineam & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, &* LOCAVIT *eam agricolis.*

Marci 12. 1. *Vineam paſtinauit homo* (parabolixῶς, hic Deus, erat) *& circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, &* LOCAVIT *eam agricolis.*

Lucæ 20.

Digitized by Google

Lucæ 20.9. *Homo plantauit vineam, & L O C A V I T eam* C O L O N I S.

C O L O N V S autem à colendo agro dicitur. Qui nempe, aut ſuum ipſe ſibi colit, aut pacta mercede, propoſita ne fructuum parte à domino colendum conducit. Quis autem coloni noſtri ager? Ex Euangelio hodierno, cor, id eſt, mens, ratio, animus, vel, homo totus interior: nam huic ſemen committitur. *Quod in terram bonam*, (ait C H R I S T V S, *hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia.*

Colonus quis? Ager cor.

A T, qua probabilitate, agrum dicis hominis animum, cum proxime adfirmaris eſſe vineam? apud rei agrariæ peritos illud etiam ſolum, quod vites occupat, ager dicitur. Sed hoc fortaſſe obiicis. Quomodo eadem in terra vites plantari, & ſementis fieri poteſt vt idem, ager ſit ſeminatus, & vinea.

Anima Ager Vinea, Sylua.

Hic illud eſt vſurpandum, quod docent philoſophi: Quæ in inferioribus ſparſa ſunt, colligi in ſuperiorib. Sic quæ animæ in viuētibus ſunt diſtinctæ, vegetatiua, & ſenſitiua: in homine iunctæ ſunt, numero minimè ſeparatæ. Cōmunis ſenſus, vt vocant, qui in quadam capitis cellula hoſpitatur, omnia vnire percipit: quæ partiales ſenſus non niſi diſiunctim attingunt. At quæ tam multis eget homo, vt comprehendat, vnico intuitu angelus intuetur. Sic, quæ in corporalibus diuerſa ſunt, in ſpirituali anima, vt diuinitatis imagine, collecta, vnum quid efficiunt.

Superiora ſimpliciora ſunt.

Obſeruauit idipſum ſubtiliter in quodam rerum genere S. Auguſtinus, qui in Pſalmum 103. exponens verſiculum 15. *Panis cor hominis confirmat*, & Tractat. 25. in Ioannem, docet *Famem*, & *ſitim*, quæ adeo in corporalibus diſtinguuntur, vt cauſa, effectu, naturaque plurimum differant, in anima non diſcriminari. Idem enim animæ anhelantis, & areſcentis deſiderium, tam *fames* quam *ſitis* eſt: ideoque eodem pabulo, abſque humidi ſicciue diſcrimine extinguitur, & ſedatur. Ex quo conficit idem eſſe in arcano ſermone panem ac vinum.

Fames & ſitis in anima idē ſunt.

Sic accipe de pane, inquit, *quomodo accipis de* vino: *intus eſuri: intus ſiti:* Beati *enim* qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur. *Panis ille* iuſtitia *eſt*: *Vinum illud* iuſtitia *eſt*, *veritas eſt*, *veritas* C H R I S T V S *eſt*. Ego ſum, *inquit* panis viuus qui de cœlo deſcendi: &, Ego ſum vitis, vos ſarmenta.

Iuſtitia, Panis & vinum. Matt. 5. Ioan. 10. 4. Ioan. 6.

Pari modo, in tellure, pars illa, quæ viribus eſt conſita, vinetum dicitur, aut vinea: quæ plantis ſemper virentibus nitet, viridarium: quæ fœlicium arborum copia luxuriat, Pomarium: quæ herbis, floſculis, olere, gramine abundat, Hortus irriguus: quæ fruticum pullulantium multitudine præſtat, Frutetum: quæ cannis, Arundinetum: quæ vepribus, Dumetum: quæ erua, Ericetum: quæ denſis, intactiſque arboribus, Lucus: quæ ſecuri deſtinatis lignis, ſylua cædua: quæ ſemen ſuſcipit, Campus frumentarius. In qua caricum eſt prouentus, dicitur Carectum: in qua ſalices creſcunt Salictum: in qua genus omne nouellæ plantulę Seminarium vocatur, vel Plantarium.

Atque ita nouem diſcrimina ex Catone recitat Varro, ſecundum quæ ager agro ſit melior. Primus eſt, vbi vineæ poſſunt eſſe bono vino & multo. Secundus, vbi hortus irriguus. Tertius vbi ſalicta. Quartus, vbi oliueta. Quintus, vbi pratum. Sextus, vbi campus frumentarius. Septimus vbi cædua ſylua. Octauus vbi arbuſtum. Nonus vbi glandarra ſylua.

Diſcrimina terrarum. Varro li. 1. c. 7.

S E D hæc tanta diuerſitas in hominis anima terram non multiplicat. Nam eadem particula, vitibus, frumento, oliuis, glandibus, gramine, malis, nucibus, floribus ſerendis, plantandis, progignendis eſt idonea. Quare eadem eſt vinea, ager,

Omnia in anima.

oliuetum, pratum, hortus, ſylua, nemus, vno verbo, omnia. Falſum igitur de hoc ſolo, cuius homines ſunt coloni, illud agrariæ rei Magiſtri,

Non omnis fert omnia tellus.

Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.

Quamobrem ſcitè monet colonum, quem inſtituendum acceperat, vt diliter obſeruaret.

Et quid quæque ferat regio, quid ferre recuſet.

Hic ſegetes, illic veniunt, felicius vuæ.

Omnia fert omnis anima, ſano ſenſu, ſi bene excolatur.

Homo conductor animæ & colonus.

Iam verò, ager iſte homini eſt traditus, non tanquam domino, ſed vt conductori colono. Quis enim tam ignarus, vt neſciat dominium animæ, ſicut & totius hominis apud Deum conditorem & locatorem manere? Eapropter, ſi homo hunc agrum perditum eat, quod fit, ſi ibi manus inferat, cenſetur contra Iuſtitiam committere, & ius Dei, alienam rem illicite contrectando, violare nequiter.

Contractus locati & conducti.

Interceſſit igitur legitimus contractus, inter Deum, & hominem, in quo Deus fuit LOCATOR animæ, tanquam agri: CONDVCTOR, homo. Quemadmodum enim ad ſubſtantiam venditionis, & emptionis, res, & pretium: ita in tribus conſiſtit locationis ſubſtantia: in conſenſu locatoris, & conductoris; de quo hic non ambigitur: in re, quæ eſt anima, corpus & vtriuſque potentiæ, vt anima ſit ager, cuius reſpectu, homo ſit colonus: domus rationem habeat, corpus: cuius idem eſt inquilinus: Membra & facultates vtriuſque ſit ſuppellex, & prædii tam vrbani, quam ruſtici vtenſilia.

Inquilinus qui differat à colono.

Si res immobilis, quæ locatur, ſit prædium vrbanum qualis eſt domus intra vrbem, conductor dicitur inquilinus: ſi prædium ſit ruſticum, conductor vocatur colonus L. Qui pignoris. ff. *De adquirenda poſſeſſione*. Gloſſa in L. Emptorem. C. *De locato.*

Dupliciter conducitur ager. Primus modus.

ANIMADVERTO autem, bifariam ſolere colonos agrum conducere: & patremfamilias eundem locare. *Primò*, mercede conſtituta in parte aliquota fructuum. v.c. Loco tibi fundum meum, vt quorannis ex fructibus fundi tertiam, vel quartam, vel dimidiam partem pendas. Quod dum fit, dubium eſt apud IVRISCONSVLTOS an ſit contractus locationis. Et quidem Bartolus *l. ſi merces.* Num. 20. negans eſſe conducti, & locari: vult eſſe ſocietatis. Idem ſentit Azor in ſumma, titulo *de locato*. Fulgoſ. *l. ſi merces.* §. *vis maior. ff. locati.* Hinc colligit Bartolus, contractum iſtiuſmodi ad heredem coloni non tranſire, quia ſocietas ad heredem non transfertur. Paulus tamen in eadem L. contra Bartolum, ait hoc communiter non teneri: quod etiam opinatur Baldus *L.* 1. *C.* de fructibus & litis expenſis. L. certi C. de *locato.*

Veriſimile admodum videtur eum contractum ſæpe eſſe ſocietatis: præſertim cum fundus datur ad culturam pro parte aliquota fructuum ad minus tempus, quam decennium. Si enim ad decennium, aut vltra traderetur, eſſet contractus Emphyteuticus: ideoque de hoc contractu regulariter iudicandum, vt de contractu ſocietatis: de colono tanquam de ſocio, niſi aliud fuerit expreſſum, & apertæ ſint coniecturæ pro contractu locationis, quem intenderint. Ita ex Theologis quoque ſentit Ludouicus Molina tom. 2. de iuſtitia diſp. 486. nec refragatur Ioannes Azorius tom. 3. lib. 8. cap. 2. q. 4.

...a tom. ...p. 486. ...1059. ...zor. lib. 8. ...ap. 2.

Ceterùm, quando fundus ad culturam traditur pro parte aliquota fructuum, qui

qui illum ita ſuſcipit appellatur in iure *colonus partiarius*. de quo *l. ſi merces*. §. *vis maior*. *ff.* locati vbi ſic ſtatuitur. Apparet nos de eo colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit. Alioqui, partiarius colonus, quaſi iure ſocietatis & damnum & lucrum cum domino fundi partitur. *Colonus Partiarius.*

Alter igitur locationis modus eſt ob pecuniam conſtitutam, quam conductor domino ſoluit. Sic dum locatur equus ad iter faciendum; domus ad inhabitandum: hortus, vel fundus ad fructus percipiendos, certus nummorum numerus, penditur, de quo inter contrahentes conuenit. *Secundus modus locandi.*

Sed quam pecuniam homo perſoluit Deo conductionis titulo? Certum eſt, Deum homini fructus omnes relinquere, ideoque non ſumus *coloni partiarii*. Dixi *Domino*, aiebat fideliſſimus colonus, Deus *meus es tu*, *quoniam bonorum meorum non eges* Pſalmo 15. 1. Quicquid fructuum ex animæ agello diligenter conſito & exculto prouenit, in noſtrum deportatur horreum: ne ſpicam quidem decerpit Deus. Exacte tamen pecuniam pactam exigit, qui non eſt aliud, quam Numus honoris & gloriæ. Ob hunc nobiſcum pactus eſt: hunc illi promiſimus: hunc poſtulat, & ſeuerè, ne alteri detur interdicit. *Homo non eſt colonus partiarius.* *Numus honoris.*

Afferte Domino gloriam & honorem: *afferte Domino* gloriam *nomini eius* Pſalmo 28. 2. *Ego Dominus*: *hoc eſt nomen meum*: Gloriam *meam alteri non dabo* Iſaiæ 42. 8. Date Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei. *Ipſi* honor *&* gloria *in ſecula ſeculorum*. Hunc illi numum conductionis debemus, non quotannis ſolum, ſed cotidie. In eo imago, & ſuperſcriptio conductionis contractum palam oſtendit. In antica parte ferrum, in eoque dextera dexteræ innexa cum Epigraphe ESTO FIDELIS. In poſtica, ex auro & vnionibus diadema cui inſculptum ſphericè, VNI DEO HONOR & GLORIA. Hunc locatori ſuo numum, honori Diuinitatis inſcriptum præſentabat cotidie non ſemel vir diuinus, quem veneror, IGNATIVS LOIOLA, cui illa erat ad omnis officii exordium honoraria gnome. AD MAIOREM DEI GLORIAM. *Imago numi inſcriptio.*

His ita conſtitutis nemini niſi iuris humani ac diuini ignaro, ignauoque dubium eſſe poteſt, multiplicem ex hoc contractu inter hominem ac DEVM inito emanare obligationem, qua quilibet teneatur ad diligentiſſimam curam animæ ſuæ, tanquam agelli conducti, & reliquarum partium, quæ ſunt velut domus, ſupellex & iumenta in prandio: niſi legibus non tantum Diuinis, verum etiam humanis, negligentiæ, infidelitatis, malignitatisque velit condemnari. *Obligatio hominis.*

Eſt enim apud IC. certi iuris talem induſtriam in re conducta conſeruanda debere adhibere conductorem, vt illam ſuo tempore locatori integram poſſit reddere, & non deteriorem factam dolo aut culpa ſua lata, vel leui. Conductor enim tenetur ex dolo malo, leui culpa, lataque. Qui ergo animam, corpus, membra & potentias omnes à Deo tanquam locatore accepit excolendas, vt iis & earum fructu ad ſuammet vtilitatem vtatur, debet in illarum rerum cuſtodia, & cultu eam adhibere diligentiam, quam homines, qui induſtrii rerum ſuarum, agrorum, ædium, iumentorum cultores & curatores dicuntur, ſolent vſurpare. Contrarium ad leuem culpam pertinet: quam ſi contraxerit, actione locati contra illum agetur, & tanquam iniuſtus rerum alienarum corruptor damnabitur. *Induſtria conductoris.*

QVOMODO, DILECTE, hunc agrum tibi Deus tradidit. Aſpice terram inſtantè vere puram, teneram, mollem, temperatam, roſcidam, nitidam, fœcundam. *Qualis arum anima poſt baptiſmum.*

Talem

Digitized by Google

Talem animam primi regenerationis die in baptiſmali concha conſequutus es. Puram ab omni criminis originarii næuo: teneram gratiæ diuinæ ſucco: mollem integritatis humido: temperatam incorruptionis ſale: toſcidam imbre fidei: nitidam innocentia: fœcundam virtutum omnium fœtura: non curioſam ſcelerum ſordibus, non habituum malorum aſperitate ſcabram: non arrogantiæ tumore inæqualem, non vanitate pumicoſam: non fiſtuloſam luxuria.

Tale reddendum. Ita præſcripto in contractus tabulis tempore reddendum eſt hoc aruum locatori, vt nullum vel dolo vel lata, leuiq; culpa vitium contraxiſſe conuinci poſſit. Quod non contingit niſi vel in primæuo ſuo flore, ac virore conſeruetur, quod paucorum eſt. Nam quotusquiſque ex iis qui ad ætatem adultam perueniunt, animam illa exornatam innocentiæ palla, illiſque diſtinctam virtutum omnium floſculis quibus in ſacro latice accepit, reſtituit? vel, quod proximum eſt, enitendo, poſt deperditam innocentiam, vt in defeſſo labore, non diſpari cultu, quamuis non eodem ſplendeſcat.

Eiiciantur peccatorum grauium lapides, qui terram hanc ſeminationi ineptam faciunt. Euellatur conſuetudinum prauarum Lolium, quod fæcunditatem impedit. Exſcindantur, ſi quæ ſuccreuerunt impuniratum ſenics, quibus virtutum ſemen ſuffocatur. Hæc enim facere conſueuerunt, qui prædiorum ſuorum mediocrem habere curam cenſentur. Quare cuius in his, ſimilibuſque, deſideratur diligentia, de leui, imo lata culpa merito incuſatur.

An ex leuiſſima culpa teneatur conductor. Sed quærat non inſcite aliquis in legum ciuilium tractatione expeditior: An non etiam, qui Devm locatorem agnoſcit, ad leuiſſimam culpam obligetur? Nimirum, an ex vi huius contractus, eam teneatur in excolendo animo diligentiam impendere, quam diligentiſſimi ſolent: huius enim omiſſio, leuiſſima culpa nominatur. Diligentiſſimi autem hoc in genere dicuntur, qui mandatorum diuinorum exacta obſeruatione non contenti, opera ſupererogationis adiungunt. Quales ſunt religioſi, qui votiuam caſtitatem, obedientiæ ſacrificium, paupertatis oblationem, præceptorum impletioni copulant.

Lex Ciuilis plus requirit à conductore quam Deus. Profectò ſi ex legum ciuilium præſcripto ageretur: quicunque non illam induſtriam, quam religioſi profitentur in animæ agro excolendo probaret, præuaricationis reus haberetur. Vnde colligere licet, non tantam eſſe legis diuinæ, quantam præ ſe ferunt humanæ ſeueritatem.

Contractus in gratiam ſolius accipientis, ſtrictius obligat. Siquidem illud conſtat D.D. aſſenſu, & iuriſprudentiæ tyronibus notum eſſe deberet. Quandocunque contractus eſt in vtilitatem ſolius accipientis, tum accipientem teneri non ſolum ex dolo & lata culpa, ſed ex leui, ac leuiſſima. Quod in commodato ſeruatur apud homines, quia plerumque eſt in gratiam ſolius accipientis. Colligitur hic canon manifeſte ex leg. Contractus ff. De regulis iuris. Et confirmatur in 1. Cap. de commodato: illamque habet Gloſſa in L. cit. & in cap. 1. de commodato. & ſane ex ipſo iure naturæ habet originem.

Deo nulla ab hominibus accedit vtilitas. Iam vero præſcriptum à nobis eſt alias, & paullo ante confirmatum: Nullam Deo vtilitatem aduenire ex contractu illo, quo nobis animam, tanquam aruum noſtris accommodatum vſibus locat: atque idcirco, ſi iuris ciuilis decretis res decidenda eſſet, quicunque non eo conatu in procuranda ſalute animæ, pietate colenda, virtutibus mentem exornando verſaretur, quo religioſiſſimi quique, qui à diligentia plus quam mediocri commendantur, graui mulcta plectendus eſſet, neque officio ſatisfacere cenſeretur.

Videant

Iuris ſtudium non laxat conſcientiam.

Videant iniqui rerum æſtimatores quidam, & LL. ſtudio addicti, num illis occaſionem conſcientias laxandi iuris ciuilis ſcientia ſuppeditare debeat. Ego certus ſum, ſi nobiliſſima illa diſciplina, eo quo deberet animo ac ab adoleſcentibus tractaretur ſpiritu, & quo à grauiſſimis eius facultatis Doctoribus præſcribitur, atque exercetur, plurima ex L.L. pronunciatis poſſe omni ætati ad vitæ honeſtatem, Chriſtianamque non virtutum modo ſed & perfectionem ſubſidia educi. Modum indicamus, &, oſtendemus ſæpius, vtantur quibus ſalus animæ cordi eſt. Nos, quid præterea leges ſuggerant, exequamur.

Re conducta quomodo vtendum.

Ex iis illud eſt imprimis animaduerſione digniſſimum. Obligari conductorem vi conuentionis, vt non vtatur re locata aliter, quam inter ipſum, & locatorem fuerit actum. Quod tam ſeuere ſancitum reperio, vt qui contra fecerit, tanquam furem habendum puniendumque ius cenſeat. L. *Qui iumenta.* & L. *Si pignore* ff. *de furtis.* L. *ſi vt certo* §. *ſed interdum* ff. commodati. Et in inſtit. De obligat: quæ ex delicto ff. *Furtum autem fit.*

Ad certos vſus res locantur & conducuntur.

Corpore quomodo vtendum.

V.C. Conducis equum vt eo ad proximam ciuitatem vecteris: ſed vteris ad aratrum trahendum. Locat tibi vir primarius amplas ædes, vt illas inhabites, & tecum familia: tu ex iis proſtibulum facis, & vertis in ganeam. Locatur tibi hortus ad fructus percipiendos: tu arbores eradicas, mutaſque in ſolitudinem. Conducis vaccam ad lactis copiam educendam: tu ad macellum ducis, & eius carnibus menſam iuſtruis. Si facias, te tanquam furem leges & iura condemnabunt. Eandem ſententiam expecta, ſi in alios vſus locatas à DEO res conuerteris. Locatum inhabitas corpus. Ad quem vſum locatum? vt in illo, tanquam auguſtiſſimo palatio ſedem habeat, non anima magis, quam cuius anima eſt ſacellum, DEVS. Illud in ſphæram actum caput cælum repræſentat, in quo quot ſunt oculi, tot ſunt ſidera, quæ facem ad diuina contemplanda præferunt: non autem lucent, vt iis fœda, & non dicenda intuearis, ac quo manu non potes, acie iactuque oculorum nefario pertingas. Vt excrementitio capitis fimo in crines denſato, ad putridum corporis è fimo formati coagulum conſiderandum attentius, teque vili faciendum ducaris: non vt iis in cyrros cynædorum more contortis, vanitatis idolum exhibeas. Vt vultu, haud inuenuſto diuinitatis imagine ad omnem modeſtiam pietatemque, virtutum coloribus, & religionis periculo conformato, te, alioſque ad cœleſtium amorem accendas: non vt illo, ſacrilege fœdis lupercorum, ſatyrorumque perſonis obducto; vel laſciue, in meretricium cultum, ceruſſa, ſtibioque deuenuſtato: vel petulanter ad omnem immodeſtiæ geſtum verſatili, aut offendiculo infirmos, aut ſcandalo ſocios, aut illecebris ſexus infirmioris imbelles turbam iiſdem tecum damnationis vndis inuoluas.

Lingua ad quid locata.

LINGVAM tibi locauit DEVS. Ad quem vſum? Non vt illa tanquam pala ad ocioſa, vana, inutilia effundenda, vel effutienda vtere re. Prohibuit hoc in ipſis contractus tabulis. Audite. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum ocioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* Matt. 12. 36. Non vt illam, velut fundam adhiberes ad inhoneſta, ſpurca, fœda, ſcurris, & lenonibus digna eiaculanda. Vetuit id in conducti chirographo. Intelligite. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio* ad Epheſios 5. 4. Non locauit, vt arcum ad blaſphemias in DEVM, ſanctos ſacramenta, tanquam ſagittas in cælum eiaculandas. Interdixit hoc in locationis pacto. Percipite.

Digitized by Google

pite. *Non aſſumes nomen Domini* Dei *tui in vanum*. Exodi 20.7. vultis ſententiam locatoris? *Educ blaſpemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus*, Leu. 24.14. Parum hoc. *Qui blaſphemauerit in Spir. S. non habebit remiſſionẽ in æternum*. Marci 3.29. *Spiritus blaſphemia non remittetur*, Matt. 20.31.

Locata lingua non ad iurandum.

Locavit tibi linguam Deus non ad iurandum, peierandum, teque tuoſque diris & execrationibus deuouendum. Verba ſunt locatoris: *Non peiurabis in nomine meo: nec pollues nomen* Dei *tui: Ego Dominus*. Leuit. 19.12. *Non vſurpabis nomen* Dei *tui fruſtra, quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen eius aſſumpſerit*. Deut. 5.11. *Ego dico vobis* (clamat locator) *non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus* Dei eſt: *neque per terram quia ſcabellum pedum eius* Matthæi 5.33. *Loquela multum iurans horripilationem ſtatuet, & irreuerentia ipſius obturatio aurium*. Eccleſiaſtici 27.15.

Locata lingua ad bene loquendum.

Locavit tibi linguam, vt loquereris iudicium & iuſtitiam, vt veritatis, non falſitatis patrocinium ſuſciperes. Non vt proximum deciperes, imponeres maioribus, illuderes æqualibus: ius faſque mendaciis & impoſturis peruerteres. Hoc execratur locator. *Sex ſunt, quæ odit Dominus*: & primo loco numerat *oculos ſublimes & linguam mendacem* Prouerb. 6.16. *Abominatio eſt Domino labia mendacia* Prouerb. 12.22. *Qui mendacia loquitur, non effugiet*. Et, *qui loquitur mendacia, peribit*. Prou. 19.5. *Os, quod mentitur, occidit animam*. Sap. 1.2. *Væ duplici corde & labiis ſceleſtis*. Eccleſiaſtici 2,14.

Locata lingua non ad Detractiones.

Locavit tibi linguam, non vt proximo detrahas, illiuſque famam tanquam bis acuta romphæa incidas ac diminuas. *Detractores* Deo *odibiles* Rom. 1.30. *Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem*: id eſt, contemnit cum Deo pactum initum. Iacob. 4.2. *Suſurratori odium, & inimicitia & contumelia*, Eccleſ. 5.17.

Non ad murmurandum.

Non vt murmuratione virus internum effundas, & aſpergas circumſtantes. Inhibuit locator. *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt*. Sap. 1.2. Nolite murmurare inuicem Ioan. 6.43. *Omnia facite ſine murmuratione* Philip. 2.14. *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione* 1. Petri. 4.9.

Manus ad quid locata.

Manvs tibi locauit, non vt in te, vel aliis, earum obſcęnis, & libidinoſis tactionibus, tanquam flabellis, habitantem in membris, ſed ſopitum tartareum Leuiathan ſuſcitares: ac tecum in impuriſſimarum libidinum barathrum, tot eatenus innocentes pertraheres. Damnat vitioſam omnem, his quæſitam organis delectationem locator.

Pedes ad quam vſum.

Pedes tibi locauit, non vt illos ſaltitantis inſtar capreæ, aut inſanientis Alpheſibæi ad modulos iactando, vanitatem-ne, an ſtultitiam, furoremque proderes. Non vt noctu ad impuritatum gurguſtia: interdiu ad ebrioſorum ſympoſia te conferas: loca inhoneſta & bacchantium palæſtras frequentes. Sed, vt iis domum Dei adeas, ſapientiæ gymnaſia viſites, ad virtutum ſcholam te conferas. Vt dicere poſſis, quod illa grata ſuperis anima: *Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant participem me præbui*; quod dicebat Sara Tobiæ 3.16. *Non ſedi cum conſilio ludentium* Ierem. 15.17. Ni feceris, audies: *Pro eo quod plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſa es ex toto adſectu: idcirco extendam manum meam ſuper te, & interficiam te* Ezechielis 25.6. *Pro eo, quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extento, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & pedibus ſuis compoſito greſſu incedebant, decaluauit Dominus verticem filiarum Sion*. Iſaiæ 3.16.

Locatæ omnes potentiæ ad certos vſus.

Mvlta mihi neceſſario reſecanda ſunt. Quis enim tandem eſſet finis, ſi per ceterorum membrorum, ac potentiarum officia, ad quæ tantum modo nobis à

Deo

Digitized by Google

Deo locata ſunt fieret exerratio ?. Si deteſtarer, quod meritò poſſem, abuſum gulæ, colli, pectoris, ventris, quęque millia vicinia, iubente natura occuluntur, nec ſermone efferri debent ? Si à corporis facultatibus ad internas animæ dilapſus dicerem, quod omninò dicendum, cum hæc verſarem animo, videbatur.

MEMORIAM locatam ad rerum, non prauarum, turpium, falſarum, inanium, ocioſarum : ſed bonarum, honeſtarum, verarum, ſeriarum imagines conſeruandis. Quis in his non exorbitat ? Intellectum ad diuinarum, humanarumque : Sed vtilium, non iocoſarum, & futilium notiones imprimendas, contemplandas, inueſtigandas. Quis in his tantum occupatur ? Voluntatem ad multiplicem deſideriorum cœleſtium : non criminoſorum partum concipiendum, fouendum, effundendum. Quis non ſæpè abortum edit ? ſed hæc omittantur.

Intellectus.
Voluntas.

Illud tamen ſilere eſt religio : Animam nobis locatam, vt ea tanquam campo frumentario ad ſementem faciendam, meſſem noſtros in vſus conuertendam, fructus omnis generis percipiendos vtamur, fruamur. Sed nos infidi conductores per dolum ſæpe & malitiam. Tam enim nefarii ſunt quidam, vt idem ſibi nomen, quod improbus à religione ſacra apoſtata, poſtea profanus miles, adſumpſit, qui GABBA-DIO, id eſt IMPOSTOR-DEI nominari voluit Iouinianus Pontanus refert, vſurpare iure poſſit. Quod ſi nō per dolum, certè per latiſſimā culpam, conuertimus campum in ſenticetum, agrum in petroſam ſolitudinē, aruum in viam publicam : & ſententiam legibus conſentaneam non extimeſcimus, qua vt fures, & prædones, quia pactis locationis, non ſtetimus, incuſemur, arguamur, condemnemur ? In parabolis loquimur, Magiſtri cœleſtis exemplo. Sed dabitur noſſe myſterium regni Dei, modo animum aureſque aduertatis.

Anima locata ad quos vſus.
Iouin. Pont. lib. 3. hiſtor.

Illorum anima, tanquam via publica videtur, quæ omnibus liberum dat acceſſum & tranſitum. Quod quidem in agris eſt magna ſeruitus, quæ abſque locatoris conſenſu induci non poteſt. Admittitur vanus quislibet, guloſus, laſciuus, arrogans, ſuſurro, detractor, calumniator, ſcurra. Quis non ? agytta, præſtigiator, ardelio, ceteræ mundi peſtes : ſed & omnibus nequior, hæreticus. Horum ſermones aure bibula hauriuntur; illique, tanquam viatores per apertum cunctis agrum iter arripiunt : eorūdem verbis, nugis, fallaciis, illecebris, ſcurrilitatib. auſcultatur. Iis non aures modo, ſed & intima cordis penetralia pateſcunt. Quid mirum, ſi deinde ſemen verbi diuini, tanta cura à veritatis præconibus in Eccleſiis & gymnaſiis ſeminatum, horum impuris pedibus conculcetur, & à tartareis alitibus in hanc occaſionem perpetuo excubantibus, ſemperque circumvolitantibus, tanquam, harpiis, prædatoribus vnguibus diripiatur ? & voraci roſtro inficiatur ac deuoretur ?

Anima via publica quæ ?

DICAT licet Eccleſiaſtes, & magna laterum vocisq; contentione ad raucedinem vſque & venarum diruptionem pœnè clamet : *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Matt. 3. 2. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*, Lucæ 13. 3. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Ezec. 18. 30. *Conuertimini, conuertimini à viis veſtris peßimis.* Ezec. 33. 11. *Conuertimini ad Deum in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu & planctu.* Ioel. 2. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Pſal. 94. 8. *Quia vocaui & renuiſtis : ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Prouerb. 1. 24.

Voces concionatorum.

Fulminet licet : *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ, qui ſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque*

Fulmina Euangeliſtarum & Prophetarum.

Digitized by Google

Luca 6.28. Iſa.5.11. Iſa.5.22. Epheſ.5 8. 1.Cor.6,10.

ad veſperam vt vino æſtuetis: Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Roget licet blandiſſimè: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Nolite errare: neque fornicarii, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque rapaces regnum* Dei *poſſidebunt. Attendite vobis, ne fortè grauentur corpora veſtra crapula & ebrietate.* Luc.21.34. *Ne, quæſo te, intuearis vinum cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber* Prouerb.23.31.

Semen varium Verbi Dei.

Obteſtetur licet Concionator. *Obſecro vos, fratres, tanquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam,* 2. Petri 1. 4. *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui,* Eccl. 5. 2. *Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius* Eccleſ. 9.5. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.*

Dogmatica.

Doceat licet: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis. Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Matt.5.28. *Manifeſta ſunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, ... Quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Ad Galatas 5.10. *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini.* Ad Romanos 8. 13. *Denique* IVRET licet per viuentem in ſecula ſeculorum. *Viuit Dominus*, quicunque in mortali crimine deceſſerit, *mittetur in ſtagnum ignis, & ſulfuris, vbi & beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur in ſecula ſeculorum.* Apocalypſis 29.

Iuramentum concionatorum.

Semen perit in via publica.

O bonum ſemen! quod fructificaret centuplum, ſi in terram bonam caderet: tamen nihil profert, nihil efficit Dei Orator, quia in viam publicam cadit: illius nimirum animam, qui mox poſt confeſſionem, communionem, concionem, ſodalibus placentia tantum loquentibus ſe aggregat: ideoque comeditur à volucribus, quarum iſti ſunt garritus.

Garritus immundarum volucrum.

Ne credas mi ſocienne, tam arduam anguſtamque eſſe ſalutis viam. Iumentis nequaquam, ſed hominibus condita ſunt immenſa cœli ſpacia. Non fruſtra Chriſtus mortuus eſt. Dæmonum vultus non ſunt tam tetri, quam pingi ſoleant. Ignis gehennæ non eſt tam acer, quam fingitur. Edendum, bibendum, ludendum, bachandum temporis ratio imperat. Iuuentuti, tuæque ætati aliquid concedendum. Seminet Chriſtus, aret concionator, pluat Deus, fruſtra eſt, niſi has volucres abigas: & animam iterum excluſa viarũ ſeruitute in agrum maceria munitum conuertas.

Anima Senticetum.

Illi verò in *Senticetum* agrum animæ commutant, contra locationis fidem, qui diuitiarum, voluptatum, cupiditatumque variarum ſpinas in ea plantant: quibus ad maturitatem perductis, ita opplentur omnia, vt nullus bono ſemini ſit locus: Sed ſi quid immittatur, illico ſuffocetur. Illi etiam quorum cogitationes aſſidue in fortunæ, vt vocant bonis, per fas nefasque augendis, numis cumulandis, proximis decipiendis, verſantur. Illi quoque qui corpore quidem in templo, ad aram, mente in foro, nundinis, penu, culina commorantur. *Hi* corporis auribus audiunt verbum Dei, ſed à ſolicitudinibus ſeculi, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, tanquam ſpinis ſuffocantur, & non referunt fructum. Caueant, ne & ipſi tanquam vepres igne conſumentur.

Lapideſcit quorundam ager.

Lapidum aceruis agrum ſuum vitiant, qui ſucco pietatis extracto molleſ voluntatis glebam in duros obſtinationis ſilices conuertunt. Ideo auditum Dei verbum cum gaudio quidem ſuſcipiunt: ſed quia radices non habent, ad tempus credunt: & in tempore tentationis recedunt. Sed lapides iſti, malleo contritionis comminuuntur, & in puluerem abeunt. Aut contemplationis induſtria in vnum coacti exportari per confeſſionem debent, & eiici.

Quam

Digitized by Google

Quam diu nos vna tantum conductoris obligatio detinuit. Quid ſi in cæteris hæreamus, quæ non minus amplum continent rerum ſyluam? dies elaberetur, & annus fortaſſe, antequam excederemus. Itaque digito ſolum arborum capita deſignemus, qui volet, ingenii dolabra graſſetur.

Occurrit autem illa imprimis ex pacto locationis obligatio, qua tenetur conductor in re conducta ſtatuto tempore manere. Nequit enim conductor ante tempus locationis elapſum rem locatam deſerere, ſine iuſta cauſa, vel probabili: alioqui debet ſoluere integram mercedem, & id quod locatoris intereſt. *l. Dominus* §. *Qui contra legem* ff. *Locati*. Et L. *In lege* §. *Si dominus* ff. eod. tit. Improbe & ſcelerate faceret, qui ante tempus ſibi à locatore præfixum è corpore tanquam domo, cuius eſt inquilinus migrare tentaret: & æterno ſe ſupplicio dignum conſtitueret frui ipſius homicida. *Conductor tenetur manere in re conducta.*

Porro iuſte conductor poteſt rem locatam relinquere tribus de cauſſis L. *Quæro*. §. *Inter Locatorem*. ff. *Locati*. *Prima*; ſi ſoluerit locatori integram mercedem. Quod nunquam noſtro in caſu contingit, quam diu DEVS locator in vita hac manere voluerit. *Secunda*: ſi res locata indigeat reparatione, vt ea poſſit ipſe vti. Neque hoc hic accidit, quam diu enim vitali aura fruimur, caſa, quam inhabitamus ſat firma eſt, vt conductori poſſit eſſe vſui. *Tertia*: ſi peſtis, bellum, vel graues ac periculoſæ inimicitiæ, vel alia ſimilis cauſa contigerit, qualis eſt metus ab aliquo per vim incuſſus: tunc enim iure alio migrare poteſt conductor, quamuis periculum vere non fuiſſet, quoniam ſufficit, ſi cauſa ſit, cur periculum timeatur. L. *Habitatores*. §. *Iterum interrogatus eſt*. ff. Locati. Poteſt quidem inter DEVM & nos grauis & capitalis oriri inimicitia, quæ quoties peccatum letiferum committitur exurgit: ſed neque hæc, neque vlla alia cauſa eſt ſufficiens, vt DEO non volente, imo vt eo non auocante, domum corporis ſemel conductam deſeramus. Eſt igitur hic diſcrimen inter locationem & conductionem quæ inter homines: ac quæ inter nos & DEVM celebratur. *Tres cauſæ deſerendi rem locatam.*

Cui adiungo aliud. Nam in hominum vſitatis conductionibus & locationibus prohibetur militibus conducere prædia ad colendum. L. *Milites* & L. *Licet retro*. C. *De locato*. Ne videlicet à militia auocentur, & abducantur: ac ne armorum vſum amittant: neue damnum vicinis inferant: alioquin ipſo iure ſunt infames, militiæque gradum, & cinguli militaris honorem amittunt. Denique locatio eſt irrita. L. Licet ret. C. *De locato*. Poſſunt tamen milites domum conducere ad inhabitandum neceſſariam, & ſtabulum ad equos nutriendos ac conſeruandos. *Gloſſ*. L. *Milites*. Alicubi nobilibus viris & aliis equeſtris ordinis interdictum inuenio Principum legibus, ne ſint conductores alienarum rerum, quoniam iſtuſmodi conductio eſt quoddam negociationis genus. *Miles non conducit prædia.*

Item, non poſſunt Curiales, qui ſunt dediti, & obſtricti negociis Curiæ, vt ſint rerum fiſcalium adminiſtratores conducere. L. Curiales C. *De locato*. Eodem iure Decuriones conductores eſſe nequeunt. L. Si quis procurationem C. *De Decurionibus* L. 10. & L. *Decurio* ff. eod. tit.

At vero omnibus à DEO conducere licet domum, agrum, vineam, prædium. Nulla inde militi, nulla Curiali, nulla decurioni, imo Principi, Regi, Imperatori infamia nulla quod cum DEO negocietur eiuſque prædia conducat, & illa propriis excolat manibus. Imo, hoc vere eſt regium, & principali fortuna dignum, DEI eſſe colonum & agricolam. *A DEO conducere cuilibet permiſſum.*

Digitized by Google

Res locata ſuo [t]*empore reddenda.*

Sed meminerit quiſquis à Deo conductam domum inhabitat, quiſquis eius colit vineam, præſcribere leges, vt rem locatam completo locationis tempore locatori reſtituat: quia ad tēpus vtendam accepit. Quod ſi non reddiderit, cogitur reſarcire damnum ſi quod res paſſa fuerit, & vſuras poſt moram L. Præſes C. *De locato.*

Anima Deo reddenda.

Erras, mi homo, ſi exiſtimas liberum tibi fore in decretoria hinc emigrandi hora, dum conducta domus corporis, & ager animæ deſerendus erit, illa alteri præterquam Deo reſtituere. Corpus quidem terræ cōmendabitur, locatore ita iubente. Sed væ tibi, ſi alteri quā Deo, animam tranſcripſeris. Fuit huius conditionis memor conductorum fideliſſimus Chriſtus hominem agens; & vtinam eius exemplo omnes dum extremum trahunt ſpiritum non alias voces ingeminent: quam IN manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: quod idem eſt ac dicere rem locatam tibi reſtituo.

Conductor mercedem ſoluat.

Denique, non eſt obſcura LL. petitis in conductione obligatio, quod teneatur conductor præfinito tēpore mercedem ſoluere *L. Colonus.* §. *Nauem* ff. locati. & gloſ. in L. Si vnus. §. Item cùm quidam. ff. Locati. Nam, quemadmodum locator debet rem conductori præſtare, ſic conductor mercedem ſoluere locatori. Et hinc eſt, quod locator poſſit conductorem à re locata amouere, ſi debito tempore mercedem non ſoluat.

Merces Dei Honor.

Jam ſupra præſcriptum à nobis eſt, mercedem Deo locatori addictam eſſe *Honoris numum.* Hic non ſemel in anno, menſe, hebdomade, die, ſed ſingulis momentis perſoluendus eſſet: hoc enim locationis contractus requirit. Idque faciunt mentes illæ beatæ, quæ in feliciſſima ſupremi numinis contemplatione ſine intermiſſione occupantur: qua quidem Deus continuo intelligitur, laudatur, amatur, colitur. Sed quoniam hoc proprium illorum eſt, qui decurſo vitæ mortalis ſtadio, ad metā beatitudinis perpetuæ peruenerunt: nec viatoribus mortalitatis compedibus adhuc nexis, illa obuenit beatitas: ideoq; nec vrget obligatio, quam ſiue fragilitas, ſiue neceſſitas, ſiue obedientia, ſiue proximorum caritas non permittit; ſaltem illam gloriæ ſuæ, velut mercedis perſolutionem poſtulat locator, quam repræſentare poſſumus ac debemus.

Continua Dei laudatio.

Quænam illa? Tam continua Dei laudatio, vt ea nunquam interrumpatur peccato aliquo letifero. Imò, nec veniali, quantum homini poſſibile: certè, nullo deſtinata animi voluntate commiſſo. Perfectionis eſt, ne incidatur eadem laudationis continuitas actione vlla ſuperuacanea ludi, ſomni, recreationis, veſcendi: quod fit dum ex ſomno, cōſuetudine familiari fabulatione, negociis humanis, quicquid ſuperfluum eſt, amputatur. Deinde hoc etiam procuretur, vt ipſa neceſſitatis officia, vel expreſsè, vel tacite, ſeu virtute ad diuinam gloriam dirigamus, omninò à terrena fæce omnis vanitatis, inanisque gloriæ perpurgata.

Gloria Dei quadrupliciter exoluenda.

Hanc autem gloriam quadrupliciter ſibi exhiberi à conductore noſter locator poſtulat. *Primo*, mente, ac ratione ſubiiciendo illam myſteriis diuinis, captiuando intellectum in obſequium fidei, atque in diuinarū rerum cognitione & meditatione occupando. Præterea voluntate, tum ipſam, tum affectus omnes ad diuinum nutum fingendo. *Deinde*: voce, hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus. *Denique*, operibus, in quibus laus diuina non debet eſſe muta, ac mortua, qualis eſt in rebus vita ſenſuq; carētibus, Quomodo *cæli enarrant gloriā Dei:* poſſetq; eſſe in opere artificioſo hominis improbi, in egregio aliquo naturæ dono, eximia corporis elegātia.

Laus Dei in noſtris operib.

Sed debet eſſe talis, vt ex cognitione & electione proficiſcitur: nimirum, vt ſit rationa-

rationabile obſequium noſtrum. Deinde verò ex voluntate planè libera, non coacta, qualis eſt ea, quam DEVS ex damnatis ipſis exprimit, vel inuitis. Nam Dæmones credunt & contremiſcunt. Ad hæc: vt in operibus noſtris ſit laus Deo debita, non ſolum opera ex fide ac religione proficiſci debent, qualia ſunt multa impiorum: ſed etiam ex caritate, vt ſeruiamus Deo in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ, nec illi quicquam niſi mundum ſanctumque offeramus.

Non hic conſiſtunt Religioſi: ſed progrediuntur ad ea quæ conſilii ſunt, & votis ſponte ſuſceptis arctiori ſe vitæ dedicant: atque ex Deo digna liberalitate, non ex commmuni contractus locati, & conducti debito, haud contenti ordinaria illa Deo exhiberi à bonis omnibus ſolita gloria, ad omnem actum, effatum cogitatum ingentem illum DEO LOCATORI Numen offerunt, cuius eſt inſcriptio, AD MAIOREM DEI GLORIAM. *Religioſorum perfectio.*

NOTÆ.

DVo ſunt genera rerum locatarum vt habetur in L. Saupherii. ff. locati: aut enim locatur res vt eadem in ſpecie quemadmodum loquuntur Iuriſconſulti, hoc eſt vt eadem numero (vt Dialectici & Philoſophi dicunt) reddatur. Sicut enim veſtimenta fulloni curanda locantur: aut vt alia eiuſdem generis reddatur veluti quum argentum poſtulatum fabro datur vt vaſa faciat vel aurum vt annulos quod in eadem lege habetur.

In contractibus tria ſpectantur dolus, culpa, caſus fortuitus. Dolus eſt calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum vel decipiendum aliquem adhibita. L. 1. ff. de dolo. Culpa eſt imprudentia vel inſcitia qua quis ignorat quod ſcire deberet. Eſt item negligentia qua quis non prouidet, aut non cauet, aut non facit quod alioqui cauere, prouidere aut facere deberet. differt culpa à dolo quod dolus ſit ex voluntate animoque nocendi: culpa autem eſt vel cum ſcientia quidem ſed ſine voluntate lædendi, vel ſine ſcientia aut propoſito lædendi: Caſus fortuitus eſt inopinatæ rei euentus quæ hominum prouidentia caueri, aut præuideri non poteſt: vt inertes ſeruorum abſque vlla culpa hoſtium incurſus, paratarum inſidiæ, ruina, tumultus, naufragium, fuga ſeruorum qui cuſtodiri non ſolent. Hæc habentur ex L. in rebus commodatis. §. commodati.

Culpa in Iure Ciuili eſt triplex lata, leuis, leuiſſima.

Latam dici appellat non intelligere vel non noſſe quod omnes intelligunt vel nouerunt. L. Latæ. ff. de verborum ſignificatione, ſic etiam lata culpa eſt non facere vel prouidere, vel cauere, quod omnes faciunt, vel cauent, vel prouident, verbi cauſa, depoſui apud te belle compactum librum, venuſto intus foriſque pictum, eum tu in muſæo ad quod rapaces aliquot adnolare ſolent extra pluteum reliquiſti, quem Titius ſurripuit: Lata culpa fuit in te, quia non feciſti quod omnes cauti & prudentes ſolent facere.

Leuis culpa eſt non facere quod homines diligentes ſolent, veluti: Commodauit tibi Caius precioſam veſtem tu vero reliquiſti eam in arca claue non obſerata quæ veſtis deinde à Sempronio furto ſublata eſt, leuem culpam admiſiſti, quia non feciſti quod homines alioquin diligentes ſolent.

Leuiſſima culpa eſt non facere quod homines diligentiſſimi ſolent facere. L. ſi putator. ff. ad L. Aquiliam & L. Diuus ff. de officiis præſidis vt Caius depoſuit apud

apud Titium vaſculum & Titius illud poſuit in arca & claue eam obſerauit, ſed non animaduertit, vel non obſeruauit, an eam claue obſeraſſet bene, & ita arca non clauſa exiit è domo, vaſculum quod inde ablatum fuit leuiſſima fuit culpa Titii.

Tres regulæ colliguntur ex iure ciuili & Canonico ad cognoſcendum ex qua culpa quis in contractibus teneatur.

I. Quando contractus eſt in vtilitatem ſolius accipientis, tunc accipiens tenetur non ſolum ex dolo & culpa lata ſed etiam leui & leuiſſima. Solum ab hac regula excipitur precarium, quod cum in vtilitatem ſolius recipientis ſit, tamen qui rem precario recipit ex dolo & lata culpa tenetur non ex leui vel leuiſſima L. Contractus ff. de regulis iuris L. quæſitum eſt ff. de precario, rationem dat ibi Vlpianus, quia precarium toto tempore quo illud quis habet ex liberalitate dantis exiſtit ac pendet ac proinde quandocunque voluerit qui precario conceſſit rem ſuam poteſt repetere. At commodatum quamuis gratis ac liberaliter detur, non poteſt tamen repeti, ante quam is cui datum eſt, vtatur eo ad illum finem ad quem accepit: ideo qui commodatum accipit ex leui & leuiſſima, obligatur, non autem precario habet.

II. Quando contractus eſt in vtilitatem ſolius dantis tunc accipiens tantummodo tenetur ex dolo & culpa lata non leuiſſima aut leui. Vt in depoſito colligitur hæc duplex l. Contractus ff. de regula iuris & L Si vt certo §. interdum ff. commodati L. 1. §. is quoque ff. de actionibus & obligationibus Inſtit. quibus modis contrahatur obligatio §. præterea.

III. Quando contractus eſt in vtilitatem vtriuſque tum accipiens non ſolum ex dolo & culpa lata, ſed etiam leui tenetur, non tamen leuiſſima vt in empto & vendito, locato & conducto ac ſocietate ex L. contractus ff. de regulis iuris. Azor. Tom. 3. 16. c. 4.

Eſt vetus quæſtio, An leges merito actionem furti dederint tanquam in fures, qui re conducta aliter vterentur quam in eum finem ad quem locata ſit. Nam apud Agellum lib. 5. cap. 17. Labeo, Prutus, & Q. Scæuola graues iuriſconſulti dixerunt acria & ſeuera fuiſſe apud veteres huiuſmodi iudicia. Idem tradidit Valerius Maximus lib. 3. c. 2. nemo tamen neget LL. ita ſtatuiſſe. Videtur tamen aliquid mitigatum in inſtitutionibus vbi Titius de obligationibus quę ex delicto naſcuntur, dicitur eos qui rebus commodatis (& idem iuris eſt de conductis) aliter vtuntur quam vtendas acceperint, ita furtum committere, ſi ſe intelligant id inuito domino facere, eumq; ſi intellexiſſet non permiſſurum: & ſi permiſſurum credant extra crimen videri, optima ſane ratione qui furtum ſine affectu furandi non committitur.

Huic annexum eſt quod qui rem conductam habet eam ne quidem alteri locari poſſit, niſi pactum id permittat! nemo de locato: non permittit autem DEVS vt quod tibi commiſit prædium alteri ad colendum loces, quia non niſi à te poteſt excoli qui rem alienam conductam habet, poteſt eam alteri locare, niſi alter cum Locatore pactus ſit.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

De

OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM

EX CONTRACTV

Negotiationis: Paſtoritio: Societatis: Aduocationis: Promiſſionis: Donationis.

SEV

EX TITVLIS ET IVRE CHRISTI

Negotiatoris: Paſtoris: Socii: Aduocati: Promiſſoris: Donatoris.

COMMENTATIO XXI.

CHRISTVS MERCATOR.
SANGVIS PRETIVM.
HOMO, MERCES.

Dominica Quinquageſimæ.

Empti eſtis pretio magno. 1. *Corinth.* 6. 20.
Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Lucæ 18. 31.

I.

Chriſtus confert ſe Ieroſolymam.

DVm auditis CHRISTVM D. cum domeſtico duodecim-virum comitatu aſcendere Ieroſolymam, ad conſummanda omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: vt inibi tradatur Gentibus, & illudatur, & flagelletur & conſpuatur: tandemque occidatur. oculis mentis ſubiicite MERCATOREM prædiuitem cum famulantium manipulo ad celeberrimas nundinas proficiſcentem; vt ibi ad extremum, poſt peragratas, mercium precioſarum & cararum gratia, diuerſas orbis regiones, effuſo omni eo quod in arca conſeruatum hactenus, vel in nominibus repoſitum fuerat, precio, exoptatas tot annis, & tam ſtudioſe quæſitas merces coëmat.

Velut Mercator.

ANNON enim recte dicamus CHRISTVM eſſe *hominem* illum NEGOCIATOREM *quarentem bonas margaritas: qui inuenta vna precioſâ margarita abiit & vendidit*

Chriſtus negociator quærens margaritas.

Ee *omnia*

Digitized by Google

omnia quæ habuit & emit eam Matt. 13. 46. Profectò ille ipſe à primo ſui in terram aduentus die operoſam negociationem inſtituit, & in honeſtiſſimam mercatorum tribum tranſcribi ſe paſſus eſt, totumque vitæ laboriſſimæ tempus in commerciorum vtilium ſtudio tranſegit.

II.

Mercatores malè audiunt.

At, male fortaſſe CHRISTVM dicimus MERCATOREM. Id enim hominum genus male paſſim audit, tanquam lucro tantum pecuniario inhiet, auaritiæ ſordibus inquinatiſſimum: de corpore magis quam de anima ſolicitum: imo huius negligens: ideoq; in lata damnationis via conſiſtens, ſi non prope in termino, ſe tiorci limine. Mercatorum patronum hic non ago modo, acturus forte alibi: hoc ſolum nunc aſſero.

Incarnationis myſterium commercium.

Haud temere à nobis CHRISTVM mercatori eſſe comparatum: cum falli neſcia Mater noſtra Eccleſia, totam verbi humanitati œconomiam ſiue incarnationis multiplex myſterium COMMERCIVM vocet. Eius enim tam opulento MERCATORI applaudentis eſt illa gratulatoria ode. O *admirabile* Commercium! *Creator generis humani animatum corpus ſumens, de virgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine largitus eſt nobis ſuam Deitatem.*

Guttæ ſanguinis in circumciſione.

Itaque vix natus pecuniam accuratè agnoſcere cœpit & exponere, qua in hac negociatione vtendum ſciebat. Quid enim aliud eſſe dicam, purpureas illas roſei ſanguinis in circumciſione largiter effuſi guttulas quam infiniti precii, ex alio ſanè & magis æſtimando, quam rutilo metallo numulos, apud cœleſtem Trapezitam depoſitos: qui ſimilium acceſſione in immenſum aucti, conficerent precium, à quali maius, quo tandem in verno Paſchalium nundinarum mercatu, in vrbe Ieroſolyma, vt terræ vmbilico, & ampliſſimo vniuerſitatis foro, quod in Caluariæ montis planitie cernitur, in longa lataq; crucis menſa, pro precioſa orbis vniuerſi margarita adnumeraretur?

Chriſtus negociator cœli.

VENERAT, inquit M. Leo Papa in hunc mundum dignus ac miſericors NEGOCIATOR cœli & commutatione mirabili, inierat COMMERCIVM ſalutare noſtra accipiens & ſua tribuens: pro contumeliis honorem: pro doloribus ſalutem: pro morte dans vitam.

Didicerat hanc phraſim Leo à Paulo Apoſtolo, qui mercatoriis in hac re vtitur loquendi formulis. Ad Galatas 4. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, vt eos qui ſub lege erant, redimeret*: Græce ἐξαγοράσῃ: id eſt, *mercaretur*, inquit Eraſmus: quem in hoc non reprehendunt boni Interpretes. Quos inter Cornelius de Lapide, ita exponit: *Emendo emeret, ac dato precio in Chriſtianam aſſereret libertatem.* Benedictus Iuſtinianus breuiſſime: *Emercaretur*: ſeu, dato precio eximeret, ſibique compararet deſideratam mercem. Peregrinatus quidem erat ſex annorum

Peregrinatio Chriſti ad mercandum.

luſtris & quod excurrit per præcipuas Palæſtinæ vrbes: & quas mercatu celebres inuenerat peculiari quodam ſtudio excoluerat, operæ pretium in ſua nundinatione facturus: ſed needum margaritæ precioſæ emendæ opportunitas ſe dederat: quam vt Ieroſolymis exponendam audiit, certus profundere quidquid numorum tot laboribus & profectionibus, tot multorum annorum induſtria collegerat, ſuos ad tam vtilem negociationem exhortans animansque.

Chriſti adhortatio.

Ecce, inquit, aſcendimus Ieroſolymam. q. d. hæ ſunt illæ nundinæ quæ mihi toties fuerunt in ore: hoc forum hic mercatus, de quo tam frequenter mihi ſermo: ad quem anhelaui: quem ſemper præſentem volui. Eia comites quos vt rationum mearum conſcios & compotes aſciui ad iter vos accingite. Vos in ſocietatem tanti com-

Digitized by Google

ti commercii aduocaui, vt, quia non poteſtis eſſe emptores Frater non redimit, redimet homo? ſaltem emptionis venditioniſque à ſeculis non auditæ ſpectatores ſitis, ac teſtes.

Obligatio ex contractu redemptionis.

Hic eſt ille *contractus*, Academici, *emptionis & venditionis*, ſeu REDEMPTIONIS, ex quo arctiorem, quam ex illa locatione, aut conductione, de quibus in præcedentibus eſt diſputatum, exſurgere legum diuinarum, humanarumque præſidiis nixi, demonſtrabimus. Et hodierno quidem die, vniuerſe contractus huius, quem in PASSIONE ſaluatoris celebratum docemus, naturam, modum aliaque adiuncta declarare eſt nobis propoſitum. In conſequentibus autem per totam, quadragintadialem Carnis-priuii ſolennitatem, dominicalib. feriis ſingulares de ſingulis illis ritibus commentatione, more à nobis annis aliquot præſcripto inſtituemus. Sed iam hodierni penſi telam pertexamus. Vos ſtudioſe omnia ingenio iudicioque penſate.

Definitio emptionis.
Nota.

EMPTIO Iuriſconſultorum ſenſu breuiter finiri poteſt: *Contractus bonæ fide, vltro citroque emptorem, venditoremque obligans, qui conſenſu, re & precio perficitur.* Ex quo liquet tria potiſſimum ad hunc contractum requiri: Conſenſum ementis & vendentis: Rem quæ venditur, emiturue: tandem precium. Diſquiri autem hic poſſunt. 1. Quis in hoc contractu fuerit emptor. 2. Quis venditor. 3. Quod precium. 4. Quis terminus emptionis, quæ non differt à redemptione. 5. cui ſolutum precium. 6. Quanti valoris ſit precium. 7. Quis effectus huius emptionis, ac venditionis. 8. Quænam res empta ſit, quæ vendita. 9. Quo tempore celebratus ſit contractus. 10. vbi.

Res vniuerſitatis hominum.

Et quidem res in hoc contractu, non eſt vile quid, illis ſimilis, quæ tanta inſtitorum induſtria luſtrato orbe, inquiruntur. Non eſt quidpiam quod alteruter Indus, vel vterque, aut Tagus Pactolus, Nilus, Tiberis, Rhenus, Danubius, ſi quando Mœnus diuite produxit, aut deuoluit fluxu infra hominem. Non quod in Oceano, aut circa illum natura luſit. Non marmoris eboriſque ſtrues. Non piperis, caryophyllorum Zingiberis acerui. Non cinnamomi, croci, nardi nemora. Non ferri, chalybis, plumbi, ſtanni, æris ductilis, aut Caldarii, Cyprii, Corinthii, Campanici, argenti auriue cunei. Non bombycum viſcera, arborum filamenta, pecorum vellera coccus, byſſus, purpura. Non vrbes, prouinciæ, regna, imperia. Sed his omnibus nobilius diuinum animal, quod HOMO appellatur.

Perſona emptoris & venditoris.

Cum itaque de re empta, vendita ac redempta nulla ſit cõtrouerſia: de emptoris, venditoriſque perſona non tam facilis eſt diiudicatio. Nam ſi CHRISTVM DEVM-HOMINEM emptorem dicas: quis venditorem aget? Nam nemo rem ſuam emit. Si alius autem eſt venditor. Ergo neceſſe eſt dicere, Hominem ſub alterius, quam DEI aut CHRISTI fuiſſe dominio. Sed quem deſignare poteris. Et, quomodo, quo tempore, quibus pactis ad ipſum tralatum hominis dominium aſſeres? huiuſce rei tot difficultatibus implicatæ, non erit expedita diſcuſſio, niſi poſitis quibuſdam, quæ partim fidei lumine, partim ſacræ Theologiæ ſcientia, partim diuini Codicis lectione hauſimus.

Error Abailardi.
Diabolus cõmentarienſis, carcerarius.

PRINCIPIO deteſtandus eſt error Abailardi hæreſiarchæ, quem. S. Bernardus, contra omnes antiquos Eccleſiæ Patres (quod nec ipſe diffitebatur) docuiſſe eſt auctor. Diabolum propter peccatum commiſſum in hominem ius nullum habuiſſe: Sed permittente DEO ſolum fuiſſe, veluti *commentarienſem*, vel *carcerarium*. Quo nomine appellamus, præfectum carceris, & qui carcerato-

Digitized by Google

rum nomina in commentario refert: clarius cuſtodem, qui hominem quaſi in carcere peccati concluſum detineret. Addebat: quod hinc eſt conſectarium: verbum Dei carnem adſumpſiſſe, non vt hominem à peccato liberaret: Sed vt caritatem ſuam erga illum oſtenderet: ipſumque tanquam Doctor inſtrueret, ac viam virtutis ſterneret, & in ea facem præferret.

Baſſus hæreticus Philaſtri. De hæres Caſtro aduerſ. hær. 5. Chriſtus hæreſi 8. Prateol. in Elencho. 5. Baſſus. 2. Tim. 2. 26.

Simile quid commentus videtur fuiſſe multo ante ignobilis tenebrio, Baſſus: ita illum vocant Philaſtrius Alfonſus de Caſtro, & Gabriel Prateolus. dicebat enim non eſſe ſperandam ſalutem à Chriſto.

Vtrumque erroris illius caput confutat præclare Bernardus Epiſtola 190. in qua melleus alias Pater, ſeuerum ſubtilemque Doctorem agit. Et oſtendit imprimis, Homines poſt Adami peccatum vere ſub poteſtate Diaboli detineri. Quod in illo ad Timoth. Epiſtola 2. cap. 11. clariſſime colligit, *Ne quando* Devs *det illis pænitentiam* (verba ſunt Apoſtoli) *ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.*

Ad voluntatem dæmonis detinentur.

Cui teſtimonio hunc commentarium addit Bernardus dignum illo ingenio. Audis ad ipſius voluntatem & negas poteſtatem? Ac ſi diceret: Qui ab aliquo detinentur in carcere pro ipſius voluntate: etiam ſub illius poteſtate vere eſſe dicuntur. Certe malefactores non detinentur in carcere pro voluntate Commentarienſis aut cuſtodis: Sed iudicis aut magiſtratus.

Bezæ interpretatio praua.

Perperam autem Theodorus Beza, te *ad illius voluntatem*, refert ad Devm, cum nomen Diaboli proxime præceſſerit: à quo docet Paulus ita detineri peccatores captiuos vt ad illius voluntatem ac libitum huc illuc ad ſcelera impellantur neque ſe ex eius laqueis poſſint eximere. Nec te moueat diuerſitas relatiuorum in contextu Apoſtoli in quo eſt *αὐτοῦ* & *ἐκείνου* quaſi illud ad Diabolum, hoc ad Devm pertineat. Apoſtolus enim & bene monet Cornelius, copiæ gratia, noluit repetere *τὸ αὐτοῦ*: ſed pro eo ſubſtituit, *ἐκείνου*, quamuis de eadem perſona, nempe Diabolo loqueretur.

Captiuus Diaboli peccator.

Idem autem obſeruat, peccatorem eſſe Diaboli captiuum, tum quia à Diaboli & peccati poteſtate nulla ſua vi naturali, & nullius alterius virtute quam Dei eximi poteſt: tum quia peccatorem tanquam ſuum ſeruum Diabolus agitat, ac impellit quo vult in alia ac alia ſcelera. Quod indicat vox captiui Græce *ἐζωγρημένος* qua indicantur bello capti, vel feræ retibus concluſæ: quæ ſub poteſtate ſunt capientis. Quo pacto ſunt ſub poteſtate cacodæmonis peccatores. Ad quod confirmandum plurimum valet titulus *principis* quo Dæmonem adficit bonorum princeps Ioannis. 14. 30. Venit princeps huius mundi & in me non habet quidquam. Luc. 22. 53. Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.

Poteſtas Diaboli qualis? NOTÆ.

Qvalis autem hæc ſit poteſtas Diaboli in homines non explicat Bernardus: & diſceptant Theologi, nec conueniunt. Hoc certum eſt, non eſſe illam Maligni poteſtatem, vt ſibi obnoxium caput tanquam ſeruum pecus cogere poſſit ad quidlibet. Manet homo liber, quamuis dæmonis mancipium, liber dico manet ſi animam ſpectes, in qua liberum arbitrium. Itaque tentare, vexare, impellere ſubiectum ſibi poteſt: cogere & in peccatum adigere non poteſt, tentationi libere cedit quicunque cedit.

At ſunt ex Theologiæ Magiſtris nonnulli qui poteſtatem dæmonis ita intelligunt, vt homines ſolummodo illi traditi ſint ob peccatum commiſſum, vt ipſos pro voluntate ſua puniat in inferno. Atque ea ratione fuiſſe liberatos à Christo,

quoniam

Digitized by Google

quoniam ipſe protulit in ſe pœnas hominum ſceleribus debitas: vt homines condonato peccato, per gratiam CHRISTI non puniantur. Sed vereor ne hæc declaratio haud longe ab Abailardi errore diſcedat. Siquidem hoc intuitu Diabolus tantum veluti commentarienſis vel cuſtos carceris reuera habendus eſſet: nec pro voluntate in homines haberet poteſtatem. Nam ſi inferni cruciatus attendas, quos perpetiuntur damnati, non pro voluntate dæmonis ita torquentur miſeri, vt liberare illos ad libitum poſſit: neque etiam pro ſua voluntate illos in carnificina illa detinet, vt inde poſſit quenquam libere emittere.

Eapropter poteſtatis diabolicæ vim ex ſacræ ſcientiæ effatis ita explicandum reor. Peccati malignitate factum eſt, vt priuaretur duplici gratia: quarum vna eſt habitualis forma ſanctificans: altera actualis, quam appellant aliqui gratiam ſanctæ cogitationis, qua à peccati cupiditate auertitur, qui ad illud ratione inimici impellebatur. Itaque ob peccatum, homo dimittitur quodammodo vel eiicitur à facie Domini protegentis, & permittitur tentationibus ac incurſibus, agitationibuſque Dæmonis pro ipſius voluntate. Cui ſubditus maneret nec ſe poſſit eripere, niſi DEVS, miſertus creaturæ, ſanctam quandam cogitationem & illuſtrationem mentis, quam in Adamo amiſerat, immerenti liberaliter immitteret. Hac enim deſtitutus infallibiliter ſemper à tentatore debellatus illi ſeruire cogeretur.

Peccati malignitas.

Gratia habitualis ſanctificans.

Gratia actualis ſanctæ cogitationis.

Extenditur hæc poteſtas Diaboli, tum ad adultos tum ad infantes. Ad illos quidem quoniam per præuaricationem Protoplaſti, inimici DEI effecti ſunt & in originaria labe concepti ac nati. Itaque traditi cenſentur in manus ac poteſtatem Cacodæmonis. Quod infantibus quoque conuenit: qui & in peccato originali concipiuntur, & omni gratia expoliati, Diaboli Tyrannidi ſubiecti manerent niſi gratia diuina liberarentur.

Poteſtati dæmonis ſubditi adulti, & paruuli.

Verum, cum ante caſum fatalem parentis omnium Adami nullum omnino ius in hominem maligni illius ſubſeſſoris agnoſceretur. Neque poſſit res ab vnius dominio ad alterius transferri ſine titulo aliquo contractus, pactiue interuenientе. Quo nomine, quoue conuentionis genere hominum Poſteritas ſuo cum capite in poteſtatem principis tenebrarum, DEO veriſſimo hominis Domino, ac poſſeſſori tam inimico deuenit? Permutatione fortaſſe, an venditione, an donatione? quibus videlicet contractibus rerum dominia ex iuriſconſultorum præſcriptis transferri ſolent.

Ante Adami peccatum ius non erat dæmoni in homines.

RESPONDET huic interrogationi ſine ambiguitate, ambagibuſque, cui fidem, etiam iniurato, omnes, ſat ſcio dabitis Paulus Apoſtolus qui, cum Romanos ſuos doceret peccati vires ac impetus vniuerſos infringendos eſſe atque eneruandos: idque diuina gratia fieri poſſe, licet humanæ naturæ magna ſit atque incredibilis imbecillitas. *Scimus* ait *quia lex ſpiritalis eſt: Ego autem carnalis ſum*, VENVNDATVS ſub peccato. Ad Romanos 7. 14. ſenſus eſt, vt clariſſime oſtendit præclarus Pauli Paraphraſtes, legem quidem ſpiritalem eſſe ac ſpiritui conſentientem non ignoramus. Ego vero miſer ſum, omniſque adeo humana natura, ſi per ſe ipſa ſpectetur, prauis cupiditatibus implicatur, & primi parentis iniuria aliquo pacto vendita eſt, vt miſeræ peccati ſeruituti ſubiiciatur.

Homo venundatus.

Ad Rom. 7. 14.

Loquitur autem Paulus Apoſtolus, vt obſeruarunt Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Thophylactus, Oëcumenius, Auguſtinus de ſeipſo quidem: ſed quaſi aliena perſona ſuſcepta; eorum videlicet qui vel adhuc ſunt in peccato vel certe in ſtatu quidem gratiæ, ſed ea ratione ſpectantur, qua à primo parente Ada-

Paulus alienam perſonam induit.

Aug. Pr. p. 42. in Ep. [illegible]

Digitized by Google

ad Rom. Et lib. 1. ad Simp. Q. 91. Ambr. Epiſt. Rom. Hiero. Epiſt. 151. ad Algaſia. Q. 8 Baſil. Reg. breuior Reſp. 16.

mo vitiatam naturam ducunt. Quomodo hoc idem explicant SS. Ambroſius, Hieronymus, Baſſilius.

Hos itaque omnes præco veritatis Paulus ait eſſe VENVNDATOS, ſeu VENDITOS. At quis in hoc contractu VENDITOR. Graphice Ioannes Caſſianus *venditorem* ſuis coloribus depingit & contractus naturam, conditioneſque varias exprimit. Spiritualis eſt lex hæc, inquit, quæ iubet nos, vt in ſudore vultus noſtri comedimus illum panem verum qui de cælo deſcendit: *Sed nos carnales fecit* VENVNDATIO *illa peccati*. Quid rogo iſtud, cuiuſue peccatum eſt? Sine dubio ADÆ, cuius præuaricatione, &, vt ita dicam, NEGOCIATIONE damnoſa, fraudulentoque COMMERCIO venditi ſumus. Omnem enim prolem ſuam, ſerpentis perſuaſione ſeductus, illiciti cibi perceptione diſtractam iugo perpetuæ ſeruitutis addixit.

Primus hominum venditor Adam.

Caſſia. collat. 23. cap. 12.

Quomodo ab Adamo vendita poſteritas.

Serpens Emptor, Adam venditor.

Precium eſus arboris vetitæ.

Hic namque mos ſolet inter VENDITOREM EMPTOREMque ſeruari, vt is qui ſe cupit alieno dominio mancipere, aliquid pretii pro iactura propria libertatis & addictione perpetuæ ſeruitutis à ſuo conſequatur Emptore. Quod etiam inter Adam atque ſerpentē manifeſtiſſime videmus impletum. Ille enim à ſerpēte libertatis ſuæ, eſu interdictæ arboris capiens à naturali libertate diſceſſit: illique maluit ſemel ipſum perpetua dedere ſeruiture, à quo vetiti pomi LETHALE PRECIVM fuerat aſſequutus. Qua deinceps conditione conſtrictus, non immerito omnem poſteritatis ſuæ progeniem perpetuo eidem cuius effectus eſt ſeruus ſubdidit famulatu. Quid enim aliud ſeruile coniugium, poteſt procreare, quam ſeruos?

Res nondum exiſtens vendi poteſt.

Bene ſane. Adam ſe ſtirpemque vniuerſam execrando pomi noxialis *precio* dæmoni vendidit. Nec mireris vendi à parente primo, quos nondum genuerat. Notum eſt iuriſconſulto, licet venditio & emptio ſine re non ſubſiſtat. L. Nec emptio. & L. Etſi conſenſum ff. De contrahenda empt. tamen non requiri vt in rerum natura exiſtat, modo non conſtet eſſe virtute: hoc eſt, eſſe poſſit. Siquidem res futuræ emi ac vendi iure poſſunt: vt fructus arborum, fœtus animalium, partus ancillarum L. Nec empt. ff. de contrahenda empt. Et L. Si iactum ff. De act. emp. & vend. Quemadmodum enim emptor non ſtatim neceſſario precium ſoluit: ſed dat tamen qua promittit ſuo ſe tempore ſoluturum. Sic venditor ſeſe obligat emptori ad tradendam rem; tametſi confeſtim eam non repreſentet.

Coniugium ſeruile ſeruos procreat.

NEQVE illud perperam additum à Ioanne Caſſiano. Quid aliud ſeruile coniugium poteſt procreare quam ſeruos? Quaſi dicat: Adam & Eua, primi coniuges vendiderunt ſe in ſeruos. Itaque omnes ab iis procreati venundati eſſe debent, & ſerui. Vt enim loquitur *Iuriſconſultus*, partus ſequitur ventrem, ſiquidem vel ex ſola ancilla natus ſiue Pater liber ſit ſiue ſeruus: ſiue ex matrimonio legitimo ſiue aliter proueniens, ſeruus efficitur. L. *Partum* C. *de rei vindica*. L. *Et ſeruorum* ff. *de ſtatu hominum*. Inſtitut. *De iure perſon*. §. *ſerui autem*. Et *de ingenuis* §. *Sed ſi quis*. Quanto magis ſi vtrumque parentem venditione alteri ſubiectum habeat.

Ius diuinum in homines etiam poſt peccatum.

NE quis autem ſuſpicaretur hoc fradulento contractu hominem à diuino iure eſſe plane exemptum, quærit Caſſianus: *Quid ergo? Nunquid emptor iſte verſutus & callidus domino vero ac legitimo dominationis ius eripuit? Non ita eſt. Neque enim ſic ille omne periculum DEI vnius fraudis doloſitate peruaſit, vt potentiam dominii ſui verus dominator amitteret, qui ipſum quoque emptorem quamuis refugam, atque rebellem, tamen iugo reprimit ſeruitutis. Sed quia, qui omnibus rationabilibus creaturis arbitrii libertatem creator indulſerat, eos, qui ſe contra fas edacis concupiſcentiæ tranſgreſſione vendiderant, inuitos ad ingenitam libertatem*

libertatem reuocare non debuit. Abhorret ſiquidem ab illo iuſtitiæ ac pietatis auctore quidquid bonitati æquitatique contrarium eſt.

Alter venditor homo peccator.

PORRO hunc contractum venditionis ab Adamo cum diabolo initum, cotidie confirmari ac perfici à nepotibus, dum ſcelerate leges diuinas violant, nulla poteſt eſſe dubitatio. Quam ob rem duplicis venditionis titulo peccatores ſub Cacodæmonis dominio detinentur & crudeliter vapulant. Et quidem grauiſſimus auctor Auguſtinus propoſitione 42. in Epiſtolam ad Romanos, dum recitatum antea teſtimonium explanat: Ego carnalis ſum venundatus ſub peccato: Intelligitur, ait, perinde quaſi vnuſquiſque peccando animam ſuam Diabolo VENDAT. Quod etiam adfirmat Origenes homilia 6. in exodum: & Anſelmus in Epiſtol. ad Romanos.

Venundati quidam vt faciant malum.

Achab.

EST ſane perquam vſitata in ſcriptura ſacra illa loquendi formula: vt quis venundatus dicatur, certe non ab alio quam à ſeipſo. De Achabo li. 3. Reg. cap. 21. 15. *Qui venundatus eſt vt faceret malum.* Et ibidem. *Eo quod venundatus ſis, vt faceres malum in conſpectu Domini.* De quibuſdam improbis lib. 1. Machabæor. cap. 1. 16. *Iuncti ſunt nationibus, & venundati, vt facerent malum.* Hoc eſt: tam ſunt prompti paratique ad quælibet facinora, ac ſi pecunia ad id conducti eſſent, operamque ſuam addixiſſent. Vel flagitiorum omnium genere ita ſeſe commaculant, quaſi ſcelerum ſeruituti mancipati eſſent: miſeram certe ſeruiturem ſeruientes, ita in malum procliues ac ſi non poſſeat bonum agere. Sed à quo in hanc ſeruitutem venundati? à ſeipſis.

QVAMVIS dum diligentius hunc emptionis contractum examino, videor animaduertere poſſe etiam dici, DEVM ipſum fuiſſe venditorem: & homines poteſtati cacodæmonis mancipaſſe. Nam cum eſſemus ante peccatum ſub poteſtate DEI vt nihil in nos poſſet Satanæ tyrannis: admiſſo peccato, DEI amicitia deperdita poteſtati Diaboli permiſit hominem & quaſi à ſe alienauit: quod non eſt aliud, quam *vendere*.

Hac ratione ad criminum grauiſſimorum punitionem, non dæmoni modo, ſed & aliis hominibus quos capitales eſſe hoſtes nouit *vendere* dicitur DEVS inſignite improbos.

Deuteronomii 32.30. Nonne ideo *quia* DEVS *ſuus* vendidit *eos* Iudith. 7. 13. *Propter hoc vendidit nos* DEVS *in manibus eorum* Nahum. 3. 4. *Vendidit gentes in fornicationibus ſuis.*

Nicol. Serar. Iud. 2. Q. 2.

Iudicum 2. 14. *Iratuſque Dominus contra Iſraël tradidit eos in manus diripientium qui ceperunt eos & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum.* Qui loco vt ſcribit Nicolaus Serarius: Si Latinum contextum attendas: Venditi dicuntur Iudæi ab ipſiſmet ipſorum vaſtatoribus. Ita vt propter antecedens verbum, *ceperunt* mendoſe à librariis ſubiectum videri poſſit; *Et vendiderunt*: pro *& vendidit*: idem ſcilicet DEVS qui illos tradidit. Quo pacto legit S. Auguſtinus & Caietanus, poteſt tamen vindicari facile à mendo Latina editio: Si dicatur in Hebræo, idiotiſmo genus dici idem quod in Latino ſubdendo nomini plurali verbum ſingulare quo ſignificari ſolet diſtributio vt ſenſus ſit: Et vaſtatorum ſeu hoſtium quilibet vendidit eos: quod idem valet ac ſi dicatur: Hoſtes vendiderunt eos.

Vendit DEVS qui donat.

Alibi tamen non minus clare in Hebræo quam Latino dicitur DEVS ſceleratos vendere. Quomodo autem vendit? Id quæri ſolere dicit Auguſtinus Quæſt. 17. in lib. Iudicum, cum venditio non fiat ſine precio, quod aut precium DEO dari

potuit

potuit, maxime ab impiis? Videtur autem opinari, *vendere* eſſe ſimpliciter donare quando DEVS vendere dicitur. Qua ratione Iſaiæ 52. dicitur populo Iſraëlitico gratis venundati eſtis quoniam cum impii eſſent, quibus Iſraëlitæ vendebantur: *non* DEVM *colendo* inquit *tradi ſibi populum illum meruerunt, vt ipſe cultus* tanquam *precium videretur.*

Bifariam DEVS vendit.

1. Faciendo vt quis vendatur.

Addi tamen poteſt, quod monuit etiam Serarius, bifariam DEVM dici vendere hominem hoſtibus, vno modo, quando facit vt hoſtibus aliqui vendantur. Quod ſpectaſſe potuit Latinus interpres Iudicum 2. & tradit Caietanus ſcribens: ſenſus eſt, quod venales eos reddidit DEVS ſub manibus inimicorum in circuitu. Eodem pacto dicitur Iudicum 3. 8. Iratus contra Iſraël Dominus, tradidit, id eſt, vendidit eos, in manus Chuſan Raſathaim, regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis. Et Iudicum 4. 2. Tradidit illos Dominus in manus Iabin. Hebraice vendidit. Vt enim *vendendi* verbum in SS. idem interdum valet quod *tradendi*, ita econuerſo *tradere* aliquando eſt *vendere*, vtrumque enim ſignificat Hebræum מכר Machar.

Tradere idem quod vendere.

Quid proprie ſit vendere.

Deinde vero, cum vendere, proprie ſit rem aliquam ita alteri tradere vt in emptoris poteſtatem tranſeat, & quidem aliquo pro illa precio acepto. Altero modo DEVS vendere dicitur hoſtibus impios cum illorum poteſtati eos mancipat priuando libertate corporali ac temporanea. *Precium* autem quod à ſceleratis emptoribus DEO dari poteſt, aliquando eſt officium moraliter bonum: nec enim omnia improborum, etiam infidelium opera ſunt praua. Atque ita in Romanis benefacta moralia conſiderat Auguſtinus lib 5. de ciuitat cap. 15. ob quæ illis imperium orbis ſit à DEO conceſſum. Vel *precium* eſt illa ipſa, quam DEO nauare cenſetur, opera, in ſubiugandis & vexandis iis quos DEVS tali dignos ſeruitute iudicat. Vt videre eſt Ieremiæ 25 d · Nabuchodonoſere.

2. Tradendo in ſeruitutem.

Quomodo peccatores gratis venundati.

At enim: Si *precium* interuenit in venditione peccatoris, & quorumlibet Dæmoni, vel eius aſſeclis, mancipatorum impiorum hominum: quomodo dicuntur iidem *gratis* venundati. Iſa. 52. 3. Poteſt hoc Prophetæ effatum intelligi, vel hiſtorice de populo Iudaio Babyloniis vendito; vel myſtice de peccatoribus, Diabolo venundatis. Priori ſenſu, vt exponit recte Gaſpar Sanctius vendiderunt ſe gratis Iudæi Babyloniis, quoniam nullo precio à Babyloniis empti, ſed ſolummodo capti bello. Quemadmodum fera à venatore comprehenſa, nullo precio dici ſolet empta, Quia gratis oblata exiſtimabatur à fortuna. Et quamuis venator vt illum caperet cucurrerit, laborarit, ſudauerit: tamen quidquid eſt illud defatigationis atque laboris pro voluptate habet.

Gratis peccator ſe Dæmoni vendit.

Simili modo gratis peccator ſe dæmoni vendendo mancipauit: *quia ſi quid ab eo accepit in animæ ſuæ permutatione, aut nundinatione, id vſque adeo exiguum eſt, vt nihil, quam veriſsime dici debeat. Certe quam proxime abeſt à nihilo. Cum vero anima vel vna, tanti precii ſit, qui illam alteri tradit, quantumcunque rerum humanarum in permutatione accipiat gratis illam vendidiſſe exiſtimari poteſt.*

Particula gratis peccatum denotat.

Sed fortaſſe plus aliquid denotatur illa particula *Gratis* vt ſignificetur peccatum ſiue libidinis ſiue auaritiæ, ſiue quodlibet aliud ob quod vendit animam impius. Illud enim cum reuera ſit nihil aut ſi dici fingi e poteſt, minus quam nihil, recte gratis dicitur venundatus, quanquam in nundinatione, qua animam vendit magnum peccati precium accepiſſe putetur.

Vendere ſine precio

Huc etiam ſpectat quod DEI ſeueritatem erga Iſraëlitas exaggerans cantat Dauid in commendationem iuſtitiæ diuinæ: *Vendidiſti populum tuum ſine precio. Et*

non fuit

non fuit multitudo in commutationibus eorum. Pſalm. 43. 13. Quo ſignificat, vt interpretatur Ioannes Lorinus minimo, ac pene nullo precio gratis, proque nihilo Iudæos alienigenis venundatos. In venditione tam probroſa nullam fuiſſe precii multitudinem: ſed præ captiuorum multitudine & paucitate ementium, tanquam viliſſimas beſtias vili & modico precio venundatos.

Veriſſimum id fuit ſi hiſtoriam conſulas ſed in qua ſit imago venditionis myſticæ, qua peccatores Diabolo mancipantur: Nam Antiochus, nobilis figura Cacodæmonis vno triduo octoginta millibus interfectis, quadraginta millibus vinctis non minorem numerum Iudæorum venundedit, vt narratur Lib. 11. Machabæorum. Imperauit idem tyrannus Apollonio duci ſuo mulieres ac iuuenes vendere. Et ipſimet Iudæi fratres ſuos vendiderunt. De alia venditione ſub Tito Imperatore agit Ioſephus, & ſcribit infra ſeptimumdecimum annum, maribus ſimul ac fœminis ſub viliſſimo precio miſerrimam hanc ſortem obtigiſſe: nec repertos fuiſſe emptores, & defuiſſe, quo alerentur, annonam.

Antiochus quomodo vendiderit Iudæos.
Lib. 2. Machab. 5.
Ibidem 24.
Cap. 8. 20. 21.

Metuendum ſupplicium, hoſtibus ſuis venundari quod minatur Deus Hebræis Deuteronomii 28. 68. Reducet te dominus claſſibus in Ægyptum per viam, de qua dixit tibi vt eam amplius *non videres.* Ibi venderis *inimicis* in ſeruos & ancillas, & non erit qui emat. At contra Dei mandatum id attentantibus, minatur Deus ipſe talionem Ioelis 3. *Quid mihi & vobis* Tyrus & Sydon. Filios Iuda & filios Ieruſalem vendidiſtis filiis Græcorum vt longe faceretis eos de finibus ſuis. Ecce ego ſuſcitabo eos de loco in quo vendidiſtis eos: & conuertam retributionem veſtram in caput veſtrum: Et vendam filios veſtros & filias veſtras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis, genti longinquæ, quia Dominus locutus eſt. Quod interpretes nonnulli ad perſecutionem Eccleſiæ referunt.

Minatur venditionē Deus.
Ioelis 3. 4. 6. 7. 8.

Porro magis metuendum eſt ſupplicium quo Deus Satanæ vendit homines, atque ita poteſtati illius eos tradit. Quod non facit benigniſſimus parens niſi peccatis ingratorum irritatus: vt non tam Deus, quam ipſi peccatores, aut ipſorum ſcelera dicantur impios vendere: Quod inſinuat ipſe ſuorum amans, & ſolicitus conſeruator Dominus, graui illa per Iſaiam Prophetam atteſtatione. Hæc dicit Dominus: *Quis eſt hic liber repudii matris veſtræ quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis: & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.* Iſaiæ 5. 1.

Deus peccatis iratus vēdit impios.

Quibus verbis Deus, ac ſi Iuriſconſultum ageret, iuris omnis conditor, probat ſe poſſe Iudæos à ſeruitute eximere, quia nullum legis ſit impedimentum. Nam neque ſolenne diuortium, inquit, feci cum republica libellum repudii offerendo: neque filios meos ita vendidi ego, vt retrahere eos ab alterius dominatu non poſſim. Alioqui, ſi id factum contenditis, ſyngrapham renunciationis aut creditorem à quo venditionis pretium acceperim oſtendite. Reuera non ego repudiaui ſynagogam, nec vendidi Iudæos meos, ſed illi ipſi dum ſceleribus ſe intemperantiſſime inquinant aduerſario ſe vendiderunt.

Peccata vendunt.
NOTÆ.

Dixerat paulo ante populus in Babylone captiuus cum miris modis cruciaretur, Dereliquit me Dominus. Et Dominus oblitus eſt mei Iſaiæ 49. 14. Negat id Deus & ſibi curæ eſſe omnes confirmat exemplo matris, imo magis ſe de illorum ſalute, quam matrem de filiorum eſſe ſolicitum. Nunc addit: non à ſe venditos eſſe filios, aut dimiſſam matrem, ſed à ſceleribus, qui ſe contaminarunt. Itaque ſcelera vendunt impios Diabolo. Imo impii ſeſe vendunt ſceleribus. Nam peccatum

Querela populi.

Ff etiam

etiam emptoris perſonam ſuſtinet, ac proinde conſtituitur dominus vel Tyrannus hominis ſcelerati.

Peccator venditus peccato aut ſeruus peccati. Hinc in Scriptura ſacra is qui peccatum admittit, *peccato venditus, aut peccati ſeruus* dicitur Ioannis 8. 34. *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Ad Rom. 6. *Non regnet peccatum, in veſtro mortali corpore, vt obedialis concupiſcentiis eius.* Ita Achab *venundatus* dicitur vt faceret malum. 3. Regum 21. Quoniam ipſe ſe vendiderat auaritiæ, ſuperbiæ, iniuſtitiæ, & crudelium iſtorum dominiorum patens imperio nefanda commiſit. Sic quoque qui Machabæorum 1. ſcribuntur venundari, addixerant ſe ambitioni ac impietati cui in omnibus obediebant.

Non omnes à Deo venditi. Ex his autem venditis, quidam à Deo nō cenſentur venundati, quorum ipſe adhuc peculiarem quandam curam gerit, monendo, hortando, inſtigando per Angelos & homines frequenter vt ſeſe à laqueis inimici eximant, & contractum cũ peccato, dæmone ac inferno initum reſcindant, vt in Achabo licet animaduertere.

Sed horribile eſt & malorum ſummum; ſi à Deo quoque vendantur. Quod de iis ſingulari quodam modo adfirmatur, erga quos ita ſe habet, ac ſi curam de iis non haberet, vtpote alienæ poteſtati traditis, nec ad ſuam familiam ſpectantibus: filiis nequam, ſceleratis exhæredatis. Hi nullo Dei, iudicis ſeueriſſimi metu, nulla Dei patris optimi reuerentia, nulla Dei Domini munificētiſſimi verecundia, nullo gehennalium ſuppliciorum timore, nulla legum, vel diuinarum, vel humanarum æſtimatione libere quodlibet flagitium perpetrant: ac nihilominus quiete agere videntur, nec vllis angi conſcientiæ torquentis moleſtiis. Venerunt enim in malorum profundum, in quo obſurduerunt, & obducto collo inſenſibiles ſunt redditi, hominum miſerrimi.

O duram ſeruilemque ſortem̃ hominum concupiſcentiæ & Cacodæmoni venundatorum, quæ eo cenſetur miſerabilior quod ſe in priſtinam libertatem nequeant reſtituere, nec ab vllo alio liberari poſſint, qui non perſoluto infiniti valoris precio, reſciſſo priori contracto, & nouo emptionis & venditionis celebrato ad veri Domini poteſtatem eos traducat. Quod generi humano inaudita filii Dei liberalitate obtigiſſe dubitari non poteſt Paulo nobis omnibus adgratulante EMPTI ESTIS PRECIO MAGNO.

NOTÆ I.

De vendito genere humano Cacodæmoni ab Adamo, à ſe ipſo, à Deo.

§. 2. *At malè fortaſſe CHRISTVM dicimus MERCATOREM.*

MERCATVRA PROPRIA.

MERCATVRA neque obeſt nobilitati, neque eſt dedecoroſa Principibus imo Regibus. Patriarchæ fuēre negotiatores Gen 34. 21. viri illi pacifici ſunt & volunt habitare nobiſcum, negocientur in terra & exerceant. Poteſt id quidem de cultura accipi. Hebraicum tamen negociationem ſignificat סחר vt Patriarchæ dici poſſint fuiſſe mercatores סחרים. Lib. 2. Paralipom. 1. 6. Negociatores Regis Tyri negociatores Principes erant. & inclyti terræ Iſaiæ 23. 8.

Olim Reges, Reſpub. Nobiles, Senatores publicè priuatimque negociabantur. Apud Romanos equites toto orbe mercaturam exercebant. Nec Salomoni id fuit indecorum. Noſtro æuo Regum Luſitaniæ negociationes ſunt celebres

Digitized by Google

bras Lege bellum 7. 1. Diſc. 12. In Hiſpania, & Italia, Principes, Marchiones, Nobiles per alios negociantur, ſed & ipſi nonnunquam manum admouet, ita tamen vt nihil contra dignitatem ac decentiam committant, & rem ſuam augeant.

Conſule Ioannem Pineda de rebus Salomonis lib. 4. cap. 23. vbi diſputat: *Quantæ Salomonis opes ex negociatione:* docetque multa eſſe mercaturæ commoda: cultam eſſe ab Imperatoribus. Salomonem duplicem exercuiſſe: mari alteram, alteram terra. Quærit An Salomon negociatus ſit ſordiuſcule, vt nonnulli ſuſpicantur? An in byſſo? An in equis? An eius negotiatio etiam fuerit Aromataria.

Lege doctiſſimum opus Politicorum Adami Conzen lib. 8. cap. 10. vbi copioſiſſimè de toto genere mercaturæ. Apud quem reperies qui Imperatores mercaturam exercuerint: qui negociationis fuerint oſores. Quid legibus ſancitum. Quid Principi conueniat. Quid proſit: quid obſit Reipublicæ.

Apocalyp. 18. 23. *Mercatores tui erant Principes terræ.* Quod de Roma intelligendum & de Principibus ac Regibus qui alicuius lucri gratia, precioſa quæque Romam mitterent exiſtimat Franc. Ribera. Poſſe etiam ad Imperatores ipſos Romanos referri opinatur Pineda. Alcazarius vult deſignari Principes, ac Magiſtratus qui per idololatriæ cultum compendia faciebant. Et plura habet eod. cap. ver. 3. Mercatores terræ, de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt.

Pſal. 70. 15. Quoniam non cognoui litteraturam, Græcè *γραμματείας*, LXX. *πραγματείας, Negociationes*, quæ lectio apud Latinos multos fuit celeberrima & aliquos Græcos. Ex negociationis vocabulo captat occaſionem Auguſtinus digrediendi in mercaturæ pericula. Licet ipſam non damnet Auguſtinus aut alii Doctores Catholici. Sicut non damnant artes & opificia vel diuitias ſed abuſum.

Negociatores à Chriſto eiecti ſunt ex templo prohibente domum ſuam, facere domum negotiationis. nam negociando irreligoſe tractatur locus ſacer. Iohan. 2. 16.

Caſſiodorus adprobat vſum negociationis tum exemplo Patris familias, qui negociatori comparatus eſt: tum quod teſtetur inuentos ſuo tempore in Eccleſia tractantes mercimonia, qui ſumma fide pollerent. Cum autem idem definit negociationem, carius velle diſtrahere, quæ poſſunt vilius comparari: & talem omnem eiici è templo. Quodque habet auctor operis imperfecti Homil. 38. in Matth. Quicunque rem comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur eſſe mercatorem, qui de templo Dei eiicitur: Ita exponit S. Thomas 2. 2. quæſt. 77. art 4. ad 1. vt dicat Patres illos loqui de eo qui vltimum finem in lucro conſtituat. Id autem præcipue videri, quando rem non immutatam carius vendit: tamen lucrum intendi poſſe licite, propter alium finem neceſſarium.

Propter circumſtantiam perſonarum illicita eſt aliquando mercatura. Gelaſius in Epiſt. Decret. C. XVII. & eſt in Decret. D. LXXXVIII. C. conſequens, citans illud Pſalmi: Quoniam non cognoui negociationem, introibo in potentias Domini. Et iſtud Pauli 2. ad Timoth. 2. 4. Nemo militans Deo implicat ſe negociis ſecularibus, reprehendit clericos negociantes.

Ff 2

Digitized by Google

S. Leo Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem Epiſc. ſcribit: Quod qualitas lucri negociantem excuſat, aut arguit, quia eſt & honeſtus quæſtus & turpis. Subdit autem. Quod pœnitenti vtilius eſt, etiam diſpendia pati quam periculis negociationis obſtringi. Quia difficile eſt inter ementis & vendentis commercium non interuenire peccatum.

S. Ambroſius Lib. 3. officiorum cap. 6. dicit S. Dauidem negare introiiſſe ſe in negociationem, quoniam preciorum captare incrementa, non ſimplicitatis, ſed verſutiæ eſt.

Quibus inſinuat, vt & alii Patres negociationem vix ſine peccato exerceri. Nam difficile exuitur negocians à negligentia: & non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum 26. 28. Is, *cuius in multis ſunt actus*: atque ita ſit diues, vt mercator, non eſt immunis à delicto Eccl. 11. 10. Et quot ſunt in mercatorum tribu, qui cauent, ne in multitudine negociationis repleantur interiora eorum iniquitate Ezec. 28. 16.

Chryſoſtomus Homilia 38. operis imperfecti. Quemadmodum qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, & ſe ſine multiloquio commendare nõ poteſt. Neceſſe eſt enim vt iſti malè loquatur de illo & illi male loquatur de iſto. Sic qui emit & vendit, ſine mendacio eſſe non poteſt & periurio. Neceſſe eſt enim vt ex negociatoribus hic iuret quia non tantum res valet, & ille iuret quia tantum valet res quanti æſtimare eam & vendere cupit. Ex quo colligit Chryſoſt. mercatorem vix aut nũquam poſſe Deo placere. Ibidem & hanc habet ſimilitudinẽ. Quemadmodum, ſi triticum aut aliam aliquam frumenti ſpeciem in cribro dum huc illucque iactas grana omnia paullatim deorſum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet niſi ſordes. Sic & ſubſtantia negociatorum, dum vendunt & emunt, inter emptionem & venditionem minuitur, & in nouiſſimo nihil remanet niſi peccatum.

Homilia autem de Iacob & Eſau damnoſam vocat negociationem. *Moleſta fames* eſt quæ ad hoc ſaginatur vt perdat. Perniciosa eſuries, quæ idcirco excluditur, vt peior in homine nutriatur damnoſa mercatio, ſi ſalus pro cibo impenditur aut magnis vilia comparantur. Quod ad mercaturam Eſauiticam pertinet.

Itaque exiſtimant nonnulli: Difficile eſſe mercatorem ſaluari. Franciſcus Labata in Apparatu Concionatorum. 5. MERCATOR. Neceſſarium eſt Reipub. officium mercatorum, & neceſſarium valde ad conuictum humanum, & ad ea etiam quæ ad cultum pertinent diuinum. Nam ornamenta Eccleſiæ, & vaſa & reliqua templo neceſſaria ex mercatura dependent. ſed negari non poteſt periculoſiſſimum eſſe huiuſmodi munus. Verum enim eſt quod Mimus aſſeruit, de quo

Auguſtinus Lib. 13. de Trinitate cap. 3. cum promiſiſſet in theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, ſe eſſe dicturum, atque ad diem conſtitutum ingenti ſpectatione maior conflueret multitudo, ſuſpenſis ac ſilentibus omnibus, dixiſſe perhibetur: vili vultis omnes emere, & caro vendere. In quo dicto leuiſſimi ſcenici, omnes ſuas conſcientias inuenerunt, eiſque vera ante oculos omnium conſtituta, & tamen improuiſa dicenti omnes applauſerunt. Quod vitium eſſe pronunciat Auguſtinus: ſed commune mercatorum.

Eccleſiaſtici 27. 2. *Sicut in medio compaginis palus figitur: ſic & inter medium venditionis, & emptionis anguſtiabatur peccatum.* Ianſenius: ſenſus huius parabolæ hic eſt. Sicut in medio lapidum ſibi coniunctorum palus ſic figitur, vt eximi non poſſit & extrahi dum ab omni parte lapidibus ſibi fixè adhærentibus premitur: ita & in-

ter

Digitized by Google

ter emptionem, ac venditionem ſic peccatum anguſtiatur, & premitur, vt ægre poſſit fieri, quin inter illa concludatur, dum ab vna parte emptor ſuæ eſtudet, ab altera venditor: & ille quidem vilius emere rem laborat: iſte vero vendere carius: atque ita fit vt ipſum peccatum comprimatur, & quodammodo vim vndique cum delinquente patiatur.

Non damnat tamen Sapiens legitimam rationem contrahendi, emendi, & vendendi: Sed faciles occaſiones fallendi atque fraudandi hoc in genere vitæ eſſe oſtendit; Homines enim natura ſua ſunt ad rem attentiores, quorum cupiditas emptionibus ac venditionibus, peccatum, quaſi palum parieti infixum continet ac includit. Ita Ianſenius. Addit Labata. Imaginare peccatum hominem eſſe qui ne apprehendatur, fugere procurat, circumdatum tamen vndique ab aliis non poſſe fugere, neque exire. Sic inquit Sapiens, eſt peccatum inter emptiones & venditiones. Licet enim fugere vellet, adeo illud detinent ac retinent negociationes, vt vix fugere poſſit. Quo quam graues ac efficaces occaſiones peccandi mercatura ſecum ferat Spiritus Sanctus declarauit.

Emphaſim habet in dicta ſententia verbum Anguſtiabitur. Ex Græco vertere poſſis: Comprimetur, ſicut nempe palus inter lapides bene defixus. Quia non ſolum facile contrahitur peccatum inter emptiones & venditiones: verum etiam poſtea manet ita fixum, vt vix extrahi poſſit. Moneat concionator, hortetur confeſſarius; roget amicus, remordeat cõſcientia, inſtet infirmitas: cogat mors proxima, lucrum illud iniuſte corraſum, ita fixum cordi hæret, vt mirum ſit, ſi vel ſic tunc euellatur.

Sunt tamen inter mercatores, qui & mandatorum diuinorum exactam rationem habent, & largis eleemoſynis peccata redimunt. Laudat Auguſtinus hoc indicato hominem, qui cum venalis ei quidem liber fuiſſet oblatus & precii eius ignarum, atque ideo quidpiam exiguum poſcentem venditorem iuſtum precium, quod multo amplius erat, dedit. Largitionis etiam gratia quoſdam emiſſe frumenta narrat, & filius vendidiſſe ciuibus ſuis. At hi rari ſunt.

Quid de iis dicendum qui mercatorum ſpecie latrocinari videntur? Certe cum Chriſtus expelleret è templo mercatores, dicebat: *Domus mea domus orationis eſt, vos autem fecistis ſpeluncam latronum.* Cur non dixit mercatorum? Mercatores erant qui ibi negociabantur, & eiecti erant. Verum id quidem ſed ita iniuſte ac perdite agebant multi illorum, vt cum mercatorum dicere debuiſſet, dixerit latronum; quia ſimul mercatores & latrones erant ob fraudes quas in emptionibus, ac venditionibus miſcebant. Labata.

Sunt qui ita negociantur, vt quamuis fraudes ac dolos multos committunt, nitantur oſtendere ſe in huiuſmodi negociationibus non ſolum nemini nocere, verum, & prodeſſe velle egenis, qui licet homines decipere poſſint palliationibus ſuis, non tamen Deum cui omnia patent. Idem.

S. Auguſtinus in Pſam. 70. literate notat vocem Græcam πραγματείας ab opere & Latinam negocii, dici, quod neget ocium. Myſticum eſt quod addit: *Non cognoſcere negociationem*, qui ſibimet ipſi non tribuit meritum bonorum operum ſed DEO, ac proinde introire in potentias Domini.

Philippus Greueus ſermone 148. In Pſalmos magis detorquet verbum cognoſcendi ad rem vxoriam, docens illum non cognoſcere literaturam, qui *Cognoſcere, vti vxore.*

Triplex negociatio.

ex ea tanquam ex vxore fructum temporalem non requirit. Idem diſputat docte & ad mores apte de triplici negociatione, laicorum, clericorum, mercatorum.

Ex Tertulliano in Apolog. cap. 37. Habes Chriſtianos vſos commerciis Gentilium: è quibus conquerebantur de eorum ſterilitate, Lenones, Sicarii venenarii, Magi, Arioli, Aruſpices, Mathematici, & alii, quibus infructuoſos eſſe magnus fructus eſt.

Tandem, eſt mercandi, & negociandi quoddam genus, quod vile merito habetur, & homines ſordido ac puſillo animo creat, ad lucellum ſemper intentos, minuſque Reipub. ac bono communi curando idoneos, vt ſcribit Ariſtoteles lib. 3. Politicor. cap. 3. & lib. 6. cap. 7. & lib. 7 cap. 9. Titus Liuius lib. 1. de ſecundo bello Punico. Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. Hoc proprium eſt nundinatorum, quæſtoriorum, inſtitorum, nummulariorum.

De mercatorum fraudibus & peccatis conſule ſcriptores caſuum conſcientiæ, apud quos etiam quæ liciti, quæ minus, commercia diſcutitur. Nauarrus in Enchiridio. Ioa. Azor. Tom. 3. lib. 8. Paulum Comitolum in Reſpon. Moral. lib. Summuliſtas 5. Mercator aut negociatio. Et qui de ſtatibus hominum diſſerunt; inter quos Buſæum miror non attingere ſtatum mercatorum. Denique Theologos in 2. 2. S. Thomæ & Leſſium de iuſtitia & iure, Molinam Rubellum, Ioan. Salas.

NOTÆ II.

Mercatura allegorica, tropologica, ſymbolica.

MVLTIPLEX eſt hæc *mercatura*. Quicunque negocium ſuum agit & vel animæ & ſalutis propriæ vel alienæ procurationem ſuſcipit: quicunque reipublicæ, aut Eccleſiæ: quicunque religioſæ familiæ: quicunque denique cuiuslibet contubernii commodis proſpicit, negociari dicitur, & mercatura rem exercet. Eſt itaque mercator epiſcopus, princeps, paterfamilias, eccleſiaſtes, Doctor, Magiſter, virtutum omnium conſectator.

Vitam hanc mercatum eſſe dixit Pythagoras. Cicero lib. 5. Qq. Tuſcula. dicebat Pythagoras ſimilem videri vitam hominum & mercatum eum qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam vt illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alii emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur: eſſet autem quoddam genus eorum idque vel maxime ingenuum, qui nec plauſum nec lucrum quærerent, ſed diſcendi cauſa venirent, ſtudioſeque perſpicerent, quid ageretur & quomodo. Ita nos quaſi in MERCATVS quadam celebritate, ex vrbe aliqua, ſic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ. Raros eſſe quoſdam, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam ſtudioſe intuerentur: hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt enim Philoſophos. Et vt illic liberaliſſimum eſſet ſpectare nihil ſibi acquirentem, ſi in vita longe omnibus ſtudiis contemplationem rerum cognitionem præſtare.

Gregorius Nazianzenus Lib. 1. Sententiar. Spirit.

Vitam eſſe noſtram crede veras nundinas.
Mutare lucra, ſi ſequare: Nam licet
Æterna fluxu, vilibuſque maxima.
Sin illa fugit, tempus haud aliud venit.

Præcli-

Digitized by Google

Præclarè hanc mercaturam allegoricam deſcribunt è recentioribus aliqui. Robertus Bellarminus Concione 17. Non eſt negligenter prætereundum quod eſt Matth. 10. *Vidit alios ſtantes in foro*, vocem Græcam ἀγορᾷ habere quæ & forum & propriè mercatum ac nundinas, vt Origenes ait, ſignificat. Quod enim Pythagoras dicere ſolebat, vitam humanam Mercatui perſimilem eſſe id nos quoque eſſe veriſſimum experimur. Quemadmodum enim in Nundinis alii merces ſuas oſtentant, & tabernacula, atque vmbracula, tanquam laqueos, & retia pecuniis tendunt: alii ſubtiliora artificio, nempe circulatores atque præſtigiatores homines cantu, tanquam ſibilo aues ad ſe trahunt, & admirabili genere MERCATVRÆ negotiantur: Ibique mendacia dominantur, inſidiæ, doli, deceptiones, & fraudes regnant, ac demum omnia confuſis tumultibus rumore ac ſtrepitu plena ſunt: ſic etiam in foro ac nũdinis huius mundi Dæmones ſunt, qui quaſi verſutiſſimi MERCATORES vbique figunt ſua tentoria, iſte voluptates, ille diuitias, ille honores, ac dignitates vendit.

Nam qui emunt vel voluptuarii ſunt, vel auari, vel ſuperbi atque ambitioſi. Omne quod eſt in mundo, clamat Euangeliſta Ioannes, hoc eſt omne quod eſt in foro & nundinis, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Carnis concupiſcentia quid niſi delitias, voluptates, comeſſationes, ebrietates, oculorum, aurium, narium, & omnium ſenſuum delectationes exerceret? Concupiſcentia oculorum quid, niſi domos, veſtes, poſſeſſiones & pecunias quæreret? Quæ oculorum concupiſcentia alio nomine auaritia non immeritò dici ſolet: eo quod auari oculos ſolos oblectent, ſolos oculos paſcant, parciſſime viuant, ſordidiſſime veſtiantur: non animum ſed arcam implere non ventrem ſatiare, ſed oculos geſtiant.

Porro ſuperbia vitæ, quid præter honorum ſedes, & dignitatum ſplendorem ambiret? In hoc igitur foro omnia perſonant confuſis vocibus MERCATORVM, & cum alius accedit, alius recedit, alius vendit, alius emit, alius redit: iſti canunt, illi contendunt, mirum eſt quantus vbique tumultus ac ſtrepitus excitetur. Sed quod caput omnium malorum iidem mercatores ſunt & præſtigiatores. Siquidem amaritudinem venditant pro voluptate; ignominiam pro dignitate: pro floribus ſpinas: pro auro carbones, qui quoniam accenſi ſunt, mox vt tanguntur manus comburunt.

Sed aliam mercaturam exercent DEI famuli ſiue homines conuertendo ſiue ſeipſos ad pietatem exercendo, ſiue alia pietatis opera faciendo, quæ omnia negociationis nomine à virtutum Magiſtris exprimuntur.

B. Macarius Homil. 22. Chriſtiani ſunt mercatorum ſimiles, qui quæſtum ingẽtem è MERCATVRA faciunt. Quemadmodum enim hi cumulant lucra terrena: Sic illi cogitationes cordis ſui per hoc ſæculum diſperſas, virtutum omnium ac vi Spiritus Sancti colliguntur ex vniuerſa terra, quæ maxima & vera eſt negociatio.

B. Laurentius Iuſtinianus de diſciplina & perfectione Monaſtica cap. 21. Etſi pro corporibus arbuſta, piſces, volucres, cæteraque animantia terra marique condita ſunt: tamen ipſa corpora cœlum & quid in cœlo fulget, aut in terris mouetur principaliter præ animantibus creata ſunt, vt in ipſis tanquam in viſibili ſpeculo gloriæ intelligant conditoris. Quicunque igitur ſuæ mentis compos eſt & futura bona præſentium mercede mercari cupit, modum habeat in iis, quæ foris ſunt:

ne

Digitized by Google

ne horum impedimento interioribus priuetur bonis. Proponat ſpiritualia temporalibus lucris & inviſibilia viſibilibus.

Hac cogitatione quod mercatorem agere extimulabat ſe ad induſtriam Conſaluus Silueria, vir ſanctus cum ageret Monomotapæ in Apoſtolico munere. De eo Franciſcus Sacchinus Hiſtoriæ ſocietatis IESV Tom. 2. lib. 4. Num. 222. Plurimum commouebatur ſacrum ſe MERCATOREM cogitans, totumq; DEI negociis ac curis occupatum, ſe ſortem diuini ſanguinis exercentem. Nec homines ſocietatis niſi negociatores & inſtitores eiuſmodi eſſe dicebat. Atque in quadam ad Præpoſitum generalem Epiſtola. Ego inquit Pater mi incidi in venam huius ſanctæ negociatoris beatæ obedientiæ ductu (erat in terra auri feraciſſima) nec animus vltra eſt, alias fodinas vſquam nec quietem aut artes cogitare. Nam ſi loquendum eſſet experimento quod in mari montaniſque capitur, ibi DEVS abscondit plenitudinem ac ſuauitatem diuinitatis & humanitatis ſuæ ſpiritualiter iis repoſitam, qui diligunt ibi habitationem ac requietem ad lucra redemptoris.

Concionatorem mercatoris ſymbolo non raro exprimit Chryſoſtomus. Illuſtris eſt locus ille Homilia 1. in Iſaiam ad illa verba, Vidi dominum ſedentem. Hunc ſermonem in longum producimus, nec præſentem laborem fruſtra inſumpſerimus: ne ſuſtinentes vigiliæ neceſſitatem inutiliter in puerili certamine verſemur, ne voces in aëem diſſoluta ad detrimentum ſonent potius quam ad lucrum. Neque enim negociator è longinquo merces importunas, vehementem ventorum incurſum, vndarumque exorientium procellas ſuſtinens fruſtra & incaſſum ſuſciperet eiuſmodi labores, verum ideo maria plena ſunt & audax eſt aduerſus pericula, locaque locis commutat, maria peragrat, totaſque noctes ducit inſomnes vt negociatione diteſcat. Quod ſi non contingat ſed cum lucro etiam ſortis iacturam faciat. ne ſoluere quidem anchoram poterit nec illa varia perferre diſcrimina. Hoc itaque ſcientes cum ducente circumſpectione huc accedamus ne pro peccatorum remiſſione etiamſi acceſſionem peccatis adiunctam domum referamus.

Ludolphus Carthuſianus de vita Chriſti titulo de Reſurrect. agens de vnguentis trium Mariarum quæ emerunt vt venientes vngerent IESVM. Qui vult inquit prædicta vnguenta & aromata habere: oportet ea emere. Ille enim qui emit dat de ſuo, & accipit de altero. Sic in operibus virtuoſis oportet aliquid ponere de noſtro ſcilicet voluntatem & aliquid recipere à DEO ſcilicet operandi facultatem. Vel à DEO recipimus gratiam prouenientem de noſtro apponimus voluntatem ſubſequentem.

Emiſerunt in lucem ante paucos annos Holandi Commentariolum titulo, Negociatio Ieſuitica, in quo ſunt Epiſtolæ Patrum ſocietates IESV per Holandiam & Friſiam ſparſorum, & conuerſionis aut confirmationis in fide negocium agentium quod formulis apud mercatores vſitatis, belle vbique, & intelligentibus ſignificanter exprimitur.

Contractum emptionis in Eleemoſynæ datione conſiderat. S. Chryſoſtomus Homil. de Pœnitent. Nundinæ inquit nobis profecto mirabiles ſunt. Harum nulla alia eſt profeſſio, & negotiatori nulla alia intentio, quam paruo quidem emere, magno vendere. Nam ea eſt negociantis cuiuſque induſtria. Nunc negociatori alia ratio eſt, quam quod minori empta, maiori precio vendat, atque duplicatam ſummam inueniat? Tales DEVS nobis nundinas propoſuit. Modico iuſtitias eme, quo multo vendas in ſeculo futuro. Hoc modico iuſtitia emitur,

panis

panis fragmento, calice frigidæ aquæ. Amen dico vobis inquit ſpiritualis mercaturæ Doctor non perdet mercedem.

NOTÆ III.

CHRISTI. D.

Mercatura, Emptio, Redemptio.

EMptio & venditio, ſi proprie accipiantur, precium connotant, aut inuoluunt: tamen quia aliis etiam modis fit nonnunquam alienatio, aut acquiſitio rerum; ita vt perinde rem quampiam habeat ac ſi illam precio comparaſſet: aut non aliter rem à ſe abdicet quam ſi pecuniam pro illa accepiſſet. Hinc factum, vt qui quolibet modo rem aliquam alteri tradit, & alienet dicatur illam vendere & qui accipit, eam emere. Iſaiæ 55. Venite & emite abſque argento & abſque vlla commutatione vinum & lac.

Hoc ſenſu exponunt aliqui omnia illa S.S. loca in quibus DEVS dicitur vendidiſſe aliquos hoſtibus aut alienis: vt nihil aliud ſignificetur, quam illum traditum eſſe hoſtibus, aut Deum reſpicere eum qui venditus dicitur, tanquam alienum, & qui iam ad ſe, familiamque ſuam non pertinet, haud ſecus, ac ſi precio accepto alieno domino datus eſſet mancipio. Caſpar Sanctius Iſaiæ 50.

Redimere, & emere aliquando in S.S. idem valent, & nihil aliud quam abſolute ac ſimpliciter liberare ſignificant, vt ex plurimis Pſalmorum verſibus conſtat. Quando autem id fit per ſingularia beneficia videtur aliquo modo proprietas verborum retineri, quaſi illa ſint precii loco. Ad hunc modum crebro populus Hebræus dicitur redemptus editis à Deo tam multis prodigiis in brachio extento, & iudiciis magnis. Exodi VI. 6. XV. 13. Deuter. VII. 8. IX. 26. XIII. 5. cap. XI. 8. 2. Regum VII. 23. 1. Eſd. 1. 10. V. 5. Eſther XIII. 16. Pſal. LXXIII. 2. Pſal. LXXVI. 16. Pſal. LXXVII. 242. Ob quam cauſam vocatur populus acquiſitionis. 1. Petri 2. 9. Ac ſub illius typo genus humanum reſpectu Chriſti Domini. Quo loco lege Thomam Anglicum de varia ratione Redemptionis & de quinque neceſſariis ad hoc vt proficiat.

Hebræum פדה, padach etſi proprie ſignificet redimere precio & conuentione: tamen aliquando Interpres Latinus ponit aliud illius loco vt dimidere Exodi 21. 8. ſi diſplicuerit oculos domini cui tradita fuerat, dimittet eam: id eſt ſinet libere, haud ſecus ac ſi redimeretur.

S. Thomas 3. P. Quæſt. 48. Art. 4. diſputat, vtrum Paſſio Chriſti operata ſit noſtram ſalutem per modum redemptionis quo loco legendus Caietanus & Medina. Suarez. Tom. 1. in 3. P. Diſput. 4. ſect. 3.

Ioannes Driedo ſcripſit egregie de captiuitate, & redemptione generis humani.

S. Thomas Quæſt. deſignata Artic. 5. quærit, An eſſe redemptorem ſit proprium CHRISTI ita vt nec Patri, nec Spiritui Sancto cõueniat, & ita ratiocinatur. Ad hoc quod aliquis redimat, duo requiruntur: ſcilicet, actus ſolutionis, ac precium ſolutum. Si enim aliquis ſoluat pro redemptione alicuius rei precium, quod non eſt ſuum; ſed alterius, ipſe non dicitur redimere principaliter, ſed magis ille cuius eſt precium. Precium autem Redemptionis noſtræ eſt ſanguis CHRISTI vel vita eius corporalis quæ eſt in ſanguine, quo ipſe CHRISTVS exſoluit. Vnde vtrumque ad CHRISTVM pertinet immediatè in quantum eſt homo: ſed

ad totam Trinitatem vt ad cauſam primam ac remotam, cuius & erat vita Chriſti ſicut primi auctoris, & à quo inſpiratum fuit homini Chriſto, vt pateretur pro nobis. Atque ideo eſſe immediatè Redemptorem proprium eſt Chriſti in quantum eſt homo: quamuis ipſa redemptio poſſit attribui toti Trinitati ſicut primæ cauſæ.

Ad Galat. 3. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus ipſe maledictum. Dicitur factus pro nobis maledictum in quantum paſſus eſt pro nobis in ligno in quo per ſanguinem ſuum redemit nos. Solus autem ipſe pro nobis factus eſt maledictum: itaque ſolus CHRISTVS dici debet Redemptor noſter.

Obiic. 1. Pſalm. 30. Redemiſti me Domine Deus veritatis. At eſſe Dominum DEVM veritatis conuenit toti Trinitati. Non ergo eſt proprium CHRISTO.

Reſpondet: Gloſſam ita exponere. Tu Domine Deus veritatis redemiſti me in CHRISTO clamante: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Atque ita Redemptionem immediatè pertinere ad CHRISTVM: principaliter ad Deum.

Obiic. 2. Ille dicitur redimere qui dat precium redemptionis. Sed Deus Pater dedit Filium ſuum redemptionem pro peccatis noſtris ſecundum illud Pſalm. 10. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, id eſt, CHRISTVM, vt exponit Gloſſa. At recurrit idem reſponſum: CHRISTVM ſoluiſſe precium redemptionis immediatè: Sed de mandato Patris ſicut primordialis auctoris.

Aliorum vero Sanctorum paſſiones fuēre etiam ad ſalutem noſtram proficuæ, iuxta illud ad Coloſſ. 1. Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionibus CHRISTI in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia: verum id non fuit per modum redemptionis, ſed per modum exempli aut exhortationis ſecundum illud 2. ad Corinth. 1. ſiue tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute.

Lege Caietanum, qui egregiè explicat iſtum Articulum: & Franciſcum Suarez. ib. ac 1. Tomo in 3. P. Quæſt. 26. in Comment. Art. 1. Vtrum autem aliqui præter Chriſtum vocari poſſint Redemptores ac Saluatores eruditè tractat Nicolaus Serarius Iudicum 1.

NOTÆ IV.

EMPTIO.

DE hoc contractu fusè agunt IC. Digeſtorum Libro 18. ſeptem ſunt tituli in quibus agitur de Empto & Vendito. Libro 19. Primus eſt tit. de Actio. Empti & Venditi. Lib. 4. Codicis habentur tituli 26. à titulo 38. vſque ad 63. Inſtit. Lib. 2. tit. 24. agitur de Emptione & Venditione. Edidit de hoc contractu librum Fabianus cognomento de Monte S. Sabini: & Antonius Burgenſis Hiſpanus.

Ludouicus Molina: Tom. 1. de Iuſtitia & Iure Diſputat. 336. ſic definit. Emptio eſt contractus, qui conſenſu perficitur, precii pro merce. Venditio contractus, qui conſenſu perficitur, mercis pro precio. Dum dicitur: qui conſenſu perficitur, reiiciuntur contractus, qui plus quidpiam requirunt vt commodatum, mutuum, permutatio, & alii ſimiles. Per mercis & precii expreſſionem excludun-

tur

tur locatio & conductio, qui licet conſenſu etiam perficiantur, preciumque interueniat: tamen merx non reperitur.

Plura ſunt in definitione quam dedimus, quam habet etiam Azor tom. 3. lib. 8. cap. 1. & ſex ferè continet. 1. Contractus. Omnis enim emptio eſt contractus licet non omnis contractus ſit emptio. Eo autem differt ab vltimis voluntatibus, qui contractus nomine non comprehenduntur. L. verba geſſerunt. ff. de verb. ſign. 2. Bonæ fidei, vt diſtinguatur à contractibus ſtricti iuris. 3. Vltro citroque obligans quia emptor venditori obligatur & precium ſoluere cogitur: & venditor ſe emptori obſtringit ad rem ei tradendam L. Ex empto. ff. de Actio. emp. & vendi. Hoc modo diſtinguitur à contractibus, vel quaſi contractibus, qui ſaltem ab vna parte obligant, vt eſt donatio & ſimiles. 4. Conſenſu. Quo differt emptum à contractibus, qui re, vel verbis vel litteris complentur L. 1. De action. & obligat. ex conſenſu: non enim indiget certis litteris, verbis, traditione vt aliqui alii contractus. 5. Precio, quo diſtinguitur à permutatione, in qua non interuenit precium: item à locatione in qua propriè non eſt precium, ſed merces aut penſio. L. 1. ff. de ſuperfic. 6. Re: quia ſine re venditio & emptio non ſubſiſtit. L. Nec emptio. & L. etſi conſenſum. ff. De contrah. empt. Non quod emptio depoſcat, vt ſtatim res vendita tradatur emptori. ſi hoc enim poſtularet non conſenſu, ſed re perficeretur: ſed quia exigit vt exiſtat res in rerum natura actu vel virtute, id eſt quod eſſe poſſit, id quod venditur: res enim futuræ poſſunt vendi & emi. L. *Nec emptio*. ff. de *contrah. empt.*

NOTÆ V.

POTESTAS DIABOLI.

DE hac optimè differit S. Bernardus Epiſt. 190. contra Abailardum, qui arroganter ſanè: ſciendum eſt, inquiebat, quod omnes Doctores noſtri per Apoſtolos in hoc conueniunt quod Diabolus dominium & poteſtatem habeat ſuper hominem & iure eum poſſidebat: ideo ſcilicet quod homo ex libertate arbitrii quam habebat, ſponte Diabolo conſenſit. Aiunt namque, quod ſi quis aliquem vicerit, victus iure victoris ſeruus conſtituitur. Ideo ſicut dicunt Doctores hac neceſſitate incarnatus eſt Filius Dei, vt homo, qui aliter liberari non poterat per mortem innocentis iure liberaretur à iugo Diaboli. Sed vt nobis videtur, aiebat nec Diabolus vnquam ius aliquod in homine habuit, niſi forte Deo permittente vt carcerarius, nec Filius Dei vt hominem liberaret carnem adſumpſit.

Quid in his verbis intolerabilius iudicem blaſphemiam an arrogantiam? Quid damnabilius temeritatem an impietatem? An iuſtius os loquens talia fuſtibus tunderetur quam rationibus refelleretur? Nonne omnium merito in ſe prouocat manus, cuius manus contra omnes? Omnes inquit ſic. Sed non ego ſic. Quid ergo tu? Quid melius adfers? Quid ſubtilius inuenis? Quid ſecretius tibi reuelatum iactas, quod præterierit Sanctos, effugerit Sapientes? Pluribus deinde arrogantiſſimi hominis erroneam opinionem conuellit.

Conſule Gabrielem Vaſquez 1. 2. Diſput. 193. cap. 4. & in 3. P. Diſputat. 7. cap. 6. vbi docet qua ratione, & quando hoc Diaboli imperium ac poteſtas

 fuerit

fuerit à CHRISTO ſuperata, & an ſit omnino extincta. Leo. PP. Sermo. 4. de Paſſione. Ibi (in cruce) ſanguis immaculati Agni, antiquæ prævaricationis pacta delebat. Ibi tota Diabolicæ dominationis conterebatur aduerſitas.

Iſai. 50. Caſſianus collat. 23. cap. 12. Vis noſſe cauſam venditionis tuæ? Audi ipſum redemptorem tuum per Iſaiam Prophetam apertiſſime proclamantem. Quis eſt iſte liber repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus cui vendidi vos. Ecce enim in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.

Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati Ioa. 8. 34. Et cui quis exhibet ſe ſeruum ad obediendum, ſeruus eſt eius cui obedit, peccati quoque ad mortem & immunditiæ & iniquitatis Rom. 6, 16. 19. 20. Et à quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt 2. Petri. 2. 19. & corruptionis vt ibidem dicitur: id eſt fomitis Diaboli peccati, mortis gehennæ, ſiue damnationis æternæ. Iſtis enim omnibus peccator quodammodo eſt venundatus idque gratis Iſa. 52. 3. & iniquitatibus venditus, Iſa. 51. Habet enim peccator animam venalem Eccl. 10. 10. vt faciat malum 1. Machab. 1. 16. Pſal. 47. 13. *Vendidiſti populum tuum ſine precio.* Bellarmin. Tradidiſti populum tuum poteſtati inimicorum, & nihil precii accepiſti. Et non fuit multitudo in commutationibus eorum, id eſt, cum hoſtes, quibus eos tradideras, vellent illos vendere in mancipia, & pro pecunia commutare, non fuit pecuniæ multitudo in commutationibus eorum: id eſt, tanquam viliſſima mancipia fere pro nihilo vendebantur, & ad opera viliſſima deputabantur. Vel, vt exponit Lorinus præ multitudine captiuorum, & paucitate ementium, vt viliſſimæ beſtiæ modico precio vendidiſti.

Addit idem, Nonnullos à DEO vendi ſine precio & commutatione, quando ex punitione nullum referunt fructum: operæ autem precium, ac vt ita dicam iacturæ facere, quando cedit punitio ad ſalutem nec non permiſſio lapſus in peccatum, ſicut contigit Dauidi, Ezechiæ, Manaſſi, Petro, Paulo, Magdalenæ.

Græce commutatio eſt ἄλλαγμα, ἀλλαγὴ ἀντάλλαγμα nempe permutatio in commerciis & contractu. Commerciorum ius vocant ἀλλακτικὸν δίκαιον.

Matt. 26. 16. in ſententia Chriſti: Quam dabit homo commutationem pro anima ſua ἀντάλλαγμα ſignificans compenſationem, qualis vel in iudicio, vel bello cernitur, vt quis vitam redimat.

Pſal. 65. 10. Non eſt illis commutatio & non timuerunt DEVM. S. Ambroſius exponit: Populo erroris id eſt Iudæorum commutationem non fuiſſe, quia non poteſt homo argento vel auro, vel poſſeſſionibus animam ſuam redimere.

COM-

COMMENTATIO XXII.

Dominica Quinquageſimæ.

CHRISTVS MERCATOR.
SANGVIS PRECIVM.
HOMO MERCES.

Empti eſtis precio magno. 1. Corinth. 6. 20.

CVM ſit demonſtratum genus humanum vniuerſum, venditionis titulo in Diaboli poteſtatem redactum miſerrimam ſeruitutem ſeruiiſſe: dubitari à Chriſtianis non poteſt, alio emptionis contractu ab illa tyrannide erutum, libertatem filiorum donatum eſſe. In hoc autem contractu, vt in ſuperiore EMPTOR ac PRECIVM certum definitumque conſtituendum eſt. Nam de re, cum ſit eadem, quam nuper venditam diximus, hominum videlicet vniuerſitas, non eſt inſtituenda noua diſputatio. I.

Liberatur genus humanum contractu Emptionis

EMPTOR autem omni dubitatione ablegata eſt CHRISTVS SALVATOR qui idcirco REDEMPTOR dicitur, quod homines ſemel venditos emptoſque rurſum ipſe emerit. Quid enim aliud eſt *redimere* quam iterum emere? *Redemptio* enim ſi philoſophice eam examinemus habitudinem importare videtur ad priorem emptionem. *Vnus autem eſt* DEVS; vnus *Mediator* DEI *& hominum* CHRISTVS IESVS, qui dedit REDEMPTIONEM *ſemetipſum pro omnibus* 1. ad Timotheum 2. 5. 6. *Ille dedit ſemetipſum, vt nos* REDIMERET *ab omni iniquitate.* Ad Titum 2. 14 CHRISTVS *nos* REDEMIT de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Ad Galat. 3. 13. Porro non ſolum homines fuiſſe per CHRISTVM redemptos à macula peccati: ſed etiam liberatos eadem redemptione à poteſtate Dæmonis inde conſtat. Quoniam cum ab Adamo progenerati, deſtituti eſſent auxilio gratiæ diuinæ ad ſeruandam legem neceſſariæ propter peccatum primi parentis: omnes comprehendebantur ſub maledicto, & pœna legis tanquam legis tranſgreſſores: atque ita erant ſub poteſtate Diaboli. Donata autem liberaliter gratia per redemptionem CHRISTI obſeruare poſſunt legem. Itaque à legis maledicto, ac Diaboli tyrannide ſunt exempti. II.

Chriſtus quare redemptor.

1. Timoth 2. 5. 6. Ad Titum. 2.

Acriter Bernardus arguens Abailardum à Doctorum ſuorum doctrina temere recedentem. *Fruſtra proinde illorum tibi fidē doctrinamq; proponerem quos iam proſcripſiſti: Ad Prophetas te ducam. Loquitur ſub typo Ieruſalem ad populum acquiſitionis non Propheta, ſed in Propheta Dominus, dicens:* Saluabo te & liberabo te, noli timere. *Quæris à qua poteſtate. Non enim vis vt Diabolus habeat vel habuerit in hominem poteſtatem.*

Bernardus Epiſt. CXC. Sopho. 3.

Fateor, nec ego. Non tamen idcirco non habet, quia ego & tu hoc nolimus. Si non confiteris tu, nec cognoſcis: cognoſcunt & dicunt, qui REDEMPTI *ſunt à Domino, quos* REDEMIT *de manu inimici. Quod minime negares & tu, ſi non eſſes ſub manu inimici. Non potes gratias agere cum* redemptis *qui* redemptus *non es. Nam ſi* redemptus eſſes REDEMPTOREM agnoſceres, & non negares redemptionem. *Nec quærit* redimi *qui ſe neſcit captiuum.*

Qui autem ſciuerunt, clamauerunt ad Dominum & Dominus exaudiuit eos de manu inimici. *Et, vt intelligas hunc inimicum quis ſit*: Quos redemit de manu inimici: de regionibus congregauit eos. *Ergo quos* redemit de regionibus congregauit eos. *Non congregaret niſi* redimeret. *Erant enim non ſolum diſperſi, ſed & captiui.* Redemit *& congregauit.* Redemit autem *de manu inimici. Non dicit* inimicorum: Sed ini-

Pſal. 106.

mici. Inimicus *vnicus*, *regiones multæ. Siquidem non de regione*, ſed de regionibus congregauit eos à Solis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari. Quis iſte vnus tam po-
Iob. 40. tens Dominus: qui non vni præfuit regioni ſed omnibus? Non alius, vt arbitror, quam ille, qui ab alio Propheta dicitur abſorbere fluuium: id eſt genus humanum, & non mirari: habere autem fiduciam: quod & Iordanis, id eſt electi ipſi influant in os eius. Beati qui ſic influunt vt effluant: qui ſic intrant vt exeant.

Chriſtus emit & redemit. HABEMVS igitur EMPTOREM, CHRISTVM qui aliquando nos emiſſe, ali-
1. Petr. 1. 18. quando redemiſſe legitur eodem ſenſu. Petrus dicit. Redempti eſtis ἐλυτρώθητε;
1. Cor. 6. 20. Paulus *empti*. Item enim non raro ſignificat ſimplex *emere* quod *redimere*. Sic
1. Cor. 7. 23. Apocalypſis 14. 3. centum quadraginta quatuor millia, dicuntur empti de terra. Nec illud diſplicet quod nonnulli ingenioſe commentantur, redemiſſe genus humanum: id eſt ſæpius emiſſe CHRISTVM, quoniam pluribus actibus meritoriis hominem emit, quorum ſinguli ob infinitam dignitatem perſonæ diuinæ, pluſquam ſufficiebant. Vt proinde CHRISTI emptio recte dicatur Copioſa redemptio.
Pſal. 129. 7. Pſal. 129. 7.

Itaque ſapienter Concilium Tridentinum ſeſſione 6. poſtquam oſtendit cap. 1. Humanæ naturæ infirmitatem ex peccato Adami deriuatam, & docuit homines factos ſeruos peccati, ac ſub Diaboli poteſtate conſtitutos cap. 2. definit, aduentum Chriſti fuiſſe in redemptionem generis humani.

Precium emptionis. Iam vero precium emptionis mirifice depingit, & deprædicat Petrus Apoſtolus in Epiſtola ſua priore c. 1. Sic ſcribens: *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel ar-*
1. Petr. 1. 18. *gento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis*, ſed PRECIOSO SANGVINE *quaſi* AGNI IMMACVLATI CHRISTI, *& incontaminati*: Quo quidem loco CHRISTVM tanquam ditiſſimum MERCATOREM propoſuiſſe videtur, omnibus ad negotiationem luctuoſiſſimam inſtructum præſidiis, ac nulli alteri ob incomparabilem theſaurum comparandum: ad cuius vnius opum numeroſitatem ceterorum gazæ, vt caſſæ nuces haberi poſſunt, vel paleæ. Quid enim aliud in iis quam aurum & argentum, & hæc quantilla?

Diuitiũ quorundam opes. Craſſus, diuitis nomen obtinuit, quod legionem tueri annuo reditu poſſet, cum
Craſſus. ipſe in agris ſeſtertium MM. poſſideret. Cæcilius Claudius cum teſtamento edi-
Cæcilius Claudius. xiſſet, poſt multa incommoda ciuili bello tolerata, relinquere ſe tamen ſeruorum millia quatuor: iuga boum tria millia ſexcenta: reliqui pecoris 200. quinquaginta ſeptem millia: in numerato H-SDC. Humanarum diuitiarum modum ex-
Varro. ceſſiſſe eſt viſus. Ingens Varronis habitus eſt, ac pene incredibilis theſaurus cum octona equitum millia, pecunia ſua aluiſſet: & mille conuiuas totidem aureis potoriis, mutans vaſa cum ferculis ſaginaſſet.

Bythius. Bithynius. Mirantur Hiſtorici Bythii Bithynii opes, qui platanum aureum, vitemque tot encomiis celebratam Dario donauit: qui Xerxis copias, ſeptíes nimirum cẽtena. 88. hominum millia excepit epulo, ſtipendium quinque menſium, frumentumque pollicitus. Noſtri ſeculi facultates in inſtitorum arculis reconditas, indeque chartaceis alis per orbem momento pene volitantes, obſtupeſcimus. Et quis non
Carol. Scriban. Antuverp. miretur, quod ante annos aliquot in nobiliſſimo Belgicæ emporio accidiſſe refert Carolus Scribanius. Vix ſolidis diebus viginti à priuati negociatoris manu ſupra ſeptingenta aureorum millia. Paulo deinde poſt ab eadem manu, menſe vno, auri millionem vnum: ab eadem denique, menſibus non tribus integris, portentoſo conatu, auri milliones duos, & ſuper hæc, aureorum ſeptingenta millia. Guicci-

Digitized by Google

Guicciardinus Antwerpiæ florentis negociationem quæ annuatim inter eam, Angliamque vltro citroque peragebatur ad duodecim auri milliones deducit. Maiorem ſummam exprimo.

Opes negociatorum Belgicorum.

Putatur Belgii, pax ne an ciuile bellum non multis annis, millionibus ducentis: fortaſſis & trecentis conſtitiſſe. Immane precium pro tam vili merce. Sed quid hæc ipſa ſumma, quid talenta alia innumera ad SANGVINIS CHRISTI PRECIVM quo mundus emptus, vniuerſitas redempta? Non eſt in rerum natura quicquã, cuius, quamuis in immenſum aucti valor, cum guttulę vnius precio, quod omni ex parte eſt infinitum comparari poſſit. Non aurum non argentum, non margaritæ, aut vniones, quæ ſanguinis illius collatione nullius ſunt precii.

Valor guttæ ſanguinis Chriſti.

Veriſſime Clemens Papa 6. in Extrauag. *Vnigenitus* de pœniten. & remiſſ. qua Iubilæum prius dari ſolitum centeſimo quoque anno, reducit ad annum quinquageſimum: agens de precioſo theſauro CHRISTI vnde hauriuntur Indulgentiæ, & expendens Petri ſententiam, quam tractamus: *Ipſius*, inquit, *agni incontaminati* & immaculati *precioſo ſanguine nos redemit. Quem in ara crucis* (intellige, tunc maxime: nam etiam ante illius valor eluxit) *innocens immaculatus, non guttam ſanguinis modicam quæ tamen propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis, ſuffeciſſet, ſed copioſe, velut quoddam profluuium naſcitur effudiſſe.*

Clemens in Extrau. vnigenitus.

SANGVIS itaque in hac emptione eſt *precium*. Poſuit DEVS CHRISTVM *Propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*: Ad Rom. 3. 25. *In ſanguine*: id eſt, vi, virtuteque ſanguinis effuſi. Quomodo dicitur Pſalm. 17. 30. *In te eripiar à tentatione*, Et Pſalmo 43. 6. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu*. In CHRISTO emptore generis humani *habemus redemptorem per fidem in* ſanguine *ipſius propter remiſſionem peccatorum*. Et, Sanguis *eius emundat conſcientias noſtras*. Ad Hebræos 9. 14. Et ab omni peccato 1. Ioannis 1. 7. Is enim *effuſus eſt in remiſſionem peccatorum* Matth. 26. 28. Marci. 14. 24. Lucæ 22. 20. *Lauit nos* CHRISTVS *à peccatis noſtris*, quod idem eſt, ac emit, vel redemit in *ſanguine ſuo* Apocalyp. 1. 5. Et, *qui eramus aliquando longe, facti ſumus prope in* ſanguine *ipſius* Ad Epheſ. 2. 13. *Et*, *per* ſanguinem *eius habemus redemptionem*. Ad Epheſ. 1. 7. Et, *pacificauit* CHRISTVS *per* ſanguinem *crucis ſuæ, quæ in terris ſunt, ſiue, quæ in cælis*. Ad Coloſſ. 1. 20. Et, *iuſtificauit* DEVS *per ſanguinem* CHRISTI. Ad Rom. 3. 24. Et, *adquiſiuit Eccleſiam* ſanguine *ſuo* CHRISTVS Actuum. 20. 28. Denique *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*.

Sanguine Chriſti facta Redemptio.

Deſignarunt hunc ſanguinem tot victimæ, & cruor Circumciſionis tot infantium, vt intelligeretur deberi *precium ſanguinis* noſtri pro peccato: ſed ſolum CHRISTI SANGVINEM eſſe ſufficiens precium, vt notauit in Epiſtolam ad Roman. Origenes. Quantus ergo furor, quæ inſania hæreſiarchæ Caluini, improbe blaſphemantis? Nihil CHRISTI profuiſſe mortem nihil actum ſpumante crucifixi ſanguine. Spectaculum crucifixi non aliud, niſi extremæ deſperationis nobis adhibere materiam. O linguam blaſphemam Gomorrhæum ignem meritam.

Victimarum & circumciſionis ſanguis.

Feuard. Dial. 5. & in 1. Epiſt. Petr. 1.

Aliud docuit nos intemerata tot ſeculorum fides, qua habemus huius *precii* tantum fuiſſe valorem, vt redemptor CHRISTVS eo ſemel adnumerato totam Adæ poſteritatem iuſtiſſimo emptionis titulo ſuam fecerit: ſatisfeceritque ſimul non ſolum ſufficienter, quantum in ipſo erat pro originaria culpa totius generis, ceteriſque peccatis omnibus ſingulorum, quæ commiſſa ſunt, committuntur, vel committentur in poſterum: nec non pro pœnis ſceleribus, ac peccantibus debitis, licet

Valor ſanguinis Chriſti.

Digitized by Google

licet appellationem, noſtramq; cooperationem iuſtus iudex requirat: verum etiam *ſuperabundanter*, copioſa, vt Dauid loquitur, *redemptione*.

Pſal. 129. *Non ex acceptatione tantum.*

Non quidem ob ſolam acceptationem Dei, ſed ex proprio valore ipſius Sanguinis, cui peculiari quadam ratione tribuitur *precii*, ac redemptionis denominatio reſque illi ſubiecta: quamuis illa etiam conueniat cuiuis operi meritorio Christi Domini, propter infinitam dignitatem perſonæ, quam vt exponunt Chryſoſtomus & Theophilactus in cap. 5. Epiſt. ad Hebræ. exaudiuit Devs pro ſua, id eſt, eius reuerentia, vt eam ſcilicet Devs reuereretur.

Precium contractuum agnus vel ouis *Plin. lib. 18. c. 3. Gell. lib. 11. c. 1*

Precivm autem huius emptionis belle conuenit cum antiquiſſimo contractuum precio, quod fuit Agnvs, vel ouis. Sic Geneſ. 33. 19. lego, Iacobum emiſſe agrum centum agnis. Et in Romana Repub. vt auctor eſt Plinius, mulcta ouium impendio indicebatur. Obſeruatque Gellius quod annotent Grammatici, in dicendis mulctis à Magiſtratibus populi Rom. oues genere virili appellatas, hac forma. Ego ei vnum ouem mulctam dico.

Mulcta generis humani.

Indicta erat generi humano mulcta: idemque redimendum erat ab infami ſeruitio. Sed nihil in bonis ipſius inueniebatur, quod valore mulctæ precium adæquaret. Itaque Patroni beneuolentiſſimi liberalitate oblata eſt ouis generis maſculini, virtute vere maſcula, idem etiam Agnus, qui ſolus numorum omnium æſtimationem continens, mulctæ preciique præſcripti ſummam exceſſit. Is redemptionis noſtræ eſt precium. Redempti eſtis precioſo ſanguine, quaſi agni immaculati: id eſt, agni abſque omni defectu, vitio, morbo, deformitate, monſtroſitate.

CHRISTVS, ouis, agnus.

Christvs ipſe fuit ouis, agnuſque Iſaiæ 52. 7. Ieremiæ 11. 19. Ioan. 1. 29. 36. Sed quaſi agnum vocat Petrus, quia natura vna homo, altera Devs. At mirum eſt, eundem emptorem eſſe & precium. Quid miraris? Idem eſt ouis & paſtor: Sponſus & ſponſa: Sacerdos & victima: Munus & oblator. In hoc agno, lana deſignat exemplum; lac, Doctrinam; Caro, Euchariſtiam; Sanguis ſpeciali quodammodo, redemptionem. Quamobrem licet totus agnus ſit emptionis precium: tamen illius Paſſioni & ſanguini illud potiſſimum accommodatur. Quia poſuit Devs Christvm propitiationem per fidem in ſanguine, hoc eſt, virtute ſanguinis.

Caro marſupium precii redemptionis. *S. Bonau. Tom. 7. Collatio. 1.*

Hoc fine carnem induit, qui ea carebat, purus ſpiritus, vt haberet in quo ſanguinem, tanquam numos reconderet, emptionis precium. Pie S. Bonauentura & ſimpliciter, vt ſolet, ſed & efficaciter admonendum adfectum: Filius Dei eſt æternaliter: Caro factus eſt temporaliter. Vide anima mea, non poterat te redimere, niſi haberet precium: nec debebat ſecundum legem niſi eſſet propinquus. Homo propinquus erat: Sed precium non habebat. Devs precium habebat: ſed propinquus non erat. Non debebat niſi homo: non poterat niſi Devs. Factus eſt ergo Devs homo propinquus: & factus eſt noſter Iesvs, vir precioſior auro, & homo purior obrizo. Sacculum pecuniæ tulit ſecum: quia Devs-Homo in carne apparuit, & verbum in carne, quaſi pecuniam in ſacculo abſcondit; & hominem redemit.

Hebræus venditus redimitur à propinquo.

Alludit Seraphicus Doctor ad legem Hebræis latam, vt venditum redimere poſſet, ſed qui eſſet ex cognatione Leuitici 25. 47. *Simulauerit apud vos manus aduena atque peregrin, & attenuatus frater tuus vendiderit ſe ei, aut exiguam de ſtirpe eius, poſt venditionem poteſt redimi: qui voluerit ex fratribus eius redimit eum.* Quia igitur non poterat

legi

legi congruenter fieri redemptionem in ſeruitutem venditi, niſi à fratre: frater eſſe voluit mācipiorum CHRISTVS ortus è ſtirpe Dauidica, & carnem circumferens, in qua vt in capaciſſimo marſupio precium. Quod totum quidem effudit pro nobis, ſed non ſimul omnem: partem in tenera ætate cum circumcideretur: partem morbi proximus, ſudando in horto: partem deinde in flagellatione, partem coronatione, partem crucifixione. Sed ſupererat nonnihil in occulto repoſitorio, in ſecretiori ſacciperio; quod in in vltimo ſolutionis termino, paſſus eſt ferre reſerari, ne qua mora intercederet: ſicque aperto latere exiuit ſanguis & aqua, precii complementum.

Precium diuerſis vicibus perſolutum.

Hic iterum mercatorem cogita, qui dum ad nundinationem proficiſcitur, diuerſas ſecum fert bulgas quibus pecunia continetur; & quaſdam quidem publice oſtendit atque exponit: ſed illam in qua probatiſſima & precioſiſſima eſt moneta, clam habet, ac diligentiſſime abſcondit: & quidem, vt alicubi moris eſt, in parte cordi viciniori. Neque facile ex ea pecuniam depromit. Quod ſi ſumma ſit neceſſitas vel magna ſpes lucri, aut mercis exoticæ oblatio tunc extrahere ſolet, & aurum omne effundere. Talis vidulus fuit CHRISTI cor, in quo ſanguis erat defæcatiſſimus & viuificus. Non ſtatuerat autem cœleſtis inſtitor, niſi præclara aliqua occaſione illum euacuare.

Marſupium Chriſti.

Vidit tandem margaritam illam precioſiſſimam, ob quam emendam ad mercatum venerat, animam & eccleſiam, nec vili precio emere potuit. Quare reconditum extrahi ſibi paſſus eſt probatiſſimi metalli marſupium: aurumque in eo eatenus reconditum omne profundit. Lancea latus eius apertum eſt: & exiuit ſanguis, & aqua.

Sed mirantur aliqui, quomodo, ſiue paſſio, ſiue ſanguis in paſſione effuſus nominari poſſit precium. Quæ enim inter illa eſt analogia? Quibus reſpondeat Doctor Angelicus ſimulque doceat; Quomodo in ſeruitutem homo deuenerit. Per peccatum, inquit, dupliciter homo obligatus erat. Primo quidem ſeruitute peccati: quoniam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati Ioan. 8. Et 2. Petri 2. A quo quis ſuperatus eſt huius & ſeruus eſt. Quia igitur Diabolus hominem ſuperauerat in ducendo illum in peccatum: homo Diaboli ſeruituti addictus erat. Secundo, quantum ad reatum pœnæ, qua homo erat obligatus ſecundum Dei iuſtitiam. Atque hoc etiam eſt quædam ſeruitus. Nam ad ſeruitutem pertinet, quod aliquis patiatur, quod non vult: cum liberi hominis ſit vti ſe ipſo vt vult.

Quæ analogia inter Paſſionem, ac Precium.

Quoniam igitur paſſio Chriſti, & in ea effuſus ſanguis fuit ſufficiens, & ſuperabundans ſatisfactio pro peccato, & reatu pœnæ generis humani: eſt etiam quaſi quoddam precium, per quod liberati ſumus ab vtraque obligatione. Satisfactio enim, qua quis ſatisfacit, ſiue pro ſe, ſiue pro alio, precium dicitur, quo ſe, vel redimit à peccato, & à pœna ſecundum illud Danielis 4. Peccata tua eleemoſynis redime. Chriſtus autem ſatisfecit pro nobis non quia pecuniam dando, vel aliud huiuſmodi, ſed dando id quod fuit maximum: ſeipſum ſcilicet pro nobis. Atque ita paſſio Chriſti dicitur noſtra redemptio: ſanguis emptionis ac redemptionis precium.

Verum, non eſt facile, cui nam hoc precium perſolutum ſit. Et quia nulli videtur datum, de redemptione quoque addubitare quis poſſet: an reuera ſit facta. Nam ita arguit non nemo. Quicumque emit, aut redimit aliquid, precium ſoluit ei, qui poſſidebit.

Cui ſit perſolutum precium S. Tho. 3. P. 88. art. 4.

Hh At

At Chriſtus non ſoluit ſanguinem ſuum, qui dicitur eſſe precium redemptionis Diabolo, qui nos captiuos tenebat. Non ergo ſua nos paſſione vel ſanguine redemit.

Greg. Nazianz. orat. 2. in Paſch.

Vidit hic non minimum difficultatis latere ſubtilis Theologus Nazianzenus: qui oratione 2. in Paſcha magnum quidpiam ſe inquiſiturum profitetur à multis quidem neglectum: ſed vt ipſe opinatur ſtudioſe perquirendum. Exhauſtus, inquit, pro nobis ille ſanguis Chriſti, cui tandem datus eſt, & quam ob cauſam? Nos enim à Diabolo detinebamur, vtpote qui venundati eſſemus ſub peccato, ac vitium cum voluptate commutaſſemus; Quod ſi redemptionis precium non cuiquam alii, quam detinenti perſoluitur: quæro, cui tandem oblatum eſt, & quam ob cauſam.

Indignum vt Diabolo fuerit oblatum.
An ergo Patri?
Geneſ. 22.

Si Diabolo. O indignam contumeliam! Si non à Deo ſolùm: ſed Deum ipſum quoque redemptionis precio accipiat: adeoque inſigne & excellens tyrannidis ſuæ præmium, cuius cauſſa nobis quoque parci æquum erat. Si autem Patri, primò, quomodo id factum eſt? Nec enim ab ipſo tenebamur. Deinde: quæ ratio adferri poteſt, vt vnigeniti ſanguine pater delectetur: qui ne Iſaac quidem à patre oblatum acceperit, ſed ariete irrationalis victimæ locum ſubſtituto ſacrificium permutarit.

Pater accepit precium.

Reſpondet autem ipſe. Perſpicuum vtique eſt, patrem quidem precium accepiſſe, non tamen, quod petierit, aut eo opus habuerit: Verùm, quia diuina diſpenſatio ita ferebat. Conſtitutum enim fuerat, vt pro nobis Chriſtus moreretur, vt per carnis adſumptæ ſanguinem (quem humanitatis nomine deſignat Gregorius) humani generis natura ſanctitatem adſequeretur, & pater nos è tyranni infernalis manibus infinita ſua potentia eriperet: & ad ſe intermedia filii opera reduceret. Ita quæſtioni ſatisfacit Gregorius.

S. Thom. 3. P. Q. 48. Art. 4.

Æquo non eſt alienum quod habet Origenes Homil. 6. in Exod. Nos precio peccatorum venditos Dæmoni fuiſſe, Chriſti autem ſanguine redemptos: ſed huius precii ſolutionem non ei videri factam, à quo iure ſeruitutis poſſidebamur. Rationem reddit S. Thomas. Quia redemptio requirebatur per reſpectum ad DEVM: non autem per reſpectum ad Diabolum. Itaque precium non erat ſoluendum Diabolo, ſed Deo. Ac ita Chriſtus ſanguinem ſuum, qui eſt precium redemptionis, non dicitur obtuliſſe Diabolo, ſed Deo.

Quomodo gratis empti, redempti. Nyſſ. orat. catech. cap. 23.

Hæc ſi ita ſe habent. Si vt loquitur Nyſſenus, quaſi ex contractu redemptionem fecit Chriſtus. Si Chriſti redemptio iuſtitiæ partes omnes expleuit. Quomodo gratis & redempti & iuſtificati dicimur? An quia magnis quidem impenſis à Deo filio pro nobis factis, ideoque illius intuitu minimè gratis: nulla autem noſtra opera vel à nobis perſoluto precio: atque idcirco, noſtri reſpectu, gratis? An quia precium à Chriſto oblatum, non niſi gratuita patris liberalitate captiuis profuit? Niſi enim ita conuentum fuiſſet inter patrem & filium, ac interceſſiſſet promiſſio gratuita liberatio nobis non contigiſſet.

Abſque argento redempti. Eſdr. 1. 6.

Hæc dicit Dominus, inquit Iſaias, *Gratis venundati eſtis: & ſine argento redimemini.* Loquitur de Iudæis ex captiuitate Babylonica liberatis, & myſticè de humano genere à Dæmonum poteſtate ſubducto. Iudæi agente id Domino per Cyrum, qui non ſolum precium redemptionis non exegit, ſed regia liberalitate plurima de templi ædificatione contribuit, ſine argento reſtituti ſunt. *Vt autem Cyrus*, quod notat Gaſpar Sanctius, *deleto Chaldæorum imperio gratis Iudæos à ſeruitute liberat: denique*

que oneratos precioſiſſimis in patriam remiſit: Sic Chriſtus *tenebrarum, hoc eſt, Diaboli regno euerſo, homines in ſuum regnum exaltauit.* Et, *quemadmodum peccator, quantumcumque accipiat preci in animæ ſuæ æſtimatione, quæcumque à mundo aut Diabolo non ſolum dari, ſed offerri vana promiſſione poſſunt, viliſſima ſunt. Sic vt venditam animam à Diabolo redimat, quantumcumq; laboris & ſumptus, imo ſeipſum impendat, flammiſq; comburendum tradat* Gratis *redimitur: quia pro debiti magnitudine, quæ ab humana facultate impendi poſſunt, inſtar habent nihili.*

Nulla eſt commutatio pro anima, ἀντάλλαγμα, id eſt, compenſatio, Matth. 16. 26. Nulla pecuniæ magnitudine anima poteſt redimi. Obſeruat autem Auguſtinus dixiſſe Dominum: *Sine argento redimemini:* non autem, *ſine precio. Vt precium redemptionis, inquit, intelligamus, quale dicit Apoſtolus Petrus:* Non enim argento & auro redempti eſtis, ſed precio ſanguinis Agni immaculati: *in argento enim Propheta, omnem pecuniam ſignificauit: vbi ait,* Non cum argento redimemini: *quoniam precio quidem ſanguinis* Chriſti, *non tamen precio pecuniario fuerant redimendi.* ἀντάλλαγμα. *Auguſt. lib. in Iud. Q. 17.*

Quamuis poſſet etiam dici, *ſine precio,* ſi noſtra attendatur paupertas & extrema inopia. Quod confirmat S. Hieronymus in cap. 52. Iſaiæ ex illis Prophetæ verbis cap. 45. 13. *Ipſe ædificabit ciuitatem, & captiuitatem meam dimittet, non in precio, neque in muneribus dicit Dominus Deus exercituum.* Gratis igitur redempti ſumus. Et omnino, ſine argento: non tamen ſine ſanguine. Metallum iſtud candens & rutilum ad alios contractus, vſusque humanos valet plurimum: ſed nihil refert ad ſanctitatem, nihil ad liberationem à captiuitate Diabolica. Illi ſucceſſit ſanguis. *Bonum aurum ſanguis* Christi, clamat Ambroſius.

Mirum eſt, quanti faciant hoc argumentum ex Emptionis titulo, & precii magnitudine, ac quantum illi inſiſtant grauiſſimi, ſanctiſſimique Patres, ſequuti primos fidei noſtræ Magiſtros, Apoſtolos, qui illo frequenter ad Chriſtianorũ mentes virtutum præceptionibus formando, & ad omnem honeſtatem flectendas vti conſueuerunt: ſiue dum ab omni crimine & peccato maximè quod carnem ſapit abſtinendum hortantur: ſiue dum voluntatem adfecturos omnes ad Emptoris arbitriũ fingendos monet: ſiue dum Diaboli ſuggeſtionibus grauiter expugnandum præcipiunt, ſiue dum conſeruandæ ſanctitatis & innocentiæ incitamenta varia, quorum hoc palmarium ſuggerunt: ſiue dum ad amorem Chriſti Redemptoris excitant: ſiue dum ſalutis ſanguine emptæ æſtimationem dignam ſuadent & exaggerant: ſiue dum prioris ſtatus, quando ſub Diaboli poteſtate degebamus, calamitatem miſerrimamque ſeruitutem oculis ſubiiciunt: ſiue dum aſſiduam diuinorum beneficiorum memoriam præſcribunt: ſiue dum vt ſoliciti ſimus ne ſanguinem Redemptionis pollutum ducamus, & ſpiritus gratiæ contumeliam faciamus Hebr. 10. 29. rogant: ſiue, dum, vt cum metu, ac tremore ſalutem noſtrã tanti emptam, operemur, denuntiant: ſiue dum quanti nos fecerit Deus, ex pretii valore colligunt: ſiue dum inanes hominũ voluntates coercendas, ſibi ſumunt: ſiue dum libertatem noſtram, Dei, tanquam, Emptoris legibus aſtrictam debere demonſtrant. Propoſitum erat quodam tempore, Paulo, oratorum Chriſti eloquentiſſimo Corinthios ſuos, laxatis eloquentiæ diuinæ habenis, à flagitiis quibuſdam, non illis Græculis magis, quam Germanorũ nonnullis familiaribus deterrere: & allatis cauſis grauiſſimis illorum horrorem fidelibus inicere. Orditur itaque ſane per quam ſerio & neruoſe. Audite, quæſo vos, vas electionis, tubam Euangelii, rugitum Leonis noſtri, tonitru vniuerſi, flumen eloquentiæ Chriſtianæ. *Argumentum ex titulo emptionis.* *Paulus 1. ad Corinth. 6.*

Argumenta ad vitandam ſcortationem.

An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poßidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poßidebunt. Sed quibus argumentis conuincit, ab his tantopere abhorrendum? Probat: *Eſca ventri & venter eſcis.* Deus *autem hunc & has deſtruet. Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori.* Inſtat: Deus *vero & Dominum ſuſcitauit, & nos nos ſuſcitabit per virtutē ſuam.* Vrget: *Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt* Chriſti? *Tollens ergo membra* Chriſti *faciam membra meretricis?* Abſit. Declarat: *An neſcitis, quoniam, qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne vna: qui autem adhæret domino, vnus ſpiritus eſt.* Tonat: *Fugite fornicationem.* Fulgurat: *Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Tandem, ſternit: An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spir. S. qui in vobis eſt, quem habetis à* Deo, *& non eſtis veſtri.*

Sat eſt Paule, ſat eſt diuiniſſime Gentium Doctor, ſpectator Paradiſi, Euangelii præco, fidei Magiſter, nihil addi poteſt ad ſcortationis turpitudinem, abominationemque melius explicandam, acrius inſectandam, efficacius profligandam. Dat manus aduerſarius, iacet proſtratus inimicus, agnoſcit fœditatem ſuam luxurioſus. Videor audire Paulum. Dixi quidem aliquid, quod non omnino depoſitos, deſperatoſque moueat, quod excitet languentes, terreat impuros, impiis ac ſceleſtis hominibus cogitationem ſaniorem iniiciat: ſed nondum vim omnem adhibui, nondum rationum vires robuſtiſſimas exercui. Ad finem, argumentorum medullam, rationum neruum, perſuaſionum robur reſeruaui. Quodnam illud oratorum ocelle? Eloquere, amabo. Aures, precor, arrigite, & quantum in Emptionis titulo, ad conuincendum peruicaces præſidium locatum exiſtimauerit Paullus arcanorum diuinorum conſcius, taciti vobiſcum perpendite, atque obſtupeſcite.

Poſt omnia illa, paullo ante à nobis languidè recenſita, quibus diuinitatis iſta tuba, non vnam Græciam miſcere potuiſſet, coronidis loco, adiicit, tanquam efficaciſſimum vt oratores ſolent illud, in quo victoriam ſitam exiſtimant: *Empti enim eſtis precio magno.* Æquum eſt igitur. *Glorificate, & portate, Deum in corpore veſtro.*

Quaſi dicat: Reuocabunt quidem, ſi penſitentur, quæ diximus, ab omni pudicitia, fidelem. Non fornicabitur facilè, aut vllum aliud luxuriæ crimen committit, qui conſiderabit, ſecumque ſerio mente ſolicita peruoluet: Corpus non idcirco conditum eſſe, vt ſcortationi, ſed potius, vt Deo caſtitatis amatori, & impuritatis vindici deſeruiat: Deum corpora humana ſemel in terram abiecta rurſus ad ſuperos euocaturum: corpora fidelium, membra eſſe Chriſti, cui tanquam capiti, non modo omnes Angeli, cunctique mortales ſubiiciuntur ſed præcipue fideles omnes Chriſtiani ac iuſti adhærent, & myſtica quadam ratione ſunt adglutinati: Adhæc, qui ſcorto nefarie copulatur vnum cum illo corpus fieri: Prætetea, qui impuritati ſe tradit, & obſcœna delectatione polluitur omnes animæ, corporiſq; vires frangere: ac propriam carnem coinquinare. Denique, corpus, Baſilicam eſſe Spiritus Sancti, qui ſedem in eo ſuam collocarit.

At his omnibus efficacius ab obſcœnitate qualibet auertet titulus Emptionis. Empti enim eſtis precio magno. Æquum eſt igitur vos Emptori veſtro, ac Redemptori, Domino ac vindici, tum corpore, tum etiam ſpiritu omnem honorem & gloriam exhibere, quicquid enim habetis, quicquid eſtis, ipſius eſt beneficium. CHRISTVS pro vobis ſanguinem fudit. Hic quem non mouet, ſenſu rationeque oportet ſit deſtitutus.

EMPTI

EMPTI ESTIS. Quid hinc colligis? Abdicandum eſſe propriam voluntatem: manifeſtum eſt enim inquit, Ambroſius, quia qui emptus eſt, non eſt ſui arbitrii: ſed eius à quo emptus eſt: vt non ſuam ſed illius faciat voluntatem. Quare notat Theodoretus emptionis titulum opponi illi gloriationi: *omnia* mihi licent, quæ proceſſerat: docere enim vult Apoſtolus, noſtram libertatem DEI, tanquam Domini, cui emptionis titulo ſubiicimur, legibus eſſe adſtrictam.

Effectus tituli emptionis abdicatio voluntatis.

Amb. Ep. ad Rom.

Quid autem eſt illud, ait Chryſoſtomus: Non eſtis veſtri? & *quid per id vult adſtruere? Vt nos muniat, & nobis caueat, ne peccemus: neque ſequamur mala & abſurda animi deſideria: multa enim volumus mala & abſurda. Sed ea oportet arcere, ac reprimere. Nam poſſumus. Si enim non poſſumus ſuperuacanea eſt admonitio.* Præclara obſeruatio contra Caluiniſtas qui non ſolum ad bonum ſed & malum neceſſitate nos compelli, opinantur. Pergit Chryſoſtomus.

Non ſumus noſtri vt peccemus.

Vide ergo, quomodo munierit, tutumque reddiderit. Nam cum dixiſſet, Non eſtis veſtri *non dicit, ſubiecti eſtis neceſſitati: ſed*, Empti eſtis precio magno. Et pauculis interiectis: Illud autem, *Empti eſtis precio, noſtrum eſt proprium & præcipuum. In memoriam enim reuocat beneficii magnitudinem, modum ſalutis oſtendens, quod cum eſſemus alienati, empti ſumus, & non abſolute ſed precio.*

Ex hoc colligit S. Hieronymus: Non licere nobis noſtro arbitrio viuere: ſed omnes vitæ noſtræ rationes ad illius voluntatem componendas eſſe, qui nos precio emit. Nam licet ex captiuitate Diaboli per emptionem erepti ſumus, per eandem tamen in captiuitatem DEI deuenimus. Vtramque enim captiuitatem, quod ingenioſe ſignificat Auguſtinus clamat ipſa redemptio.

Auguſt. in Pſal. 70.

EMPTI *eſtis precio.* Miraris fortaſſe, cur dictum ſit à veritatis Præcone, *empti eſtis precio.* Ergo aliquid abſque precio poteſt emi? Si proprie loquendum ſit, minime. Nam nec quis vendit, niſi precium accipiat: neque emit, niſi precium impendat. Sciebat hoc Paulus, & Theologus & Iuriſconſultus maximus. Sed ἐμφατικῶς, precium addit, vt ius dominationis amplificet. *Empti eſtis precio* Non erepti è duriſſima ſeruitute, fraude, non imperio, non omnipotentiæ viribus, ſed empti, dato precio, perſoluto lytro, depenſo bona fide, & adpenſo ſanguine.

Precium ius dominationis deſignat.

Noluit enim DEVS, CHRISTVSque, poteſtate, qua pollebat, & vi, quam adhibere poterat, agere vt à Patribus diligenter obſeruatum eſt. Imprimiſque ab Auguſtino qui lib. 13. de Trinitate cap. 13. *Non*, inquit, *Diabolus* potentia DEI, *ſed iuſtitia ſuperandus fuit. Nam quid omnipotente potentius. Aut cuius creatura poteſtas, poteſtati Creatoris comparari poteſt? Sed cum Diabolus vitio peruerſitatis ſuæ, factus ſit amator* Potentiæ, *& deſertor oppugnatorque* Iuſtitiæ. *Sic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam peroſa* iuſtitia Potentiæ *ſtudent, eiuſque vel ademptione lætantur, vel inflammantur cupiditate*; *placuit* DEO, *vt propter eruendum hominem de Diaboli poteſtate, non* potentia *Diabolus, ſed* iuſtitia *vinceretur. Atque ita & homines imitantes* CHRISTVM, iuſtitia *quærerent Diabolum vincere, non* potentia. Similia habent Damaſcenus Orat. 1. *De natiuitate.* B. V. Leo M. Serm. de *natiuit.* CHRISTI. Anſelmus lib. 2. Cur DEVS homo cap. 20.

Iure non vi placuit hominem redimere.

Quorum commentationibus aliquid ex ingenio ſuo addit Gregorius Nyſſenus, docens iuſtitiæ rationem poſtulaſſe, vt eo nos modo CHRISTVS redimeret. *Quemadmodum enim qui pecunia ſuam vendiderunt libertatem, fiunt ſerui emptorum: & nec ipſis, nec vlli alii licet proclamare ad libertatem, etiamſi ingenui & honeſto loco nati ſint: quia ſua ſponte ad hanc deuenerunt calamitatem. Si quis autem curam gerens eius, qui fuit venditus,*

Qualem redemptionem Iuſtitia exegerit.

Greg. Nyſ. Catech. cap. 22.

vi vtatur aduerſus emptorem, iniuſtus eſſe videbitur, quia eum, qui lege eſt adquiſitus, vi eripit. At, ſi quiſpiam velit eum redimere, nulla eſt lex quæ id vetet. Eodem modo, cum ſponte noſtra nos vendiderimus, oportebat eum, qui propter bonitatem nos in libertatem rurſus erat reſtituturus, non aliquem tyrannicum: Sed iuſtum excogitare modum reuocationis. Is autem eſt, dare quodcunque velit precium redemptionis emptori pro eo, quem poßidet.

Chriſtus redimens ſine precio nihil tyrannicum commiſiſſet.

Sed vere, non fuiſſet tyrannicum, ſi Devs poteſtate ſua vſus, hominum genus libertati reſtituiſſet, condonata noxa, abſque vlla ſatisfactione, mera ſua liberalitate, ac miſericordia: Quod cur non fecerit noli curioſius inquirere. Prudenter is, quem paulo ante nominaui. Gregorius oratione eadem: *Dicet aliquis, ait, ſi tam lauta eſt in* Christo *virtus, vt in eius fuerit poteſtate, & mortem deſtruere, & vitam ingredi, cur non ſola voluntate, id, quod lubet, ſed longa circuitione noſtram ſalutem procurauit? Ad hoc ſatis eſt dicere apud non pertinaces. Quod, qui agrotant non præſcribunt legem medicis, quomodo ſint curandi: neque apud benefactores diſceptant de genere medendi. Nempe, cur laborantis partem tetigit, qui medicatur: & hoc vel illud ad malum propulſandum excogitauit, cum magis proficuum fortaſſe fuiſſet aliud: ſed finem reſpicientes beneficii, id grato animo accipiunt.*

Fraus & dolus nemini patrocinatur.

Sed illud magis adhuc torquere poteſt aliquem quomodo iuſtitia Dæmon deuictus ſit. Siquidem iuſtitia poſtulat, vt qui inuaſit alium doloſe, eumque priuauit bonis, debeat ſpoliari ablatis, quoniam fraus & dolus, nemini patrocinantur, vt LL. præſcribunt. Cum itaque Diabolus, hominem, creaturam Dei doloſe deceperit, ac ſibi ſubiugarit: quomodo iuſtum fuit, vt homo per modum redemptionis, perſoluto lytro ex eius poteſtate eximeretur.

Peccando obligatur DEO & Diabolo quis. S. Thom. 3. P. Q. 48. Art. 4. Diabolus Tortor. Math. 5.

Expedit ſe facile ab hoc Scholaſticus, qui docet hominem peccando, & Deo fuiſſe obligatum, & Diabolo. Deum namque, culpa commiſſa, offenderat, & Diabolo ſe ſubdiderat, ei conſentiens. Atque ita ratione culpæ non erat factus Dei ſeruus: ſed potius à Dei ſeruitute recedens, Diaboli ſeruitute ſe manciparat. Deo iuſte hoc permittente propter offenſam in ſe commiſſam. Quantum autem ad pœnam, principaliter homo erat Deo obligatus, ſicut ſummo iudici: Diabolo autem tanquam tortori. Sic enim vocatur Matthæi. 5. Ne forte tradat te aduerſarius tuus iudici: & Iudex tradat te miniſtro, id eſt, angelo pœnarum crudeli, vt exponit Chryſoſtomus. Quamuis igitur Diabolus iniuſte, quantum in ipſo erat hominem ſua fraude deceptum detineret, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam: iuſtum tamen erat, hoc hominem pati, Deo permittente quantum ad culpam, & ordinante, quantum ad pœnam. Atque ideo per reſpectum ad Devm iuſtitia exigebat, vt homo redimeretur, quamuis nihil deberetur Diabolo.

Chryſoſt. Homil. 2. in Matt. Oper. imper. Tom. 2.

Quomodo ematur, quod ſuum eſt. Pſal. 23. Daniel. 4.

At enim: nullus emit, vel redimit, quod ſuum eſſe non deſinit. Homines autem nunquam deſierunt eſſe Dei: *Domini enim terra & plenitudo eius.* Verum id quidem eſt, ſed obſeruandum puto hominem Dei eſſe bifariam. *Primo*, quatenus ſubiicitur illius poteſtati, atque ita nunquam deſiit eſſe Dei. Vere enim dixit Daniel: Dominatur excelſus in regno hominum, & cuicunq; voluerit dabit illud. *Secundo*, per vnionem quandam caritatis cum Deo. Vt enim, ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, non eſt eius, ad Rom. 8. Ita non eſt Dei, qui illius ſpiritu, id eſt, amore & caritate eſt deſtitutus. Sic ergo deſiit eſſe Dei per peccatum. Atque ideo, in quantum fuit à peccato liberatus, Chriſto in ſatisfactionem ſanguinis precium offerente, recte dicitur emptus ac redemptus.

Nouum ius Chriſto.

Sic enim & eripuit genus humanum à miſera Dæmonis ſeruitute: & ſibi,

non

non tantum qua Deo nouo quodam titulo, ſed etiam qua homini, iure redemptionis penitus ſubiecit: ac omnes homines ſibi quodammodo, vt Redemptori comparauit, ſiue emit, vt eum merito hoc iure mortales omnes Dominum agnoſcant.

Non ergo ſolum vere, ſed & proprie Paulus, *Empti eſtis precio.* Neque de nihilo eſt, quod addit, *magno*, vt Latini codices habent, & legit Romana editio: quamuis in Græcis ſimpliciter ſit ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς: id eſt: *Empti eſtis precio.* Quo pacto etiam legunt Origenes, Chryſoſtomus, Ambroſius. Et putare fortaſſe poſſet quiſpiam, haud magnoperè ad rem ſpectare magnitudinem precii, cum tantum videatur Apoſtolus: non eſſe Corinthios ſui iuris cum empti precio fuit: adeoque in illius ius poteſtatemque tranſlati à quo ſunt empti.

Magnum precium.

Orig. Hom. 6. in Exo. Chryſoſt. Hom. 18. in 1. ad Cor. & 15. in Matt. Ambr. 1 ad Corinth. lib. 2. de lat. cap 3.

Sed nunquam ego ſane crediderim, vel apicem vnum in diuinis paginis ab Ecclesia Romana receptis, abſque peculiari cauſſa, ſingularīq; Numinis, ac Scriptoris ſacri deſtinatione poſitū. Quocirca Paulus, dum *magno*, addidit, ſpectauit, vt reor, quod Petrus verbis illis grauiſſimis ſuperius enarratis de hac ipſa emptione agens. Nimirum vt ſummam quandam illius æſtimationem conciperemus, & eo exactius, quæ mandantur à Domino exequeremur, vt monet Ambroſius.

1. Petr. 1.

Qui cum dixiſſet, manifeſtum eſſe, quod qui emptus, Emptoris debeat facere voluntatem, ſubdit: Quia caro precio empti ſumus, propenſius Domino noſtro ſeruire debemus, ne offenſus, à quo nos redemit, morti nos tractat. Alioquin, quod Hieronymus inculcat, Emptionis pactū reſcindere videtur, quiſquis conculcauerit ius teſtamenti, & à ſeruili conditione haud alienus eſt, qui libertati ſuæ voluntatis non impeditur: hoc eſt, quantum quidem aſſequor, qui eam legis diuinæ præceptis non penitus ſubiicit.

Infert autem Paulus penitus eſſe ſubiiciendam ex vi contractus Emptionis, dum ſubiungit: *Glorificate & portate* Deum *in corpore veſtro.* Quaſi dicat: Empti eſtis. Ergo & corpore & animo eius eſtis qui pro vobis precium perſoluit. Itaque non corpore tantum caſtimoniam col ite, ſed & animi integritatē adiungite. Hoc enim ſignificat Paulus, inquit Chryſoſtomus, vt non corpore ſolùm fugiamus fornicationem, ſed etiam in ſpiritu & anima nihil mali cogitemus, neque gratiam abigamus. Cauſſam adiungit, quam etiam habet Theodoretus. Quoniam, quemadmodum animorum & corporum artifex & creator eſt Deus, ita CHRISTVS eſt Redemptor ſecundum vtrunque à Diaboli poteſtate nos liberans. Oportet igitur nos, vt argumentatur Theodoretus ita portare Deum & CHRISTVM in corpore, ſeu, eius imaginem circumferre verbo ac opere, vt qui nos vident ad laudandum & glorificandum Deum accendantur. Ambroſio autem, idem eſt, glorificare & portare Deum in corpore, quod diuinæ legi eiuſque præceptis perfectè obtemperare. Atque hic dici poteſt primus effectus huius emptionis abdicatio voluntatis propriæ.

Glorificare & portare Deū.

ALTER ſit, vt ſic emptus alteri non ſeruiat. Nam ex eodem Emptionis titulo ita philoſophatur alio loco Apoſtolus. *Qui in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini. Similiter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt* Chriſti. *Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum,* hoc eſt: nolite cuiquam mortalium impiam ſeruitutem ſeruire, quod faceretis, ſi praua iubenti alicui, quamuis Principi, aut Regi obtemperetis. Cogitate, & oſtendite vos maiori Principi, quam ſit mortalium aliquis, ſeruitutis titulo eſſe obnoxios, qui vos ſibi, ſanguinis ſui precio ſeruos comparauit.

Secundus effectus Emptionis, non ſeruire alteri.

1. Corinth. 7. 23.

Colligit

Omnes ſunt ſerui Chriſti.

Colligit diuinè Paulus, ſi animaduertitis, ex emptionis contractu omnes, cuius, cuius tandem ſint conditionis Chriſti, à quo empti ſunt, ſeruos eſſe. Pertinet enim dictum Apoſtoli, vt notat Chryſoſtomus, tam ad liberæ conditionis, quam ſeruilis homines: nam abſque diſcrimine vtrique empti ſunt. Itaque prouidendum vtriſque ne alteri ſeruiant, non mundo, Dæmoni, carni, non prauis cupiditatibus. Quod faciunt nonnunquam qui ſunt liberæ conditionis, ideoque ſeruiunt: ſicut è contrario nonnulli ſerui natalibus, liberi ſunt, ac nobiles moribus, vt D. Chryſoſtomus animaduertit, illud addens: Qui propter Deum omnia fecerit, non ſimulauerit, non fuerit hypocrita, nec quicquam egerit, vt hominum oculis ſeruiat: hunc quamuis hominibus ſeruientem, eſſe liberum. Quo pacto Ioſeph ſeruus erat, externa illa ſeruitute, ſed liberrimus animo nefariis dominę cupiditatibus obedire renuens. Contra vero, qui gulæ, libidini, auaritiæ, aut ambitioni morem gerit, quamuis auis, atauiſque nobiliſſimus, & liber videatur, miſeram ſeruitutem ſeruit. Et hanc ſeruitutem deteſtatur Apoſtolus. Eſt enim vera & probroſa ſeruitus qua quis ſceleribus mancipatur. Ab hac ſeruitute reuocat contractus emptionis.

Indignum vt Chriſtianus homini ſeruiat.
Ambroſ. in Pſal. 43.

Indignum eſt, vt empti tali precio fiamus ſerui hominum, ea ſeruitute, quam Paulus tantopere proſcribit: multo magis, inquit Ambroſius, vt peccati, ſerpentis, inimici & aduerſarii, Non ſumus noſtri, quia empti. Glorificare & portare debemus DEVM in corpore noſtro, & ſoli ſeruire Domino, qui propria nos redemit caritate, id eſt ſuorum redemptio ſeruulorum.

Argumentatio Tertullian.

Acute, vt ſolet, argumentatur ex hoc titulo Tertullianus lib. de corona milit. cap. 13. *Tu iam redemptus es à Chriſto, & quidem magno. Seruum alienum quomodo ſeculum manumittet? Et ſi libertas videtur: Sed & ſeruitus videbatur. Omnia imaginaria in ſeculo: & nihil veri. Nam & tunc liber homini eras, redemptus à* CHRISTO: *& nunc ſeruus es Chriſti, licet manumiſſus ab homine. Si veram putas ſeculi libertatem, vt & corona conſignes, rediſti in ſeruitutem hominis, quam putas libertatem: amiſiſti libertatem* CHRISTI, *quam putas ſeruitutem.* Loquitur contra illos qui Gentilium mores & conſuetudinem repetebant in dedecus Chriſtiani nominis. Illos autem ait neglecta Chriſti ſeruitute, qui reuera, ſumma libertas eſt, rurſus ſe improbæ ſeruituti ſe emancipare quam falſo libertatem putarent.

Cyrill. lib. 4. in Iſa.

Cyrillus quoque Libro 4. in caput 45. Iſaiæ vrget titulum emptionis & ex eo debitum ſeruitutis, vt doceat, hominem non eſſe ſui iuris, ſed eius, qui emit & ſeruauit. Atque idcirco merito accuſari voce ſanctorum, dicit, vt negantes Dominum, qui illos ſeruauit, qui rectæ fidei canonem prætergrediuntur.

Carol. Scriban. in Philoſ. Chriſtian. cap. 1.

Eleganter & neruoſe huius æui Philoſophus Chriſtianus. *Emptionis titulo factus es Domini, qui te emit: nec vllus hic retractui locus. Sin pergis vrgere, redde precium, quod pro te pendit, qui te emit. Si non potes quid fatuo conatu, iura inclamas? Vis rem alienam ſine precio? aut vis alienam poſſeſſionem gratuito concedi? Non vult* exui *poſſeſſione ſua emptor, quis coget inuitum? Iezabelis hac imperia ſunt. Vindicantes ſentiet canes. denique precium redde, & tuus eris. Quid reddes? nudum te emit. quid pendere nudus potes? Et intuere precium, quod nullo compenſari precio poteſt. Infiniti enim precii precium fuit, quo te emit, qui te emit. Neque enim corruptibilibus empti ſumus: Sed precioſo ſanguine. Sanguine empti reddamus ſanguinem. At quem dabis? alienum? de alieno vendicare tua non potes. tuum? quid habes tuum, qui totus emptoris es. Et, vt aliquid habeas tuum, quæ comparatio finiti ad finitum? quæ ſanguinis tui, &* CHRISTI, *Domini, regis, & conditoris tui. Fruſtra ergo de detractione cogitas,*

impar

impar numerati precii. Cumque triplici titulo illius ſis, conditoris, victoris, emptoris, *cur non totum te obſequio illius mancipas; cuius tot nominibus totus es?* Hæc Philoſophus Chriſtianus.

Non minus docte Orator Chriſtianus, dum agit de locis, qui inter Theologicos ſunt magni ponderis, & concionatori Apoſtolico maxime accommodati. Docet enim penſandum eſſe titulum emptoris, redemptoris, liberatoris. Hoc enim titulo, quicquid ſumus, CHRISTO debemus adſcribere, qui nos à grauiſſimo ſeruitutis iugo liberatos in diuinam quandam aſſeruit libertatem: præſertim, ſi ipſius liberatoris noſtri, qui eſt DEVS, homo factus in hunc finem nobilitatem aduertamus: ſi grauiſſimam generis ſeruitutem, qua, vt captiui, peſſimo Domino, qui eſt Dæmon, ſeruiebamus, conſideremus: Si precii valorem, quo ſumus redempri, expendamus.

Carol. Regius Orat. Chriſt. lib. 6. cap. 5.

Titulo Emptionis Chriſto ſumus debitores.

Cum enim potuiſſet quocunque ſuo opere, ac leuiſſimo etiam leuiſſimo labore, liberare: tamen grauiſſimum mortis genus ſubire, & copioſum ſanguinem maluit fundere vt ex precii æſtimatione, amoris erga nos immenſitatem, metiremur.

Bene id expendens S. Anſelmus, colligit, quantum à nobis is titulus expoſcat gratitudinem. *Quid ait, miſericordius dici poteſt, quam, quod Pater æternus Filium ſuum mittens, dicat homini, accipe filium meum vnigenitum, & da pro te, & Filius dicat homini, accipe me, & redime te.* Sicut ſi magnus aliquis princeps pro te redimendo, ſe ipſum liberaliſſime offerret in ſeruitutem, atque adeo mortem, quantum ei deberes?

Ex titulo Emptoris gratitudo.

Anſel. lib. 2. Cur Deus homo cap. 20.

Ex titulo autem emptoris & empti, ducitur titulus Domini, & ſerui. Si enim precio nos emit CHRISTVS, itaque ſummo iure ſumus eius ſerui. Quo nomine quantum domino noſtro debeamus, alibi expendimus. Hoc in confeſſo eſt apud omnes. Si eſt Dominus, ab eius nutu nos omniaque noſtra pendere: illum audiendum: eius mandata, promptiſſima quadam voluntatis propenſione executioni mandanda. Dicendum cotidie cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Cum Iſaia, *Ecce ego: mitte me.* Cum Auguſtino: *Da quod iubes, & iube quod vis.* Cum Iobo: *Dominus dedit: Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

Chriſtus, Dominus hominum.

1. Reg. 3.

Lib. 10. Confeſſ. cap. 36.

Iob. 1.

Ex eiuſdem precii magnitudine exaggerat D. Ambroſius tyrannidem crudeliſſimi carnificis ſub cuius imperio vapulauit genus humanum, tot annis, & indicat diſcrimen inter Chriſtum, ac Dæmonem. Aduerſarius noſter, ait, tanquam captiua mancipia, vilioris precio æſtimationis nos addicit. At vero Dominus tanquam ſpecioſa ſeruitia, quæ ad imaginem ac ſimilitudinem ſui fecit, idoneus ſui operis æſtimator: quod non æſtimare ære, ſed ſanguine.

Dæmon, vt mancipia non æſtimat.

S. Ambroſ. lib. 7. in ca. 12. Luca.

Mihi & illud inde educendum videtur: Maximopere omnibus animarum ſalutem eſſe procurandam, quæ tam care Dei filio conſtitit. Reuocate in memoriam reprehenſionem, qua Deus Ionam excepit, cum dolere videretur de miſericordia Niniuitis impenſa, & doleret ob ſiccatam breuiſſimi temporis hederam, in qua ipſe haud laborauerat, vt ſcriptura loquitur: quaſi innueret bonus Dominus ſe laboraturum aliquando, pro humano genere, quod tanti faceret, vti illud labore ſuo non indignum arbitraretur.

Animarum ſalus curanda.

Ion. cap. 4.

Colligant ex eodem titulo magnates & rerum in hoc orbe Domini, emptos ſe eſſe, eodem, quo pauperes, precio, ſicque ad modeſtiam erudiantur. Ex æquo redempti ſunt omnes. nullum hic diſcrimen nobilis & plebei: diuitis & inopis: domini ac famuli: omnes, omnes emptoris vnius, iure ſunt mancipia: ſicut omnes

Ad modeſtiam adducit Emptionis titulus.

Epheſ. 2. 3.

Terminus à quo, Redemptionis.
Pet. Epiſt. 1. 1. 16.
Galat. 4. 9.
Ambroſ. lib. 7 in cap. 12. Luc.

pariter natura fuerunt filii iræ, & captiui Diaboli. Denique exprimendus eſt terminus à quo, Redemptionis, quem clariſſimis verbis proponit Petrus Apoſtolus. *Redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paterna traditionis.* Quæ denotant errores Idololatriæ, & legis ſcriptæ ritus multiplices, qui vani dici poſſunt, quia inutiles, & egena elementa. Adde redimiſſe Chriſtum animas noſtras de peccatis, de poteſtate Diaboli, de damnatione æterna. Nam vt recte monet Ambroſius ſanguine filii Dei liberati ſumus non ſolum de maledicto legis, ſed etiam de impietatis morte perpetua redempti.

Oneſimus. Ser. 16. Febr.

Vanam conuerſationem, ad mores accommodatè, explicauit Oneſimus, Paulus epiſtola nobilis. Hic vt eſt in actis apud Metaphraſtem, cum reſpondiſſet Præfecto, ſe conditione prius ſeruum fuiſſe: eſſe autem etiamnum ſeruum boni Domini, & Saluatoris Ieſu Chriſti, quod cognitionē veritatis adeptus eſſet, ac odium ſimulacrorum: quæreret autem Præfectus de precio, quo ad talem Dominum translatus eſſet, iterum reſpondit, redemptum ſe de vana conuerſatione paternæ traditionis non auro, nec argento, ſed precioſo ſanguine Agni immaculati: conuerſationē autem vanam eſſe, adulterium, auaritiam, præſtigias, arrogantiam, maledicentiam, ſimulationem, iram, ebrietatem, matrem omnium vitiorum.

Huius & vos memores ſitis, vt ſi quando ab inimico generis humani ad vanam illam primi parentis conuerſationem, occulta fraude, aut apertis illecebris inſtigemini, illud & vobis occurrat, & illi obiiciatis Redempti ſumus de vana conuerſatione: redire non licet, niſi reddito precio: reddere precium non poſſumus, quia quicquid habemus, exile eſt, EMPTI autem SVMVS PRECIO MAGNO.

NOTÆ.

LEgendus eſt S Thomas opuſculo 60. quod eſt de Humanitate Chriſti. art. 18. qui eſt de Chriſti Paſſione. Vbi inter modos quibus profuit paſſio humano generi, numerat modum Redemptionis iuxta illud 1. Petr. 1. Non corruptibilibus auro, vel argento. Vbi

Gloſſa. Quanto maius precium eſt, quo redempti eſtis à corruptione vitæ carnalis, tanto amplius timere debetis ne reuertendo ad corruptionem vitiorum animum veſtri Redemptoris offendatis. Bernard. Totus ſiquidem iſte mundus ad vnius animæ precium æſtimari non poteſt. Non enim pro toto mundo *Deus* animam daret, quam pro anima humana dedit. Idem. Sublimius igitur animæ precium eſt, quæ nonniſi ſanguine Chriſti redimi poteſt.

Idem. Cognoſce ô homo, quàm nobilis eſt anima tua, & quam grauia fuerint vulnera tua, pro quibus eſt neceſſe Chriſtum Dominum vulnerari. Si non eſſet hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio filius Dei moreretur.

S. Chryſoſtomus. Hic ſanguis præfiguratus eſt ſemper in altaribus, in iuſtorum cœtibus: hic orbis terrarum decus eſt. Hic eſt quo Chriſtus emit: quo totam ornauit Eccleſiam. Vt enim homo ſeruos auro emit, ita nos ſanguine ſuo Chriſtus. Hom. 45. in Ioan.

Tertullianus lib. 2. ad vxorem c. 3. Quod ſciam, non ſumus noſtri, ſed PRECIO EMPTI, & quali precio? Sanguine Dei. Lædentes igitur carnē iſtam, cum lædimus.

Idem lib. de fuga in perſequut. Quem coram toto mundo Chriſtus EMIT, imò, & manumiſit. Et paullò poſt: ſanguine empti, ſanguine numerati, nullum numum

pro

pro capite debemus, quia caput noſtrum Chriſtus eſt. Quando S. Ambroſius lib. 2. de Fide. cap. 3. docet: Sanguine ſuo Dominum, quaſi hominem redimiſſe: eundem quaſi Deum peccata donaſſe: intelligendus eſt de ſanguine & ſanguinis effuſione formaliter ſumptis: cum conſtet, ſanguinem Dei, & effuſionem, propter denominationem perſonæ, quæ diuina eſt.

Probat hic diuinitatem Chriſti Cyrillus Alexandrinus lib. de fide, ad Regin. Quoniam, inquit, ſi vt homo vulgaris mente concipiatur, quomodo illius corpus vitæ omnium æſtimationem ac dignitatem exæquet. Si autem Deus erat carne indutus qui vndequaque digniſſimus eſt: ſanè cumulatiſſimè per illius ſanguinem, precium pro totius mundi ſalute impenſum eſt.

Hector Pintus in Ezechiel. cap. 28. Inſignis mercator dum ab alio quamuis ſibi noto merces emit, non ſtatim omne precium perſoluit, ſed relicto ſigno, ſoluta parte aliqua precii, cum poſtea fiant nundinæ, reliquum perſoluit. Hic mundus eſt emporium ad quod venit Filius Dei, vt animas noſtras emeret ſuo ſanguine. Octauo die partem eius diſperſit in noſtræ redemptionis ſignum & precium. Sed poſtea in crucis nundinis, totum ipſum profudit, & in precium emptionis noſtræ perſoluit. Et ideo ait Paulus, Empti eſtis precio magno. Simile quid habet Daniel Mallonius, de Sindone.

Cui nos redemit Chriſtus? cui emit? Deo vtique, & ſibi ipſi, qua Deo. Emit etiam ſibi, qua homini, quoniam adquiſiuit ius in homines dominiumque ſpeciale. Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ait Ioannes Apocalypſ. 5. 9.

Poteſt dici Deum nos Chriſto vendidiſſe, non quidem alienando à ſuo dominio, ſed à poteſtate iræ cui obnoxii eramus, vt notat Bartholomæus Medina 3. P. Q. 48. & Chriſti precium acceptando.

Cui emptionis precium eſt oblatum? Certe Chriſti ſanguis ex parte Iudæorum illum fundentium oblatus eſt Dæmoni: Cui autem illud obtulit bonus negociator? Non alii quam Deo, qui propter peccatum offenſus erat, & Dæmoni nos cruciandos tradiderat vt docet S. Thom, 3. P. Q 48. art. 4. ad 3. Vide Salmaronem tom. 10. tract 6. P. 56.

Hinc refellas impios Marcionitas, qui vt eſt auctor Epiphanius Hæreſ. 42. Redemptionis voce abutebantur, vt oſtenderent, homines non eſſe à Deo creatos, quis enim emit, aut precio comparat inquiebant, quod ſuum eſt?

Quare non redemit, & ſaluauit nos ſine tantis precii impendiis? Caſſian. collat. 23. cap. 12. Oportebat Adam ſobolem tam diu ſub habita conditione durare, quouſq; candẽ originalibus vinculis liberatã, in antiquum libertatis ſtatum, prioris Domini gratia precio ſui ſanguinis reformaret: quã pietatis inſtinctu, potuit etiam tunc ſaluare, ſed noluit, quia eum decreti ſui irrumpere ſanctionem æquitas non ſinebat. At cur iuſtitia vti voluit, qui potentia potuiſſet. Caſſian. ibid. Vis euidenter agnoſcere, cur te iugo ſeruitutis addictum, redimere potentiæ ſuæ virtute noluerit? Audi quid ad ſuperiora, quibus eiſdem famulis, peccatorum cauſſam voluntariæ venditionis exprobat apud Iſaiam Dominus, adiecerit. Nunquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere, aut non eſt virtus ad liberandum. Sed quid huic potentiſſimæ miſericordiæ eius ſemper obſtiterit, idem Propheta demonſtrat. Ecce, inquit, non eſt abbreuiatã manus Domini, vt ſaluare nequeat: neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deũ, & peccata veſtra abſconderunt faciem Iſa. 50.

Ii 2 eius

Aug. in Serm. eius à vobis, ne exaudiret Auguſtinus. Multos filios DEVS fecit. Vnicus DEI filius emit ſibi fratres ſanguine ſuo, probatus, reprobatus, redemit venditus: honorauit iniuriatus: viuificauit occiſus. Venditis rebus noſtris nullum magis earum precium accipimus, quam nos ipſos, quia talibus implicati, noſtri non eramus.

Idem. Quemuis contemnere, precium eius attende & cum morte Chriſti totum mundum appende.

Lege B. Ephrem Syrum ſermo. de margarita: vbi inter cetera omnia emit humanæ conditionis frugifera. Homo theſaurus eſt, & ager: cuius quidem mercator eſt Pater: at interpres, & Mediator Chriſtus acceſſit, vt hoſpes, & coëmit tanquam mercator, auctoritatemque exercuit, velut Dominus. Aſſumſit ſeruum Dominus, ignorabatque inimicus ſe etiam peculium ipſi vendidiſſe.

COMMENTATIO XXIII.

Dominica II. poſt Paſcha,

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM ex contractu inter ſeruum & Dominum.

In quâ, ex titulo Paſtoris deriuato titulo Domini, docetur, arctiſſimum eſſe obligationis nexum, inter hominem tanquam ſeruum, ac pecudem, & Deum, velut ſupremum paſtorem, ac Dominum. Denique de iure paſtoritio, & gregis officio diſſeritur.

Ego ſum Paſtor bonus. Ioannis 11. 14.

NOTÆ.

INTER innumera penè, eaque perquam honorifica Chriſti aſſertoris noſtri nomina, quæ ipſi vel Pater, tanquam vnigenito indidit: vel antiqui vates, tanquam vniuerſi reformatori adſcripſerunt: vel ipſemet ſibi, vt dignitatis officiique proprii memor, ideoque fidus nomenclator impoſuit, nullum reperio, ſi propria quædam excipias, quod tam illi cordi fuiſſe videatur, quam Paſtor. Vocat ſe hoc nomine Ioannis 10. *Ego ſum paſtor bonus*, quod paucis interpoſitis repetit: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas.* Apellatur paſtor magnus à Paulo in Epiſtola ad Hebræos cap. 13. Nuncupat eum paſtorem, & Epiſcopum animarum Petrus Epiſtola prima, capite ſecundo. Verè paſtor Chriſtus κατ' ἐξοχὴν, iure, munere, exemplo; qui dedit animam ſuam pro ouibus ſuis.

Ioan. 10. 11. 14. Hebra. 13. 20. 1. Petr. 2. 25.

HVNC ſibi voluit titulum conciliare, inducta, per parabolam paſtoris forma in humeros imponentis centeſimam recuperatam ouem, Lucæ 15. Hac imagine Chriſtum calices euchariſtici exhibebant antiquiſſimi Tertulliani tempore, in Africa, vt eſt ab eo narratum Libro de Pudicitia. Nec aliud ſignificat pallium ex agnina confectum lana, quod primores Epiſcopi geſtare ſolēt ſolennioribus diebus, vt obſeruat Iſidorus Peluſiota. Illud ait amiculum ex lana contextum, quod illi geſtant humeris, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamq; humeris ſuſtulit pellem deſignat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius ac magni paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates, ſibi ferendas propoſuit.

Luc. 15. 5. T. rtull. lib. de Pud. cap. 7. & 10. Lib. 1. Epiſt. 136.

Ille

Ille idem paſtoritio gauiſurus ſchemate vix natus accerſit ad ſe paſtores Iudæorum Lucæ ſecundo. *Luc. 2. 8.* Et Reges gentium, id eſt, paſtores, magos, Matthæi ſecundo. *Matt. 2. 1.* Ipſa Bethleem natali deſtinatum oppidulum lo[illegible]ſtorum erat. Præſepium eſcas contiuebat animalium à paſtoribus comport[illegible]os & aſinus paſtorum ſunt delitiæ, ex paſcualibus iumentis nominatiſſima. Nulla ſæpius occurrit imago in abſidibus eccleſiarum antiquitus depictarum, quæ hodieque ſuperſunt Romæ, & in muſiuo opere, teſſulatoque effigies retinent, quam ouicularum, haud dubie paſtorem ſuum, in ſubiecta ara cotidie immolari ſolitum, reſpectantium. Inter prodigia, quæ referuntur eueniſſe in morte Chriſti ſub Tiberio, & illud celebratur, quod recitat ex Plutarcho Euſebius, auditam vocem noctu ex vna inſularum *Euſeb. lib. 5. de Præp. Euang. c. 9.* Echinadum, vocabulo, Paxus: *Pana magnum mortuum eſſe.* Noſtis quis apud Poëtas ſit Pan. *Pan* DEVS *Arcadiæ*: hunc fatui gentiles, reuera oues errantes Paſtorum Deum eſſe credebant; & fabulabantur ab Amore victum: quod cui melius conueniat, quam de quo ſolus ſuperioribus diebus Amor triumphare potuit? CHRISTVM itaque mirifice delectatum Paſtoris appellatione: eamque illi, à ſe, & aliis multifariam eſſe delatam, omnino certum eſt. Nec Chriſto ſolum in humana forma, ſed & abſolute Deo eandem conuenire non eſt dubium.

CAVSAS alii comminiſcantur adamati nominis, auditu iucundas, eruditione amœnas: *Cauſſa adamati à Chriſto nominis paſtor.* mihi vnica arridebat hodie Euangelio, quod explicatum imus, & inſtituto noſtro accommodata, eaque popularis, & fructuoſa magis, quam ſubtilis. Nimirum, vt ſe Chriſtus à mercenario curatore diſtingueret, & ſuas eſſe oues, ac ſe illarum Dominum profiteretur. Quapropter vt eſt inter paſtores, & oues mutua officiorum & commodorum participatio, ac reciprocus quidam nexus: ſic inter Chriſtum, ac Chriſtianum, Deum & hominem reperiri obligationem analogia ſimilem adfirmo. quod propoſito noſtro eſt per quam accommdatum.

Reuocandum enim eſt in memoriam, nos in eo totos fuiſſe ante hebdomadas aliquot, vt probaremus, hominem ad ſeruiendo Deo, illique ſe totum mancipandum: aut magis generatim pro omnibus, ad non peccandum mortaliter, teneri omni illo contractus genere, omnibusque titulis, quibus ex iure, tum Imperatorio, tum Pontificio, homo homini adſtringitur: ſed multo arctius. Contractuum ſpecies initio operis enumerauimus, nec repetere eſt neceſſe. Ex iis autem Deo nos obnoxios eſſe dicebamus, titulo Locatoris, Conductoris, Mandatoris, Trapezitæ, Mutuatoris, Fœneratoris, Donatoris, Aduocati, Depoſitoris, Domini, & in quo iura omnia continentur Creatoris, ac parentis. Et quidem quoſdam ex his titulos, indeque tracta inter nos, ac Deum vincula expediuimus.

Hodie ſe offert titulus Domini, ſub quo Paſtoris collocandum: ideo enim *Dominus qua paſtor.* Chriſtum ſe paſtorem dicere aſſerebam, & oues, non alienas, ſed ſuas eſſe oſtenderet, ſeque à mercenario diſtingueret. Huius rei gratia, illud prætermittendum.

Cum DOMINVS nomen ſit, vt Dialectici loquuntur, relatiuum, quod ordinem, ſeu reſpectum ad aliud neceſſario includit, eius debere adſignari correlatiuum, ac terminum: Dominus enim alicuius rei eſt Dominus. Licet autem à vulgo philoſophantium dici ſolet, ſeruum eſſe Domini correlatiuum: hoc tamen non ita intelligendum exiſtimo, quaſi nihil ſit aliud, ad quod dominus referatur, quam ſeruus. Quod in ſcholis dicerem: ſeruum non eſſe adæquatum terminum, ſeu

correlatiuum, ſicut,homogenitus eſt Patris: nam & domus & fundi,& ciuitatum, tam perfectum eſt, quam ſe[illegible]dominium.

Domini terminus. Itaque Domini corre[illegible], ac terminum dici poſſe arbitror, rem perfecte ſubiectam ſeu ſubditam: aut propriam. Eam vero nunc diſpeſco in quatuor ſpecies. Res enim ſubiecta, vel eſt ſenſus, intelligentiæque & omnis animæ expers, vt ager, domus, mare: vel animam quidem haber, ſed ſenſibus eſt deſtituta, vt plantæ. Vel ſenſu pollet, rationis minime compos, vt bruta: vel demque ratione eſt prædita: vt homo. Omnium illorum poteſt eſſe dominium: atque ex ſingulis capitibus diuerſæ oriuntur obligationes, quæ omnes inter DEVM ac hominem eſt cernere. Sub Domini ergo Titulo quatuor omnino comprehenduntur rerum genera. *Primo*: inanimatorum, quæ quia multiplices ſunt, multiplicem denominationem tribuunt: ſic dominus horti, nemoris, oleum,eſt hortulanus, ſi proprium habet,ſaltuarius,olitor. *Secundo*:animatarum, ſed ſenſu carentium: vt eſt vinitor,ſi alienam non colat. *Tertio* beſtiarum ac pecorum,vt paſtor, caprarius, bubulcus, ſimiles. *Quarto*: hominum ſeu ſeruorum. Miſſis autem aliis, de quibus ſuo loco, ac tempore,oſtendamus ex paſtoris Titulo, vt à mercenarii diſtinguitur,& dominum pecoris ſignificat obligationem oriri, qua nos Chriſto, ac DEO, velut pecus Domino ſubiectos eſſe oporteat. Sed illud tamen etiam præponatur.

Paſtor ac Domini cognata nomina. PASTORIS, ac DOMINI, nomina tam cognata eſſe, vt gemina videri poſſint, dum ad res animatas ratione præditas referuntur. Sic enim Græcis iuxta, ac Latinis, imo & Hebræis rerum domini, hominumque rectores, ac principes vocantur Paſtores. Eſtque Hebræis, *paſcere, ac dominari* plane idem: ducta metaphora à grege rationis experte, vocabulo ad homines rationis compotes tralato. De Ioſepho Deuteronomii 49. Lego: *Inde paſtor egreſſus eſt lapis domus Iſraël.* Vbi paſtor *lapis* dici videtur per aſyntheton quia datus à DEO in paſtorem & lapidem Iſraëli, quam pauit, tutatus fuit, cui poſſeſſiones, tanquam paſcua adſignauit: cuius firmamentum fuit, & baſis, vtpote figura Chriſti, qui ſimul & paſtor bonus & lapis angularis Eccleſiæ audit, vt Rupertus in Geneſim commentatur. Idem quoque Ioſeph à Syracide Eccl. 49. 17. appellatur ἀνὴρ ἡγούμενος ἀδελφῶν: *Princeps*, vel *ductor fratrum*: id eſt, paſtor: & ςήριγμα λαοῦ, firmamentum gentis.

Deut. 49.24.

Ruper. Gen. cap. 86.

Cur Principatus ſimilis ſit Paſtoritiæ arti. RATIO ex ipſa natura duci poteſt, quia præfectura manſueti pecoris habet quiddam ſimile cum regimine hominum ratione præditorum: ſicut venatio cum militia, vt diſertiſſimus Hebræorum Philo diſputat in vita Moſis, quem ſoceri ſui Ietro oues paui ſſe refert ſacer ſcriptor, quaſi ad principatum ita præpararet, vt in hominibus gubernandis non minus, quam grege cuſtodiendo excelleret.

Exod. 3.

In quo ad inuidiam aliorum paſtorum valuit, vt idem ſcribit: cum illi grex commiſſus creſceret, ac præter egregiam corporis habitudinem fœcundus eſſet, paſcuiſque vbertimis frueretur. Subdit autem paradoxum: non poſſe regem vndequaque perfectum eſſe, niſi qui calleat paſtoritiam artem, & curando minora animalia didicerit quomodo debeat præeſſe præſtantioribus. Adfert & illud, Reges cognominari paſtores populorum, non contumeliæ, ſed honoris gratia. Homerus ſane perhonorifica voce crebro Agamemnonem nominat ποιμένα λαῶν, *Paſtorem populorum.* Et DEVS reges ethnicos per Prophetas: Cyrum Regem רעי *rehhi*, id eſt, Paſtorem meum: & alium רעה

Pſal. 10.

Od[illegible] 14

Iſai. 44. 28.

Ier. 49. 19.

reh

reh rehbeh paſtorum iſtum nominat. Nec male obſeruatum ab Anaſtaſio Sinaita paſtum fuiſſe à Moſe gregem irrationalem in typum paſcendi ab eodem aliquando rationalis. Ita Dauid de poſt fœtantes eſt euocatus ad regnum Pſalmo LXXVII. Vt paſceret Iacob ſeruum Dei: cui Deus, Tu paſces populum meum Iſraël, ſecundo Regum libro, quinto capite: eum fere ad modum, quo piſcatores piſcium, fecit Chriſtus piſcatores hominum Matthæi. 4. *Lib. 5. in Hexam.* *Pſal. 77. 71.* *Lib. 2. Reg. 5. 2.* *Matt. 4. 19.*

Apud Micheam capite 5. quem Matthæus citat capite ſecundo: Dux è *Bethleem exit, vt regat*: Græce, *paſcat*: Hebraice, *dominetur*. Vt enim habetur Iudicum 8. *Dominare noſtri tu, & filius tuus*: Reſpondet Gedeon: *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus.* *ποιμαίνειν.* מושל *moſhel.* *Iud. 8. 23.*

IAM vero, & CHRISTVM DEI filium incarnatum, hominum, tanquam ouium dominum eſſe quis neget, cum in veſtimento, & in fœmore ſcriptum habeat: *Rex Regum, & Dominus dominantium* Apocalypſis 19. Tot autem ſunt huius dominii cauſæ, quas Iuriſconſulti titulos vocant, vt iis recenſendis non vnius horæ ſpatium ſufficiat: quæ in propriam integramque commentationem reiiciantur: illa eſt præſentis temporis, & cauſa maxime propria: quia hominem ex rapaciſſimi lupi faucibus eripuit, ſibique vendicauit. Quamuis enim apud Legumperitos quæri non ignorem, an ouis, quam quis lupo rapto ſubtrahit, ſit illius, qui illam ſubducit: (quia dum lupus illam habet, è poteſtate domini exiiſſe, & nullius eſſe videtur, facta communis, ac primum occupantis) an prioris domini maneat, illique ſit reſtituenda. Et communiter reſpondeatur ex Vlpiano L. Pomponius, ff. de acquirendo rerum dominio, eam non deſinere eſſe prioris poſſeſſoris, quam diu recuperari poteſt: atque idcirco illum, qui ex ore lupi rapuit, teneri reddere Domino. Quis enim dicat, inquit Vlpianus, noſtrum eſſe deſinere id, quod tu liberaſti ex incendio, ruina, naufragio, cum noſtrum eſſet, ſecus eſt de eo, quod auis tranſuolans de area, vel agro noſtro tranſtulit: aut quod nobis miluus eripuit: id enim noſtrum eſſe deſinit, quia recuperari non poteſt: Tamen iſtud certi iuris eſt, ſi quis ouem antea ſuam à leone, aut lupo alicuius mercenarii incuria abreptam, vel ex illius vnguibus, vel huius faucibus liberet, illum duplicato quaſi titulo, tum prioris poſſeſſionis, tum poſterioris liberationis, eripienti, vel liberatori deberi. Ideo nos ex hoc capite CHRISTVM, è cuius poteſtate leonis inferi raptu nunquam exiuimus, quia ſemper recuperari potuimus, vt verum Dominum debere agnoſcere: quia nos adquiſiuit ſanguine ſuo Actuum 20. Sic Petrus in Epiſtola ſua prima, Parcite, inquit, qui in vobis eſt gregem DEI, Græce, Chriſti. Et toties apud Ezechielem nominat DEVS oues & gregem ſuum. Et Chriſtus Petro, *paſce oues meas*. Itaque ſi titulo paſtoris Dominum habet in homines, tanquam gregem ſuum, neceſſario inde conficitur, gregem, & in eo quamlibet ouiculam, me, te, illum, omnes, nequaquam noſtri iuris eſſe, ſed alterius & eſſe, & dici debere: id eſt Paſtoris noſtri, ac Domini, ex relatiuorum regula. Sic filius dicitur patris filius: diſcipulus Magiſtri diſcipulus: ſeruus domini ſeruus. Itaque ſumus omnes, ſi rem ad calculum ſuum reuocemus, Paſtoris noſtri intuitu ſeruum pecus. *Deus & Chriſtus ouium & hominum Dominus.* *Apocalyp. 19. 16.* **NOTÆ.** *Act. 20. 28.* *1. Epiſt. 5. 1.* *Ezech. 34.*

Diuinè ſummus & Philoſophus & Theologus Auguſtinus tract. 29. in Ioannem.

Quid

Quid tam tuum, quam tu: & quid tam non tuum, quam tu, ſi alicuius es, quod es? Nam vt *iumentum quicquid eſt, hominis eſt* (nimirum paſtoris ac domini) *hic homo & multo magis totus eſt* Dei. Quamobrem errant grauiter, & contra obligationem delinquunt, qui ita ſe gerunt, ac ſi ſub nullius eſſent, ne quidem paſtoris ſui Dei dominio, liberum pecus. Quod accurate depingit ex amicis Iob vir ſapiens Sophar.

Onagri natura, proprietates. NOTÆ.

Iob. 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Onager, aſinum ſylueſtrem ſonat, animal natura ferum, libertatis amans, ſalax, & æſtuans libidine, ſtolidum tamen, & vorax, ac vecors, vt pecus Arcadicum agnoſcas. Huic itaque ſimilem dicit eſſe hominem, virum aut adoleſcentem vanum, cui nomini in Hebræo ſubeſt vocula, quæ ſignificat vacuum, concauum, nihil ſolidi habentem, nullius frugis, aut momenti, qui intellectu æque caret, ac cerebro. Talis non ſe ex ouibus ac grege boni paſtoris eſſe exiſtimat: Sed pullum onagri, in ſolitudine, ſub nullius natum imperio, ideoque liberum, non pedo paſtorali, non paternæ virgæ, non patrui ſcuticæ ſubiectum. Eapropter in ſuperbiam elatus, iugum detrectat, onus repellit, vocem exactoris audire recuſat, tractari, domarique renuit, nullius reprehenſionem patitur.

Annon iſtiuſmodi eſt, inſolens ac indomitus, qui freni impatiens, diuinis mandatis non obedit: Paſtoris boni vocem non audit: ſpernit curatoris monita, leges humanas contemnit: bonorum conſuetudines conculcat: reipublicæ ordinem conuellit: Chriſtianam diſciplinam de ſcholaſtica dicere, vel domeſtica: quid attinet? ludibrio habet: nullius adhortationem, nullius reprehenſionem, nullius vigum, nullius pene verborum, ſiue verberum caſtigationem patienter ſuſtinet.

Oſea 7.16. Denique, vt Oſeas Propheta loquitur: *Reuertitur, vt ſit abſque vigo*: id eſt, auertit ceruicem: conuertit terga, ne ſe præbeat vigo, ac vinculis obſequentem. Sed audi diuinum Concionatorem inſolentiſſime: *Arguet te malitia tua & auerſio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe Dominum Deum tuum: & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus DEVS exercituum. A ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti*

Ier. 2. 19. *vincula mea, & dixiſti: non ſeruiam.* At vnde hi ſpiritus in aurita percude, in pullo onagri?

Nemo Dei reſpectu, liber.

Quia *ſe liberum natum putat.* Imperite, nemo liber, nemo extra magni Paſtoris ditionem naſcitur. Inter homines quidem, animalia, quæ in ſolitudine proueniunt: feræ, quæ in terra, alites, quæ in aëre, piſces maris, qui in aqua procreantur, in nullius cenſentur dominio, ſed occupatione adquiri: id eſt, venatione, aucupio,

L. 1. ff. de acq. rer. dom. piſcatione: vt habetur L. prima, *Digeſt.* de acquirendo rerum dominio. Et, in Inſtitutionibus Iuſtinianæis *de rerum diuiſione* §. *Feræ* lib. 1. At, *Domini eſt terra, &*

Pſal. 23. 1. *plenitudo* eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo, Pſalmo 23. hoc eſt: Compages hæc vniuerſi ex terra, aëre, igne, cœlo coaleſcens, Dei fundus eſt: in eo quidquid mouetur, eius grex ac peculium. Illius eſt iſta, ſed veriſſima gloriatio. *Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cæ-*

Pſal. 49. 10. 11. *li, & pulchritudo agri mecum eſt* Pſalmo 49.

Ex quo neceſſario conſequitur, vt quemadmodum ea, quæ ex animalibus in noſtro fundo, noſtroque ſubiectis dominio naſcuntur, iure gentium, quam quo optime noſtra ſunt, *lege, item quæ. Digeſt:* De acquirendo rer. domin. & Inſtitut. *De rerum diuiſ.* §. *item ea.* Sic omnia, quæ ſiue in aëre, ſiue in terra, ſiue in mari proueniunt, inter magni paſtoris oues eius pedo ſubiectas computari. Et tu te tamen tanquam hinnulum onagri liberum natum eſſe exiſtimas?

SED,

Digitized by Google

Efferi conſtringuntur.

SED, NOTA. Quamuis ſylueſtris aſini pullus aliquamdiu libere vagetur, tamen captus poſtea coarctius conſtringitur: & ſi ſe rebellem, ac contumacem domino oſtenderit, virga tunditur. Ita ſane agit cum vecordibus DEVS, ſi in ſe efferatæ cuiuſdam ac indomitæ ſuperbiæ & contumaciæ documenta præbeant. Permittit ille quidem aliquamdiu illos libere & impune vagari, laſciuire, vitulari, ferocire, pergræcari, ludere, amare, graſſari noctu & interdiu. O delitia adoleſcentum! O optanda ditiorum ſors, inquit ille ignarus. O læta ſtudioſorum vita! Pergire porro adoleſcentes mei: nunquam erit finis? ſcilicet! tandem aliquando, tardius, ocyus: ſemel tamen certum eſt, dum decretoria campanula ſignum dederit Paſtor adueniet: & palantem ac luxuriantem pecudē comprehendet, conſtringet, ſubiiciet, tundet; hanc ſua, aliam cacodæmonis, tertiam carnificis manu. Hanc morbo, & ſcabie: illam fulmine, & fulgure: iſtam, ferro & igne. Hanc in carcere, illam in furca: iſtam in equuleo: aliam in æquore: aliquam inter amplexus in lecto, vel angulo, vel in proſtibulo. Omnes, aut in hac vita, quod optandum, quia temporaneum eſt malum: aut in altera, quod metuendum, quia ſempiternum. Deus paſtorum Princeps, vos mihi vnicè dilectos, quod precor, tuetur: & fiet, certus ſum, ſi quamuis hactenus oues errantes, conuerſi ſerio fueritis ad Paſtorem ac Epiſcopum animarum veſtratum. *1. Petr. 2. 25.*

Dominium quid?

Porro illorum, quæ diximus, hæc eſt ſumma: E Paſtoris, tanquam Domini gregis titulo in quolibet homine eam obligationem conſiſtere quæ in re ſuperioris dominio ſubiecta eſſe ſolet. Huius autem obligationis magnitudo, ex dominii, quod paſtor in gregem habet qualitate enoteſcet: eam autem ex lege diſciplinam educere, quoniam Iuriſconſultum Chriſtianum vel exhibemus, vel inſtruimus, facillimum eſt. Dominium, vt colligitur ex Bartholo *Lege, Si quis vi. §. Differentia. Digeſt. De acquirenda poſſeßione*, ita definiri ſolet à Legum-peritis: Ius, id eſt, legitima poteſtas, aut facultas, *de re corporali perfectè diſponendi ad libitum, niſi lex obſtet, aut conuentio prohibeat.* Quæ finitio diſcrimina quædam inter Dominium Dei ac hominum inſinuat.

Diſcrimen inter dominium Dei ac hominum.

Apud hominis equidem in ciuili Republica dominium non eſt, niſi rerum corporalium. Sed Deo, non corporalium, modo; ſed & perfectè ſpiritualium, vt animarum, Angelorum, & aliarum rerum à corporis concretione remotiſſimarum dominium competit. Deinde, cenſetur homo poſſe diſponere, vt Dominus de re ſibi ſubiecta, ſi poſſit illam donare, deponere, locare, permutare, vēdere, alienare, conſumere, deſtruere, vti voluerit, quocumque modo humanæ poteſtati conſentaneo. At non requiritur, vt illam poſſit in nihilum redigere: quod perfectum Dei in ſuos dominium poſtulat. quantum inter mortalis, immortaliſque Domini poteſtatem eſt diſcriminis? Accedit, quod lex quandoq; impedit, ne homo vtatur re ſua ſuo arbitratu. Vt pupillus ſine auctoritate tutoris, vel decreto iudicis alienare prohibetur, propter imbecillitatē & ingenium fragile, cum ſit prudentiæ expers, vt dicitur in Inſtitutis: *Quibus alienare licet, vel non. §. Nunc admonendi.* Conuentio etiam facit, ne idem dominus valeat exequi. Sic debitor, quamuis ſit dominus pignoris, illud tamen alienare non poteſt, quia ita cum creditore pactionem fecit. Inſtitutis: *Quibus alienare licet. §. Contra.* Quæ in Deo, dominantium Domino locum non habent: cuius arbitrium nullius alterius lege, cum ipſe ſibi lex ſit: nulla conuentione, cum aſtringi non queat: nullius pacto: cum nullum admittere teneatur coarctari poteſt. Quocirca Deus vt collibitum fuerit, de ouibus ſuis poteſt diſponere, ad

Digitized by Google

quod parere oues tenentur. In quo, vt animaduertitis, plurimum à mercenario differt, qui nihil niſi ex paſtoris, ac domini beneplacito de ouibus poteſt decernere.

Obligatio gregis erga paſtorem. His ita conſtitutis. Quemadmodum bonus paſtor omnes paſtoritii muneris ac Domini numeros explet perfectiſſimè: nec quicquam emittit, quod vel ad gregem paſcendum, vel eius fœtum curandum vel vtrumque nutriendum, vel ſanitatem conſeruandam, inducendamque deſiderari poteſt. ſic viciſſim ratio mutua obligationis ex hoc titulo exigit, vt grex ad eius nutum fingatur: ac ſi rationis ſit compos, vt eſt homo, quicquid à paſtore de ſe conſtitutum cognouerit, id omni tergiuerſatione poſtpoſita exequatur: hoc enim ratio dominii exigit. Quod ſi vſque adeo verum eſt, vt à nemine poſſit negari, quanta hominibus eſt impoſita neceſſitas, ita viuendi ac rationes omnes ſuas diuinæ voluntati accommodandi, vt nihil in vllo negocio reperiatur, quod non ad Domini voluntatem quam exactiſſimè ſit compoſitum. Illudq; ſemel ſtatuatur, quicquid paſtoris optimi mandatis, imò; quicquid nutui illius eſt contrarium, vel non conueniens, id, tanquam iuri paſtoritio aduerſum, & obligationi noſtræ repugnans, eſſe damnandum, ni ipſi damnari quod non exiſtimo, præoptemus. Hac conſtituta regulâ, iam procliue eſt decernere, quam parum obligationi ſuæ ſint memores, quamq; improbè ac nefariè Domini paſtoris ius violent, quicumq; illius ſpretis imperiis, capitali potius inimico, quam ipſi parere ſe velle factis, dictiſque demonſtrant. Qui quidem tot ſunt, quot delinquunt quotidie lethaliter. Quot autem illi? ſtultorum infinitus eſt numerus: vos ſubducite. Num autem in iis ſitis ita colligendum eſt.

Gregis munus. IMPERAT iure ſuo paſtor, vt vocem eius audias, internam, externam per alios, vel ab ipſomet emiſſam. Id enim bonarum eſt ouium, quę vocem paſtoris audiunt. Eſtne tibi curæ huic Domini decreto, ſicut reuera teneris, aurem, animumque accommodare? Examinemus. Prima occaſione ſibilat tibi tanquam perſonatus auceps, Dæmon, aude, veni, vide, comede: inſuſurrat, velut è latebris inſidiator latro Mundus. Quid times? perge, perrumpe, occupa. Accepit pellicis in modum triueneſica caro, & blanditur, ſcande, irrumpe, fruere. Clamat bonus paſtor, caue, abſtine, diſcede. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea. In quocunque die comederis

Eccl. 13. 1.
Gen. 2. 7.
Eccl. 2. 10.
Prou. 1. 10.
Eccl. 7. 2.

ex eo, morte morieris. Aufer iram à corde tuo: & amoue malitiã à carne tua. Adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt. Fili mi ſi te lactauerint peccatores ne acquieſcas eis: ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. Sperne voluptates nocet empta voluptas.

Noli altum ſapere, ſed time. Quid tu autẽ? Paſtoris boni clamorẽ intenſiſſimum non audis: inſidiatricis carnis ſibilum, voluptatis grunnitum, verſutiſſimi Dæmonis tentatoris ſuſurrum, lenocinantis mundi cantica dormiens etiam patulis auribus percipis. Mule nihil ſentis? canebat ille verè vecordes muli non oues, qui Deum aſpernantes ad boni Paſtoris vocem obſurdeſcunt: Mundum, Dæmonem, carnem peſſimos mercenarios audiunt, iiſque obſequũtur. Infelices ter & amplius qui veteribus inaudita metamorphoſi ex ouibus in onagros degenerarunt, Iſmaeli homini fero; ac ſylueſtri, quam Iſaaco pacifico & humano ſimiliores. De illo Geneſis 16. vbi nos habemus: *Hic erit ferus homo*: Kaldæus ponit: *Ipſe erit onager in hominibus.* Sanè in Hebræo eſt: Et erit homo onager: hoc eſt: ferus inſtar onagri: homo inſociabilis, ac moribus ferinis præditus, diſſolutus, petulcus, immorigerus, vagabundus: verè pullus onagri. De quo præclare Gregorius Papa. Per pullum onagri omne genus agreſtium exprimitur, quod natura dimiſſum moribus, loris

Gen. 16. 12.

dominan-

dominantium non tenetur. Agri namque animalia libertatem habent, & ire quo appetunt, & quieſcere cum laſſantur. Et quamuis inſenſatis animalibus homo longè ſit melior: hoc tamen homini plerumque non licet, quod brutis animalibus licet. Quę enim ad aliud minime ſeruantur, eorum motus procul dubio nequaquam ſub diſciplina conſtringuntur. Homo autem, quia ad ſequentem vitam ducitur, neceſſe profectò eſt, vt in cunctis ſuis motibus ſub diſpoſitione diſciplinę religetur, & quaſi domeſticum animal loris vinctum ſeruiat: atque æternis diſpoſitionibus reſtrictum viuat, cuncta per effrenatam libertatem quærit, quid aliud, quam pullo onagri eſſe ſimilis concupiſcit? Vt diſciplinæ hunc lora non teneant: ſed audenter vagus per ſyluam deſideriorum currat. Addit monitum.

Reſtat, vt ſi eſſe ſimiles pullo onagri nolumus in cunctis, quæ appetimus, nutum prius intimæ diſpenſationis exquiramus: Vt mens noſtra in omne, quod nititur ſuperni regiminis loro teneatur: & inde magis vota ſua ad vitam impleat, vnde vitæ ſuæ ſtudia contra propriam voluntatem calcat.

Vehementius Hieronymus, & perquam accommodatè ad rem noſtram Oſeę 8. vbi Propheta: *Onager ſolitarius ſibi Ephraim*: Imitantes, inquit, ſibi onagrum ſolitarium: nequaquam vt oues paſti à Domino: ſed malè abutentes libertate ſua, vt non Eccleſiæ cenſita, ſed Diaboli, deſerta penetrarent. Nec male Rupertus Abbas lib. 3. in Oſeę. Onager id eſt aſinus agreſtis hominem ſtultum atq; ſuperbum ſignificat, ſicut in Iob ſcriptum eſt, Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum onagri liberum ſe natum putat. Rectè itaque per onagrum carnalis Iſrael, ſiue Iudæus hic intelligitur, qui vinculo Domini ligari, & ad præſepia eius duci contempſit. Sicut in Iſaia Dominus ipſe dicit: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* *Iſa. cap. 1.*

Nam ſicut per bouem, qui poſſeſſorem ſuum, & per aſinum qui pręſepe Domini ſui cognouit, credens, ac fidelis quiſq; intelligitur: ille de Iudæis, iſte de Gentibus: ita Iſrael, qui Dominum eundem non cognouit: vel populus, qui eum non intellexit: imò cognoſcere, aut intelligere noluit, rectè, onager dicitur: id eſt aſinus quidem; ſed ſuperbus: aſinus præ ſtultitia, ſed infrenis, & præſepii dominici contemptor vel ignarus præ ſuperbia: ſolitarius, à rectore Deo profugus: ſolus, vtpote, Dei deſertor, & à Deo deſertus.

Vt itaq; multi in onagros, ſic non pauci haud diſſimili tranſmutatione in equos & mulos commutantur, ouium ſubiectarum natura deperdita. Sed, quæſo vos, *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Quod non tantum impotenter laſciuis, ac libidinoſis canitur, quos Ægyptiorum S. Scripturæ æqui charactere notabant: de quibus Ier. 5. *Equi amatores, & emiſſarii facti ſunt*; quod equus effreni ſit in libidine cupidine: cui mulus ſimilis, ſtolidum ſtupidumq; animal, dum equi hinnitum, & furias imitatur. Sed illis ēt, qui ſe liberos natos, & Paſtori Domino minimè ſubiectos arbitrantur, & eius idcirco vocem non audiunt homines pertinaci contumacia, qui Paſtorem rectè monentē ſpernunt, Dei præcepta contemnunt: ideoque virga ferrea, non paſtoris boni pedo coercendi ſunt: plagis caſtigandi, maliſq; edomandi: Vt quod non volunt ſponte, metu & coactione exactoris ſeueri perficiant. Monentur igitur ne ſint inobedientes optimi Paſtoris mandatis, & feroces, vt equi indomiti: deinde ne ſtolidi & inſenſati, ſicut aſinarum & equorū filii mali. *Tranſmutatio in equos ac mulos.* *NOTÆ.* *Pſal. 31. 9.* *Ierem 5. 8.*

Eodem domini paſtoritii iure præcipit paſtor, vt oues ipſum ſequātur. Eſt enim boni Paſtoris, ſicut & Imperatoris ac Prælati officium præire, non ſequi pecus, neque cum Thraſone Comico poſt principia ſtare: ſed regere, ducere, antecedere, *Ouis ſequitur Paſtorem.*

 cui

cui vt reſpondeat grex ſequi debet. Hinc illa metaphorica loquutio, è re paſtoritia deſumpta eſt, qua in ſacra Scriptura boni Imperatoris munus deſcribitur, dum di-
Num.27.17. citur exire, & intrare ante ſuos. Sic Numer. cap. 27. precatur Moſes: Prouideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hāc, & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere. Sicut enim paſtor oues ex caulis educit in paſcua, & deinde è paſcuis ad caulas domum reducit: ita è caſtris milites in aciem Imperator, ac poſtea ex acie in caſtra.

Chriſtus, vt Paſtor prait. Quod paſtoritium munus pręclare exequutus eſt Chriſtus, vt expreſſit Ioa. c. 10.
Ioan.10.3.4. *Cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues eum ſequuntur quia ſciunt vocem eius: alie-*
Ierem.17.16. *num autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.* Felix, qui exclamare poteſt cum Propheta: *Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens.* Nam qui paſto-
Ioan.10.9. rem bonum ſequitur illi omnia fauſta idem ſpondet. *Per me ſi quis introierit*; nimirum me ſequens, *ſaluabitur, & ingredietur, & paſcua inueniet* ſibi ac aliis, ac proſpera cuncta
NOTÆ. euenient. Dabitur enim gratia & auxilium, vt poſſit in omnibus recte operari ac
Deuteron. 28.7. quæ cogitat & incipit ad exitum perducere. Si ſequutus Paſtorem tuum fueris, *Benedictus eris ingrediens & egrediens*, Deut. 28. id eſt, quicquid incipies feliciter conſum-
Pſal.120. mabis. *Dominus cuſtodiet introitum, & exitum tuum*: Vt omnia tua negocia tibi proſpere ſuccedant.

AT cuius tu veſtigia premis improbè? Non agni immaculati, ſed voracis lupi. Si
Eccl.13.2. communicabit lupus cum agno aliquando, ſic peccator iuſto, Eccl. 13. Quem tu ſe-
1. Cor. 6.15. queris obſtinate? Non ſolem iuſtitiæ, ſed tenebras iniquitatis. Quæ autem participatio iuſtitiæ cum iniquitate, ait, quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quem imitaris luxurioſe? Non Chriſtum, ſed Belial. Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Verum etiamſi alienum ſequaris nunquā te proprii paſtoris dominio ita ſubtrahes, vt te iterum aliquando reuocare non poſſit cōtumaciæ pœnas daturum. Eſt enim dominii generatim duplex effectus; vnus vt poſſit dominus de re ſua decernere ſicuti voluerit: alter vt poſſit rem ſuam vindicare, ſi ad alius manū, fraude aut fuga peruenerit.

Paſtor cohibere ouem poteſt. DENIQVE Paſtori, (quod notauit S. Chryſoſt. libro de Sacerdotio, vbi accuratè explicat quid interſit, inter paſtorem ouium & hominum præſidem, qui non planè eſt abſolutus dominus) liberum eſt ouem & vincire, & à pabulo arcere, & vrere, & ſecare: addo, & macello addicere: & eius pellibus indui, & carnibus veſci: &, ſi poſſet, non in cineres modo, ſed & in nihilum redigere: quia dominus eſt, cui de re propria licet, prout libet diſponere. Nec iniuriā, licet innocenti, infert. Illius enim innocentia eo cernitur, quod paſtoris imperio non reluctetur. Et quænam paſtoris eſt iniuſtitia, quod nunc hanc, nunc illam lanio excoriandam tradat Si balando obmurmurarent oiculæ, diceretur illis: ſicut domino placuit, ita factum eſt: cauſſam nolite exquirere: hoc domini ius exigit. Quare, ſi te Deus interdum calamitatum flammis adurat: ſi perſequutionum nouacula incidat: ſi paupertatis baculo ab opimis paſcuis arceat: ſi pulcritudinis lanam morbi longioris forfice detondeat: ſi facultatum pellem, latrunculorum incurſu detrahat: ſi ſanitatis integritatem ægritudinis moleſtia diſſipet: ſi mortis macello in ætatis flore prę aliis coætaneis deſtinet: ſi te cultro imminentis peſtilentiæ tanquā lanii ſubdat, non eſt, quod conquераris: nam pręterquā, quod in vtilitatem cedet, non eius, ſed tuammet. ſi refractarius non fueris, etiamſi eius cōmodo fieret, ſuo iure vtitur: ſemper tibi dicendum eſſet: Dominus eſt: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum. Hanc ego vobis dilectiſſimi in hac tanta rerum humanarum inconſtantia voluntati inopro.

NOTA.

NOTÆ.

DE IVRE PASTORITIO.

DEVS & CHRISTVS mirifice delectantur Paſtoris appellatione. An quia id nominis amabile eſt potius, quam formidabile, & minime faſtuoſum? Atque idcirco ſuis in regimine ſpirituali ſociis & adiuuis id commendatum voluit impenſius: Vt non re tantum ſe pietatis viſcera habere declararent: ſed nomine quoque ad alliciendum alios præferrent. Quocirca pro Eccleſiaſtico munere frequens eſt in ſacris codicibus Paſtoris metaphora, apud Ezechielem cap. 34. 2. & ſequent. cap. 37. 24. Ieremiæ 17. 16. Zachar. 11. 5. cap. 13. 7. Ioann. 10. 11. cap. 21. 15. & ſequent. Ad Epheſ. 4. 11.

Paſtoris titulum Chriſto ex paſſione conuenire docet S. Ambroſius Pſalm. 118. octon. 20. ſuſcepit perſonam paſtoris, & ait paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis: ideoque pro rationabili grege ſeipſum paſſioni corporis non negauit, vt ouem laſſam crucis ſuæ humeris ſupponens pii oneris defunctione recrearet. Declarat ibidem, quam multas Chriſtus pro nobis perſonas induerit, multorum officia & affectus ſuſceperit, vt doceret quomodo nos in his conuerſari oporteret officiis. CHRISTO peculiari ratione competit nomen Domini, quoniam nouo id titulo ſibi comparauit: quod illi vt capiti debetur, & vt DEO connaturale eſt.

Diſputant ſubtilius Theologi, quomodo DEVS dici poſſit Dominus ouium, vel creaturarum, cum id ſine relatione reali non videatur poſſe contingere, cuius tamen DEVS eſt incapax. De hoc in commentationibus ſcholaſticis ad primam partem S. Thomæ. Lege Petrum Fonſecam lib. 5. Metaphyſ. Quæſt. 4. ſect. 5.

§. *Ouis à lupo rapta.*] Mirum, iucundumq; euentum narrat in piis Hilariis Angelinus Gazæus, de capra, quæ à lupo raptanda cornua in illius fauces ingerebat, amboque in equi tergum dilapſi, ad herum equi deuenerunt. Lis inde orta ad quem lupus ſpectaret: prædam caprarius ſuam, quam capra ceperat, alter aſtruebat ſuam, quam ſuus in ædes intuliſſet equus.

Vbique caſus, non vbique ius valet:
Dic arbiter vti deuoueres hunc lupum?

DEVS *ouium Dominus.*] Quam multis nominibus DEO competat titulus Domini fuſe ac eleganter diſſerit Hieronymus Platus lib. 1. de bono ſtatus religioſi cap. 3.

§. ONAGER.] Aſinus ſylueſter. Ex hoc in ſacris litteris ſunt quædam adagia: *Vt Onager inter homines.* De quo Martinus Delrius lib. 1. Adagior. Adagio. 20.

Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi Dracones: Ieremiæ 14. 6. Adagio DCCCXLII. Vbi de onagri natura & qualitatibus quædam ex Andr. Capella & Iſydoro Clario *Onager aſſuetus in ſolitudine* Iere. 2. 24.
Venatio leoni onager adag. DCCCC.

Plura de onagris Oppianus aliique animalium deſcriptores, ex quibus ſelecta Pineda ad Iobi caput 11.

Symbolum eſt quod in bonum, malumque vſurpatur. Pro homine effero. Pro inuido. Siquidem maſculus tam eſt reſotypus, vt pullos ſuos dentibus reſecet, nequeant gignere: quod elegantiſſime deſcribit Oppianus. Pro ſtolide ſuperbo apud Rupertum. Pro hæreticis. Pro Iudæis. Pro religioſis à Gregorio: imo tanquam typum Chriſti lib. 30. moral. cap. 12. Vide Eucherium in formis ſpiritualibus.

Paſtoris tanquam Domini eſt paſcua deſignare: non eſt id pecoris, quod ſi miniſtratur nec alia concupiſcere. At quidam non contenti herbis ab optimo paſtore demonſtratis, vento ſe paſcunt. Quod paſtoribus, id eſt, Magiſtratui, ac principibus Iudæorum ab Ieremia exprobratum, gregi quoque conuenit. Paſtores tuos paſcet ventus inquit Ieremias cap. 22. 22. Quomodo homines vanos, inanes ac vanæ gloriæ appetentes, friuolis, ac inanibus ſtudiis occupatos, vt exponunt Vatablus ac Capella in Ieremiam vocamus Camælæontes, & dicimus aëre, auraque paſci. Nam qui aura paſcitur, hunc aura paſcit. Notatum à Delrio ad Adagium DCCCLIII.

§. Ingredi & Egredi.] Adagialiter dicitur Hebræorum idiotiſmo, pro quolibet actionum negociorum genere. Lib. 1. Reg. cap. 18. 13. De Dauide Chiliarcha facto *Egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi.* lib. 2. Reg. 3. 25 *Vt ſciret exitum tuum & introitum tuum*; id eſt, omnia belli arcana. lib. 3. Regum 3. 7. *Ignoras egreſſum & introitum meum*: id eſt, ignoras regendi, & ducendi populum. 1. Paralip. 19. *Da mihi ſapientiam & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo*: id eſt, vt illum pacifice regam, & iuſtitiam colam. Vt paret ex iis quæ ſequuntur. *Quis enim poteſt hunc populum digne iudicare?* Vide Delr. Tom. 1. adag. 119.

§. Mulus.] Vide Pierium lib. 4. Hieroglyph. Serarium Tobiæ 3. Delrium Adagio 22. Iterum Pierium lib. 12. Quæſiuit non nemo: An ex eo quod Chriſtianus ſit ouis Chriſti, ſequatur illum non eſſe ouem Pontificis vel epiſcopi ſui. Affirmant hæretici. Nuper Lancellottus Andreæ in Anglia epiſcopus Elienſis in lib. contra apologiam Bellarmini pag. 74. Vbi loquens de Rege Iacobo ſic ſcribit. Rex ouis certe, verum non Petri tamen ſed Chriſti, quem paſtorem ſuum quo ſe inferiorem agnoſcit. Nec, ſi Petro id dictum, Paſce. Petri ſe tamen ouem agnoſcet. Nec enim Petro dictum paſce oues tuas: ſed paſce oues meas. Ouis ergo, ſed Chriſti, & paſtorem habet, ſed Chriſtum, quem agnoſcit, cui ſe ſubmittit lubens.

Abſurde equidem. quaſi vero pugnent hæc duo inter ſe: eſſe ouem Chriſti, & eſſe ouem Petri optime cohærent. Quod ex Euangelio conſtat, vbi Chriſtus diſtinguit inter paſtorem & mercenarium. Paſtorem vocat cuius oues ſunt propriæ: mercenarium cuius non ſunt Ioan. 10. Petrus autem fuit paſtor ex Auguſtino Tract. 64. in Ioannem. De mercenario dicitur: Cum viderit lupum venientem, fugit, quia non ſunt oues propriæ: An talis Petrus Apoſtolus? Abſit. Petrus ergo non mercenarius, ſed paſtor: nec alienas habuit oues, ſed proprias. An ideo deſinebant eſſe oues Chriſti? nequaquam. Erant & Chriſti oues, erant & Petri oues. Erat Chriſtus eorum paſtor, erat & Petrus. Sed hæretici non capiunt hoc myſterium: quoniam inter eos, omnes ſuperintendentes mercenarii ſunt, non habent proprias oues, ſed alienas: non intrant oſtium in ouile, ſed aliunde aſcendunt. Non veniunt vt paſcant, ſed vt mactent & perdant. Denique mercenarii, id eſt, fures & latrones. Lege Martinum Becanum in controuerſia Anglicana. Quæſtione: An rex Angliæ ſit ouis Petri?

Exercitum duce orbum, & fugientem vocat ſacra ſcriptura, oues ſine paſtore. 3. Reg. vlt. 17. Vidi cunctum Iſraël quaſi oues non habentes paſtorem.

Carolus Regius de Oratore Chriſtiano li. 6. cap. 5. agit de Titulo Dominus, qui Chriſto competit. Cap. 6. de Titulo paſtoris. Vtrobique paucula in medium adfert.

COM-

COMMENTATIO XXIV.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA Deum ex Contractu Societatis.

Dominica III. poſt Paſcha.

In qua declarata natura, & conditionibus ſocietatis, inter homines conſuetæ: deducitur, vtiliorem multo eſſe ſocietatem cum DEO. De cuius initio, progreſſu, fine, commodis, contrahendi formulis, & modo conſeruandi hanc ſocietatem, eiuſque diſſolutione fuſius agitur.

Plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ioan. 16. 20.

VSITATIVS eſt hoc tempore, & ad fortunas augendas perquam opportunus contractus ille, qui non ſolum à negociatoribus, verum etiam ab hominibus, ſiue militari diſciplinæ, ſiue reipublicæ gubernationi admotis vocatur SOCIETAS: quam, qui ineunt ſocii appellare conſueuerunt. Eſt autem mutua inter illos, ſecundum ſocietatis pacta conuenta & huiuſce contractus leges obligatio, qua arctiſſime conſtringuntur. Rerum vero diuerſarum habita ratione multiplex conſtituitur *ſocietas.* Et alia quidem dicitur bonorum omnium, Lege 1. *Digeſt. pro ſocio.* Alia, negotiationis, cum duo, vel plures ex negociatione quæſtum & lucrum adquirunt ſibi. Alia, artis: cum vnus è ſociis artem exercet, ac lucra damnaque & impenſas habet cum ſocio communes: vt ſocietas pictorum, ſutorum, typographorum. Alia eſt officii, cum quis officio fungitur, & alios ſibi ſocios aſciſcit, cum quibus communicat fructus, quos ex officio percipit: Alia eſt animalium, ſiue minorum, qualia ſunt greges ouium, caprarum, porcorum: ſiue maiorum, qualia ſunt armenta boum, aut equorum. Alia vectigalium, cum duo, aut plures publica emunt vectigalia, ſiue conducunt, & communiter impenſas faciunt in ſoluenda pecunia pro vectigalibus: talis erat olim ſocietas publicanorum. Adde ſocietatem armorum, cohabitationis, ſtudiorum, conuictus, indiuiduam vitæ ac ſimiles: tot enim multiplicare licet, quot ſunt res, quæ multorum poſſunt eſſe communes. *Societas multiplex.* *ff. Pro ſocio.*

HVNC contractum inter Chriſtum, eiuſque ſequaces: ſeu, vniuerſe inter DEVM & hominem, non vno modo initum & iis maxime rebus niti, quæ à Chriſto tum triſtitiæ, tum ploratus ac fletus nomine ſignificantur. *Plorabitis ac flebitis vos: vos contriſtabimini:* dum gaudii voce exprimuntur: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis:* iam diſputare aggredior. Præmitto autem quædam, tanquam principia ex quibus propoſitionis noſtræ veritas eluceſcet. *Societas inter Deum ac hominem.*

De contractus autem huius natura & qualitatibus agitur apud Iuriſconſultos. Libro 17. Digeſtorum, in quo extat titulus ſecundus: *Pro ſocio:* & in codice lib. 4. in quo eſt Titulus 27. *Pro ſocio.* In Inſtitutionibus quoque libr. 3. Titulus eſt 26. *De ſocietate.* E quibus licet multa deſumentur, quibus commentationem noſtram auctio- *Scriptores de hoc contractu.*

adfirmam habitationem coemendam, ceteraq; vitæ commoda curanda poſſit eſſe ſatis. Explico. Peccata, quibus DEVM offendimus, eiſque pœna debita, ſunt inſtar debiti pecuniarii,& æs quoddam alienum vt propria commentatione demonſtrabitur.

Ad hoc delendum, quod in nominibus apud creditorem conſeruatur ſcriptum, ſcalptumque tanquam celte in ſilice, vel plumbi lamina, magnus non aureorum, ſed meritorum, operumque pœnalium aceruus deſideratur. Hoc igitur diſſoluto: domicilium & fundi ad vitæ commoditatem parandi ſunt ſimili pecunia: nimirum, cœlorum habitatio, vel beatitudo aut gloria: hæc enim eandem rem ſignificant: & non niſi emptione quadam perſoluto prius precio conceduntur. Cuius apud me nullum eſt dubium nec in ſacra Theologia magnam difficultatem habet. Soli temporis noſtri ſectarii hic tricantur qui cum de fidei noſtræ arcanis agunt, delirare ſæpe ſolent: & hac in re, neſcio, qua puerili pœne inſcitia deluſi in operibus bonis Chriſtianorum etiam ex diuina gratia factis, nullum agnoſcunt, reſpectu regni cælorum precium: id eſt, vt clarius dicam exiſtimant iuſtos bonis ſuis operibus, quæ ſemper peccato aliquo contaminata opinantur beatitudinem emere poſſe. Quaſi, Chriſto teſte, regnum cælorum non ſit ſimile homini negociatori, quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna precioſa margarita, abeunti, ac vendenti omnia quæ habet, & ementi eam. Sed de hoc ſuo loco fuſius. Nunc *Matth. 13. 45.*

PONATVR aliud inſtituto noſtro conueniens *principium*, hominem ne teruncii quidem dominum eſſe, ſed rerum omnium egentiſſimum, bonorum operum peculium nullum habuiſſe, neque ſuo labore, quicquid tandem faceret, tantum accumulare potuiſſe, aut poſſe, vt vel creditori DEO ſatisfiat, vel precium regno cælorum dignum, aut æquale conſtituatur. Hoc eſt, quod præclare docet Paulus Apoſtolus, & à fidei aduerſariis inſcite, ignorantibus ſcripturam aduerſus iuſtorum me. ita obiici ſolet. *Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, ad Romanos 8. *Opera ſine gratia nullius pretii.* *Rom. 8. 18.*

Exiſtimo, inquit, Græce λογίζομαι, plane mihi perſuadeo non eſſe paria, quæ in præſentia toleramus futuræ illi immortalique gloriæ, quæ electis tandem retecta à DEO iuſto iudice tribuetur. Qua quidem ſententia non negat Paulus iuſtorum merita, quibus cælum emunt: ſed docet, actiones humanas, ſi per ſe ac ex ipſorum dignitate ſpectentur, non autem quatenus manant à diuina per Chriſtum gratia nequaquam immortali Beatorum gloriæ ex æquo reſpondere poſſe. Ob quam cauſſam paſſiones noſtras indignas nominat Auguſtinus lib. 83. qq. Q. 85. lib. 5. de ciu. cap. 18. Et vt idem aſſerit vita æterna, nunc appellatur miſericordia, nunc gratia: quia non emitur, niſi precio, quod à gratia ſumit initium, & beneficio gratiæ iuuatur. Quod etiam inſinuat S. Bernardus, cum non vno loco ſcribit, diuinæ miſericordiæ, non meritis noſtris vitam æternam deberi, quod merita gratiam non præcurrant ſed ſequantur. *Epiſt. 105. Enchirid. cap. 107. lib. de correp. & gra. cap. 13. De gra. Et li. arb. cap. 8. Serm. 1. de Annunc. ſermo. 15. in pſ. 90. ſerm. 61. & 68. in cant.*

Cum itaque, ſi hominem eiuſque vires ſpectes, vt vere, & eleganter alicubi dicit Bernardus: non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad præteritam culpam quæ remittitur: non ad præſentem gratiam quæ immittitur, non ad futuram gloriam, quæ promittitur nobis: DEO autem voluntatis non mutandæ decreto fixum eſſet, neque peccati debitum remittere ſine ſolutione æquali; neque cælorum palatium inhabitandum dare, niſi condigno appenſo precio: auctor ipſe fuit, vt hu- *Societatis cum Chriſto initium in Pſalmo. ſerm. 38.*

manum genus ſocietatem initet cum opulentiſſimo negociatore, cuius facultatibus adiuti homines, niſi plane deſipere velint, & ocio ignauiæque ſe tradere, eum theſaurum poſſunt comparare, ex quo poſt perſolutum omne debitum regnum cœlorum quæunt ſuum facere.

Chriſti meritum cauſſa ſocietatis. Sed quod mirum, ſocietatis huiuſce beneficium ille ipſe nobis impetrauit cum quo contraximus, Dei Filius. Ita diuinus Ioannes pronuntiat: *Si autem in luce* *1. Ioan. 13.* *ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem: & ſanguis Ieſu Chriſti Filii eius emundat nos ab omni peccato.* Quod enim, ait, *Et ſanguis*, vim cauſſalem continet. Sæpe enim particula, *Et*, maximè apud Ioannem cauſſaliter ſumitur. Cauſſa itaque diuinæ ſocietatis ad quam ſumus admiſſi eſt ſanguis Chriſti, ſeu illius paſſio. Nos enim ſumus infra longè tam altum ordinem, imo de nihilo, & natura filii viæ, atque peccatores.

Epheſ. 2. 3. Debetur igitur hoc beneficium Chriſti meritis, quæ potiſſimum enituerunt in paſſione, ac ſanguine ipſius. Huius autem initæ ſocietatis naturam, perſonas, conditiones, leges, iura, ac ex ea natam in hominibus obligationem, analogia ad forenſem ſocietatis contractum ſeruata inueſtigemus.

Societatis deſcriptio. SOCIETAS *eſt duorum, pluriumue conuentio, voluntate contrahendæ ſocietatis honeſta, ex pecuniis, opera induſtria, & bonis ſingulorum inter ipſos communibus ad vberiorem quæſtum, & commodiorem vſum.* In qua finitione illud *Primò*, obſeruandum: *Societatem* aliquorum eſſe, duorum pluriumve: quod perſonas indicat inter quas conuentio intercedit. Perſonas autem, quæ ad hanc ſocietatem conueniunt, deſignat Ioannes Apoſtolus in ea Epiſtola, quæ fideles omnes ad ſocietatem hanc *1. Ioan. 1. 3.* inuitat. *Quod vidimus*, inquit, *annuntiamus vobis, vt & vos* ſocietatem *habeatis nobiſcum, &* ſocietas *noſtra ſit cum Patre, & cum filio eius* IESV CHRISTO. Vos etiam ait Ioannes, qui non audiſtis, nec vidiſtis, nec manibus veſtris contrectaſtis verbum vitæ. Omnes itaque homines, modo velint, ad hanc ſocietatem admitti poſſunt. Sed in ea caput, quod illam moderatur eſt Pater æternus: pars præcipua, cuius *1. Corin. 1. 12.* *2. Corin. 3. 4.* meritis, tanquam pecunia fundatum eſt hoc corpus, Chriſtus. Quare bene addit: Eſt autem ſocietas noſtra cum Patre, & cum filio eius IESV CHRISTO. O nobilis ſocietas! in qua nemo ſe profitetur eſſe Ioannis, vel Pauli, vel Cephæ, vel Apollo, ſed DEI Patris & IESV. Illi primum hanc ſocietatem fundarunt, inierunt, conſeruarunt, ac conſeruant. Et quoniam Societas cum Patre & Filio, non poteſt ſubſiſtere niſi per voluntatum vnionem, quæ eſt caritas & tribuitur Spiritui Sancto. Nam *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus no-* *Rom. 5. 5.* *ſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, Ad Romanos 5. Procedit enim ab illis, ceu donum & nexus, & vnio, & *ſocietas* ambarum, idcirco huius quoque ſocietatis perſona cenſetur. Eapropter illam Paulus nominat *ſocietatem Spiritus*. Per quam tam amanter & efficaciter ſuos obteſtatur bonus ille ſocius. *Siqua conſolatio in* CHRISTO: *ſi quod ſolatium caritatis: ſi qua ſocietas Spi-* *Ad Philip. 2. 1.* *ritus: ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem caritatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum.*

Cauſſæ ſocietatis. Ex his cauſſæ huius ſocietatis deducendæ ſunt. Eſt enim *Efficiens*, & implens, vt etiam moderans, Deus Pater. Hic ſenſus Pauli, qui priore ad Corinthios 1. *1. Corin. 1. 9.* Fideles, inquit, Deus, *per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii eius* IESV CHRISTI.

Per

Per Deum enim Patrem intelligit, illum de quo Chriſtus Ioan. 6. *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Quæ verba Pauli notat Hieronymus contra Arianos facere, qui minorem eſſe Filium volunt, quod per ipſum omnia facta dicantur, quaſi particula *Per*, inſtrumenti, aut miniſtri actionem ſignificet: cum hoc ipſum cadat in Patrem, per quem in ſocietatem Filii vocati ſumus. Sic enim, Pater quoque, Miniſter Filii dicendus eſſet. Idem monet Theodoretus, Chryſoſtomus, & apud Oecumenium Photius. Cauſſa autem *meritoria* eſt Filius, de qua Ioannes: *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis CHRISTI Filii emundat nos ab omni peccato.* Cauſſa *Formalis*, quæ hanc ſocietatem conſeruat, nectit, & animat eſt Spiritus Sanctus, per quem diffuſa eſt caritas in cordibus noſtris. Finalis eſt fruitio bonorum omnium communium, & beatitudinis adeptio. *Materialis*, circa quam ſors principalis: de qua poſtea. *Materia ex qua*, ſunt Perſonæ, nimirum fideles Chriſtiani. Societatis nomen Paulus euulgauit: in Priore ad Corinthios. 1. 9. *Fidelis DEVS per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii eius IESV CHRISTI.*

Ioan. 6. 44. *1. Ioan. 1.*

ERGON' dicis, omnes ſocietati Ieſu adſcripti ſunt? Profectò eſſe deberent, quicumque inter Chriſtianos nomen profitentur ſuum: Ergo, etiam IESVITÆ? etiam, vt opinor. Nam *Chriſtianus*, & Ieſuita differunt, ſicuti CHRISTVS, & IESVS. Cur igitur, veſter ordo, inquit non nemo, proprium facit, quod commune eſt. Quod tibi nomen, qui id obiicis. Titius vocor, ait, cur tu proprium tibi facis, quod ab omnibus vſurpari poteſt, omnes ita vocari quid prohibet? Legiſti ne Inſtitutiones Iuſtinianæas? In iis libro ſecundo initio hæc habentur. Quædam naturali iure communia ſunt omnium, quædam publica, quædam vniuerſitatis: quædam nullius: pleraque ſingulorum. Communium autem bonorum ea eſt ratio, vt iis recte vti frui poſſit quilibet, adhibitis iuſtitiæ cautionibus, vt patet in vſu aëris, aquæ, viarum.

An fideles omnes ſocietatis Ieſu. NOTÆ.

Siquis *Societatis IESV* nomen ſibi arrogaret, quaſi non alii eſſent de hac ſocietate: id eſt, de Eccleſia: quemadmodum Donatiſtæ penes ſe ſolos iactabant eſſe Eccleſiam, temeritatis, atque arrogantiæ merito incuſandus eſſet.

Non item primi ordinis noſtri Patres, viri religioſi, qui quod commune erat omnibus, proprium ſibi peculiari quadam ratione eſſe voluerunt, pietatis, patrocinii, & modeſtiæ, ac imitationis ſtudio, non improbæ ſuperbiæ, aut ſeceſſionis hæreticæ. Quod in aliis quoque familiis religioſorum, qui à ſimilibus æque communibus titulis denominationem ſumpſerunt obſeruari poteſt. Sic à Trinitate quidam dicti. A Chriſto alii. A Ieſu, *Ieſuita*, quos imperitè, Fumus, Abbas, Scandeoneus cum Ieſuitis confundunt. Sic & Rauennæ Collegium eſt *Boni Ieſu*: & aliud Ieſu Chriſti apud Anglos Oxomenſes: ac in Luſitania, *Milites Ieſu Chriſti*. Romæ flores ſodalitas *Saluatoris*, & *Diuini Amoris*; quo nomine primi fundatores regularum ordinis, qui poſtea Theatinorum eſt nominatus, vocabantur, vt auctor eſt Diegus Payna. Prædicatorum ordo ſingularis eſt, & in Eccleſia illuſtris: nomen commune omnibus, qui concionandi munere funguntur. Quid ergo mirum, ſi peculiaris aliqua familia, Societas IESV nuncupetur: quamuis, ſi magis vniuerſe accipiatur, ſi multorum aliorum congregatio.

Lib. 1. orthodox. expoſ.

Membra ſocietatis. SIQVIDEM, quicumque vere Dei Patris,& Filii,& Spiritus Sancti eſt ſocius, membrum cenſetur huius ſodalitii. Quod ſi quis cum horum aduerſario contraxit, ad hanc ſocietatem minimè pertinet. An ne tales aliqui inter illos etiam qui Chriſtiani nomine gloriantur? Reor equidem eſſe, & numero plures, quam qui Dei ſocietatem adamant, & in eam ſunt relati. Reperiuntur enim plurimi *fratres draconum*, & ſocii ſtruthionum, vt eſt Iobi 30. *Iob.30.29.* Quod quidem alio ſenſu de ſe ille patiens vſurpabat: ego ad illos refero, quibus eſt pactum, non cum Deo: ſed cum draconibus, barbaris, efferatiſque hominibus, qui non niſi ad contentiones, rixas, pugnas, duella, venenata verba, impia facta, fraternitatem colunt, crudeles, ſicut *ſtruthio in deſerto* Threnorum 4. De multis vaticinatus eſt Iſaias, *Iſa.1.23.* *ſocii furum*. *Eccl.6.10.* Plurimi ſunt, de quibus Eccleſiaſticus: Eſt autem amicus, ſocius menſæ, cui omnis religio, aut pietas in patinis. Sunt, qui cum tenebris ſocietatem inierunt. *2.Cor.6.14.* Quæ autem ſocietas luci ad tenebras? CHRISTI cum Belial? Deus lux eſt παμφαὴς: non admittit tenebrarum conſortium, & huius ſocios, tenebriones. Sunt ſocii criminum, laſciuiæ, luxuriæ, vanitatis, impudentiæ, ſocii nebulonum, ſcurrarum, ardelionum, aleatorum, lurconum: denique ſocii dæmoniorum. Nolo autem (verba ſunt optimi Eccleſiaſtæ) *vos fieri ſocios dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere & dæmoniorum.* *1.Cor.10.20.* prima ad Corinthios 10. Vbi S.Chryſoſtomus paternam Apoſtoli beneuolentiam, ac ſolicitudinem: quaſi dixiſſet: Nolo vos quicquam habere cum dæmonibus. Illi ſerui ſunt, infames, damnati, vincti, qui in tolerando ſeruantur ſupplicio: & ſunt obnoxii malis innumerabilibus. Vos vero adoptione filii paterna, ac regia menſa dignati. Quare nolite in eam ſocietatem coire, quæ Dæmonium auſpiciis inſtituitur.

Sors principalis in ſocietate. PERSONAS ſocietatis dedimus. Sed quænam eſt, ſciſcitabitur quiſpiam, pecunia, opera, aut induſtria, quæ ſocietatis eſt fundamentum. Ad huius rei intellectum ſcire conuenit ſocietatem ita fere inter mercatores inſtitui. Conueniunt duo, aut plures, quorum ſinguli, vel quidquid in bonis habent in commune conferunt; & hæc dicitur ſocietas bonorum omnium: vel certam aliquam partem: verbi cauſſâ: mille aureos. Vel vnus aliquis pecuniam in commune confert, alter operam ſuam. Summa autem, ſiue prima pecunia, quæ ab initio in ſocietatem confertur, vt inde lucrum fiat, dicitur *ſors principalis*, ſiue *capitale*: quia reuera eſt id præcipuum, quod ad ſocietatem deducitur, vt quartum pariat, & ex ea ſocii lucrum comparant. Vnde operæ, vel induſtria, quam vnus è ſociis collocat non cenſetur ſors, quia non à principio ea in commune confertur, vt fructum reddat, ſed à principio ad finem vſque adhibetur.

Quis dos ſortem capitalem. Iam vero facile eſt diiudicare, quis in ſocietate, de qua agimus, ſortem principalem, ſeu capitalem ſummam conſtituerit. Cum enim homo à principio egens, nihil plane habuerit, eiuſque omnis facultas, quæ deinde acceſſit Chriſti meritis nitatur. Dicendum omnino erit. Chriſti Domini actiones theantricas, ac infiniti precii: potiſſimum verò, totius vitæ ærumnas, paſſiones, anguſtias & calamitates: illam denique extremi temporis triſtitiam, mortiferumque mœrorem, quoniam fuiſſe, in qua ſocietas hæc primo fundata ſit. Ideò ſingulari quadam prærogatiua *ſocietas Filii* nominatur, in priore ad Corinthios, quia ipſe ſortem principalem poſuit.

Quid homo. Cui deinde nos aliquid: at quantulum? parum quidem illud, aliquid tamen

pro

pro virium tenuitate noſtratum adiungere debemus, ſi communi quæſtu, & ſocietatis commodis frui voluerimus. Quid autem illud? Certe, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*. Sunt opera bona in Chriſto: hoc eſt, eius gratia, & interno ac viuifico influxu dante incrementum, facta: tam perſequutiones patienter toleratæ: triſtitia ſecundum Deum ad pœnitentiam: adflictationes corporis, fletus, ploratus, lacrymæ, quarum nihilominus, quam vnionum eſt precium. An idcirco lacrymarum ſymbolum vniones ſunt & margaritæ? Ex his in æternum coniectis pecunia illa conflatur, quæ ſocietatis huius eſt baſis: & qua in immenſum acceſſione quotidiana aucta debitum, quod cum Deo contraxeramus, exſoluimus, & nobis in cœlo firmam, iucundamque manſionem coëmimus.

conferat ad ſocietatem.
1. Cor. 3. 5.
2. Cor. 7.

Ex quibus illud peropportune deducatur. Societatis huius titulo niti tum illam Sanctorum communionem, quam Chriſtiani omnes ex Apoſtolorum ſymbolo confitemur: tum infinitum Eccleſiæ theſaurum ex ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum coactũ: ex quo tam liberaliter pro pœnarum debitarum perſolutione, ſiue eorũ, qui in purgatricibus flãmis expiantur, ſiue in hac vita ſufficientem ſatisfactionum cumulum non habent, egentibus neceſſaria ſubminiſtrantur, & tum per indulgentiarum applicationem, tum propria cuiuſque deſtinatione expenduntur. Quia enim ſocii ſunt omnes Chriſti fideles caritatis vinculo colligati, licet vnus alteri mereri non poſſit de condigno, vt in ſcholis loquimur gratiam, vel gloriam, quoniam meritorius operum valor ſemper nobis ipſis applicari poteſt, tamen pro ſocio ſiue viuo, ſiue mortuo poteſt tam perfectè ſatisfacere, quam ſibi mereri beatitudinem.

Sanctorum communio nititur titulo ſocietatis.

Quocirca Paulus Apoſtolus: *Gaudeo*, inquit, *in paſsionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*: Ad Coloſſenſes primo capite. Quo loco, nomine, paſſionum Chriſti, intelliguntur illa ipſa, quæ patiebatur pro nomine Chriſti, vt vtilitati Eccleſiæ applicarentur: Vt ingenioſe aduertit S. Auguſtinus Enarratione in Pſalmum 61. Vbi: *Patitur*, ait, *Chriſtus in membris ſuis: id eſt, in nobis ipſis, ad communionem hanc quaſi rempublicam. Vnuſquiſque enim noſtrum pro modulo ſuo exſoluimus, quod debemus, & pro poſſe virium noſtrarum, quare canonem paſsionum inferimus paratoria plenaria*. In qua ſententia, paſſiones ad communem reipublicæ vtilitatem vocat Auguſtinus, opera, quæ pia ſunt, ac laborioſa: ex quibus in communi theſauro Eccleſiæ, tanquam ſocietatis arca, aut ærario aliquid reponitur, poſtea diſtribuendum, velut è communi pecuniæ maſſa. Quod ſignificant voces, *plenaria paratoria*: quæ denotant vas, vel domum, in quam multa pariter, & apud ſocios ſolet fieri inferuntur. Quod notat S. Thomas lectione 6. in cap. 1. Epiſtolæ ad Coloſſenſes.

Paulus implet quod deeſt.
Ad Coloſſ. 1. 24.

Ex iiſdem & illud obſerues: vt in ſocietate vnius bona ſunt, & dicuntur alterius: ita & hic contingere: *Gaudeo*, inquit, Paulus *in paſsionibus Chriſti*: loquebatur autem de iis, quas ipſe ſuſtinebat: Ita alibi: *Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. Agit de calamitatibus pro Chriſti nomine toleratis, & vocat illas Chriſti: quoniam, quæ iuſti, tanquam ſocii pro Chriſti nomine patiuntur ad ipſum Chriſtum pertinent: qui in ſuis ſociis, ac membris patitur. Quare & Chriſtus iuſtum, tanquam ſe alterum habet. Notum illud ex actibus Apoſtolicis: *Saule, Saule quid me perſequeris*? cùm tamen non niſi ſocios perſequeretur.

In ſocietate ſunt bona communia.
1. Cor. 1. 5.
NOTÆ.
Actuum 9. 4.

Porro, ſocietate inita, illud eſt perquam neceſſarium, vt inter ſocios ſit commodorum æque, ac incommodorum: laborum; ac voluptatum: triſtitiæ & gaudii

Participatio commodi & incommodi.

quædam communio, quamdiu ſocietas durat & negociationi eſt inſiſtendum: grauiter omnes operam impendant, nemo laborem defugiat: nemo criminoſæ negligentiæ arguatur: alioqui dum ad lucri diuiſionem ventum fuerit pro culpæ modo lucri parte priuabitur. Sciunt autem Iuriſperiti ſocios ex dolo, lata, & leui culpa teneri: vt habetur Inſtitutionibus *tit. De Societate*: §. *Socius ſocio.* Et L, *cum duobus*, §. *Venit.* & Leg. *Socius ſocio. Digeſt. pro ſocio.*

Participatio lucri. Hanc commodorum & incommodorum, participationem Chriſtus in Euangelio hodierno edicit: *Plorabitis, & flebitis vos: mundus autem gaudebit. Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Ad finem, dum fructus, & lucra diſtribuenda, totius quæſtus participes eritis. *Vos nunc quidem triſtitiam habebitis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Hoc argumento Chriſtianos ad conſtantiam hortatur Paulus: *Siue autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute: ſiue conſolamur pro veſtra conſolatione: ſiue exhortamur, pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earundem paßionum,*
2. Cor. 1. 7. *quas & nos patimur, vt ſpes noſtra prima ſit pro vobis: ſcientes, quod ſicut ſocii paßionum eſtis, ſic eritis & conſolationum*: Poſterioris ad Corinthios primo capite. Quibus inculcat fidelibus, vt certam perſuaſionem habeant, fore, vt aliquando iucunditatis, & voluptatis integerrimæ participes ſint, ſi aduerſa tolerando perpeſſionum ſocii fuerint.

Scandalum paruulorum. Nam reuera, vt ibi grauiter commentatur Ambroſius: *quamuis futura credant fideles; tamen inter ipſa primordia preſſuræ nouelli faciunt ſcandalum: putant enim inanem eſſe promißionem, ſi vi oppreſſum viderint prædicantem. Sed ſibi iam firmus eſt credens, compatitur ſuo magiſtro, fidens de ſpe futura, & ſimul conſoletur, cum quo & compatitur.* In eandem ſententiam Photius apud Oecumenium *Hoc*, ait, *nouimus, quod, ſicut participes eſtis tentationum, ita quoque neceſſe erit vt ſitis participes & conſolationis*: id enim ſocietatis initæ iura exigunt. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

Societatis vis ad magnanima. Eodem incitamento vtitur Apoſtolorum Princeps, vt ſibi ſubiectis ad patientiam calcar addit. *Communicantes Chriſti paßionibus, gaudete: vt & in reuelatione gloriæ*
1. Petr. 4. 13. *eius gaudeatis exultantes.* Quaſi dicat: Eia alacres ſocii, non tantum patienter tolerate res diuerſas, quod eſt laudabile: non ſolum libenter, quod glorioſius: ſed, quod heroicum, & generoſiſſimum, hilariter: quaſi communicaueritis paſſionibus Chriſti: ſi ſimilia toleraueritis, certo certius ex ſocietatis pacto, gaudii nunquam finiendi ſocios vos aſciſcet: laborum participationem, regni ſequetur ſo-
Lucæ 22. 28 cietas: vt, qui cum ipſi permanſerint in tentationibus, cum ipſo edant, & bibant,
2. Tim. 2. 2. Lucæ vigeſimo ſecundo: vt conuiuant, & conregnent, ſecundæ ad Timotheum,
Ioan 17. 24. ſecundo: vt vbi eſt ipſe, illi ſint, Ioannis ſeptimo decimo.

Communicatio Chriſti paſſionibus. Sed communicandum prius eſt Chriſti paſſionibus: quod fit, vt Carthuſianus egregiè exponit: *Primo*, eas in noſtro corpore aſſiduè per imitationem deferendo: corpus proprium in operibus pœnitentiæ affligendo: ieiuniis macerando: ci[illegible] conterendo: flagellis incidendo: & aliis ærumnis ac tribulationibus pro Deo
2. Cor. 5. Ad Ph. 1. [illegible] exponendo: Vt dicere poſſit cum Paulo: *In omnibus tribulationem patimur: ſed non anguſtiamur: ſemper mortificationem Ieſu in corpore circumferentes. Et, in omni fiducia magnificabitur* CHRISTVS *in corpore meo, ſiue per vitam ſiue per mortem. Secundo*: gaudendo ob ſummos & multiplices paſſionum CHRISTI: quia per illa placatus eſt Deus, liberatum genus humanum à morte æterna, purgatum à macula peccati, particeps factus homo gratiæ in præſenti, gloriæ in futuro: & ſpiri-

Digitized by Google

& ſpiritus maligni victi, fugati, & in imam relegati abyſſum, ibique rudentibus ita adſtricti, vt ſeſe contra ſocios fideles commouere amplius non poſſint. Abſit itaque nobis gloriari, & gaudere, niſi in cruce Domini noſtri. *Tertiò*: de imitatione cruciformi lætando, ſicut Apoſtoli ibant gaudentes, à conſpectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Ieſu contumeliam pati. *Act. 5. 41.* *Quartò*: ex merito Paſſionis Chriſti, & imitatione eiuſdem, beatitudinem exſpectando, ſecuri de conuentione; Si ſocii paſſionum erimus, erimus & conſolationis. Si commortui fuerimus, & conuiuemus. Si ſuſtinuerimus, & conregnabimus. *Quintò*: Paſſionem Dominicam cotidiè mente recolendo, cogitatione verſando, meditatione pia guſtando: Oculis internis nunquam non contemplando: *Aſpicientes ſemper in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Atque* idcirco *in dextera ſedis Dei ſedet.* *Heb. 12. 2.* *Recogitate* itaque *eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* O Domine! *Memoria memor ero: & tabeſcet in me anima mea.* *Thren. 3. 20.* *Sextò*: Martyrium etiam, ſi offeratur ſubeundo, & ſanguinem omnem libenter, quanto magis ſudorem, in eius honorem profundo. Ad hoc enim ex contractu ſocietatis obligati ſumus.

Rerum omnium ſocietas inter Deum ac hominem.

CETERVM non eſt exiſtimandum, inter Chriſtum & nos, Deum ac homines Negociationis tantum, vt ſic loquar, ſocietatem intercedere: & præterea inter eoſdem ſocietas conuictus, armorum, officiorum, vitæ, rerum denique omnium. Cum illum, tanquam Ducem, cui auxiliares ſocii militamus: tanquam omnium officiorum noſtrorum participem: tanquam ſponſum, cum quo indiuiduam vitæ ſocietatem inimus: tanquam patremfamilias, cum quo ſub eodem tecto degimus: tãquam illum cum quo non ſolum, ſed & in quo, ac per quem viuimus, mouemur, ſumus, agnoſcamus. Quantus ille deberet nobis eſſe ſtimulus, quoad virtutum omnium officia, magno excelſoque animo exequenda incitaremur. Exigit enim ſocietatis huius omnimodæ arctiſſimum vinculum, vt inuicem, & cum capite noſtro nexi dexteras coniungamus: Principis ſocii hoſtes, qui tenebrarum ſunt principes, capitalia vitia, aduerſarias omnes affectuum prauorum poteſtates expugnemus: ditionem illius, quæ animabus conſtat amplificemus: voluntati ipſius quam accuratiſſimè nos accommodemus. Socii agunt inter ſe libenter, ægrè ſeiunguntur arcana communicant, & res quaſlibet alias: collætantur, & condolent ſecundis aduerſiſque. Iidem nobis affectus erga Deum, iidem erga proximos ſuſcitandi ſunt, & alendi. Ad quod plurimùm valet ſacramentum *κοινωνίας* ſeu, communitatis, ac ſocietatis: quomodo Euchariſtia in ſacris litteris appellatur: dum enim CHRISTO nutrimur, admonemur, vt nos intimè cum illo coniungamus, & inter nos non ſecus, quam coniurati, eundem potantes ſanguinem, vt olim mos erat, conſpiremus. *Saluſt. Catilina.* Vtraque in fortuna fidus ſocius, ſocium ſe præbet. Si ſocii paſſionum Chriſti erimus erimus & glorificationis: & congaudebimus gaudio ſociorum: *Philip. 1. 7.* ſuſcipiemusque in caritate, quos ſocii commendant, vt ſuos monet Paulus. *Ad Philemo. 17.*

Deuoti ſunt ſocii.

Sociorum autem conditiones omnes, præ ceteris, conuenire iis, qui ad vnionem cum Deo, per aſſiduas de diuinis contemplationes peruenire nituntur, & eccleſiaſtico vocabulo dicuntur DEVOTI, ab aliquibus myſtici declarat myſtices peritiſſimus Dionyſius Carthuſianus Commentario in primam Ioannis Epiſtolam vbi hunc in modum diſſerit.

Digitized by Google

Sociorum conditiones. Quia ex creaturis ad Creatoris cognitionem aſcendimus, ſaltem in multis, penſemus quid ad ſocietatem pertineat in rationalibus creaturis: vt ſic clarius innoteſcat, qualiter cum DEO ſocietatem habeat Chriſtianus deuotus. Socii appellantur, qui libenter ſunt ſimul & familiariter colloquuntur: ſeparationis quoque ſunt impatientes: atque ad ſpecialem vnionem adſpirant; qui & ſecreta ſua ſibi inuicem pandunt, fidelitatem ſimul conſeruant: de mutua iucundantur præſentia, & in actibus ſuis communicant: quoniam eadem libenter ſufficiunt: imo ſibi inuicem cooperantur, & mutuo opem impendunt, vt vnus proſperitatem cupit alterius. Ita reuera verus, & deuotus Chriſtianus libentiſſime eſt cum DEO, cum Pſalmiſta proteſtans: *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Et item; *Adhæſit anima mea poſt te.* Et inter DEVM & talem Chriſti fidelem eſt familiare, aſſiduumque colloquium. *Pſal. 72. Pſal. 62.* Ipſe quidem vbertim affatur Deum, orando, & meditando ſalubria, ſciens, Chriſtum dixiſſe: *oportet ſemper orare*, & non deficere Lucæ 18. Atque Apoſtolum Paulum ad Theſſalonicenſes quinto: *ſine intermiſſione orate.* Deus quoque alloquitur eum per diuinos inſtinctus, per illuminationes & vnctiones internas, per ſacras ſcripturas, & per inſpirationes angelicas.

Talis denique Chriſti fidelis, ſeparationis à DEO eſt impatiens: mallet namque totum mundum amittere, & occidi, quam per peccatum è DEO ſeparari; quia incomparabiliter ſuper omnia toto corde diligit Deum. Imo, dum gratioſam Dei præſentiam, dum alloquutionem internam, & diuinæ familiaritatis ſigna non experitur, ingemiſcit, & animo conſternatur, ne forte DEVM offenderit, & ab ipſo relictus ſit.

Idcirco ad vnionem cum Deo adſpirat, & ei ſemper vicinus vniri molitur. DEVS quoque multis modis allicit eum ſibi. Inſuper, benigniſſimus IESVS, & deuotus CHRISTI fidelis ſecreta ſua ſibi inuicem manifeſtant. Chriſtianus namque iuxta Ieremiæ oraculum, effundit ſicut aquam cor ſuum in conſpectu Domini Dei ſui, vt dicitur Threnorum 13.

Et Deus, per vnctionem ſuam de omnibus edocet eum, vt eſt primæ Ioannis ſecundo: ac ſæpe incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ ei reuelat Pſalmo quinquageſimo. Cum & Chriſtus diſcipulis dixerit: Omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis Ioannis quinto decimo.

Talis quoque Chriſti fidelis fidelitatem conſeruat cum Apoſtolo Paulo exclamans, ad Romanos 8. Quis me ſeparabit à caritate DEI. Vitat etiam carnales, & mundanas affectiones, & animam ſuam cuſtodit, ne per peccatum mortale proſtituatur Diabolo, & eius fiat adultera, ſed cæleſtis ſponſi permaneat ſponſa & ſocia. Deus vero nequaquam eum relinquit, niſi prius relinquatur ab eo. DEVS item, & talis Chriſti fidelis de mutua gloriantur præſentia. Siquidem, delitiæ DEI ſunt, eſſe cum tali filio hominis Prouerbiorum 8. qui & ipſe delectatur in Domino, & renuit conſolari anima eius ſine illo Pſalmo 76. Inſuper agendo communicant: id eſt, libenter eadem agunt. Quemadmodum enim Deus ſeipſum inceſſabiliter intuetur, ac diligit, iuſtitiam amat, pietatem exercet, bonitatem ſuam communicat aliis, vniuerſos ad ſalutem hortatur, inimicis beneficia multa largitur. Sic talis Chriſti fidelis ſummæ, & increatæ veritatis contemplationi, & infinitæ bonitatis dilectioni libenter intentus eſt: iuſtitiam zelat: pius & liberalis exiſtit: dona gratiæ ſibi collata aliis munificenter impartit: omnium cupit ſalutem: aduerſarios diligit, & bona rependit pro malis.

Amplius

Digitized by Google

Amplius DEVS, & talis fidelis Chriſti ſibi mutuo cooperantur. Nam Deus operatur per eum: opem illi impendit, & eum tuetur. Ipſe quoque eſt Deo cooperans dupliciter. Primo, in ſeipſo, quia diuinæ inſpirationi acquieſcens, iuxta eius viuit directionem. Secundo, in aliis, eos ad conſentiendum obediendumque exhortans: propter quod aſſerit Paulus, Dei cooperatores ſumus, ad Philippenſes ſecundo. Poſtremo: Deus homini Chriſti fideli cupit veram proſperitatem, beatitudinemque perpetuam. Ipſe etiam Deum ab omnibus honorari, atque glorificari toties optat præcordiis. O quanta eſt rationabilis creaturæ iſtæ nobilitas, habere cum diuina natura conſortium: atque cum proprio Creatore Societatem ſortiri, ac poſſidere. Sed heu! homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus Pſalmo 48. & per ſpiritualia, atque carnalia vitia plurimi ſe dæmonibus, beſtiiſque aſſociant, & conformant. Quorum vanitatem, vilitatem, atque peruerſitatem vitantes ſtudeamus modis prætactis ſocietatem habere cum Deo, qui ſicut Geneſis 33. legitur, dixit ad Iacob Ero ſocius itineris tui. Non potuiſſet accuratius deſcribi ſocietas myſtica hominum cæleſtibus ac diuinis contemplationibus deditorum, quam his deuoti Carthuſianenſis verbis, quibus conuenientia ſocietatis diuinæ cum humana eſt graphice depicta. *Societas varijs modis finitur.*

VERVM, eſt quoque inter illas diſcrimen multiplex. Et quidem ſocietas cum DEO & Chriſto à ſocietatis humanæ contractu in modo potiſſimum, quo finiri ſolet, differt, ne longum faciamus. Iure communi ſocietas quinque fere modis dirimitur. *Primo*: renuntiatione. Inſtitutis *de ſocietate*. §. *Manet*. Nimirum, dum voluntate, & conſenſu vtriuſque renuntiatur contractui. Siue expreſſe: quando ſocii ſpecialiter ſocietatem ex communi conſenſu diſſoluunt: ſiue tacite; quando ſocii ſeparatim ſimul agere & negociari cœperunt: id eſt, quiſque ſibi, *L. Itaque cum ſeparatim, Digeſt. Pro ſocio.*

Hic ego multorum inſaniam cum ſingulari improbitate coniunctam ſæpe admirari, ſed execrari ſoleo, qui ſocietati cum Deo in ipſorum tantum vtilitatem contractæ, tam intempeſtiue, ac nequiter abrumpunt; cum Deus illam integram, inuiolatamque ad extremum vſque conſeruari vellet. Tales ſunt imprimis omnes, qui ab Eccleſia Catholica atque orthodoxa ſe ſegregant. Nec enim cum Deo ſocietatem quiſquam habere valet, recte pronuntiat Beda venerabilis, qui non vnitur Eccleſiæ prius ſocietati, fidem diſcens, eiuſque ſacramentis imbutus, quam diſcipuli perceperunt à Domino. *Multi ſponte deſerunt ſocietatem Dei.* *Ioan. 1. 3.*

Nam veriſſime Cyprianus ſcripſit Epiſtola 3, & lib. de vnitate Eccleſiæ: Quod non poſſit habere DEVM, Patrem, qui non habet, vel non agnoſcit Eccleſiam matrem. Quo fit, vt qui eiiciuntur, vel abſcinduntur ab Eccleſia, nominentur Excommunicati, qui illi communione iſta, & ſocietate priuati, perinde, vt detruncatus ramus, aut membrum, humore vitali deſtitutum.

HÆRETICVS, & quiuis Apoſtata religionis Chriſtianæ renuntiat huic ſocietati, & ſeipſum extrahit, abiicit enim fidem, non Chriſtianus, verus amplius multo minus Ieſuita. Riſum mihi mouit quidem Prædicans, qui anno ſuperioris ſeculi octuageſimo tertio, in Thuringia Lutheranos ſuos, edito libello, IESVITAS veros eſſe, ſicque vocari eos aſſerebat. Noſtri ordinis homines quomodo? fortaſſe *Eſuatos*. Felix ſocietas ſi non in India ſolum, ſed & media Thuringia ac Saxonia domicilia conſtituat, & tot bene paſtos ſocios inueniat, ac cereuiſia ſaginatos. At non eſt de ſocietate Ieſu, qui non eſt ex ſocietate Eccleſiæ vt Hæreticus, Excommuni- *A ſocietate diuina excluſi hæretici.*

Digitized by Google

municatus quoque expellitur, ab hac ſocietate tanquam lue infectus, à quo reliqui merito ſe ſegregant: licet fidem retineat. Infidelis ac Iudæus, nunquam ad hanc ſocietatem admiſſi ſunt. Hos Eccleſia pellicit ad ſocietatem communem: ſed detrectantes non cogit. Secundi ordinis illos ſeparat ad tempus à conſortio, vt reſipiſcant, & admitti iterum petant ſuppliciter. Primos vt reuertantur ad ſociorum contubernium etiam cogit, ac pœnis compellit: nam dolo malo renunciarunt. Illud autem in contractu ſocietatis inuoluitur, vt ſi quis dolo renunciet, quo ſuis commoditatibus aut voluptati conſulat, à iure ſocietatis non liberetur, licet alii nihil ipſi debeant: & is quidem ſocios à ſe liberat: ſed ipſe à ſociis non liberatur. *L. actione*, §. *Diximus*: §. *Hæc ita. Digeſt. Pro ſocio.*

Peccantes mortaliter renunciant ſocietati. *1. Ioan. 1. 6.*

DEINDE, renunciant ſocietati diuinæ, quotquot vnitatis vinculum, caritatem Dei, ac proximi peccato mortali diſſoluunt. Si male agimus, etiamſi nobis de ſocietate DEI & Chriſti blandiamur, nobis, aliiſque imponimus. *Si dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Qui in tenebris ambulat infidelitatis, affectatæ ignorantiæ, prauorum affectuum, iniquitatis, peccatorum denique, quorum in tenebris eſt theatrum, quæ à tenebrarum principe ſuggeruntur, quæque tenebras inducunt in animam, ſocietatis huius non eſt particeps: ſi contrarium dicat, mentitur, & veritatem non facit. *Si autem in luce ambulemus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus μετ᾽ἀλλήλων, ad inuicem:* inter nos mutuam: nos cum DEO Patre, vt interpretatur Caietanus, & Ieſu Chriſto, cuius ſanguis emundat nos ab omni peccato.

Societas finitur morte.

IAM *ſecundo*, ſocietas inter homines lucri cauſſa contracta morte finitur: ſi vnus è ſociis vita decedat, *L. actione. Digeſt. Pro ſocio.* Quod quidem locum habet non ſolum in morte naturali, ſed etiam ciuili: vtpote, ſi ſocius maximam, & mediam capitis diminutionem ſit paſſus, *L. verum.* §. *Societas. Digeſt. Pro ſocio.* Vnde ſit vt ſocietas diſſoluatur, vno è ſociis religioſam vitam ſolenni voto profitente: aut ſtatus mutationem ineunte, de qua, *Inſtitutionibus*, Lib. 1. Tit. 16. Morte autem ita dirimitur ſocietas, vt communiter nec pacto ad hæredes tranſire poſſit. *Leg. Adeo*: & L. Nemo. *Digeſt. Pro ſocio.* Cuius rei hæc poteſt dari ratio: quia, qui ſocietatem init, certam perſonam elegit: plerumque autem contingit, vt hæres non ſit tam idoneus.

NOTÆ.

Mors non diſſoluit ſocietatem Dei.

SOCIETAS cum DEO contracta morte corporis non diſſoluitur, quoniam ille cum quo DEVS contraxit nunquam eſſe deſinit. DEVS enim ſocietatem habet bonorum non cum homine tantum, qua mortale eſt compoſitum: ſed cum anima quoque immortali, cui poſt hanc vitam ſua omnia communicat, dum ad diuinæ conſortium naturæ euehit. Diſſoluitur ea quidem ſocietatis ratio, quæ ad augenda merita inſtituta erat: aut etiam, quæ ad ſoluendum peccati pœnarumque debitum ſatisfactionis ære. Nam in altera vita nec meritum eſt, nec ſatisfactio: licet in igne purgante, ſit ſatis paſſio, quæ vim ſuam ex eiuſdem ſocietatis bonis habet: at non dirimitur vllo modo illa, quæ præcipua eſt, & in bonorum omnium participatione conſiſtit. Imo ſocietas hæc poſt mortem corpoream eſt multo perfectior.

Societas cum Deo poſt mortem perfectior. *2. Petri. 1.*

QVOD demonſtrat præclare laudatus antea Dionyſius, exponens illa S. Petri in ſecunda Epiſtola cap. 1. *Magna & precioſa nobis promiſſa donauit.* Habent, inquit, ſocietatem cum Deo, qui hoc agunt, quod ipſe, veritatem amando, ac contemplando, aliosque actus diuinos, ac Deo placitos exercendo, & ei intenti ſunt, eiuſque perfe-

perfectionem, ac beatitudinem aliquo modo participant, per quæ omnia Deo aſſimilantur. Hæc vero communio, aſſimilatio, atque coniunctio conſortium, ſeu ſocietatem efficiunt. Propter quod in Eccleſiaſtico dicitur: *Omnis homo ſimili ſibi aſſociatur*. Et quia communio, aſſimilatio, & vnio iam præfatæ cum Deo multo perfectius habentur in patria, quam in via: idcirco electi, & Sancti dicuntur Deo in cœlo perfectè aſſimulari, & conſociari. Propter quod in prima ſua canonica cap. 3. ſcribit S. Ioannes: *Similes ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*. Et alio loco idem aſſerit: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Quod exponitur de filiatione perfecta, quæ habetur per ſimilitudinem gloriæ, per quam electi fiunt conſortes diuinæ naturæ, & ſocietatem ſortiuntur cum Deo, eius beatitudinem vſque ad ſatietatem participantes, & ipſomet Deo beati pacifice fruentes, quo & nunc per dona gratiæ aliqualiter fruimur & inhærendo, atque ad eum alia cuncta finaliter referendo. *Ecc. 3.* *Ioan. 1.*

Mors igitur, quæ corporis & animæ eſt diſſolutio ſocietatem cum Deo non dirimit. Multo autem minus illa capitis diminutio, quæ corporaliter tantum ſeruum facit. Vna mors eſt, non quidem illa naturalis, ſed voluntaria: non ciuilis ſed infernalis: maxima illa capitis diminutio, quæ mortale crimen conſequitur, qua & ciuitatem & libertatem amittunt homines, ſocietatis huiuſce nexum abrumpit, & ad ſocietatem illi oppoſitam, Dæmoniorum perducit. Media autem capitis diminutio, quæ in excommunicatis aliquo modo cernitur, aqua & igni interdictis, è ſocietate eadem hominem deturbat. Sed maxime peccatum lethiferum. *Qua mors ob[s]it ſocietati.*

Quod ex antiquiſſimis Eccleſiæ Doctoribus docet Origenes Homilia 4. in Leuiticum, quam alii Cyrillo adſcribunt. Vbi cum oſtendiſſet, ſocietatem & conſortium nobis eſſe cū Patre, Filio, ac Spiritu Sancto, ſubdit hanc ſocietatem, nec non cum ſanctis, & cum angelis, de qua egerat, abrumpere, & eiurare, quicunque malis actibus ſuis, maliſque ſenſibus ab eorum coniunctione ſeparatur. Similis eſt doctrina Papæ Leonis, adiuncta admonitione: vt agnoſcentes dignitatem hanc noſtram, quæ diuinæ conſortes facti ſumus naturæ, Græce apud Petrum, vnde hæc ſumpta ſententia, eſt κοινωνοὶ ſocii, ſocietate naturæ ſimiles, nolimus in veterem vilitatem, ad quam nos originale peccatum, ac propria deinceps actualia reduxerant, & propter quæ factus homo Dei filius fuerat, degeneri conuerſatione recidere talis capitis, talis corporis membra. *Tertio*, in humanis ſocietas diſtrahitur fine atque exitu negociationis. Cum enim cauſſa negociationis contrahatur: eo ipſo illa finita diſſoluitur. *L. actione §. Si alicuius. Digeſt. Pro ſocio.* Dirimitur quoque, rebus quæ ſunt in commune collatæ omnino peremptis. Nam ſicut mortuis perſonis finitur: ita & rebus extinctis, *L. Verum*: *§. Societas. Digeſt. Pro ſocio.* Pereunte etiam communi, interit: nec cogitur, qui ſortem contulit, iterum aliquid in ſocietatem dare. Hæc in ſocietate cum Deo locū minime habent: cuius ſors principalis, quæ ſunt Chriſti merita, & ſatisfactiones infiniti precii in Dei ipſiuſmet ſinu, tanquam optimo & ſecuriſſimo reconditorio abditæ, perire nequeunt. Neque deſinit illa ratio ob quam hæc ſocietas eſt inſtituta: nimirum, vt meritorum negociatione finita, bonorum omnium inter ſocios, ſit communio: hæc enim in cœlis perfectiſſime contingit. Aliquid tamen ad finem in ſocietate Dei animaduerto, cum altera ſocietatis humanæ diſſolutione. *Peccatum ſocietatem turbat.* *Serm. de Natiuit. 2.* *Petr. 1. 4.* *Finitur ſocietas dum finis eſt negociationis.*

Siqvidem, *Quarto*, apud homines finitur ſocietas publicatione vnius ſocii. *L. Actione §. Publicatione. Digeſt. Pro ſocio.* Cui ſimile eſt: ſi vnus è ſociis ære alieno oppreſſus, *Bonorum publicatio finit ſocietatem.*

Digitized by Google

Bancarotti Decoctores. preſſus, ceſſerit bonis, vel decoxerit. Quod, qui faciunt, vulgo, ab officinæ trapezitarum ſcamno, quod Italis banco dicitur, *bancarotti* appellantur. Haud diſpari ratione, ſi quis bona ſua libidinoſe viuendo decoxit: vel ſi publicata ſunt, eique ablata, diſſoluitur cum Deo ſocietas, quæ bonis illis innitebatur. Publicantur autem, ac diripiuntur vniuerſa hominis bona, quoties peccatum aliquod mortale committit: Vnde inter alia peccatoris epithera, eſt etiam, decoctor, & Bancarottus. Eſt enim omnino certum, quod ad peccati mortalis deteſtationem plurimum facit. Si quis eſſet, qui à puero in ſocietate Dei enutritus, ad illam meritorum, & ſatisfactionum copiam perueniſſet, vt nulli ſanctorum inferior, ſummam, qui hactenus eſt datus vlli beatitudinis gradum mercari poſſet, illique, ob meritorum præſtantiam deberetur: ſatisfactionibus autem ſuis in ſocietatis theſauro reſeruatis, quia ipſe non indigeret, purgatoria receptacula non ſemel exhaurire poſſet, atque omnes, qui inibi torquentur, perſoluto precio liberare: nihilominus, ſi vel minimum peccatum mortale committeret, quale, quale tandem illud eſſet, bonis omnibus meritorum ſpoliaretur: ſicque finiretur ſocietas: &, quod inde neceſſario conſequitur, indignus regno, quod antea emere poterat, & æternis inferorum cruciatibus addictus: ſiquidem extra ſocietatem moreretur, nullum tot meritorum fructum in beatitudinis conſequutione perciperet, hominum egentiſſimus qui paullo ante fuerat ditiſſimus. Tantam vaſtitatem vnicum infert peccatum lethale: à quo, ſpero, quod vos tutabitur *Fidelis* DEVS, *per quem vocati eſtis in ſocietatem filii eius* IESV CHRISTI. *1. Corinth. 1. 9.*

NOTÆ.

DE CONTRACTV SOCIETATIS.

Agunt de contractu ſocietatis præter Iuriſperitos citatos, Theologi Scholaſtici in 4. Diſtinct. 15. S. Thomas 22. Quæſt. 78. Art. 2. S. Bernardinus, parte ſecunda, ſermone 39. Art. 2. Capit. 3. & ſermone 40. Articulo 1. & 2. S. Antonius, ſecunda parte *Tit.* 1. cap. 7. §. 37. Summiſtæ, verbo *ſocietas*. Leonardus Leſſius L. 2. cap. 25. Ioannes Malderus in ſecundam ſecundæ Tractatu 5. cap. 2. Dub. 9. & 10. Paulus Comitolus opuſculo de contractibus, & in reſponſis moralibus lib. 2. variis quæſtionibus. Fernandus Rebellus de iuſtitia & iure lib. 15. Ioannes Azor. Tom. 3. lib. 9. initio.

Apud Latinos vſitatum nomen, ſicut & *ſocius*, Plauto, *ſocienus* in Aul. Sociatrix gratia, apud Valerium. Flacc. Argonau. 5. *ſocio*, appono, iungo, necto, conſocio.

Vnus erat cum quo ſociare cubilia vellem.

Socialis amor, qualis ſociorum.

Quod Latinis eſt *ſocietas*, id Græci dicunt κοινωνία, quæ quandoque communio, quandoque communicatio vertitur. Eius Græce ac Latinæ communionis, cum in ſacris Bibliis occurrit, ex adiunctis reſtringebat. Aliquando enim, vt in ſymbolo Apoſtolico, vbi credere nos profitemur communionem Sanctorum, idem eſt, quod communicatio, & participatio fidelium in bonis ſpiritualibus. Aliquando in iure, præſertim Canonico, vndecima, quæſtione 3. deſignat obiectum, ſeu formam illam, qua priuantur excommunicati. Sed κατ' ἐξοχὴν ſumitur pro vſu ſacramenti Euchariſtiæ, ob vnitatem quam facit cum Chriſto. Vt ex auctoritate Damaſceni lib 4. cap. 14. docet S. Thomas tertia parte. Quæſt. LXXIII. Art. 4.

Vtitur

Vritur illa voce S. Paulus 1. ad Corinrhios 10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis, *κοινωνία* Chriſti eſt? Siue enim referatur ad diſtributionem, quemadmodum ad Romanos 12. 5. ſiue ad ſocietatem, & confœderationem, ſicur ad Galaras 2. Siue ad einſdem rei participationem, vt ad Epheſ 4. 4. veram ſignificar diſtributionem, ac patricipationem corporis Chriſti.

De nomine *κοινωνίας* erudita quædam congerit Exercitatione in Baronium 16. Numero 30. ſed cautè legendus, vt Grammaticus profanus.

De ſocietatis vocabulo accurata eſt diſputatio Iulii Nigronii Commentario in Regulas communes ſocietaris IESV, ad Titulum parte 3. vbi definit ſocietatem: Duorum pluriumve conuentionem initam ob aliquod commodum. Quod enim non poreſt vnus conſequi, aut repellere ob virium imbecillitatem, aliorum auxilio & obtinet & expellit. Quo ſpectant illa Salomonis Prouerb. 18. 19. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas prima.* Ex hoc fit, ſi coitio hæc referatur ad lucrum, & quæſtum per mercaturam conſequendam, vt exiſtat ſocietas mercatoria, in quam alii pecuniam, operam alii conferunt.

Deinde, diſputat: an à ſocietate mercatoria noſtro ordini id nomen ſit inditum: an potius à ſocietate militari, de qua nonnulla idem lectu digna.

Præter hæc, notaui Petrum Bembum vocare religioſorum, vel Eccleſiaſticorum contubernium ſocietatem lib. 1. Epiſtolarum nomine Leonis 10. Epiſtola 5. Ad Sigiſmundum Poloniæ Regem. Intellexi magna quidem cum moleſtia inter te, atque Albertum Marchionem, vt appellant Brandenburgenſem ſocietatis Marianorum Theuronicorum in Pruſſia Magiſtrum plurimas ortas diſſenſiones. Et lib. 6. Epiſt. 120. ſic inſcribit: Petrus Bembus Canonicis & ſocietati Eccleſ. Bergomat. Chriſtum Dominum ſocium noſtrum factum canit Eccleſia in Hymno ad laudes officii corporis Chriſti à D. Thoma compoſiti.

Se naſcens dedit ſocium.
Conueſcens in edulium.

Et in ſequentia ſacri

Tuos tibi commmenſales,
Coheredes & ſodales.
Fac Sanctorum ciuium.

Deum poſſe dici ſocium agnouerunt Ethnici. Cyro in expeditionibus ſub pugnam ſignum erat *Ζεὺς σύμμαχος ἡγεμὼν σωτὴρ*: Iupiter ſocius, Dux, Seruator. Vt habet Xenophon Lib. 7. Pædiæ: & ex illo Iuſt. Lipſius Lib. 4. de Militia Dial. 12.

Seneca Epiſtol. 31: Hoc eſt ſummum bonum, quod ſi occupas, incipis Deorum ſocius eſſe non ſupplex.

Epiſt. 42. Dei ſocii ſumus & membra. Epictetus Lib. 2. Diſſert. cap. 15. Det mihi aliquis Deum ex homine fieri cupientem: *Καὶ ἐν τῷ σωματίῳ τούτῳ τῷ νεκρῷ περὶ τῆς πρὸς τὸν Δία κοινωνίας βουλευόμενοι.* in corpuſculo iſtò mortali ſocietatem Iouis agitantem. Vide Iuſtum Lipſum Lib. 3. ad Stoic. Philo. Diſſer. 14. Homines fieri ſocios Dei & cooperatores quo nihil eſt diuinius, ſcribit Dionyſius Areopagita in Eccleſ. hierar.

Socii Chriſti ſecundum naturam eius diuinam ſumus & humanam. Societas initur cum per fidē, & pœnitentiā: quoniam peccata diuidunt à Deo Iſa. 59. 2. Communio hęc eſt cum Deo, tanquā Domini & ſerui: patris & filii adoptati: Illuminan-

Mm 3 tis.

tis & illuminati: iuſtificantis, & iuſtificati: regentis ac ſubditi: dantis, & accipientis: inuocantis & exaudientis: donantis munera, & gratias agentis: beatificantis, & beatificati. Denique vt adhærens DEO, vnicus ſit cum illo ſpiritus 1. Corinth. 6. 17. Et in luce ambulans ſicut ipſe & in luce ſocietatem habeat cum ipſo 1. Ioan. 1. 3.

Secundum humanam naturam cum Chriſto eſt ſocietas, vt Magiſtri ad diſcipulos: Sacerdotis ad eos, pro quibus ſacrificat, & interpellat: Soluentis pro alio pœnam debitam: & promerentis, ac conſequentis gratiam indebitam: gratias agentis cum aliis, pro quibus gratias agit: Regis ac ſubditorum.

Explicat ſacra ſcriptura ſocietatem huiuſmodi parabola paſtoris ac ouium Ioannis 10. Capitis ac membrorum 1. Corint. 6. 15. Cibi ac edentium Ioan. 6. 55. Vitis & palmitum Ioann. 15. 5. Notauit hæc Ioannes Heſſelius. 1. Ioann. 1. 3. Primæ ad Corinthios 1. 9. *Fidelis* DEVS *per quam vocati eſtis in ſocietatem filii eius* IESV CHRISTI *Domini noſtri.* Fidelis, πιστὸς, verax, conſtans, qui præſtat, quod pollicetur. Hanc autem ſocietatem interpretatur Chryſoſtomus ex ipſomet Paulo 2. ad Timoth. 2. 12. Si ſuſtinemus, & conregnabimus. Si commorimur, & ſimul viuemus. Alii exponunt: vocari in ſocietatem Filii, nihil eſſe aliud, quam vocari ad Chriſtum: quomodo & intelligunt illa 1. Ioan. 1. 3. Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum. Quam ſententiam indicat Ambroſius, qui docet ſocietatem filii non eſſe aliud, quam adoptionem filiorum DEI, qua ſumus quodammodo fratres Chriſti, qui ob hanc cauſam primogenitus in multis fratribus appellatur. Eius verba ſunt.

Hoc nobis donat, quod credimus, vt quia credimus Chriſtum eſſe filium DEI, hoc nos eſſe incipiamus: manſuri in eadem dignitate ſicut manet Chriſtus, quem credimus Filium DEI. Communio enim fraternitatis eſt, vt quomodo fidem DEI incolumem in hac cauſſa nobis futuram oſtendit, ita nos non diffitentes, & perfidi inueniamur, ſed perſeuerantes in adoptione.

Hæc ſententia placet Anſelmo, ac Primaſio, vt Apoſtolus gratuletur Corinthiis vocationem ad fidem & gratiam Chriſti, quia veluti adoptionis iure DEI filii, ac Chriſti fratres cenſentur. Vnde omnis diuinorum bonorum communio, & participatio ſperanda eſt.

§. HOMINIS *vita negociatio.*] De hoc egimus in notis ad comment. De contractu emptionis & in artifice ſymbolico. Tit. *Mercator.*

§. *An fideles omnes Ieſuitæ.*] De nomine Societatis Ieſu, agunt Apologetæ ordinis. Vide Martinum Delrio lib. 2. Diſquiſit. Magicar. Quæſt. 10. Nicolaum Serarium Tom. 1. Ioſuæ cap. 2. Q. 19. Franciſcum Turnan. Libro contra Petrum Boquinum Montanum contra Arnoldum Pariſienſem Rabulam. Clarum Bonarſcium in Amphitheatro honoris lib. 1. cap. 1. lib. 3. cap. 2. Iacobum Grezerum contra Lermæum cap. 1. & 2. Ludouic. Richeomum in Expoſtulatione apologetica.

§. CHRISTVS *iuſtum quemlibet, vt membrum ſuum, imo ſe alterum habet.*] *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Zachariæ 2. 8.

Ad illa Actuum 9. 4. *Saule Saule quid me perſequeris:* Petrus Bleſenſis ſermone de conuerſione S. Pauli ſcribit illa verba irati eſſe pro ſuis membris, in qua vt collata beneficia, ſic illatam iniuriam propriam deputat. Quo etiam modo, inquit, cum ex vrbe Roma fugere Petrus, & Chriſtus occurreret, quæſiuit, Domine,

quo

quo vadis? Cui Chriſtus: Romam, iterum crucifigi. Hoc de Petro ſemel, ac iterum narrat Bleſenſis, æqualis Innocentii 3. Pontificis. Gregorius in Pſalmum 4. pœnitentialem. Hegeſippus lib. 3. de excidio Ieroſolymitano. Abdias lib 1. Hiſtoriæ Apoſtolicæ. Anaſtaſius Apologia de fuga. Ambroſius in Auxentium de tradendis baſilicis. Linus in hiſtoria de morte Petri, & Pauli. Simile quid de Paulo, ſed ex apocryphis habet Origenes Tom. 2. in Ioann. nimirum dixiſſe Saluatorem, denuo debeo crucifigi. De Petro lege Baronium Tom. 1. Annalium, & Pagnuinum libello de 7. Eccleſiis.

Societas requirit communem viuendi morem. S. Auguſtinus lib. de doctrina Chriſtiana. Et habetur cap. *Quiſquis*. Diſtinct. 41. Quiſquis rebus reſtrictus vtitur, quam ſe habent mores eorum, quibuſcum viuit aut intemperans, aut ſuperſtitioſus eſt vbi Gloſſa. Vbi viuit quilibet conformabit ſe ſociis ſuis in cibis, & in moribus. Similia multa in hanc rem habet Thomas Sanchez. Lib. 3. de Matrimonio. Diſp. 18. Quæſt. 1. vbi diſputat, an perigrini teneantur legibus loci, per quem tranſeunt.

Societatis & κοινωνίας ratio in eo eſt, vt iiſdem omnes legibus accommodis vtantur communibus, pro ſua quiſque parte hi, qui ad ipſam ſpectant. Perinde, vt omnia corporis membra quamuis diſſimilia, communi totius potiuntur bono. Quique vel in mercatura, vel militia vocantur ſocii. vel in eadem domo familiares, aut etiam fratres.

Socius dicitur, qui pari conſilio, ſpe, periculo, rem aliquam cum altero aggreditur ἑταῖρος κοινωνός. Cicero Verrina 4. Socii putandi ſunt, quos inter res communicata eſt.

Socii Latini dicti olim coniuncti, etiam, qui extra Latium nati. Romani ſocios appellabant, quos ita fœdere coniunctos habebant, vt & belli & pacis eſſent participes, συμμάχους, quaſi commilitones, confœderatos. De his Iuſtus Lipſius, & Ioann. Valdrinus, vterque libris de militia Romana.

Sodales autem, vt Caio Iuriſconſulto placet proprie dicuntur, qui eiuſdem ſunt collegii, aut certe, qui rerum leuiorum, iucundiorumque ſunt participes.

Cum hæc recognoſcerem incidi in Bartholomęi Scobar conciones ſuper ſacrarum ſcripturarum hiſtoriis. Ex iis ſermo quartus in hiſtoriam Tobiæ inſcribitur, *De contractibus inter* DEVM *& famulos*. Et ex illo Iſaiæ 55. 1. *Audite audientes me; inclinate aurem veſtram, & venite ad me audite, & viuet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum*: colligit inuitari omnes, vt quicunque voluerit, cum DEO firmiſſimum ſocietatis iure contractum inire, nouerit autem tunc Deum ipſum omnia eius negocia, cauſſaſque adſumpturum. Sparſim deinde quædam miſcet, quæ ad hunc, aliosque contractus ſpectant.

Ex ſocietatis contractæ legibus argumentum ducunt Patres, dum docent quam ſit probroſum, bonorum contubernia, & maxime religioſum ſtatum deſerere. Baſilius in conſtitutionibus monaſticis cap. 22. Illud certiſſime tenendum eſt: eum, qui ſemel ſpiritualis fratrum ſocietatis coniunctione ſe deuinxerint, ab iis ſine ſcelere abſcindere ſe & ſegregare non poſſe. Si enim homines vbi ſe ſemel in coniunctionem fragilis huius vitæ dederunt, ab ea ſe amplius propter inita inter ſe fœdera ſeparare nequeunt: alioquin, qui id facit ſtatutis pœnis ſit obnoxius. Sine dubio multo magis, qui ſpiritualis conuictus fœdus inierit, cum ea vnio indiſſolubilis ſit, & perpetua, non licebit ſeiungere ſe, ac præcidere ab iis, quibuſcum veluti

uti vnum eſt corpus effectus. Alioqui ſi hoc facit, grauiſſimis ſe à Deo conſtitutis ſupplicijs addicit. Si enim mulier ad viri ſocietatem matrimonii lege prouecta, & vna cum eo copula carnali coniuncta, morte multatur, ſi fidem feſelliſſe deprehendatur: quanto is magis ſubiicebit grauiori pœnæ, ſi ſe abiunxerit, qui ſpirituali ſocietate copulatus ſit, teſte, atque ſequeſtro Spiritu Sancto, qui religioſorum fratrum corpori coniunctus, firmiore, quam ſit vinculum naturæ, tenetur compage: nempe, ex pacto, quod is cum Spiritu Sancto contraxit. Plura ad hanc rem ſuggerit Hieronymus Platus De bono ſtatus religioſi Lib. 3. pag. 657.

§. Ad *heredes non tranſit contractus Societatis.*] Dixi, *communiter*: quia id non eſt rerum in ſocietate vectigalium. Tranſit enim ad heredes, ſi ita conuenit, *L. Adeo*, L: *Verum*. §. In heredem. ff. Pro ſocio.

Finita ſociorum negociatione lucrum inter ſocios diuiditur, ex regulis iuſtitiæ ſiue commutatiuæ, ſiue diſtributiuæ. Quod exactè ſeruari docent Theologi in quartum Magiſtri Diſtinct. 46. Cum poſt vitæ huius nundinationem ſingulis à Deo, quicquid ex labore, operaque lucri acceſſit, id eſt, beatitudinem diſtribuet. Deum in reddendo iuſtis æternæ vitæ præmio, ſeruare modum iuſtitiæ diſtributiuæ illud demonſtrat, quod quantum meretur ſociorum quilibet, tantum gloriæ diſtribuat. Reddet namque vnicuique iuxta opera ſua: ad Romanos 2. 6. Quare illa erit proportio inter præmia, quæ redduntur à Deo, quæ eſt inter perſonas, quibus redduntur ratione meritorum, quod ſpectat ad iuſtitiam diſtributiuam, vel eius modum: quo cuilibet tribuuntur maiora, vel minora bona, prout perſona magis, minusve eſt digna.

Ceterum, quia iſta dignitas in iuſtis oritur ex meritis, non eſt propriè iuſtitia diſtributiua, niſi quo ad modum. Vnde cernitur in eadem diſtributione, quiddam iuſtitiæ commutatiuæ æqualem mercedem reddere æquali merito, perſonarum alia ratione minimè habita. Quod ſeruatur planè, dum iuſtis tanquam ſociis beatitudo adſcribitur. Siquidem data portio vnicuiq; ſecundum vniuſcuiuſque meritum 1. ad Corinthios 7. Secundæ ad Corinthios, 5. & Apocalyp. vltimo. Deinde Deus in recend. mercede promiſit ſe illam redditurum ſecundum valorem operum. Huiuſmodi autem promiſſio obligationem iuſtitiæ commutatiuæ inducit.

Cic. pro Roſc. Qui ſocium fallit in bonorum numero non eſt habendus. Lucan.

Nulla fides regni ſociis. ——

COM-

COMMENTATIO XXV.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM ex contractu inter Aduocatum & Clientem.

Dominica IV poſt Paſcha.

CHRISTVS ADVOCATVS. HOMO CLIENS.

In qua probatur, tum Spiritum Sanctum, tum Chriſtum Aduocatum & Patronum generis humani agere: perfectiſſimè autem conditiones omnes boni Aduocati Chriſto conuenire: Et quanta hinc fiduciæ & clientelaris ſeruitii obligatio.

Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Ioannis 16. 7.

Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. 1. Ioan. 2. 1.

DEVM IMMORTALEM rite hodie venerans, poſtquam ad aram diuina litaſſem hoſtia, mihi primum, vt propitium vellet eſſe diuinum Numen, caſta prece obſecrabam; deinde, viuis iuxta, ac defunctis fidelibus, pacem multiplici voto expoſcebam: tum auditoribus meis, quod frequenter facio, ab iis, didactri vice, idem poſtulans, benè eſſe, ac ſanam mentem in corpore ſano, non ſine ſuſpirio adprecabar. *Sanitas mentiſque.*

Hanc ſanitatem ita ego interpretor, vt ſit rationis, ac voluntatis, ad debita Deo obſequia præſtanda conſenſus, ac conſpiratio. Nimirum, vt intellectus, diſſipata ignorantiæ nebula: & diſrupto prauarum opinionum, de mundi fallacis proſperitate, & voluptatis æſtimatione, nubilo, veritatis æternæ ſolari illum penetrante radio, cognoſcat penitus, quibus ad famulandum ſupremo Domino: & ad eius ſe fingendum voluntatem, denique ad ſe totum illi tradendum obligationis vinculis adſtringatur, arctiſſimi profecto, & ex adamante catena firmioribus. Tum voluntas, quæ altera eſt partis ſpiritualis portio, expulſa primo criminum, tanquam noxiorum humorum, per vomitum confeſſionis, aut contritionis, veræque pœnitentiæ pharmaca, in animo hactenus latente congerie: deinde, expurgatis per cœleſtis contemplationis exercitationem, deſideriorum inanium, veluti præcedentis morbi reliquiis: poſtea exſiccatis, per voluptatum corporearum deſpectum, ceu per abſtinentium, ſuperfluorum quorundam adfectuum, quæ expelli primis remediis nequiuerunt, humoribus: tandemque ad caritatem, tanquam vitalem ſtomachi calorem fouendam roborandamque, ſumpto panis Angelici Euchariſtico electuario. *Intellectus*

Atque ita ad diuinitus animatas functiones idonea voluntas, nihil antiquius habeat, quam diuinis ſe mancipare obſequiis, & obligationi ſtrictiſſimæ, quam intellectus, lumine cœlitus communicato propoſuit, ſatisfacere. Hanc ego ſanitatem mentis in ſano corpore auditoribus meis, nuncupato optabam voto: & infimis à Deo precibus obtinere nitebar. Cuius quidem voti, ſi damnatus eſſem! næ

me felicem! ſic enim aliquem ſaltem laborum ac ſudorum fructum caperem: & alicubi ſane operoſæ ſementis, ſi non aurea, albeſcente certe meſſe me ſolarer. Felices etiam Auditores, qui perceptis, perpenſiſque Deo debent totos, titulis in vnius, poſt hæc deſudarent obſequium, ſub nullius alterius redacti poteſtatem. Neque opus eſſet poſt tam multa in vnum congeſta debiti ab hominibus ſeruitii nomina, quicquam adiungere.

Sed optare, cum multa poſſumus, & petere à Deo, quæ honeſta ſunt omnia, facilius ſit, quam obtinere: neque orationis, quæ pro aliis funditur, infallibilis ſit effectus. Ac mihi admodum ſit veriſimilis, imo pene certum, ex Auditoribus meis non paucos eſſe, qui nonnulla penè de mentis ſanitate cura ſuſcepta, in vnam corporis procurandam incumbant, quique aures mihi de humanis obligationibus iam toties magna contentione dicenti dederint, animo euagati, non deſiſtamus, inſtemus, vrgeamus, nomina contractuum cumulemus, veteribus nouos titulos adiungamus. Primus mallei ictus clauum non fixit, figet repetitus. Gutta cauat lapidem cadendo ſæpius. Intelliget fortaſſe tandem humana peruicacia Iura omnia, humana, diuinaque confundi, dum deſerto Deo, conductore, emptore, locatore, paſtore, domino, ſocio, aliis ſeſe addicit, qui iuris in hominem habent, Dæmoni, carni, mundo, ſeductori, deceptrici, lenæ; neque vllam excuſationem patere latebram: cum, ſepoſitis etiam his, quæ hactenus copioſè pertractata ſunt, haud multo pauciora, imò, plura ſuppetant eiuſdem obligationis nomina.

Aduocatus. Patronus. Et ecce hodie ſeſe offert ADVOCATI, vel cauſſarum PATRONI honorificus titulus. Hunc enim *Paracliti* nomen deſignare probabimus. Quare, quæ eſt Clientis erga Patronum, vel Aduocatum ſuum (hæc ſiquidem æquè, ac ſeruus & dominus relatiua ſunt) eadem erit ſaltem: (Humanum dico propter infirmitatem hominum; cum infinitis partibus ſit maior). Chriſtiani erga Chriſtum: & hominum omnium erga Deum obligatio. Qua hodiernæ commentationis penſo perſoluto officio noſtro ſatisfactum erit, & concionem dimittam.

παράκλητος. NOTÆ. παράκλησις. ATQVE, vt hinc potiſſimum exordiar: nomen PARACLITVS, Græcè enunciatum, quod ne pueri quidem ignorare deberent, *Aduocatum, Patronum, Conſolatorem, Fautoremq;* ſignificat. Sicuti & *παράκλησις, conſolationem*: & aliquando, *exhortationem*: ſæpe, *aduocationem*; hoc eſt, Aduocati, & corrogati; vt adſint iudicio, vel concioni, faueantque concionanti, aut cauſſam dicenti patrocinium præſtent, præſidium. Hoc autem nomen, ac rem ſub ea latentem Deo conuenire dicendum eſt, ſi hoc obiter cum viris huius æui eruditione præſtantibus notauerimus.

Pronunciatio Paracl. i. AMIMADVERTENDVM eſſe diligenter, ne cum plebeiorum ſiue conſuetudini, ſiue errori nos accommodamus, Latinè efferendo *Paraclitus*, non *Paracletus*, litteram ypſilon exprimamus. Siquidem περίκλυτος, à περὶ, quod valet *præter*, ac diminutionem importat: & à κλυτὸς, vnde, inclytus, id eſt, magni nominis, ac famæ, abſurdè: nec non impiè de Deo diceretur: Sic enim idem eſt περίκλυτος, quod *Infamis*. Peiora autem, qui παρακλίτην diceret, *Aſſeſſorem*, vel *Accubitorem* notaret. Monent etiam recentiores, viri docti, latinitate donando παρακλήτῳ, dicendum, vel *Paracletum*, per e longum: vel *Paraclitum*, producendo *i*. ſi non in proſa: vbi Grammatici, apud Antonium Nebriſſenſem, retineri volunt accentum Græcum, vt in eleiſon: certè in verſu, qualis ille Iambicus.

Qui Paraclitus diceris
Donum Dei altiſſimi.

At

At quid in his Grammaticorum minutiis moramur? Hoc noſtri eſt fori, Spiritum Sanctum à Christo Domino non raro *Paracletum* cognominari, quaſi eius ſit proprium, conſolationem, adhortationem, & patrocinationem fidelibus præſtare. Et tamen appellatio, non eſt ita tertiæ in Trinitate perſonæ propria, vt non poſſit quoque ſecundæ conuenire. Nam & ſibi Christus illam accommodat, dum de conſolandis Apoſtolis ait Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium* Paracletum *dabit vobis*. Quaſi dicat: Ego hactenus Parácleti officio erga vos functus ſum, & conſolationis affatim ſubminiſtraui, ideoque animo vos deiectos, ac conſternatos animaduerto, quod exiſtimetis, me abeunte, conſolatore ac patrono vos deſtituendos. Non ita erit: fidite: alium pro me conſolatorem habebitis. Quamobrem rectè obſeruant Auguſtinus, Chryſoſtomus, Leontius, Theodorus Heracleenſis, Theophylactus & Euthymius, cum Christus dicit: *Alium Paracletum dabo*: ſe quoque appellaſſe Paracletum, ex obliquo ſaltem. Reuera, quis negare audeat illum conſolatorem hominum eſſe? *Spiritus Sanctus Paracletus.* *Christus Paracletus.* *NOTÆ.* *Ioan. 14. 16.*

Clarius à D. Ioanne in Epiſtola prima capite ſecundo παράκλητος vocatur: quod Latinus vertit *Aduocatus. Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Christum iuſtum.* Vbi Syrus interpres retinet vocem Græcanicam Paraklita. Interpres quoque Latinus, quando tribuitur Spiritui Sancto, eandem vocem Latinè relinquit: & paſſim, qui Paracletum audit, Spiritum Sanctum intelligit. *Christus Aduocatus.* *I. Ioan. 2. 1.*

Imò & Patri conuenire Parácleti nomen, pro vt conſolatorem, & adhortatorem ſignificat, manifeſtum eſt. Siquidem dicitur hortari, & conſolari. In poſteriore ad Theſſalonicenſes ſecundo inquit Paulus: *Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Christus, & Deus, & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono.* *Pater Paracletus.* *2. ad Theſſa. 2. 15. 16.*

In poſteriore item ad Corinthios capite quinto ſcribit: *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Et eadem Epiſtola Paulus vocat Patrem, Deum totius conſolationis & ſe ab illo exhortatum. Vbi eædem ſunt Græcæ voces. Auctor quoque eſt S. Hieronymus, Epiſtola ad Hedibiam, Quæſtione 9. ac Athanaſius diſceptatione de communi eſſentia: nec non Baſilius de Spiritu Sancto cap. 19. vocem, *Paracletus*, communem eſſe toti Trinitati. Illud tamen in confeſſo eſt: per attributionem, vt loquuntur Theologi Spiritui Sancto adſcribi, & ſic vſurpari in Eccleſia. *2. Corinth. 5. 20.*

NON eſt eadem ratio de nomine *Patronus* & *Aduocatus*, reſpondent. Cuius rei gratia, notandum eſt diſcrimen, quod eruditi adſignant inter Aduocatum, & Patronum. Patronum enim dici volunt, qui dicendo reum defendit, vel eius cauſſam agit: Aduocatum, quicumque alteri adeſt in cauſſa etiamſi nihil dicat, vel agat, ſed tantum paratus ſit defendere. Iam illud ſatis conſtat: ſi eius iudicii habeatur ratio, in quo Deus ipſe ſupremus iudex ſedet, neque Patrem, neque Filium, qua Deus eſt, neque Spiritum Sanctum hominum Patronum, vel Aduocatum dici poſſe. Nam apud homines etiam ciuili iure prohibetur eſſe Aduocatus, vel Aſſeſſor in ea cauſſa in qua ipſe eſt iudex. Sic tamen Filio nunc ſecundum humanam naturam Aduocati nomen ſiue cauſſarum Patroni, & munus competit: hoc enim modo minor eſt Patre ac Spiritu S. & nobis patrocinium præſtare poteſt, & præſtat etiam in cœlo. *Patronus & Aduocatus quis?*

Nam vt loquitur Paulus ad Hebræos nono: *Non in manu facta ſancta Ieſus introiuit, exemplaria verorum: ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Nimirum, præſentiam ſuam, tanquam Aduocatus, & Defenſor cauſſæ noſtræ nobis *Hebræ. 9. 24.*

Hebr. 7. 25. commodet. *Quare ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*, ad Hebr. 7. nec paratus modo, ſed etiam interpellans. Felices nos tali Aduocato ac Patrono. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus,* *Rom. 8. 33.* *qui iuſtificat, quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt: imo, qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.*

Quomodo Chriſt. Aduocatum agat.

NOTÆ.

Orator Patronus.

Sed, quomodo, dicis, aduocationem hanc Chriſtus inſtituit, vt ipſi Aduocati ſimul & Patroni nomen conueniat. Nam nec rerum voce, ſermonéue defendere dicendus videtur, quod Patronorum eſt: nec cauſſæ noſtræ aliter adeſſe poteſt, quod Aduocati. Hic illud ex antiquitate præmittendum: ſolitos olim Patronos cauſſarum oratione accuſati rem agere, hinc Oratores dicti: quomodo vocati deinde ſunt omnes, qui cauſſis in iudiciis agebant: & à Rhetoribus diſtinguebantur. Multi non mali Rhetores: pauci boni Oratores aiebat ille. Rhetor enim dicebatur, Rhetorices profeſſor, à qua diſtinguebatur Declamator: vtpote, qui, aut alios docendi gratia, fictam cauſſam agit: hinc Declamationes Quinctiliani, aut ſeipſum in ficta exercet, vt ſit poſtea exercitatior in vera: horũ preclara exempla exhibet Seneca in controuerſiis. Greci confundunt, vt multa: ac ῥήτορα vocant, eum quẽ Latini propriè Oratorem: dicitur enim ab eloquendo. Cauſſarum ergo Patronus, Orator eſt, & Oratione clientem defendit. Aſt, quis dicat Chriſtum in cœlo apud Patrem oratione pro nobis agere? Hic controuerſiam ingredior quam in Scholaſticis commentationibus ſubriliter excutimus: in hac exedra mortalitatis locus eſt, quare breuiter, & ad captum vulgi.

Primus modus interpellandi.

Bifariam intelligi poteſt, CHRISTVM in cœlo Aduocatum & Patronum noſtrum orando ac interpellando agere: Primo quidem abſque nouo operationis, orationíſve modo, ſed antiquis, & in vita mortali exercitiis virtutum officiis: & iis ipſis orationibus, quas, dum nobiſcum mortalis ageret pro genere humano fudit. Opera enim ac orationes iſtiuſmodi, cum Deo ſemper ſint præſentia, per notitiam quandam intuitiuam vim eandem obtinent, quam olim habuerunt. Ad hunc aduocandi modum ſpectat repræſentatio humanæ naturæ, corporis vulneribus ſignati, & in eodem, cicatricum. Vnigenito Filio, inquit Magnus Papa Gre- *Lib. 22. Mor. cap. 18.* gorius interpellare, eſt apud Patrem ſeipſum demonſtrare.

Alter modus patrocinandi.

Verum, præter hunc modum, patrocinatur nobis nouis petitionibus, ac poſtulationibus, quas Patres nonnulli, ac Theologi orationes vocant, quas à Chriſto hu- *Ioan. 14. 16.* mani generis Patrono proferri volunt. Certe ipſe Dominus Ioannis 14. ſe id facturum poſt aſcenſionem ſuam non obſcurè inſinuat: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Quid eſt rogare Patrem, niſi oratione apud illum agere, petere, poſtulare. Ad Romanos 8. &, ad Hebræos 8. Chriſtus dicitur ſemper viuere, ac interpellare pro nobis: quod de Chriſto in cœlis agente intelligendum eſſe conſtat: facere autem id orando explicant Theophylactus & Ambroſius. Quod autem ſcribitur à Ioanne Epiſtola prima: *Aduocatum habemus apud Patrem: ipſe eſt* *Cypr. Ep. 52.* *propitiatio pro peccatis*, Cyprianus legit ipſe eſt *deprecatio*, Græcè ἱλασμός: ergo tanti viri ſenſu, Chriſtus eſt deprecator, quod proprium eſt patroni oratione agentis *Epiſt. 8.* apud Iudicem. Eundem ſuum ſenſum magis indicat alia Epiſtola, vbi ſic ſcribit. *Si Chriſtus pro nobis laborat, vigilat, ac precatur: quanto magis nos pro delictis noſtris orare, & Deo Patri ſatisfacere debemus per Chriſtum quem* Aduocatum *habemus*, & Deprecatorem, *ſi modo nos peccaſſe pœniteat.*

Idem

Idem vt certum ponit Iuſtinus Martyr, & ſic argumentatur, Libro quæſtionum à Gentibus propoſitarum. Quæſt. 105. *Si enim carnis imbecillitatibus ſuperior reſurrectione effectus, tamen, vt confeſsionis noſtræ Pontifex pro nobis loquitur ac rogat: quanto magis, cum etiamnum corporis imbecillitatibus eſſet obnoxius, magno clamore, ac firmo: & lacrymis agebat, cum quibus preces ei, qui ſe liberare à morte poſſet, offerebat.* *S. Iuſtin, Martyr.*

Auguſtini quoque eadem mens videtur. Sic enim præfatione in Pſalmum octogeſimum quintum: *Oratur in forma* DEI, *orat in forma ſerui: orat pro nobis, vt ſacerdos: orat in nobis, vt caput: oratur à nobis vt* DEVS. Clarius enarratione in Pſalmum 19. explicant illa, Impleat Dominus omnes petitiones tuas: *Non ſolum petitiones,* inquit, *quas habuiſti in terris: ſed etiam petitiones, quibus in cælis interpellas pro nobis.* Clariſſime in Pſalmum 29. de Chriſto loquens: *Habes maieſtatem, quam ores, & humanitatem, qua pro te oret. Nam hoc dictum eſt ab Apoſtolo poſt reſurrectionem: Qui ſedet ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis.* *S. Auguſtin.*

Gregorius quoque in Pſalmum quintum ex pœnitentialibus: *Quotidie*, inquit, *Chriſtus orat pro Eccleſia: de quo teſtatur Apoſtolus Paulus: Quia ſedens à dexteris Patris interpellat pro nobis.*

Sed caue, cum Patronum noſtrum in cælis perorantem, ac deprecantem audis concipias illum vt genuflexum, ante Patrem, in quo pictorum, ſculptorumq; quorundam in tabulis ac ſtatuis ruditas caſtiganda: multo minus fingas eundem anxium, triſtem, ſe cruciantem, gemebundum, plorantem, quæ Origenis fuit aberratio: niſi hunc vti & ſanctum Bonauenturam ac Bernardum lubeat pie interpretari: vt genu flexio, fletus, ac lacrymæ Chriſti non reipſa, ſed quadam commemoratione diuinis obtutibus obiiciantur: non aliter, atque ipſa mors Chriſti, & cetus ſemper coram Deo adeſſe intelligitur, & miris quibuſdam efficaciſſimiſque vocibus diuinam miſericordiam implorare. *Ori. Homil. 7 in Leuit. Bon. opuſ. de vita Chriſti.*

Quomodo Rupertus, multique alii, Chriſti orationem in cælis accipiunt. Nec aliter capiendum, quod ait Cyrillus apud Oecumenium ad Roman. 8. Preces illas, quas pro ſuis viuens Chriſtus Patri obtulerat, etiam in cælo perſeuerare. *Rup. lib. 9. de offic. cap. 3.*

HABEMVS igitur Patronum noſtrum pro clientibus, non præſentem ſolum tribulati, ſed etiam orantem. At ſi hoc ad Titulum Aduocati, vel Patroni requiritur, quomodo Spiritum ſanctum Paracletum vocabimus. An ille etiam orando nobis patrocinatur? Certe, Deus neminem orat: & dum index eſt, nulli patrocinatur Sed nunquam vobis lectum: *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Nam quod oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: Ad Romanos 8. vbi audimus Spiritum Sanctum nobis de cauſſæ noſtræ iuſtitia, & momentis ignaris, ſuggerere, quæ ad defenſionem noſtram faciunt: &, quod proprium eſt Aduocati, conſolationem, ac, vt vulgus loquitur, proceſſum, Latine, aduocationem concipere, & quaſi componere, ſingulas rationes expendere, collocare, amplificare. *Quomodo ſpiritus Sanctus Patronus.* *Rom. 8. 26.*

QVID enim tibi aliud in mentem venit dum audis Paracletum arguere mundum, de peccato, de iuſtitia, & de iudicio, quam hoſti noſtro capitaliſſimo, qui coram Iudicis ſummi tribunali nos traducere ſolet, cum dicam ſcribere, &, vt obtorto collo in ius trahatur, mandare: nobiſque tanquam Aduocatum peritiſſimum, accuſandi aduerſarii modos, & conuincendi argumenta maxime opportuna ſuggerere: ac quod magis mirum, pertinetque ad Patroni miſerantis, & commiſerentis officium, poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Spiritus quomodo poſtulet.

Ex quo colligebant Ariani & Macedoniani, Spiritum Sanctum non eſſe Deum, quod poſtulare, ſeu interpellare, aut aduocare, vel patrocinari gemitibus inenarrabilibus ſit alienum à natura, ac perſona diuina. Quare ne quid indignum tanta maieſt ita concipias, intellige, hoc nihil aliud peritis ſacrarum loquutionum innuere, quam Patronum excellentiſſimum id in dicentibus, vt inſtrumentis operari, ac poſtulare: adeoque miris modis ingemiſcere: Sed inſtrumentis animatis, ac liberis, quæ ita ſuggerenti Spiritui aſſenſum præbent, vt integrum ſit ac liberum diſſentire. Vel, quæ eſt aliorum interpretatio, ad ingemiſcendum, ac poſtulandum mouere: aut facere vt ploremus, ac poſtulemus communicando, & effundendo ſpiritum precum, vt eſt apud Zachariam Prophetam, & lacrymarum. Vel certe, ſpiritus dicitur poſtulare gemitibus inenarrabilibus vt ait Ambroſius, metaphorice: quomodo dicitur DEVS dolere, triſtari, iraſci, & id genus alia facere, quæ ſunt à diuina natura penitus abhorrentia. Sed in quo poſita ſit metaphora neque ipſe explicat, neque facile explicari poteſt, niſi dicamus, quod iam ex Auguſtini aliorumque ſententia eſt prolatum, ſpiritum ad gemitum excitare: aut inſtrumentis ſuis id agi dicere.

Zach. 12. 10. Ambr. Epiſt. 23.

Inenarrabiles gemitus.

VOCANTVR autem Patroni noſtri gemitus inenarrabiles: ſiue, quia ipſe miris & occultis modis clientum mentem ad orandum excitat, ac inflammat: ſiue, quia abditis quibuſdam modis, & ab hominum notitia remotiſſimis, eoſdem ſuos dilectos ad vitam æternam perducit, ſiue quia interius in animo caritatis ardor Spiritus Sancti operatione excitatus, humana fide, & omni creata efficacitate eſt maior: ſiue denique, quia in iis, qui ſpiritu Dei aguntur, incredibilis exiſtit perfruendæ beatitudinis, ac finiendorum in vita mortali iurgiorum cupiditas. Quamobrem Tertullianus, *ineloquaces* appellat, quaſi, quos nemo eloquendo explicare poſſit. Ambroſius, *inenarrabiles*, quia cæleſtes ſint. Auguſtinus, inenarrabiles interpretatur, quia, quod deſideramus, ac petimus, quale ſit, ignoramus: quod enim ſperamus, non videmus. An potius, inenarrabiles ſunt, quia vis ac poteſtas Patroni noſtri, qua excitantur plane à nobis percipi non poteſt, ne dum ſermone explicari.

Ter. ſeu Nouatia. Lib. 1. de Trin. Ambro. Epiſt. 23. Auguſt. Ep. 121. cap. 15.

Spiritus S. aduocatus Tom. 4. in Symbolo p. 91.

QVOD autem Spiritum Sanctum vocem Patronum vel Aduocatum noſtrum, id ſine auctore non facio. Sic enim excitem loquitur S. Ambroſius. Iſte eſt, inquit, qui à Filio aduocatus noſter apud Patrem, & alius Paraclitus appellatur, quem Filius ad nos ſe miſſurum eſſe promiſit. Alius ergo à nobis ad Patrem aſcendens, alius ad nos à patre veniens paternum erga nos ſemper, ac piiſſimum affectum declarat: qui nunquam nos in tentationibus iſtius mundi, & miſeriis, nec ſine aduocato, nec ſine conſolatione. Auguſtinus quoque Spiritum Sanctum Aduocatum dicit Tractatu. 94. in Ioannem. Conſolator ille, ait, vel aduocatus, vtrumque enim interpretatur, quod Græce eſt Paracletus, Chriſto abſente, neceſſarius fuerat.

Tract. 94. in Ioann.

Aduocati munus honorificum.

Ex quibus illud etiam efficitur: non dedecere Chriſti Maieſtatem Aduocati Patroniue munus, ac nomen: Sumitur enim iſthæc denominatio ab iis, quorum officium in republica, & multo magis in Imperatorum curiis, Regumque aulis fuit ſemper non honeſtum modo ſed & perhonorificum, ac imprimis neceſſarium, vti Leo, & Anthemius Auguſti, aliique docent in proprio *Titulo, de aduocatis diuerſor. iudic.* Inter alias autem cauſas neceſſitatis illa eſt: quod ſit difficile quemlibet, haud bene in fori ſtrepitu verſatum, in propria maxime cauſſa, præſertim, ſi ſe non

omnino

Digitized by Google

omnino innocententem agnoſcat, vel ob aduerſarii potentiam, vel ob conceptum de iudicis ſeueritate timorem non deficere, tum voce, tum mente: aut tranſuerſum non agi ab æquo & honeſto: aut ſaltem non deflectere à decoro, alienaque magis perſequi, quam cauſæ conuenientia, dum dolori indulgetur, & aliis minus moderatis adfectionibus.

Atqve idcirco, ritu omnium fere Gentium, cauſam per ſe nemo, ſed per Procuratorem, & Aduocatum exponit: ita vt non habenti Prætor dare debeat. L. 1. §. *Ait prætor. Digeſt. De poſtulando. L. prouidendum. Cod. eod. titulo L. Nec quicquam §. obſeruare. Digeſt. De officio Proconſul.* Niſi forte de cognoſcendis moribus ageretur, quia melius ex perſona ipſa cognoſcuntur, quam ex procuratoris, aut aduocati relatione. Quo pacto fortaſſe Claudius Cæſar apud Suetonium, cum Cenſor eſſet, non patiebatur quemquam, niſi voce ſua vtcumque poſſet, rationem facti reddere. Quod etiamnum ſeruatur in Eccleſia iis in cauſſis proponendis, quæ in ſacro ſancto confeſſionis tribunali Dei vicariis deferuntur: ibi enim propria cuiuſque relatione, non alterius ore accuſatio, ac defenſio inſtituitur. In aliis gentium communis mos obtinuit, etiam in iudiciis Eccleſiaſticis. De Polonis tamen legere me memini, perraro illos admittere Procuratores: Sed, vt ſuam quiuis cauſſam peroret, imperare.

Ritus gentium vtendi aduocatu. — *Suet. Claud. cap. 16.* — *Sigiſmund. Baro L. de rebus Moſcouit. in Sanctio. Baſilii.*

Sed ſi vlla cauſſa aduocatum poſtulauit vnquam, certe illa maxime requirit, quæ in cælis apud Patrem diſceptatur. Ibi enim idem eſt iudex, qui fuit læſus, exquiſitæ iuſtitiæ, ac rigoris, ſummæ auctoritatis, maxime potentiæ: cuius vel ſolus vultus non terrorem ſolum incutere, ſed & exanimare ſolet.

Cauſſa hominum poſtulat aduocatum.

Neque nobis eſt illius curiæ ſtylus, quamuis in mundanæ verſatiſſimis perſpectus. Et ante hoc tribunal, vt ſuos monet Paulus, *Quid oremus nos neſcimus ſicut oportet*: hoc eſt: quid, quo tempore, quoue animi propoſito, ſeu conſilio à Deo petendum, vt obtineamus. Quocirca niſi peritum aliquem, & beneuolum aduocatum habeamus, continget nos multis modis in perorando cauſſa noſtra labi, atque errare, ſiue praua cupiditate inflammati, ſiue errore deluſi, ſiue plurimarum rerum obſcuritate præpediti. Quare non male ad Paracletum & Aduocatum totius noſtri generis Ieſum Chriſtum nos conferimus, vt per illum petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum, & ipſe interpellando, quod noſtri non eſt meriti: &, quo nos indigni, obtineat. Ipſe enim *apparet vultui Dei pro nobis* ad Hebræos 19. *Semper viuens ad interpellandum*: imo interpellans, tum vulnera, ac merita Patri exhibendo tum nouis petitionibus, quod meruit exigendo.

Rom. 8 26. — *Orig. Chryſoſt.* — *Hebr. 9. 24.* — *Hebr. 7. 25.*

Neqve tamen ad ipſum tantum, vt principem in hac aula gratiæ locum obtinentem, nos conferimus: verum etiam recte, ac ſapienter ad eius dilectam matrem, Patronam, & aduocatam noſtram; alioſque ipſi caros in cæleſti curia aſſeſſores, & amicos, quorum pie ac Chriſtianæ patrocinium imploramus, ringantur licet Dæmonum magis, quam cælitum mancipia. Communicat enim & hanc denominationem, ac honorem cum amicis ſuis Chriſtus, quos auditores, cooperatores, & coaduocatos ſuos eſſe non dedignatur. Per cauſſas ſecundas agit Deus, quod ſolus poſſet. Saluare per ſeipſum valet omnes: mediis tamen vti vult electos ſacramentalibus. Non opus ipſi aliis monitoribus, aut exhortatoribus: exhortatur tamen etiam per homines legatione pro ipſo fungentes, ſecundæ ad Corinth. 5. At quid neceſſe eſt alios adſciſcere, aduocatus cum vnus omnibus numeris ſit abſolutiſſimus? Chriſtus interpellat, petit, & orat pro nobis. Ergo Sancti non

Deipara Patrona Aduocata. NOTÆ.

petunt

Auguſt. in Ioann. 1. 2. perunt pro nobis? Obiectio eſt Auguſtini. Ergo Epiſcopi, & Præpoſiti non petunt pro populo? Reſpondet: Attendite ſcripturas, ac videte: quia & Præpoſiti commendant ſe populo: nam Apoſtolus dicit plebi: Orantes ſimul & pro nobis: orat *1. Coloſſ. 4. 3.* Apoſtolus: orat plebs pro Apoſtolo. Oramus pro vobis, fratres, ſed & vos orate pro nobis. Inuicem pro ſe omnia membra orent: caput pro omnibus interpellet.

Chriſtus primarius Aduocatus. VNVS quidem eſt ſummus & primarius aduocatus noſter, Chriſtus: alii ſecundarii, ac ſummi illius in aduocando adminiſtri & cooperatores, ſed per ipſum omnes. Et vt iure apud homines ab officio aduocati arcetur Paganus, & excommunicatus, *prima Quæſt.* 1. cap. 1. & C. *Excommunicatus*, *extra* de hæret. item omnis infamis, &, qui ob crimen damnatus: ita apud Deum aduocati perſonam non ſuſtinet, æternis addictus ſuppliciis, impius Apoſtata, excommunicati peccatores, quos DEVS non exaudit. Quamuis autem epiſcopus regularis, & clericus niſi certis in cauſis aduocatos ſe præbere non poſſint, vetantibus id canonibus: illorum tamen potiſſimum eſt in DEI curia ſine vlla cauſſæ exceptione, aliorum patrocinium ſuſcipere, & aduocationem periclitantibus offerre. Quibus optandum, vt eaſdem quas Chriſtus optimi aduocati conditiones habeant.

Scientia in Aduocato. HARVM PRIMA eſt cognitio, vel ſcientia, quam duplicem in aduocato deſidero, vt idoneus cenſeri poſſit. Vna eſt iuris, alia facti. Sine vtraque nunquam pro dignitate officio, nominique ſatisfaciet. Si enim iuris imperitus ſit, quomodo ſuſceptæ cauſſæ iuſtitiam inueſtigabit? quomodo rationes ex legum viſceribus erutas ad clientem eripiendum, aduerſarium illaqueandum diſponet? obiectionibus quomodo reſpondebit? quomodo leges legibus explicabit, Legiſlatoris mentem eruet, æquum, iuſtumque conciliabit? Si facti ſpeciem, conditiones, circumſtantias omnes perſpectas non habeat: Si quid criminis atrocitatem minuere, voluntati ſpontaneum detrahere, rem propoſitam euertere poſſit, ignoret; quomodo momenta proponere, & excuſationes negocio accommodatas oculis ſubiicere valebit?

Gloſſatoris error. Quare, neſcio ſane, quid in mentem venerit Gloſſatori qui ad *L. 1. Digeſt. De poſtulando*, aſſerere non eſt veritus, minime neceſſe eſſe, vt aduocatus litteras ſciat: quia neque etiam neceſſe eſt, vt iudex litteras nouerit. Sed bene habet, quod etiam à Legum Doctoribus iſtiuſmodi gloſſema improbatur: qui communi conſenſu docent, Aduocatum iuris, ac legum peritiam habere debere: ac neminem admitti ad munus aduocandi, niſi quinquennio iuri ſtuduerit, & in examine documenta eruditionis iudicæ dederit. Quod tamen vtrum vbique ſeruetur, &, quam bene negligatur, aliis conſiderandum relinquo. De iudice diſputare non libet, quem animaduerto à quibuſdam adprobari, quamuis iuris prorſus ignarus: eo quod ſatis eſſe putent in iudice, quod aſſeſſorem iuriſperitum habeat: Aduocatus autem per ſe, non per alium ſuo fungitur munere.

Ad Coloſſ. 2. 3. Iam de Aduocati noſtri cognitione dicere quid attinet? In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi: Ad coloſſenſes ſecundo. Ipſe iuris totius humani, ac diuini eſt conditor. Ipſe Legumlatorum princeps, ſapientiæ Præſes, idem Dei ſapientia. Quidquid cognitionis infuſæ, adquiſitæ, naturalis, tranſnaturalis in homine vnquam vel obſcure emicuit, hic infinitis partibus clarius *Pſal. 102. 14.* ſplendeſcit. Cauſſarum autem omnium illi pene ſoli perſpecta æquitas. Ipſe nouit figmentum noſtrum.

Aduocatus amans iuſtitiæ. SECVNDA Aduocati conditio eſt, vt ſit iuſtitiæ amans, & tenax. Cauſſam iniuſtam

iuſtam neque defendendam ſumat vnquam: neque, ſi per ignorantiam, operam addixerit ſuam, deinde oborta perfectiore cognitione iniuſtitiæ in ea tuenda ſit pertinax.

Quod apprime eſt neceſſarium. Nam, vt recte, cum S. Thoma docent Scholaſtici, lethalem contrahit noxiam, ſi cauſſæ iniuſtæ ſciens volens patrocinetur, obligaturque ad reſtituenda damna parti contra quam cauſſam defendit, & etiam damna clientis, cuius cauſſam tuetur, ſi eum de cauſſa iniuſtitiæ non admonuit. *Secund. ſecund. Quæſt. 71. Art. 3.*

Quam autem iniuſtitiæ ſuſpicionem de Sole iuſtitiæ habeas, cum in ſolari corpore, nulla vel tenuiſſima eſſe poſſit è tenebris macula. Quare, caue ne huic Aduocato aliquando iniuſtam cauſſam ob trudas defendendam: non ſuſcipiet profecto; imo contra te accenſus, ex Aduocato accuſator fiet, teque Patri condemnandum offeret, & inimico tradet. Iniuſtam autem cauſſam Chriſto defert, qui iniuriatum Deo illatarum gratiam ſibi fieri poſtulat, nec ipſe fratri, qui offendit forte, condonat. Qui peccatorum remiſſionem petit, iiſdem affectu inhærens. Qui, quæ nociua, & æternæ aduerſa ſaluti impetrare per Chriſtum nititur, Huic adfinis eſt. *Chriſtus ſol iuſtitiæ.*

Tertia conditio, vt non ſit ſordidus Aduocatus, nec lucri plus nimio appetens, nec auri ſacra fame exſtimulatus, implendi marſupii cauſſa potius, quam boni communis patrocinationem addicat. In quo ſæpius peccari, tam à iudicibus humanis, quam Aduocatis omnium tribunalium nullum eſt dubium. Nam vt modo diſſimulemus, quod grauiter pronunciat S. Thomas ſecunda ſecundæ Quæſt. 71. Aduocatum non raro lege caritatis ac miſericordiæ teneri defendere gratis cauſſam pauperis. Siquidem, vt pauperi corporali alimento indigenti extremè tenemur ſuccurrere; Sic etiam patrocinari pauperi extreme in periculo conſtituto obligamur. Quo miſericordiæ officio æternam laudem eſt meritus D. Iuo iuriſperitorum decus. Et, vt eſſet peccatum in medico niſi ſubueniret ægrotanti, tum extreme laborat pauper, qui non habet vnde ſoluat ſoſtrum curanti: ita in Aduocato peccatum foret ſimilis ſiue negligentia, ſiue duritiès, & immiſericordia. Cenſet autem Doctor Angelicus, tunc pauperem indigere extreme Aduocati patrocinio, quando non eſt alius in promptu, qui id faciat: ſicut non eſſet qui mederetur ægrotanti: aut non eſſet, qui cibaret eſurientem. *Aduocatus non ſit ſordidus.* *S. Tho. 2.2. Q. 71. Art. 1.*

At his miſſis peccat etiam Aduocatus à diuitibus exigendo ſtipendium, vel pro eo, quod ſibi non eſt debitum, vel mauis quam debeatur. Neque iure licet facere conuentionem in medio litis, vel ante inceptam litem C. *Infames* §. *præterea tertia.* Quæſtione 7. Nec paciſci poteſt, de certa quota litis ſibi ſoluenda ſolatii loco L. *Sumptus*, ff. *De pactis.* & L. *litem. Cod. de procuratoribus & Tertia.* Quæſt. 7. §. *Arceantur.*

Apvd Romanos autem moris fuiſſe videtur, vt gratuita opera nauaretur periclitantibus. Quod colligere licet ex ſententia Ciceronis libro ſecundo officiorum: & eiuſdem exemplo apud Plutarchum in vita Tullii. Ex iis quoque, quæ habet Quinctilianus lib. 2. Inſtitutionum cap. 7. Ouidio lib. 1. Elegiar. Lucano lib. 1. Pharſalicæ cum agit de Curione. Apud Græcos idem fuiſſe obſeruatum copioſus teſtis eſt Plutarchus in Cimone, Author libri de rhetorica ad Alexandrum. Sed poſtea decreta ſunt cauſſidicis certa præmia: de quibus Plinius lib. 5. Epiſtola ad Valerianum, & Epiſtola ad Rufum, & Tacitus lib. 11. Suetonius quoque in Nero- *Gratuita opera patrocinantur Romani.* *Ner. cap 17.*

ne, quem decreti vult auctorem: ſed Tacitus, Claudium. Extant recentiores leges *Cod. de Pactis leg.* ſi creditor. Cod. *De ſuffrag. Leg.* 1. *Digeſt. De variis & extraord. cognit. L. prima.*

Chriſtus gratuitam operam nobis impendit. At nullus hactenus ſeruauit accuratius morem de gratuita patrocinatione, quam Aduocatus noſter, quia nemo à ſordido quęſtu eſt alienior. Ille nullo pauperum, diuitumque diſcrimine, omnium cauſſas gratis, ſed pauperum libentius recipit, ad exitumque ſine ſtipendio, ſalario, palmario, vt Iuriſconſulti loquuntur

Rom. 11. 35. perducit. Præclare, vt in omni materia Paulus: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ad Romanos 11. quaſi dicat: Quis prior in eum liberalitatem exercuit, & poſtea primum ipſe aduocationis onus adſumpſit, vnde meritò remunerationem exſpectet. Nemo poteſt gloriari ſe Aduocato primum quidpiam liberaliter tribuiſſe, vel promiſiſſe, vt defenſionem inde, tanquam iuſtam compenſationem

Iob. 35. 7. propterea poſſit exigere. Perſimilis ſententia legitur Iobi 35. *Porro ſi iuſte egeris, quid*

Cap. 40. 1. 2. *donabis ei: aut quid de manu tua accipiet.* Alibi vero *Quis antea dedit mihi, vt reddam illi*

Paralip. vlt. 14. *ei, omnia, quæ ſub cœlo ſunt, mea ſunt.* Quibus conſentiunt illa Paralipomenon vltimo: *Verè tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Chriſtus tibi patrocinationem ſuam offert, & præſentiam apud Patrem commodat, nihil autem à te in vtilitatem ſuam accepit, nec deſiderat; nec tu quicquam offerre potes, cuius ipſe non fuerit multo ante dominus. Vt in hunc Aduocatum meritò cadat,

Plutarch. Apoph. Reg. 10. quod de Artaxerxe Longimano ſcribit Plutarchus: qui cum ſibi vitio daretur, quod alteram manum haberet altera longiorem, reſpondiſſe fertur, id ſibi tanquam optimo Principi à natura tributum, vt dexteram haberet ad largiendum protenſam, ſiniſtram ad accipiendum contractam. Contrarium hodiè animaduertitur non in Aduocatis modo, ſed omnibus penè hominibus. Siniſtræ aliquot vlnarum ſunt longitudine: dextræ vix dodrantis menſuram æquant. Aduocati noſtri vox eſt ad munera promittentem: Non accipiam de domo tua vitu-

Pſal. 49. 9. los, neque de gregibus tuis hircos Pſalmo 49.

Aduocatus diligens. QVARTA boni Aduocati qualitas eſt, vt ſit exquiſitæ cuiuſdam diligentiæ, ac conſtantiæ. Suſcepta ſemel cauſſa, ſi iuſtam eam agnouerit, nulli parcat induſtriæ, aut contentioni deterreatur: noctes diebus iungat, vt obtineat, quod intendit, poſſit. Culpam omnem ignauiæ, non latam tantum, ſed leuem etiam, ac leuiſſimam vitet. Hanc conditionem in CHRISTO commendat Am-

Pſal. 118. octo. 20. broſius in Pſalmum 118. vbi declarans, quam varias CHRISTVS pro nobis perſonas induerit, multorum affectus, ac officia ſuſceperit, vt doceret, quomodo nos in his conuerſari oporteret officiis. Suſcepit, inquit, Aduocati perſonam. Ipſum enim Aduocatum habemus apud Patrem. Pernoctabat in oratione pro nobis, vt nos ſuo informaret exemplo: quemadmodum veniam noſtris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctauit, quaſi, qui aliter Patrem nobis reconciliare non poſſet. Sed vt qualis Aduocatus eſſe debeat demonſtraret: qualis ſacerdos; vt non ſolum diebus, ſed etiam noctibus pro grege Chriſti precator aſſiſtat. An impetrandi egebat auxilio, qui facere ipſe poterat, quod rogabat: quemadmodum ipſe dicebat. Ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam Ioannis 14. Denique alibi ait, cum Lazarum reſuſcitaret: Scietam, quod ſemper me audis Ioannis 11. hic quaſi infirmus pernoctabat, qui ſciebat, quod ſemper auditur, & clamauit, Lazare veni foras, loquuta eſt reſurrectio: mors receſſit.

Huic

Huic nectatur QVINTA proprietas, cautela, & dexteritas in agendo, quæ peritiæ eſt filia ac comes prudentiæ. Nam illud & in officio Aduocati ſingulare, ac diligenter obſeruandum, quod etiamſi licitè non poſſit vti falſis inſtrumentis, aut teſtibus, aut legibus, aut allegationibus: nec poſſit quærere dilationes non neceſſarias cum detrimento partis alterius: poteſt tamen prudenter occupare ea, & occultare, quæ poſſent iuuare aduerſarium, vel impedire proceſſum, vti docet Dominicus Sotus lib. 5. de iuſtitia, qu. 8. art. 2. & Syluester, verbo Aduocatus q. 9. *Aduocatus cautela.*

Mirus fuit Christus in cauſſæ noſtræ defenſione artifex. Nihil ille quidem, quod iniuſtitiæ argui poſſet commiſit: quare neque falſis teſtimoniis, probationibusve eſt vſus: dexterrimè tamen quædam, quæ aduerſariorum aſtu in tabulas contra nos exaratas irrepſerant, vel ita occultauit, vt inueniri non potuerint. Sicque aduerſariorum vafriciem eluſit, vel iure ſuo expunxit, vel faberrimè texit, vel alio tranſtulit, & proceſſum contra nos impediuit, donec defendendi daretur occaſio commoda. *Dexteritas Chriſti.*

Clarius. Quamprimum Adamus funeſto fatalis pomi eſu in cacodæmonis poteſtatem tranſiit, ſcriptum eſt chirographum, quod in fronte circumferebant ſinguli contra genus humanum, in quo condemnationis noſtræ cauſſæ ſuis comprobationibus fuêre appoſitæ: iura quoque, quibus homines ferali illi monſtro mancipati eramus, declarata. Eo ad iudicium producto, cauſſa nos cadere neceſſe erat. Quare noſtri ſuſcipiens patrocinium Chriſtus, prima illi cura fuit, hanc ſyngrapham, ſuis ſumptibus exſcriptam, correctamque, & nobis magis, quam aduerſario fauentem Iudici exhibere: originales autem tabulas ex aduerſarii manibus ſubductas in ſuam in poteſtatem redigere. Hunc ferè ſenſum habent, aut non valde differentem illa Pauli Apoſtoli ad Coloſſenſes ſecundo. *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens, quod aduerſus vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci: expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* Rationes quæ noſtram cauſſam iniquiſſimam faciebant, erant peccata: hæc artificioſiſſimè texit. Beati quorum tecta ſunt peccata. *Chirographum Dæmonu.* *Coloſſ. 2. 13.* *Pſal. 31.*

Iam vero, ſi Aduocatum omnibus numeris abſolutiſſimum deſideres, finge, quod fingere poteris, ſed fictione non efficiet, eundem eſſe lingua volubili, & expeditiſſimo, non tamen rabularum in morem futiliter loquacem, ſed, vt Oratorem, cum dicendi facultate venuſtè eloquentem, cui nemo in arte perorandi ſit comparandus. Talis eſt Aduocatus noſter Chriſtus, in quem omnes omnium eloquentiſſimorum facultates ac flumina confluxerunt. In quo vno, ſi in vllo, omnes illæ diſſimilitudines laudatiſſimę, ac iucundiſſimæ eminuerunt, quas per ſummos oratores, & eloquentiæ Principes ſparſas, colligit eloquentiæ Magiſter, dum commendat ſuauitatem Socratis, ſubtilitatem Lyſiæ, acumen Hyperidis, ſonitum Æſchinis, vim Demoſthenis, grauitatem Africani, lenitatem Lælii, aſperitatem Galbæ, profluentiam canoram Carbonis, iucunditatem Catuli, varietatem, ac temperationem Cæſaris, limatam Sulpitii ſubtilitatem, animi impetus, & ſummam contentionem Cottæ, vehementiam commotionem, acrimoniam Antonii. *Chriſti eloquentia.* *Cic. lib. 3. de orat.*

Hæc ſigillatim animi motus excitarunt admirabiles. Quid ergo cenſendum facere potuiſſe illum, qui oratores, qui ſunt, erunt, fuerunt, omnes ſua eloquentia complexus eſt? Quod de omnibus, de hoc vno: quod de vno aliquo, idem de Chriſto vno meliori iure dicendum quis non videt?

Gratia lucidus Aduocato proficua. *Pſal. 44. 3.*

ADDE, eundem apud Iudicem gratia valere, quàm qui maximè. Talis hic noſter. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis* Pſalmo 44. hoc eſt, fluit ex eius ore leniter diuinus ſermo, melle dulcior, qui beneuolentiam Iudicis conciliat: rapit, expectorat, miſericordiam prouocat, impetrat omnia. Ipſe totus apud Patrem euchariſtos, gratioſus, amabilis. *Propterea benedixit eum DEVS in æternum.* Ob hanc cauſſam ita erga illum affectus eſt iudex, vt in illum omnem benedictionem effunderit. Numquid de Aduocato noſtro eſt ſcriptum; *Nunquam ſic loquutus eſt homo* Ioan. 7. *Mirabantur* cum perorantem audiebant, *in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius* Lucæ 4. Et ipſe de ſe Iſaiæ quinquageſimo: Deus *dedit mihi linguam eruditam.* Hæc autem labiorum gratia, qua Aduocatus noſter iudicis gratiam conciliat ſuis clientibus, tantæ eſt fœcunditatis, vt eandem reconciliandæ gratiæ virtutem nobis etiam ipſis communicet, quod plane admirandum. Audite fideliſſimum Aduocatum: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Et iterum, *In nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipſe enim Pater amat vos.*

Ioann. 7. 47. *Lucæ 4. 22.* *Iſa. 50. 4.* *Ioan. 16. 23. 26.*

Aduocati actio.

ADIVNGE his, optandam in Aduocatis, præter linguæ gratiam, actionis decorum, ac vehementiam. Cerne Chriſtum, non videbis Antonio neſcio cui ſimilem, detracto paludamento, alterius pectus, in eoque hiantia oſtendentem vulnera, miſerationi commouendæ: Sed ex manuum, pedumque confixorum, & lateris effoſſi meatibus ſanguineos riuos deducentem. Quid ad miſericordiam exprimendam efficacius?

Aduocatus ipſe cauſſam ſuam efficacius agit.

IAM ſi Aduocati ipſius interſit, cauſſam obtinere, & de aduerſario triumphare, quantum roboris actioni ipſius, ac verbis accedet? Neque hoc in noſtro deſideratur. Os enim & caro noſtra eſt: nec erubeſcit nos vocare fratres.

Chriſtus vt debitum exigit quod petit. *Ambro. in Pſal. 40.*

Quid ſi iure ſuo ſine alia deprecatione cauſſam obtinere poſſet, & tanquam debitum exigere, an verendum vnquam eſſet, ne non triumpharet? Hoc Aduocato noſtro ita proprium eſt, vt nulli alteri conuenire poſſit. Illius, tanquam Pontificis ſummi oblatio, quæ ſimul eſt, vt Ambroſius loquitur, Aduocatio, tanti eſt apud Patrem meriti, vt quicquid eius intuitu à Patre poſtulat, non exaudiatur, ex gratia, ſed ſummo iure debitum poſtulanti ex iuſtitia tribuatur: vt in ſcholaſticis commentationibus demonſtramus. Hic ſat ſit, Titulum Aduocati omnibus calculis abſolutiſſimi Chriſto Redemptori aſſeruiſſe.

Ex Titulo Aduocati adpoſtea varii. *1. Ioan. 2. 1.* *Fiducia.*

Ex eo autem, ita philoſophatur Chriſto dilectus Ioannes: *Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt non peccetis: ſed & ſi quis peccauerit*, Aduocatum *habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.* Tametſi peccaſtis aliquando, ſat ſcio, ſed abluti eſtis, liberati eſtis: ſi tamen relabi contingat, paratum eſt remedium ab Aduocato: ad Chriſti patrocinium confugite: eius vos clientes eſtis: nolite deſperationis laqueum vobis induere.

Ex eodem Titulo hunc in modum colligit Gentium Doctor ſcribens ad Romanos cap. 8. 33. Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? CHRISTVS IESVS, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, quis ergo electos condemnabit? CHRISTVS profecto, qua homo, pro hominibus liberandis ſponte mortem oppetiit: idemque ab inferis excitatus aſſidet ad dexteram Patris: & ibi fideliſſimi Patroni, ac Aduocati munere, necis commemoratione perenni perfungens, noſtram apud Deum Patrem cauſſam agit. quis non igitur de ſalute ſua ſpem certam concipiat. Hoc ſtabili fundamento ſpes fidelium nititur.

Spei fundamentum.

Ex

Ex eodem ſic argumentatur D. Cyprianus Epiſtola 8. Si Chriſtus pro nobis laborat, vigilat, ac precatur: quanto magis nos pro delictis noſtris, orare & Deo Patri ſatisfacere per Chriſtum debemus. Aduocatum habemus, & deprecatorem, ſi modo nos peccaſſe pœniteat.

Ex eodem hoc infert Ambroſius Lib. 7. in Lucam cap 15. Roget pro te Eccleſia, & lacrymet populus. Nec vereâre, ne non impetres. Aduocatus ſpondet veniam, Patronus promittit gratiam: reconciliationem tibi paternæ pietatis pollicetur Aſſertor. Crede, quia veritas eſt. Habet cauſſam vt pro te interueniat; ne pro te gratis mortuus ſit. Habet & cauſſam ignoſcendi Pater, quia, quod vult Filius, vult & Pater. Quantum ſpei incitamentum, talem habere Aduocatum.

Stimulus diligentiæ.

Ex eodem ita ratiocinatur Auguſtinus. Si aliquando in hac vita committit ſe homo diſertæ linguæ, & non perit: committis te verbo, & periturus es? Clama, Aduocatum habemus apud Patrem. Hic nouit momenta cauſſæ noſtræ: rationes optimè tenet, quibus perſuadeat, ipſiuſmet intereſt, vt vincamus: æſtimat, quanti plus apud Patrem ſit, ſanguis, quem pro nobis effudit, quam peccata noſtra. Nouit figmentum noſtrum. Scit infinitam miſericordiam Dei: denique debitum petit: poteſt omnia.

Tract. in 1. Ioan. Epiſt

Pſal. 102. 14.

Ex eodem Titulo ego ita ab vno quoque veſtrum concludendum arbitrabar. Siquis eſſet, qui me tot, quot agnoſco ſceleribus obnoxium, Iudici delatum, accuſatum, conuictum, ſuppliciis grauiſſimis addictum carnificinæ etiam traditum, ſortem meam miſeratus, Domini perſona poſita, Aduocati ſumpta, cauſſam meam egiſſet: nec verborum contentus patrocinio, verberibus pro me ſuſceptis, ſanguine ac nece peracerba me ſeueritati indicij ſubduxiſſet. quid non ei me debere profiteret? Dimidium bonorum? nihil. facultates omnes? parum. vitam? nimis vile. Huic ſanè ego ſpes, res, fortunaſque omnes meas, corpus, animam, mille mille vitas, ſi haberem, offerrem, dicarem, deuouerem. Hunc ergo Chriſtum Optimum Maximum Aduocatum ac Patronum, in gratitudinem exuens, animum indue, & viues.

PORRO, alterius obligationis, vel eiuſdem magis arctæ, radix, eſt *titulus* PATRONVS, in ea ſignificatione, qua non CHRISTO ſolum qua homo eſt, ſed eidem quoque, qua Deo & idcirco Patri etiam & Spiritui Sancto propriè conuenire poteſt. Quod vt intelligatur, OBSERVO, apud veteres, Patronos vocari ſolitos, non modo reorum defenſores illos, qui in iudicio accuſatorum patrocinium ſuſcipiebant, illoſque lingua, & actione tutabantur, ac libertati reſtituebant: verum etiam, ſiue in republica optimates, ſiue in regnis viros principes: ſiue in Imperio varios dynaſtas, ac regulos, in quorum clientelam, fidem, ac patrocinium, vel integræ prouinciæ, regna dynaſtiæ; vel familiarum capita, vel priuati aliqui diuerſis ducti rationibus, ita ſe conferebant, vt quos ſibi Patronos elegerant, adoptauerántve, omni obſeruantia atque obſequio colerent, & venerarentur: illorum nomen, honoremque omni opera, dignitatem fortunis propriis, incolumitatem, vita & ſanguine propugnabant. Eoſdem habebant iſti cum Patronis aduerſarios, nec amicos, quam Patronorum agnoſcebant, aliis, quam Patrono caris hoſpitibus, ac familiaribus vtebantur.

Patroni ſignificatio politica

Viciſſim autem Patroni clientes in ſuam tutelam recipiebant, eoſque ad intimam quandam familiaritatem recipiebant: ac patrocinio ſuo bona, famam, vitam tuebantur. Erat autem apud Romanos ſicut ad ſecuritatem propriam clientum vtile magnorum patrocinio frui: ita ad nomen patronorum, ac familiæ ſplendorem honorificum magnas clientelas, qui factionem vnius ſequerentur, ſemper ad manus paratas habere.

M. Tullius diuinatione in Verrem: Clariſſimi viri noſtræ ciuitatis temporibus optimis hoc ſibi ampliſſimum, pulcerrimumq; ducebant, ab hoſpitibus, clientibuſque ſuis, ab exteris nationibus, quæ in amicitia ditioneque eſſent iniurias propulſare, eorumque fortunas defendere. Idem ſcribens Attico: Scis inquit, quam diligo Siculos, & quam illam clientelam honeſtam iudicem.

Lib. 14.

Clientum erga Patronos ſtudia. NOTÆ.

Vt autem æſtimetis, quæ fuerint clientum erga Patronos ſtudia, quis animus, quæ in neceſſitudine ſemel inchoata conſtantia, quis in nomine ipſorum conſeruando dignitateque tuenda ardor, auſim dicere, neque ſeruorum erga dominos, neque ciuium erga magiſtratum: neque ſubditorum erga principem, neque amicorum erga neceſſarios ſuos: imo, nec filiorum ſæpe erga parentes tantum in neceſſitatibus, quantum erga Patronos clientum eluxiſſe. Id ex varia gentium multarum hiſtoria probare non eſſet difficile, ſed longum, nec huius cathedræ. Quare omiſſis antiquis, in mentem vobis veniant, quæ poſterioribus ſeculis fuerint inter nobiliſſimas familias, regnorum, ac imperiorum numeroſiſſimos populos factiones, odia, conflictus ad patronorum dignitatem tuendam, vnum, alterumue exemplum proferamus.

Factio Guelphorum, & Gibellinorum.

Cvm Fridericus Ahenobardus, ſiue Barbaroſſa Imperator, impium Eccleſiæ Romanæ bellum indixiſſet, & ingenti comparato exercitu, vbi immineret, exitio Pontifici, ſi potuiſſet, futurus: quoniam ſciebat, quam prodigi ſanguinis clientes pro Patronis eſſe ſoleant, Imperatoriam factionem inſtituit, vt qui Imperatorem ſequi vellent, & tanquam patronum propugnare, à ceteris proprio nomine, armis, teſſera, vt Cæſarei clientes diſtinguerentur. Nec defuerunt, qui contrariis ſtudiis, eodem nomine Pontificium nomen tuendum ſuſciperent. Hinc nata Guelphorum, & Gibellinorum nomina ad Imperii & Italiæ potiſſimum interitum prope reperta. Apud Piſtorienſes, aut, vt alii ſcribunt, Piſanos in Hetruria res orta dicitur. Nam cum Cancellarii Pynzatuos ex ea vrbe deieciſſent, factum eſt vt duo Germani ſanguinis fratres, quorum hic Guelphi nomen ferret; ille vero Gibel in diuerſas factiones ſuum fauorem inclinarint, nomenque vterque ſuum dederit: Pynzati Gibellini dicti, diuerſæ factionis Guelphi. Inuaſit id malum, vel ex proximo Florentinorum ciuitatem, vnde confeſtim ſunt nobiles eiecti, qui Gibellinarum eſſent partium: contra, Guelphi à Senenſibus & Aretinis extorres facti. Serpſit inde latius peſtis, breuique vniuerſam inuaſit Italiam. Hinc bella non tantum inter ciues orta, ſed inter propinquos & fratres: multæ Italiæ vrbes hoc motu à Pontifice defecerunt.

Quomodo Gregorius perculſus, ſolenni ſupplicatione Apoſtolorum capita tota vrbe circumtulit, habuitque ad populum orationem hac de re. Quo Pontificis ſermone adeo mutata eſt ciuitas, vt confeſtim ciues, crucem & arma pro Pontificis & eccleſiæ dignitate ſumpſerint. Hic clientum pontificiorum conſenſus Fridericum propoſito auertit, qui opprimendo pontificis conſilio Romam proxime caſtra admouerat.

Neque

Neque morte vnius patroni extinguitur clientum fides, ſi ſemel æternandi animo ſuſcepta eſt: in liberos etiam, & qui ab illis naſcuntur, omnemque poſteritatem transfunditur. Nam durauit Gibellinorum & Guelphorum conſpiratio in noſtra vſque tempora, nec facile finem habebit, quamdiu degeneres erunt eccleſiæ filii. Renouarunt ſane Gibellinorum conſpirationem, qui olim Cæſaream auctoritatem contra Pōtificeam tuebantur, huius temporis pſeudo politici, atheum genus hominum, qui in minuenda ſacroſancta Pontificum poteſtate, quæ ipſis cælitus data eſt, Imperatoriam, Regiamque poteſtatem conſiſtere arbitrantur, atque ideo illam omni arte ac machinationibus oppugnare, vbi vbi poſſunt, non deſiſtunt, ac euertere conantur, ſed conantur; non euertent vnquam. Habet enim etiam ſuos clientes non malus patronus Chriſti vicarius, qui melius cenſent, & Imperatori nihil detrahendum, & Pontifici ſuam diuinitus datam confirmandam, ornandamque: ac poſſe in cælo duo luminaria magna ſine alterutrius æmula diminutione ſplendeſcere. Sed, vt aiebam, pertinax eſt ſemel à clientibus ſuſcepta in patronis defendendis religio, quæ cum hæreditate ad liberos transmittitur. quod imperium in Guelphis, ac Gibellinis ſenſit.

EXPERIMENTO quoque didicit Polonica natio, apud quam celebris eſt factio Piaſtorum, à Piaſto infimæ ſortis homine, cuius in regem à proceribus aſciti ſtirps 10. Sicut Iagellonum deinde familia cc. circiter annorum ſpatio in Polonia regnauit. Hunc cum in patronum adoptaſſent plurimi nobiles manſit non patrono ſolum mortuo, verum etiam ſtirpe eius exciſa in Poloniſ erga ſuum Piaſtum clientelaris animus. Quandocunque enim poſtea deficiente præcedentium Regum ſobole ad comitia creando nouo Regi ventum fuit, Clientes Piaſti inuenti ſunt, qui creationi, & inaugurationi aliorum acriter reſtiterunt, & Piaſti Patroni ſui memoriam renouarunt. Id non ſemel ſuperiori ſeculo accidit. Primum, quando mortuo Sigiſmundo Auguſtuo, vltimo Iagellonæ familiæ mari, Heinricus, qui poſtea tertius eius nominis Galliarum à nobilitate Polona in regem adſumptus fuit. Deinde eo in Franciam profecto cum Stephan Battori: ac tandem cum ſimul Maximilianus Auſtrius, & Sigiſmūdus Suecus ac coronam diſpari euentu vocarentur. In quibus electionibus admirandus fuit clientum erga patronos affectus & promouendi ſtudium. Nam notatum fuit à peritis Stephanum Imperatori ipſi Maximiliano, qui eiuſdem tunc regni candidatus erat prælatum, ea ſolum de cauſſa, quod clientes Iagellonæ familiæ Annæ ſuperſtiti ex illa familia maritum quærerent: Sigiſmundum Imperatoris filio antepoſitum quod matrem ex Iagellona domo habuiſſet. *Piaſti apud Polonos.*

Vtinam, quo ardore apud homines Patronorum cauſſam ſuſcipiant, ac tuentur Clientes: ita Dei Patroni Opti. Max. cauſſam, nos, qui clientum titulo gaudemus, propugnare, cum de honore ipſius agitur, eniteremur.

NOTÆ.

DE ADVOCATO.

TAm in iure ciuili, quam canonico extat Titulus, *De poſtulando*, id eſt, *aduocando.*

ADVOCATVS dicitur is, vt colligunt ex Abbate cap. 1. De poſtulando, canonici iuris interpretes, qui in iudicio apud eum, qui iuriſdictioni præeſt deſiderium ſuum, vel amici exponit: aut alterius deſiderio contradicit. Sic quoque habetur

tur L. 1. ff. De poſtulando. Et *Tertia*, Quæſt. 7. C. *Infames*, vnde qui priuatim domi ſuæ alterum conſilio iuuat non dicitur proprie *Aduocatus*. Neque is, cui eſt prohibitum *Aduocare*, cenſetur inhibitionem accepiſſe de dando conſilium domi, etiam per allegationes iuris in ſcripto datas, vt ex Abbate, ac Bartolo tradit Syluester V. *Aduocatus* Numero 1. Laxius aduocari dicuntur, qui cauſſis agendis quoque ſtudio operantur. L. Præſes. ff. De variis, & extraordinariis cognitionibus.

Aſconius in Verrinam primam, Aduocatum in iudicio dicit eum eſſe, qui vel ius ſuggerit, vel præſentiam ſuam amico commodat. Etenim, moris erat in iudiciis tum priuatis, tum publicis amicos omnes aduocare, quorum auctoritate iudices mouerentur.

Idem. Qui defendit aliquem in iudicio, aut Patronus dicitur, ſi Orator eſt: aut Aduocatus, ſi ius ſuggerit, vel præſentiam ſuam commodat amico: aut Procurator, ſi negocium ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſens cauſſam nouit, & ſic tuetur, vt ſuam.

Cliens dicitur, qui in fiducia, ac tutela alicuius eſt, & Patronum habet.

Notat Gulielmus Budæus in Pandect. moris fuiſſe olim, vt prouinciales, ac ſocii Romani populi in clientelam ſe darent proceribus reipublicæ, quos Patronos ſibi adoptabant; ii autem clientes dicebantur. Porro ferebat id huiuſmodi neceſſitudo, vt clientes perpetuo Patronorum ſuorum patrocinio caput, ac fortunas ſuas tuerentur, viciſſimque ipſi Patronos ſuos omni obſeruantia, & obſequii genere colerent.

Quos autem vulgo vaſallos dicimus, clientes vocare poſſemus: & clientelam, obſequium, aut obſeruantiam, quod Homagium appellant.

§. PARACLETVS.] Παρακαλέω, conſolor, exhortor, rogo, patrocinium alicuius ſuſcipio. Vide Budæum Annot. & Comm. Ling. Græcæ: Franciſcum Philelphum in Epiſtol Iodocum Clictouæum Noris ad Damaſcen. Lib. 1. cap. 10. De pronuntiatione vocis Paraclitos agunt Grammatici, apud quos leges carmen.

Græca ſit, at ſi vox, ſed declinata Latine,
Accentu Græco talis vox eſt referenda.

Spiritus Sanctus ſignare dicitur Paracletus. Obſeruat autem Athanaſius Oratione contra Arium, non appellari Spiritum Sanctum in V. T. Paracletum. Cuius rei cauſſam duplicem dat Tolerus in cap. 14. Ioan. annot. 17. tum quia perſequutionibus, tribulationibuſque, quas Eccleſia paſſura erat promittendus, ac dandus erat Spiritus conſolator: tum quia tam ſuaue nomen vna cum vberiore donorum effuſione debebatur legi gratiæ, ac filiis, quos reſpiciens Iſaias dicebat cap. 40. 1. Conſolamini, conſolamini populus meus dicit Dominus. Conſolatorem tamen etiam tunc habuere iuſti, vt non ſemel Dauid pro conſolatione gratias agat.

Lis eſt, qua ſignificatione dicatur Spiritus Sanctus Paracletus. An etiam vt ſignificat Aduocatum? Maldonatus Ioannis 14. Obſeruat paracletum vocari ibi Spiritum Sanctum, vt ſignificat conſolatorem: agebatur enim de conſolandis diſcipulis. Leontius & Theodorus Mopſueſtenus volunt Paracletum, quaſi Magiſtrum appellari, quia poſtea dicit: Docebit vos omnem veritatem cap. 16. 19. Alii παράκλητον, quaſi Aduocatum dici, quia poſtulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus Roman. 8. 26. Quo ſenſu 1. Ioann. 2. παράκλητος, hoc eſt, Aduocatus vocatur, vt notas Cyrillus Lib. 9. in Ioann. cap. 44. Sebaſtianus Barradius Tom. 4. Concord. Lib. 4. cap. 4. Alium Paracletum vocari ait Spiritum Sanctum, quia alia

alia eſt perſonæ SS. Trinitatis. Et ex ſententia S. Auguſtini, Paracletum ibi ſignificare Aduocatum, Chriſtum propriè dici Aduocatum noſtrum: non ita Spiritum Sanctum, niſi quatenus nos ad orandum impellit. Itaque rectius dici dum Spiritus Sanctus vocatur Paracletus, idem eſſe, quod conſolatorem.

§. CHRISTVS PARACLETVS.] Titulum Aduocati conuenire CHRISTO ob paſſionem Patres docent. Imo S. Nazianzenus oratione *De Theologia*, exiſtimat, dum Chriſtus primæ Ioannis ſecundo dicitur Aduocatus apud Patrem, id intelligendum de ſola exhortatione ad tolerantiam ex his, quæ paſſus eſt. Quæ expoſitio Ioanni Lorino iure non videtur commoda; nam ſic non apud Patrem, ſed apud nos eſſet Paracletus.

Inter alios Titulos Chriſti Domini, de quibus agendum Oratori Chriſtiano docet Carolus Regius lib. 6. cap. 6. oſtendit eſſe Titulum Aduocati, quo, ſicut & Mediatoris gaudet Chriſtus. Aduocati enim munus pro nobis gerit, vt homo apud Patrem ſuum. Non ſolum, vt Paulus ait ad Hebræos 5. In diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque cum clamore valido, ac lacrymis offerens; ſed etiam adſiſtens nunc vultui Patris ad dexteram eius. Oſtendit Aduocatus Patri pro nobis latus & vulnera, quorum in hunc finem perpetuo cicatrices ſeruat. Sicut idem Paulus ait: Non enim in manufacta Sancta Ieſus introiuit exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Quare merito Ioannes hortatur, ne ſub tali Aduocato deſperemus in cauſſa noſtra.

Ex eo quod Chriſtus ſit Aduocatus S. Cyprianus libello de oratione dominica, Chriſtianos eiuſdem Aduocati verbis vti in precibus: Amica, inquit, & familiaris oratio eſt, Dominum de ſuo rogare: & cum ipſum apud Patrem Aduocatum habeamus pro peccatis noſtris petimus Aduocati noſtri verba promamus.

§. Quomodo *Chriſtus Aduocatum agat.*] An Chriſtus dicendus ſit nunc in cœlo orare, & quomodo? diſputamus in Scholaſticis, *Titulo, Religio.* Lege Franciſcum Suarez Tertia par. Tom. 1. Diſp. 45. Quæſt. 21. Sect. 2. Gabrielem Vaſquez Diſp. 82. Vbi excuſat S. Bonauenturam, quem meditantum ritu ſolum agere aſſerit. Benedictum Iuſtinianum in Epiſt. ad Romanos cap. 8. 34. Vbi Origenem etiam excuſari poſſe admonet. Toletum Ioannis 16. Annotatione 35. Valentiam Tom. 4. Quæſt. 21. Puncto 1. Iterum Toletum in Epiſt. ad Romanos annotat. 35. cap. 8. Ioann. Azorium Tom. 1. Inſtitutionibus Lib. 9. cap. 29. Quæſt. 7. & 8. Franciſcum Riberam in cap. 7. Epiſt. ad Hebræos. Heinriquez Lib. 9. Summæ de Miſſæ ſacrificio cap. 12. *Num.* 4. in Gloſſa. Litt. L.

§. FACTIO GVELPHORVM.] Non conſentiunt Auctores in narratione. Sanctus Antoninus, ſecunda parte hiſtoriæ Tit. 17. ca. 8. agens de Guelfone Bauariæ duce Heinrici ſuperbi fratre: Multi, inquit, exiſtimant ab iſto Guelfone Guelfos appellatos, cuius peſtiferum nomen maxime in Italia inualuit. Peſtiferum, dico, quantum ad ablationem vnitatis, & pacis, ita, vt nunquam potuerit inde extirpari.

Nam, quia hic Guelfo Chunrado ſe oppoſuit, ii Italicorum populi, qui imperiale dominium in Italia detrectant, vſque in hodiernum diem Guelfi nuncupantur. Sed qui in Italia partem imperii fouent, quare Gibellini dicantur, nec ſcriptum reperi. Alii aliam cauſam adſignant, quare dicantur fautores Eccleſiæ Guelfi, & fautores Imperii Gibellini.

Commentator Antonini. Perniciosiſſimæ hæ duæ factiones à Friderico 2. paulo

Pp post

poſt annum Chriſti 1160. diſſeminatæ in Italiæ fuerunt, quibus nomina quoque aut ipſe, aut è ſuis Germani aliqui indidêre. Verbo enim, quod certo Germanicum eſt, ſtudioſos Eccleſiæ Guelfos, & Imperatoriæ factionis, Gibellinos placuit appellari. Faciliterque adducor, vt credam Ptolomæo Lucenſi Epiſcopo, qui paullò poſt ea tempora ſcripſit: infauſta illa rebus Italiæ nomina primum apud Piſtorium fuiſſe audita, quæ paullò poſt ea tempora omnem Italiam, præter vnam vrbem Venetam infecerunt.

Blondus Decade ſecunda Libr. 7. Taxatur ſubinde Friderici II. mala mens, qui Italiam in factiones diuiſit, vt ſciret, quinam ſuis partibus fauerent, quinam Pontifici. Cæſareanis præfuit Gibel, inde Gibellini: Pontificiis Guelfus, inde Guelfi.

Vide Nauclerum Geneſ. 38. Genebrardum in Chronic. Anno 1156. Sabellicum Enneadis 9. lib. 6. p. 750. tom. 2. Brouium in Annalibus Eccleſiaſt.

§. Poloni Piasti.] De his Martinus Cromerus & Annales Polonici: ac nonnulla Thuanus in hiſtoria ſui temporis.

Sigiſmundus obiit, An. 1572. nonis Quintilibus Thuan. lib. 53.

Heinricus Andium Dux Caroli IX. Galliarum Regis frater Anno 1573. à Polonis Rex dictus VII. eid. Maias. Interfuêre electioni triginta quinque milli, ex quibus vix 10. pro aliis tulere ſuffragium, Thua. lib. 56. p. 506. Diſceſſit clam è Polonia An. 1574. 14. Kal. Quintil. Thuan. lib. 58. Imperium illi abrogatum Anno 1575. Eid. Quintil. Thuanus lib. 61. p. 257.

Anno 1575. 18. Kal. Iann. Annam Sigiſmundi Augusti vltimi ex ea gente Regis ſororem, virginem tunc quinquagenariam Poloni Reginam conſtituunt, eique Stephanum Battori Tranſyluaniæ Principem maritum deſtinant, ac Regem eodem decreto renunciant ob Iagellonum memoriam, quorum clientelam profitebantur. Thuan. lib. 61. p. 264 tantum valet clientum in Patronos adfectus.

Virgilius lib. 6. Æneid. adſignat locum in Tartaro iis, qui impoſuiſſent clientibus & violaſſent clientelas.

His quibus inuiſi fratres dum vita manebat
Pulſat uque parens, & fraus innexa clienti.

alluſum ad leg. 12. Tabul. *Patronus ſi clienti fraudem fecerit ſacer eſto.* Horatius ſecundo carminum, ode 18. ita hanc fraudem attingit.

Quid quod vſque proximos
Reuellis agri terminos? & vltra
Limites clientum
Salis auarus? pellitur paternos
In ſinu ferens Deos
Et vxor & vir ſordidosque natos.

Multa de hac re Dionyſius lib. 2. Antiq. vbi docet quo iure patroni ſuſcipere debeant cauſſas clientum. Vide Cerdam in Virgil. lib. 6. Æneid.

§. Deipara advocata, et Patrona.] Frequentiſſimè hoc titulo Patres B. Virginem ornant.

Irenæus lib. 5. contra hæreſ. cap. 19. Sicut Eua ſeducta eſt, & effugeret Devm: ſic Maria ſuaſa eſt obedire Deo vt virginis Euæ virgo Maria fieret Advocata.

Gregorius Nazianzenus Tragœdia de Christo patiente loquens cum Virgine.

Digitized by Google

—— *Te tuum erga Filium*

Mihi PATRONAM *ſentiam acceptiſſimam.*

S. Bernardus Sermone 1. de Aſſumptione, ADVOCATAM præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negocia pertractabit.

S. Bonauentura in Hymno. Te Matrem Dei laudamus. Tu Agonizatrix pugnantium. ADVOCATA pauperum Miſeratrix, & Refugium peccatorum. Tu Erogatrix munerum poſt Deum ſola ſpes noſtra. Tu Salus te inuocantium. Tu Promotrix iuſtorum. In carminibus ſuper Salue Regina.

ADVOCATA *libera coram Saluatore,*
Poſtulare propera, conſuetoq; more.
Et progente miſera benigno fauore
Natum tuum mitiga æterno amore.

Idem in 3. ſen. Diſt. 3. par. 1. art. 2. q. 1. Virginem ADVOCATAM eſſe generis humani docet. Et propterea congruebat, inquit, vt virgo nullum haberet peccatum, & ita vinceret Diabolum, vt nec ei ſuccumberet ad modicum.

Habuiſſe autem Virginem dotes Aduocatorum probat S. Antoninus. 4. Par. Tit. 15. cap. 14. §. 2. Sapientia inquit, Aduocati & eloquentia manifeſtatur in tribus. Scilicet, quod obtineat apud iuſtum, & ſapientem iudicem. Secundò, contra aduerſarium aſtutum, & ſagacem. Tertiò, quod in cauſſa deſperata. Sed virgo Maria ADVOCATA noſtra obtinuit apud ſapientiſſimum, & iuſtum iudicem DEVM contra aſtutiſſimum aduerſarium Diabolum in cauſſa deſperatiſſima inter Deum & hominem, in qua nullus hominum, qui eam præ eſſerat loqui audebat.

Plura de hoc Titulo Mariæ laudatores Ioannes Dauid in Pancarpio Francis. Coſterus in Salue Regina. Antonius Spinellus in *Maria-throno* cap. 30. vbi narrat, quod eſt in Reuelationibus B. Gertrudis: *cum per verba illa: Eia ergo* ADVOCATA *noſtra* benigniſſimam Matrem in ſuum auxilium inuocaret, viſam fuiſſe Matrem inclytam velut funibus quibuſdam validis tractam inclinari ad eam. Per quod intellexit, quod quoties aliquis ipſam ADVOCATAM cum deuotione nominando inuocat, per hoc nomen materna pietas eius in tantum commoueatur, quod nullatenus ſe valeat cohibere, quin benigne precibus illius acclinetur.

Scribit S. Bonauentura in vita S. Franciſci, Seraphicum Patrem indicibili adfectu amplexum fuiſſe Dei Matrem, in ipſam etiam poſt Chriſtum præcipuam collocaſſe fiduciam, eam ſui, ac ſuorum conſtituiſſe ADVOCATAM, ac in eius honorem à feſto SS. Apoſtolorum Petri, ac Pauli vſque ad Aſſumptionem deuotiſſimè ieiunaſſe.

§. CLIENTVM *ſtudia.*] Locus communis ad augendum adfectum ſodalium in B. Virginem Mariam, Patronam, & ADVOCATAM. Tractat illum accommodatè ad iuuenum captum Ioannes Bourgeſius Libello, De bono *Sodalitatis* ca. 3. quod inſcribitur: Sodalitas in ſanctiſſimæ Dei matris eſt clientela.

Vetus erat apud Romanos conſuetudo, quæ nondum exoleuit vt fortunæ tenuioris homines, aut qui in iudicium vocati eſſent rei Patronum ſibi deligerent potentem atque eloquentem, cuius ope, ac tutela niterentur, à quo protegerentur in fortunarum, ac capitis periculo: in aduerſis ſubleuarentur, in proſperis ornarentur.

Digitized by Google

Huic ſeſe deuouebant clientes, mane ſalutatum veniebant frequentiſſimi, in forum deducebant, reducebant domum officii, atque honoris cauſſa: atque omni genere officiorum beneuolos eorum animos ſibi conciliabant. Ad eum modum Sodalis Parthenius, cum ſe diuinæ gratiæ, virtutumque copiis valde ſentiret egentem, neque de capite modo, ac fortunis omnibus, ſed de ſempiterna ſalute iudicium ſibi ſubeundum animaduerteret, apud incorruptum, ſeuerumque Iudicem Deum: huius Iudicis, Matrem clementiſſimam ſibi PATRONAM, ADVOCATAMQVE adſciuit, non tam humano conſilio, quam diuino quodam inuento, atque monito ipſa ſuggerente miſericordiæ Matre ſuumque patrocinium deferente.

Huius Aduocatæ, Patronæque, & Clientulorum reciproca officia explicat egregiè Franciſcus de la Croix opuſculo quod inſcribitur Hortulus Marianus: ſiue Praxes variæ colendi Beatiſſimam Virginem.

COMMENTATIO XXVI.

Dominica V. poſt Paſcha.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM ex Contractu Promiſſionis.

In qua diſſeritur de Promiſſionum diuinarum magnitudine, ſecuritate, multitudine. Tum verò etiam de diſcrimine, quod in Promiſſionibus DEI ac mundi cernitur.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16. 23.

Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.

PROFECTO, *Auditores*, niſi Chriſtus pollicitis ſit ditior, quam beneficiis, quod ſuſpicari eſt nefas, & illum maximè largum donatorem eſſe oportet, & nos minime parcos petitores.

Eia, conſpiremus, quæſo vos, & vna alteraue rerum exilium petitione non contenti, petitionibus petitiones cumulemus, & in infinitum auctis certamen inſtituamus mendicitatis, & liberalitatis: mendicitatis noſtræ nunquam exhauriendæ. Petat noſtra mendicitas, & in nomine Filii petat: nihil negare poterit Dei liberalitas. Promiſſorem tenemus, in ius ducimus, tabulas reſignamus, clara verba proferimus. Lege tabellio ex autentico veritatis inſtrumento. Ita habetur ſyllabatim: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

PETE aliquid, Chriſtiane, promiſſi fidem experiere. Quid petam? dicis. *Pete
a Iſa. 7. 11. tibi ſignum à Domino Deo tuo, in profundo inferni, ſiue in exceſſum a ſupra* ſed *Iudæi ſigna* b
b 1. Cor. 1. 22. *petunt*, prodigiis aſſueti. Illorum vox eſt: *Volumus à te ſigna videre.* Illorum
c Luc. 2. 16. querela: *Signa noſtra non vidimus* c: *iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcit amplius* d.
d Pſal. 78. 9. Non *petam*, ait fidelis, *& non tentabo Dominum.*
Matt. 20. 20.

Ipſe dedit nobis ſignum. Ecce virgo concepit, & peperit nobis filium: & vocatum eſt nomen eius Emanuel: hoc ſufficit nobis. Accede *Mater filiorum Zebedæi*, Anima, intellectus ac voluntatis gemelli partus genetrix, *adorans & petens aliquid ab eo.* Sed quid vis? *Dic, vt ſedeant hi duo filii mei vnus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram tuam in regno tuo.* Intellectus laudem perſpicacitatis conſequatur, vt omnibus antecellat: voluntas aliis imperandi corona ornetur. *Neſcitis quid petatis*: hoc

Digitized by Google

hoc ambitioſorum eſt. Aduola filia Caleb : quid ſuaſit Othoniel vt peteres ? Da *Ioſue* 15. 19.
mihi benedictionem : terram Auſtralem, & arentem dediſti mihi, iunge & irri- 1. *Cor.* 1. 22.
guam, hoc terrenorum eſt. *Gen.* 30. 34.

Pete aliquid tanto dignũ promiſſore, fidelis anima; non ſignũ cum Iudæis: non *Gen.* 30.1 & 14.
profanam ſapientiam cum gentibus: non maſculoſa, & fatua pecora cum Iacobo: *Gen.* 35. 30.
non liberos, & mandragoras Rachaële: non inrufatam pultem, & lenticulam bene *Gen* 41. 52.
coctã cum Eſau: non alimenta cum Ægyptiis: non vaſa argentea, & aurea, veſtemq; *Exodi* 12. 35.
plurimam cum Hebræis ex Ægypto fugientibus : non aquam cum Siſara: non Re- *Iud.* 5. 25.
gem terrenum cum Iſraelitis : Non Michol filiam Saul cum Dauide: non terram 1. *Reg.* 8. 10.
irriguam cum Aza Othonielis : non Abiſag Sunamitidem cũ Bethſabee Salomo- 2. *Reg.* 3. 13.
nis : non triticum, oleum , vrbes cum Hieramo Rege Tyri: non coturnices cum *Ioſ.* 15. 19.
murmuratoribus Iſraelitis : non dexteram & ſiniſtram cum Zebæorum matre: 3. *Reg.* 2. 21.
non Barrabam latronem cum ſacerdotum fæce. Sed pete Sapientiam diui- 3. *Reg* 5. 11.
nam vt Salomon : habitationem in domo Dei , vt Dauid : duplicem ſpiritum *Pſal.* 104. 40.
vt Eliſæus , non Eliæ, ſed Domini : animam tuam pro qua oras, & populum pro *Matt.* 20.
quo obſecras , vt Eſther : propitiationem à Deo , vt Eccleſiaſticus: Angelorum *Matt.* 17.
panem, vt paruuli : miſericordiam , vt Machabæus : corpus Ieſu , vt Ioſephus : vi- 2. *Paral.* 2.
tam, vt Pſaltes : tandem, Devm & omnia. Si quid petieritis Patrem, in nomine *Pſal.* 26. 4.
meo dabit vobis. *Eſther.* 7. 3. *Eccl.* 28. 5. *Thren.* 4. 4. 2. *Mach.* 13. 12. *Matth.* 27. 58. *Pſal.* 20. 5.

Qvinta fiducia in tam liberali promiſſione, ſi de fide Promiſſoris non dubi-
tetur , & effectum ſortiatur id , de quo tam prolixa habetur pollicitatio ? Et,
an non totum ſibi aliquis deuinciret illum , cui nihil ſe vnquam denegatu-
rum promitteret ? quamuis nullus eſſet alius obligationis titulus ? ita reor,
niſi ſaxum aliquod producas in medium , omnis non humanitatis minus ,
quam ſenſus motioniſque vitalis expers. Christo itaque Domino noſtro,
ac Deo , vel hoc Promissoris *Titulo, & Promiſſionis contractu* (ſi tamen *Notæ.*
contractus dicendus eſt , de quo litigant Legum Doctores , cum non habeat
reciprocam vltro citroque ex iuſtitia obligationem) nos obnoxios eſſe fateri ne-
ceſſum eſt, niſi ingratiſſimi mortalium velimus. Verum quam liberalis, ac multi-
plex à Deo hominibus facta ſit promiſſio , & quomodo eidem à nobis ſit re-
ſpondendum, ex Promiſſionis ipſiuſmet natura, conditionibuſque inueſtigemus.

Est in iure humano verſatis haud ignotus Titulus , *De Pollicitationibus.* qui eſt *Promiſſio*
duodecimus in lib. 50. Digeſtorum. Cenſent autem Iuriſconſulti pollicitatio- *quid ſit?*
nem tunc eſſe , quando nulla rogatione præcedente , ſed ſponte gratis , ac libera-
liter alteri nihil à nobis petenti, imò abſenti etiam ſpondemus, nos aliquid datu-
ros, facturoſve. Sic autem in *L. Pactum. Digeſt.* De pollicitation. Pollicitatio
dicitur offerentis ſolius promiſſio. Et Gloſſa ibidem ait: In pollicitatione non
eſt, niſi vnius partis conſenſus : ideoque differt à pacto, quod eſt duorum, plu-
riumve conſenſus, aut conuentio. Huiuſmodi autem pollicitationem homini
factam Theologi promiſſionem vocant : eamque à voto diſtinguunt : quod,
votum ſit promiſſio facta Deo : Promiſſio autem pollicitatio homini facta.
Ex quo illud colligit Philoſophus , pollicitationem aliquando eſſe nomen gene-
ris, ita, vt comprehendat votum nuncupatum Deo & ſtipulationem ac pollicita-
tionem factam homini : aliquando eſſe nomen ſpeciei , quatenus eſt pollicita-
tio, qua aliquid homini promittitur, diſtinguiturque à voto, quo quidpiam pro-
mittitur Deo. Promiſſio igitur, ſi res exactè diiudicanda eſt, tunc fit, quando

quis gratis ac liberaliter ſpondet alteri, ſe aliquid facturum, aut daturum. Ex quo conſtat Promittentis nomen DEO multifariam conuenire. Quam autem liberalis ſit, & quid de promiſſionibus illius ſigillatim ſentiendum ex promiſſionum diuerſitate diiudicabimus.

Promiſſio ſordidorum. NOTÆ.

EST promiſſio apud homines admodum vſitata, quam ego non tam promiſſionem, quam ſordidam excuſationem vocare ſoleo: dum quis pollicetur id, quod præſtare actutum poteſt. Faciam, inquis hoſpes meus: ſed diem ad deliberandum poſtulo, exequar, ſed exſpecta parumper: ad proximum mercatum illud expediam: anno proxime in ſequenti dabo. Quid ſpondes in futurum, cuius nunc vſus vrget? Lepide Antiſthenes, vt eſt apud Laërtium, cum illi adoleſcens Ponticus polliceretur, ſe rationem Antiſthenis habiturum, ſi nauis ipſius, quæ Salſamenta vehebat, appuliſſet: nihil ille moratus, accepto nouo vaſe, vna cum adoleſcente ad mulierem iuit, quæ farinam vendebat, impletoque vaſe, abitum parabat: mulieri autem poſcenti farinæ pretium, commonſtrato adoleſcente, hic dabit, aiebat, ſi nauis cum ſalſamentis appulerit: ſignificans inanes in diem eſſe pollicitationes, cum farina cotidie præſenti pecunia ſit emenda, vt aliæ vitæ neceſſaria.

Laër. Lib. 6.

Hominum infidelis promiſſio.

HAVD ſequus in diuinis homines frequenter ludunt. DEVS à ſingulis præſentem poſtulat iuſtitiam, præſentem famulatum, præſens bonorum operũ meritum: illi in ſequentes annos vafre, ac mendaciter pollicẽtur: Si ex hoc morbo euadam: ſi hanc dignitatem cõſequar: ſi hoc officium obtineam. Quid ſi DEVS panem petenti, ac fame pene enecto ingereret? tui rationem habiturus ſum, ſi poſt annum redieris: ſi quam diu ego te, tu me exſpectaueris: ſi ex altero orbe oneraria ſalua aduenerit. Sed liberalior eſt & conſtantior in promiſſis Chriſtus. Is, quod in præſenti dare expedit, non differt: ſtatim dat quod poteſt: poteſt autem omnia, quæcunque bonitati ipſius, ac rationibus æternis non aduerſantur. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: dabit, ſtatim nimirum, vix labiis ad formanda verba diuaricatis: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: nempe, antequam ore proferant. *Hæc eſt fiducia*, ait Ioannes, *quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.*

1. Ioan 1. 5.

Non, inquit, *audiet*, in futuro, licet ſic Hugo, & Thomas Angelicus legant, eoque tempore velint ſignificari, non præſentia poſtulanda eſſe, nimirum, per ſe, ſed futura ac æterna: verũ Græce Syriace, & in omnibus pene latinis in præſenti, audit.

Promiſſionum Dei, aliæ abſolutæ, Conditionatæ. Negantes, Affirmantes.

EST tamen inter Promiſſiones DEI ſuum in hac re diſcrimen. Aliæ enim ſunt. *Abſolutæ*, aliæ cum *conditione*. Abſolutas voco, quibus DEVS ex liberalitate pollicetur aliquid ſe daturum, vel facturum, nihil ab homine eius gratia exigens. Conditionatæ ſunt, quibus adiuncta eſt conditionis certæ appendix. Sunt autem & hæ in duplici differentia. Aliæ *negantes*, aliæ *affirmantes*. Inter quas hoc poteſt adſignari diſcrimen: quod negantes infallibilem effectum ſortiantur, nullo alio adiuncto, præter quam quod enunciatum ipſum continet, interueniente: Affirmantes non item, ſed exceptione adhibita, niſi quidpiam aliud impediat.

Marci. 16. 16.

Vnus idemque locus Marci Euangeliſtæ diuerſitatis notatæ dabit exemplum. Inquit Chriſtus: *Qui non crediderit condemnabitur.* Fac aſſertionem eſſe promiſſium, ſicut reuera eſt, cum inter negantes cenſeri debeat, ſenſum habet abſolutum nulla conditione addita. Itaque ex illius vi, quiſquis non crediderit, quantumuis bene viuit, & quicquid aliud fiat condemnabitur.

Aliud

Aliud autem eſt ibidem pronunciatum promiſſorium: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Hoc affirmatiuum eſt: ideò, non ſine exceptione intelligendum ſi cetera quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem non deſint: ea autem ex aliis ſacræ Scripturæ locis educenda ſunt.

Eodem pacto Matthæi 6. 15. *Si non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*: quia effatum eſt negatiuum, habet ſenſum abſolutum. At, quod præceſſerat: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter delicta veſtra*: appendices poſtulat, quia affirmatiuum eſt: ſi peccaſſe hominem pœniteat, ſi ſit decretum animo non peccandi amplius: ſi ſatisfaciat. Quare inter
hæreticos numerati fuerunt, vt ſcribit Auguſtinus, qui affirmabant: illam Chriſti *Lib.21. de Ciuit cap.22.27*
promiſſionem ita intelligendam, quaſi, quantumcumque homines peccarent, &
quacumque ratione viuerent, modò acceptatas iniurias condonarent, certi eſſent,
fore, vt peccata ipſis à Deo remitterentur.

PORRO huius rationis eſt & illa noſtra *Promiſſio* à Chriſto facta: *Si quid petie- Matth.7.7.*
ritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Quæ variis locis, vno ſenſu in ſacro Codice *& cap.21.22.*
continetur apud Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem. Quare, non eſt mi- *Marc.11.24.*
rum, quod ſæpe non impetremus, quæ petimus: eſt enim conditionata promiſſio, *Luc.11.9.* *Ioan.14.13.*
non ſine exceptione intelligenda. Non impetrat autem, qui mala, id eſt, non *Cap.15.7.*
petenda petit: qui bona in malum finem: Petenda ſunt bona, ſed & in bonum fi- *Cap.17.24.*
nem, vt docet Iacobus Apoſtolus. Qui malus & indignus eſt, vt exaudiatur, vt *Iac.cap.4.3.*
ex Ioanne colligitur. Item, qui petit, quod maius bonum impedit, vt docet Au- *Ioan.9.31.*
guſtinus. Præterea quia vult Deus, vt frequenter petatur. Quod apud Lucam *Ser.5. de verb. Domini.*
Dominus inſinuat. Adhæc vt meliora quam petimus obtineamus: Vt Auguſti- *Luc.11.8.*
nus monet. An etiam, vt ſæpius petendo dulcius adſequamur? *Luc.18.1.*

Aliam conditionem Ioannes Apoſtolus inſinuat, qui cum Epiſtola prima ſcri- *Lib.2. de Ser. Domini.*
pſiſſet: *Quicquid petieritis accipietis ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt* *Epiſt.34 ad*
placita coram eo facimus: poſtea ſubpetit: *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: quia quod-* *Paulin.*
cumque petierimus ſecundum voluntatem eius audit nos. Hanc conditionem obſeruat, qui *1.Ioan.3.*
voluntatem Dei exequitur, & in eo quod petit, voluntatem Dei ſpectat: quem nul- *Cap.5.*
lius peccati mortalis conſcientia arguit: qui ſincera eſt caritate erga fratres: qui cum
petit ſibi debita remitti & ipſe debitoribus condonat alacriter. Hæc conditio minimè neglecta παῤῥησίαν parit, fiduciam inijcit: liberã agendi, ac loquẽdi cum Deo
facultatem præbet. Diffidit autem accipere ſe poſſe, rectè inquit Gregorius, qui profe- *Lib.10. Moral. cap.15.*
cto reminiſcitur, nolle ſe ad huc facere, quod diuinitus audiuit. Et cur nos in petitione reprehendit, cum reſiſtere ſe præceptis eius, quem poſtulat meminit. Et oratio
fit execrabilis, cum à cenſura auertitur legis. Profecto qui auertit aurem ſuam ne *Prouerb.28.9.*
audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Et fit illi oratio in peccatum. *Pſal.108.7.*

Si manſeritis in me, inquit, benigniſſimus promiſſor, *& verba mea in vobis manſerint*: *Ioan.15.7.*
en conditionem; *quæcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Nec reiiciendum quod notat S. Thomas in cap. 16. Ioannis, habetque idem Hugo & Thomas Angelicus in primam Ioannis cap. 5. cum dicitur: *Quodcunque petieritis*: aut, *ſi quid petieritis*, per *Quid* & *Quodcumque* ſignificari ſubſtantiale, ac ſolidum: non accidentale ac vanum, quale eſt bonum temporale, quod non appetitur, aut petitur propter ſpirituale.

Promiſſionis igitur hic ſenſus eſt: Exaudiendum petentem, ſi talis ſit, qualem requirit Deus, nec aliud velit, quam quod ipſe.

Cur à DEO promiſſio facta.

AT cur DEVS Promiſſione nos ſibi deuincire voluit? Infinita quæſtio, quæ tot reſponſiones exigit, quot ſunt rerum genera, quæ DEVS hominibus eſt pollicitus.

Cur Meſſiam, tot antequam veniret ſeculis appariturum promiſit. Fortaſſe vt venientis excitaret deſiderium. Fortaſſe, vt rem promiſſam, dilatamque æſtimaremus: ne vile quid putaretur, ſi ſtatim fuiſſet datum. Fortaſſe vt ſe debitorem humano generi conſtitueret, ò bonitas! Præclare S. Auguſtinus: Promiſſorum ſuorum nobis Chyrographum fecit: non debendo, ſed promittendo debitorem ſe conſtituit DEVS: hoc eſt: non mutuo accipiendo. Non poſſum ergo ei dicere: redde, quod accepiſti: ſed redde, quod promiſiſti: quoniam quis prior dedit illi & retribuetur illi.

Auguſt. Ser. 31. de verb. Dom.

Eædem cauſſę dari poſſunt, cur beatitudinem, aut regnum cœlorum bonis operibus promiſerit. Inde eſt, ait idem S. Pater, quod audemus dicere: Adueniat regnum tuum: promiſit Patribus; ſed cautionem dedit, quam legeremus & nos. Subtilius hic philoſophantur Theologi, dum quærunt: An promiſſio diuina præmii retribuendi ſit omnino neceſſaria ad hoc, vt ſtudioſum opus hominis Chriſtiani habeat rationem meriti de condigno, vt loquimur in Scholis intuitu vitæ æternæ. Subtilis quæſtio ingeniis eminentioribus exercendis, quam cum de DEO DEBITORE diſſeremus, populariter tractabimus.

Promiſſa Dei maxima: Petri 1. 4.

Lib. 1. in Ioan. Gloſſ. ordin.

NVNC Chriſtum libertatis noſtræ vindicem celebremus: *per quem*, vt inquit, Petrus Apoſtolus, *maxima & precioſa nobis promiſſa donauit* Pater æternus: *Vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ fugientes eam, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* Obſeruate promiſſorum diuinorum epitheta, τίμια καὶ μέγιστα, *precioſa*, ac *maxima*: Grandia legit Hieronymus. Sed quænam illa? Boni interpretes exponunt de vita æterna: aut de conuerſione mundi per Apoſtolos, ac Apoſtolicos viros: aut de aduentu Spiritus Sancti, & per illum donorum abundantia: aut de potentia miraculorum: aut de omnib. religionis Chriſtianæ Sacramentis, & myſteriis, olim in lege veteri obumbratis, ac promiſſis: tradidit autem, primo quidem Apoſtolis ac Iudæis, quorum videlicet ſunt promiſſa, vt dicitur in Epiſtola ad Romanos nono cap. quorumque eſt repromiſſio, vt eſt Actuum ſecundo: deinde gentibus. Non eſt dubium, quæcunque ad ſalutem noſtram pertinent, Promiſſorum vocabulo intelligi poſſe, eaque omnia eſſe precioſa, & maxima: præcipue tamen deſignantur reliquorum fontes: verbi diuini incarnatio, & Chriſti Domini Paſſio, quam pene exprimit adiunctum, *precioſa*. In eo namque precioſus ſanguis, quo empti, ac redempti ſumus, eſt fuſus, & precium generis humani in crucis, tanquam iuſtitiæ bilance appenſum. Precioſum etiam promiſſum haud dubie eſt Beatitudo, reliquorum complementum. *Et hæc eſt repromiſſio*, ſcribit Ioannes, *quam ipſe pollicitus eſt nobis vitam æternam.* Nimirum ſæpius promiſſus eſt felicitatis cumulus, per Prophetas, per Apoſtolos, per Chriſtum.

Rom. 9. 4.
Act. 2. 39.
1. Ioan. 2. 25.

Spiritus Sanctus Promiſſio Act. 1. 4.

Singulari quoque modo Spiritus Sanctus Promiſſionis nomine denotatur. Certe Actuum primo præcipit Dominus abiens Apoſtolis, vt exſpectarent *Promiſſionem Patris*, quam audiſtis, inquiebat, *per os meum*. Vbi notat Oecumenius, videri ſubintelligi quidpiam, vt ſit ſenſus: Exſpectate promiſſionem à Patre, quam ego feci de Spiritu Sancto. Recte tamen Spiritus Sanctus dicitur *Promiſſio Patris*: vel promiſſus à Patre, quoniam illum ſæpe Pater promiſit in ſacra ſcriptura, vt docent Theophylactus, & Euthymius Lucæ vltimo: nempe per Iſaiam, Ezechielem, & Ioelem,

Iſa. 44. 3.
Ezech. 36. 24.
Ioel 2. 28.

Digitized by Google

Ioclem, quem Petrus Actuum ſecundo adducit. Et Paulus ad Galatas ſcribens monet vt pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem Adde, eſſe eum ſpiritum Patris, quia Pater diuinarum perſonarum eſt origo: Licet diuinus ſpiritus à Filio, vt ab origine procedit. Vere precioſum promiſſum Spiritus Sanctus ſed non minus Filius: quæ eſt noui teſtamenti promiſſio, cum propria veteris eſſet de temporalibus.

Actu. 2. 17. Gal. 3. 14.

A tam multiplici promiſſione Titulum Promiſſoris DEVS obtinuit: qui ob duo potiſſimum à nobis eſt æſtimandus: ac propter illum ſummopere Dei erga nos bonitas deprędicanda. Primo, quia is Titulus ad nos peculiari quodam modo ſpectat, qui à Chriſto ad religionis conſortium ſumus adſcripti. Secundo, quia ſine eo nullus ad nos ex reliquis fructus dimanaret; vt vere dicere liceat, promiſſionem diuinam bonorum omnium fundamentum, cauſſamque nobis extitiſſe. Siquidem ſine promiſſione reliquorum cōtractuum firma non ſubſiſteret obligatio: & vt clarius dicam: neque DEVM, vt ſocium, neque vt redemptorem, neque vt paſtorem, animam pro nobis ponentem, neque vt locatorem, neque vt conductorem conuenire poſſemus. Vtrumque declaro.

Titulus Promiſſoris Chriſtianos ſpectat.

FIDELES omnes Chriſtiani, Deoque per caritatis nexum iuncti vocantur *Filii promiſſionis. Non qui filii carnis*, inquit Apoſtolus, *hi filii Dei: ſed, qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* hoc eſt: non qui propagatione humana ab Abrahamo ſunt orti, ij continuo diuinæ pollicitationis participes fiunt: ſed ij duntaxat veri filii Abrahæ cenſentur, qui diuinitus electi, vocatique ſunt, vt ad cœleſtē promiſſionem pertineant. Horum typus eſt Iſaac. Dicimus enim omnes cum Apoſtolo: *Nos, fratres ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus.* Ad Galat. 4. Iſmaël petitur à DEO ex nominis etymo interpretatur: Iſaac promiſſus, riſum & alacritatem liberalis promiſſionis adfert. Lex Chriſti ſecundum quam Chriſtiani ſumus, vt *lex* eſt *promiſſionis*, quia toties promiſſa, & tot promiſſionibus ſcatens, & dicitur *Gratia*, quæ optime cum promiſſione conuenit: quod enim promittitur ex gratia & liberalitate promittitur. Noſtri quoque ſtatus figura fuit *Terra promiſſionis*, ad quam tendebant Iſraelitæ: nos in ea pedem fiximus: & porro pergimus vt ad eius terminum, qui eſt regnum cælorum perueniamus. *Hæc eſt enim repromiſſio*, inquit Ioannes, *quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.*

Filii promiſſionis Chriſtiani. Gal. 4. 28. 1. Ioan. 2. 25.

Docet autem S Hieronymus, quæ multorum eſt opinio regnum cœlorum in veteri Teſtamento non fuiſſe repromiſſum, ſed in Euangelio tantum: prædicare autem id cæpiſſe Ioannem Baptiſtam, deinde Chriſtum, poſtea Apoſtolos, & horum ſucceſſores. His conſentaneè Theophylactus in cap. 16. Lucæ adfirmat, legem benedictiones in diuitiis dediſſe, Prophetas terræ bona promiſiſſe: id auditorum infirmitate poſtulante: regni cælorum mentionem nequaquam ab iis factam. Atque idcirco fortaſſe Paulus ad Hebræos 7. noui Teſtamenti meliorem ſpem vocat & in melioribus repromiſſionibus ſanctam eſſe. Quamobrē S. Auguſtinus non vno loco, ſicut & S. Bernardus, aliique Patres, Teſtamenti veteris promiſſionem ac præmium vocant vile, terrenum, ac temporale.

An regnum cælorum ſit promiſſum Iudæis. S. Hier. Lib. 1. contra Pelag. Heb. 7. 19. Aug. Epiſt. 120. Lib. 4. contra Fauſt. 18. de ciuit. c. 11. Bern. Serm. 30. in Cant.

S. d, nonne mentio fit vitæ æternæ ſecundo Machabæorum cap. 7. Vbi Mulier fortis ſeptem filios animat ſpe vitæ melioris ad contemnendam vitam hanc momentaneam? Nonne quidam Chriſtum interrogauit à maioribus hauſta opinione, Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Nonne Chriſtus iuſſit ſcrutari ſcripturas quia ipſi putarent in ipſis vitam æternam ſe habere? Nonne Paulus ad He-

Luca. 18. 18. Ioan. 5. 39.

Hebr. 11. 13. bræos 11. cap. veteres ſcribit à longe aſpexiſſe & ſalutaſſe, quas non acceperant, id eſt, non dum perceperant, repromiſſiones, ac patriam requiſiuiſſe? Nonne orat Eccleſia, vt S. Michael defunctorum animas repræſentet in lucem ſanctam: & addit; quam olim Abraham promiſiſti, & ſemini eius? Sunt hæc quidem veriſſima: ſed non efficiunt in lege veteri tam expreſſam ac omnino diſtinctam haberi promiſſionem regni cælorum, quam in noua. Cum itaque nos filii ſimus repromiſſionis, ad nos maxime ſpectat *Titulus Promiſſoris, & Promiſſionis contractus*, quo magnopere conuenit nos fidere, gaudere, gloriari.

Promiſſionis diuinæ neceſſitas. Iam vero, quod alterum erat ex propoſitis, ſine promiſſione diuina, aliorum contractuum firmitatem vacillare: nullumq; poſt primi parentis lapſum, Titulum, æque ad bonorum omnium copiam, ac felicitatem ſupremam nobis conferre, tanquam voluntatis diuinæ ſignaculum ex his principiis colligimus.

PRIMVM eſt. Generi humano nullam ſalutis ſpem reliquam fuiſſe, niſi peccatorum debitis, de quibus proprio loco agimus, ſecundum æqualitatem, ac iuſtitiæ regulam condigne perſolutis. Quod cum fieri non poſſet ab vlla creatura, quæ infinito quodam interuallo à DEO per ſcelera offenſo diſtat, neceſſe erat *Hominem Deum* ad nos venire, qui Mediatoris, ſequeſtrique perſonam agens, debitis plene diſpunctis nos denuo priſtinæ libertati reſtitueret: id eſt, in gratia & amicitia Dei Creatoris collocaret,

DEINDE: hoc fixum habuiſſe ſummum Iudicem: neminem ad beatitudinem illam cœlitibus propriam admittere, niſi meritis, ſiue alienis tantum, id eſt, Chriſti redemptoris, quod infantibus concedit; ſiue propriis etiam, quod in adultis, qui ad rationis vſum perueniunt, requiritur; illam tanquam præmium operanti debitum aſſequatur.

PRÆTEREA certum eſt, nullis naturæ creatæ officiis, quamuis optimis, DEVM obligari poſſe, vt teneatur illam in gratiam recipere, ac beatitudinem conferre, ſi promiſſionem de mercede danda excludas.

Promiſſio obligat. TANDEM, & illud ponatur, vt indubitatum: Promiſſionem alicui, quamuis gratis ac liberaliter factam obligare promittentem ad exequutionem eorum, quæ promiſit: ſi non ex iuſtitia ciuili, certe ea fide data, ac veracitate.

Ex his principiis nullo negocio deducitur: ſine promiſſione diuina, neque debitum peccatorum fuiſſe à Chriſto Saluatore perſolutum: hoc eſt, nos minime redemptos, & ad ſortem filiorum tralatos: neque nobis beatitudinem æternam neceſſario dandam fuiſſe: cum neutrum ſine rigoroſa ſatisfactione, & meritis: neutrum etiam ſine obligatione ex parte Dei, ſi iuſtitiæ ratio habeatur, fieri debuerit: vt fuſius in Commentationibus Scholaſticis demonſtramus. In quibus & illud docemus. Quod Redemptoris noſtri Paſſio, & in ea fuſus pro nobis copioſiſſime ſanguis, pretium dicatur liberationis noſtræ; eoque vere mundus ſit redemptus, Promiſſioni potiſſimum eſſe tribuendum. Ad hoc etiam vt iuſtorum operationes dignæ ſint præmio beatitudinis, per modum perfecti meriti promiſſionem diuinam neceſſario intercedere debuiſſe.

Obligatio ex Titulo promiſſionis. Ex quibus quilibet non omnino ſtupidus, aut datus in reprobum ſenſum facillime colligit, quantum DEO, omnes, ac ſinguli ob *Promiſſoris* liberaliſſimi *Titulum*, & contractum promiſſionis cum genere humano initum debeamus. Et quam arcta hinc inter nos, largiſſimumque principem oriatur, ſi non alia iuſtitiæ, certe, gratitudinis obligatio: cui nunquam à nobis ſatisfactum iri certo ſciamus, niſi ita

ſaltem

Digitized by Google

ſaltem nos ad illius voluntarem, arbitriumque finxerimus, vt nunquam mortali nos crimine, quo ingratitudinis fœdiſſimæ nota animæ inuritur, obſtringamus. Mirum autem quantum augeanr huius obligationis debitum conditiones eæ, quæ diuinam promiſſionem committanrur: quas melius, per antitheſin, quam inter promiſſiones Dei, ac mundi, hominumq; animaduertimus, explicabimus.

MVNDVS, Dæmon, caro, ſunt enim hac in re eiuſdem genii, promiſſis ſunt prodigi. nihil non pollicentur, modo iis obſequaris: iis promptiſſimum eſt, χρυσᾶ ὄρη ὑπισχνεῖσθαι. Spondes Mundus honorum culmen: Dæmon diuitias: Caro voluptates gulæ tactuſque: ſolidos è clibano boues aiebar ille. Sed profectò ſunt Alybantis hoſpitis munera: pollicitationes Charetis: poſt quam nihil amplius conſequaris, quam illi, quibus Theagenes ampliſſimas ſpes promiſſionibus ſuis oſtendebat, ob id καπνός, id eſt, *Fumus* cognominatus: pollicebatur enim magnificè, cum eſſet Iro pauperior. Id tribus illis eſt ſolenne; promittere, quæ dare non poſſunt, nec volunt: aut, ſi quando dant, minus tribuunt. Vulgaris olim erat parœmia, λόγους γὰρ Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται: *Verba importat Hermodorus*: melius dixeris, *verba importat mundus*. Nihil præter verba dat; verba animæ precio vendit. Mundi eſt illud fraudantis:

Mundus promiſſis prodigus NOTÆ Au eos mõtes polliceri. ὅλας ἁμάξας βάναυσῶς.

> *Promittas facito, quid enim promittere lædit?*
> *Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.*

Album ſemper panem pinſit mundus, ſed teterrimum apponit. Semper mihi ſuſpectus eſt mundus dum ita ſubito tam ſpecioſa promittit. Cœlum mane rutilum ferè tempeſtatem præſagit. Certè, quam minimum eſt expectandum ab eo, qui plurimum ſemper promittit. Mundo ne fidas: promittit, ſed cõtrarium præſtat.

λευκὴν μᾶζαν φυρῶσι.

Promittebat Amano altiſſimum in regia locum: dedit patibulo. promittebat Herodi diuinitatem, dedit pediculos: Antiocho cruciatus, Seiano vncum. Idem experti Parmenio Alexandri, Perennius & Cleandrus Commodi, Ablauius Conſtantini, Ruffinus, & Eutropius Arcadii. Pollicetur Dæmon ſagis, amiculis ſuis abditos theſauros: & eroſos aliquod nummulos in ſinum iniicit: interdum ſcruta viilia, & fimum equinum, aut ſuillum. Caro miras lautitias, carniſque ſuauitatem ſpondet, quid rependit? fœdum ſcabiem, aut morbum Gallicum.

Ingenioſum fuit, quod Phocion de Demoſthene dixiſſe fertur, & ad rem noſtram æquè eſt accommodatum. Leoſthenes ciuitatem Athenienſium ad bellum ſuſcipiendum incitarat magnificis ſpebus ad nomen libertatis, ac principatus erectam. Eius verba Phocion dicebat cupreſſis ſimilia, quæ ſublimi, com poſitoque in conum vertice procul egregium quiddam polliceri videntur, at vix vlla eſt arbor magis ſterilis. Nihil poteſt dici accommodatius in mundi ſermonem ſplendidè, magnificeque pollicentem, ſed infrugiferum: multa offerentem, nihil præſtantem.

Phocionis iocus.

Idem dicere erat, Stobæo teſte, ſolitus non magna quidem hominibus promittenda, ſed magna facienda eſſe. Quod inuertunt mundus, caro, dæmon, à quibus poſt ampliſſimas promiſſiones, ne gry quidem expectandum.

Stob. Serm. De Prud.

CONTRARIVS in promiſſionibus Dei mos eſt: qui licet in promittendo non ſit parcus, eſt tamen in largiendo, ac præſtando liberior. Beneficia Deus medimno dimetitur, & plena ſemper manu. Non ſpondet magis, quam exhibet, montes frumenti, mare aureum: ſeminat hyacinthos: mittit cryſtallum, vt nucem: vniones vt grandinem. Quam eſt ampla illa promiſſio, Petite, & accipietis. Si quid

DEVS in præſtando, quam promittendo largior.

petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. At malè cum mortalibus ageretur, ſi tam adſtrictus eſſet Deus in donando, quam ſunt homines in petendo. Si nihil, niſi quod nos precibus efflagitamus, nobis offerret. Quam multi ſunt, qui vitæ neceſſaria nunquam debita prece efflagitarunt: & tamen affatim ſuppetunt omnia. Plurimi vix octauo quoque die de pane cotidiano petendo cogitant: & tamen Dominus omnes paſcit: vix fame aliquis moritur. Nullus vt ſibi vita daretur, antequam eſſet petiit: & tamen Dei beneficio vita fruitur, quiſquis eam accepit.

Lib. 1. de Ser. Dom. Epiſt. 34. ad Paulin. Ioan. 12. 26.

Imò, quæ liberalitatis eſt cumulus: ſæpe Deus petenti non ſtatim tribuit, vt meliora, quam petat accipiat. Bonus Dominus, exclamat Auguſtinus, qui non tribuit ſæpe quod volumus, vt quod mallemus attribuat. Quam liberalis illa pollicitatio? *Qui mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ſum ego illic & miniſter meus erit.* Ioannis 12. Vbi, ſicut & alibi, paterni regni poſſeſſionem ſibi miniſtrantibus promittit: nimirum, benè operantibus vitam æternam. Sed res ipſa promiſſionem ſuperabit: ſiquidem, vt rectè docent Theologi: Deus bona victorum vltra condignum in cœleſti patria remunerat: plus quam iis, ſi in ſe ſpectentur debeatur, tribuit. Quanta inter Deum & mundum in promittendo, ac præſtando eſt differentia?

Mundus in promiſſis fallax. Prou. 25.

Mundi promiſſiones omnes ſunt fallaces: nemo iis niti poteſt. Nubes & ventus, & pluuiæ non ſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens inquit Sapiens. Idem de mundo dictum autuma. Nemo tamen de mundo conqueri poteſt, ſi fallatur, & pollicitationis effectus non exiſtat: ſed quilibet id ſuæ imputare debet inſcitiæ. Et ego ſanè in hac re nunquam de mundo, carne, dæmone querelam inſtituere ſtatui, ſed cauere, ne illis fidem adhibeam. Scio enim eſſe certi iuris, rei turpis promiſſionem per ſe ac ſua natura, irritam inanemque eſſe. *L. Generaliter Digeſt. De verborum obligationibus.* Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti. Et *L.* ſequenti ſubiungitur: Veluti, ſi quis homicidium, aut ſacrilegium, ſe facturum promittat. Sed & officio Prætoris continetur ex huiuſmodi obligationibus actionem denegari. Idem habetur *L. Si plagii Digeſt.* eod. tit. *L. Iurigentium.* §. *Generaliter. Digeſt. De pactis.* Et Inſtitut. *De inutilibus ſtipulationibus.* §. *Quod turpi.* Mundi autem, carnis, ac dæmonis promiſſiones ſemper turpitudinem aliquam inuoluunt: quare iis nunquam, licet iurata promiſſione quidpiam addicentibus eſt credendum, maximè à Iuriſperitis, quibus hæc incognita eſſe non deberent. Fallax autem mundus ſuo iure negat, quod antea promiſerat, exceptionum Iuridicarum haud ignarus.

Deus in promiſſis verax. Num. 23. 19. Pſal. 88. 35. Rom. 3. 4. Rom. 4. 4. Hebr. 6. 17. 2. Tim. 2. 13. Iacob Billicus Anthol. ſacra: de DEI & mund. poll.

AT verò, Dei promiſſionibus nihil certius. Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur, Numeror. 23. Quæ procedunt de labiis eius non faciet irrita, Pſalmo 88. Verax eſt Deus, Ad Romanos 3. Pleniſſimè ſcire debemus, quia quæcumque promiſit, potens eſt, & facere, Ad Romanos 4. Immobile conſilium ſuum firmat iuramento: & impoſſibile eſt eum mentiri, Ad Hebræos 6. Et ſe ipſum negare, ſecundæ ad Timoth. 2. Denique,

Vt mundus, ſic ſunt mundi promiſſa, quod ipſe
Promittit, fictum eſt, fictus vt ipſe quoque eſt.
Vt Deus eſt, ſic ſunt bona quæ promittit, & offert.
Certus vt eſt, certas ſic dare nouit opes.

Quam:

Digitized by Google

Quam nos leui igitur? certo non fidimus: illi
Fidimus at contra, quæ dare verba iuuat.
Sic ſumus huic ſimiles, quem ſpe deludit inani
Perdix dum pullis conſulit ipſa ſuis.

In promiſſionibus fides ſeruanda.

Imitandus nobis eſt DEVS hac in re, non mundus, & promiſſiones fide ſunt firmandæ, vt nihil falſo, callide, mendaciterque promittamus, animo non implendi, ſed decipiendi: & ſi animus præſtandi fuerit, tempore conſtituto fidem liberemus. Deum, hominesque ſibi inimicos reddit qui promiſſione in re non mala proximum decipit. Agnouit hoc Ageſilaus, qui, cum inducias, per tres menſes pactas Tiſſaphernes non ſeruaſſet, Oratores ad eum miſit, qui agerent gratias, quod non ſeruato, Deos ſibi hoſtes reddidiſſet. Facete non nemo: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Sperabam, quod daret effectum verbum ſuum: & gratiam, quam verbis promiſerat, operibus exhiberet. Ad huc etiam promiſſam exſpecto gratiam: fortaſſe ſicut Arcturum Britannia, ſicut Iudæi Meſſiam. Magna ſane debet eſſe in promiſſione diſcretio: quia inanis promiſſio ſæpe de amicis ſibi comparat inimicos. Quare fuit prudens monitum viri ſapientis: Priuſquam promittas, delibera: &, cum promiſeris, facias. Quod ſi obtinere debet in promiſſionibus homini factis, quid cenſendum de promiſſione votiua Deo nuncupata.

Plut.
Epiſt.
Stoba lib. de Mori.

Alienos quoque nos eſſe conuenit ab illo ludificandi genere, de quo initio dictum, quo mundus vtitur, qui cum dare poſſit multa ſtatim, promiſſione callide negat. Non ita DEVS, à quo rem promiſſam eſſe, illamque poſſidere idem pene eſt: habes enim iam tum in tua poteſtate, & per te ſolum ſtabit, ſi ea tempore commodo non vtaris, fruaris. Ob hanc fortaſſe cauſſam regnum cælorum, quod bonis promiſſum eſt, iam ab aliis haberi dicitur: Ioannis 3. 36. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Nimirum, ſumitur vita æterna pro iure illo ad felicitatem, quod quis promiſſione diuina adquirit; eſtque tam certum, quam ſi rem manu apprehenderet. Quamuis in humanis promiſſionis hæc non ſit vis, vt dominum eum faciat, cui promittitur. Nam ſi Titius domum ſuam mihi promiſit: deinde commutata voluntate Caio vendit iuſto pretio, fas non eſt Caio eripere, quod eſſet, ſi dominium eius haberem.

NOTÆ.

Mundus apponit conditiones turpes, ridiculas, impoſſibiles ſuis promiſſis.

Eſt aliud in mundi promiſſionibus notandum, in quo conuenit cum Dæmone ac carne, qui omnes promiſſionibus conditiones apponunt nonnunquam turpes, aliquando ridiculas, ſæpe impoſſibiles vt fallere ex compacto velle videantur & facile poſſint deprehendi niſi ab omnino ignorante. Quam illa turpis? Diuinum Numen cotidie conuitiis & moleſtiis laceſſe: gulatenus, & ſupra, corpus eſculentis, & poculentis imple: miram ex his voluptatem capies. Quam ridicula? Noctu ferarum rugitus ruditusque effinge; lætitia hoc te perfundet incredibili. Quam impoſſibilis? Bonam ſpem foue, mortuo fratre, patre, amicis omnibus, quod propediem fiet, tu ſolus hæreditatem adibis: defuncto principe, etiam principatum: ſublato Rege, Regnũ tuum erit: poſt obitum huius Papæ triplicem coronam accipies. Et tu his dictis fidem adhibes? imperite. Conditio turpis ad promiſſum relata, etiam votum nullum efficit. Qui ridiculas & impoſſibiles apponit, ludere vult cum ignaris, non promittere. Contra autẽ, DEI promiſſiones ſunt de rebus honeſtiſſimis, planeque diuinis: ac ſi conditionibus ſunt arctatæ, eas honeſtas æque habent, ac faciles. Ob quam cauſſam S. Petrus, Dei promiſſa precioſa vocat, & maxima, vt eſt ſuperius declaratum.

Modi non præſtandi promiſſum.

Hoc quoque diſcrimen, inter Dei promiſſiones, & quorumlibet aliorum diligenter perpendi moneo, vnde firmitas illarum maxime perſpicitur. Quod facillimè contingere poſſit, vt promiſſiones ſuas, vel implere non valeant, in Deo ſunt inferiores: vel non teneantur ob rerum negociorum, perſonarumque immutationem, quæ à promittente, quoniam futurorum certam cognitionem non habet, prouideri, cauerique non potuit. Quod vſque adeò verum eſt, vt quamuis promiſſio iuramento firmata eſſet, liceret tamen ab illa interdum recedere.

Quattuor modi, In ſumma ſ. Periurium.

Quod quattuor modis contingere poſſe aſſerit magnus in Theologia Magiſter Caietanus. *Primo*, ex parte materiæ. *Secundo*, ex parte euentus. *Tertio*, ex parte modi. *Quarto*, ex parte relaxationis. Ex parte materiæ, quando actus euaſit mortaliter malus: aut quia impedit maius bonum: aut quia res ſuapte natura eſt indifferens, aut etiam ei, qui promiſit, eſt talis. Ex parte euentus, aut quia per ſe malus, aut quia obiicit promittenti impedimentum melioris boni. Ex parte modi, vt verb. cauſſ. ſi quis etiam in iuramento promiſiſſet ſe non præiturum, & tamen alterius coactu præit. Ex parte relaxationis. verb. grat. Promiſi iuramentum metu extortum de contrahendo matrimonio, relaxatum videtur ipſo iure. Quamuis tutius ſit relaxationem obtinere à ſuperiore, ſicut in ceteris iuramentis vi metuque extortis. Hæc in Dei promiſſis locum non habent, qui nihil vi vel metu agit, ad nihil cogi poteſt: nihil non diligentiſſimè conſiderat: futurorum omnium prænotionem certiſſimam habet. denique apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.

Cur homini non obueniant, quæ promiſit DEVS.

Quare ergo homini quę à Deo promiſſa ſunt, non ſemper obueniunt, aliquid de hoc initio eſt inſinuatum. Vniuerſim autem duplex cauſſa adſignari poteſt, quę hominem etiã aliquando à præſtando excuſant: nempe, VTILITAS & INDIGNITAS. Expedit nonnunquam hominis votis non ſatisfacere: petita negare: promiſſionis euentum in tempus magis commodum differre. Quam Deo carus fuit Paulus Apoſtolus? Hic remoueri à ſe flagitans colaphizantem ſe ſtimulum carnis, Angelum Satanæ, non eſt exauditus, vt vberiorem gratiam acciperet ſuo tempore. Sicut contra quibuſdam petitionis effectus vertitur aliquibus in exitium, Quod illis accidit, quibus cum eſcæ conceſſæ, eſſent adhuc in ore, ira Dei aſcendit ſuper eos Pſalmo 77. Idem experti ſunt, qui Deo relicto, Regem efflagitarunt, & obtinuerunt, vt eſt Lib.1.Regum cap.8. Teſtis etiam huius Satan, cui permiſſum, quod tantoperè poſcebat, vt vexaret Iob.

2. Corin.12. Pſal.77.26

Iob.1.

Lib. 3. off. Lib.1.off.

Putant etiam, qui politicè diſſeiunt, promiſſionis fide non teneri, cum in damnum cedit eius cui promittitur, promiſſionis effectus. Pacta ſemper & promiſſa ſeruanda ſunt, inquit Cicero, quæ nec vi, nec dolo facta ſunt: illa ſeruanda non ſunt, quæ non ſunt iis ipſis vtilia, quibus illa promiſeris. Et alibi iiſdem penè verbis: Promiſſa non ſunt ſeruanda iis, quibus promiſeris, inutilia ſi ſint: nec ſi tibi plus noceant, quam illi proſint, cui promiſeris narrat Plutarchus Ageſilaum Regem Lacedæmoniorum, cum quidam vrgeret improbè poſtulando, vt promiſſum præſtaret, atque hoc ipſum crebro repeteret, reſpondiſſe, rectè ſanè: ſiquidem iuſtum eſt quod petis promiſi: ſin minus, dixi, & non promiſi. Quo dicto oſtendit promiſſum minimè præſtandum, quo is cui promiſſum eſt lædi poſſet.

Plutar. in Lacon.

Indignitas petentis.

Altera cauſſa cur non obtineatur petitionis effectus, & quod promittitur, eſt *Indignitas*. Indigni ſunt impii vt exaudiantur, etiamſi petant, & petitioni præmittant: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Inanis fit oratio, inquit

quit Gregorius, vbi praua eſt actio. Quare monet Hieronymus leuare corda cum manibus ad Dominum in cœlos: orare ſimul, & operari. Tunc enim Ioannis iudicio cor fiduciam in oratione accipit, cùm ſibi vitæ prauitas nulla contradicit; & bonorum operum ratio orationi concinit.

Greg. Epiſt. 45. Threno. 3. 41. 1. Ioan. 3. 22.

ELEGANTER Seneca, vt ſolet, & acutè, diſputans de dandis beneficiis, docet ſapientem nonnunquam mutatione eius cui promiſit animum quoque mutare. Agens enim per obiectionem: Si promiſeris, inquit, te daturum beneficium, & poſtea ingratum eſſe ſcieris, dabis an non? Si facis ſciens, peccas: das enim, cui non debes. Si negas, & hoc modo peccas: quia das ei, cui non promiſiſti. Secta veſtra hoc loco titubat, & illud ſuperbum promiſſum: Nunquam Sapientem facti ſui pœnitere: nec vnquam emendare, quod fecerit, nec mutare conſilium. Non mutat ſapiens conſilium omnibus his manentibus, quæ erant, cum ſumeret: ideò nunquam illum pœnitentia ſubit, quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam quod factum eſt: nihil melius conſtitui, quam quod conſtitutum eſt. Ceterum ad omnia cum exceptione veniet. Si nihil inciderit, quod impediat. Ideo omnia illi ſuccedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere: quia præſumit animo, poſſe aliquid interuenire, quod deſtinata prohibeat. Deinde paucis interiectis.

Sapiens aliquando non dat, quod promittit. Lib. 4. de Benef. 34.

Promiſi beneficium, niſi ſi quid incidiſſet, quare non deberem dare. Quid enim, ſi, quod illi pollicitus ſum patria ſibi me dare iuſſerit? Si lex lata erit, ne id quiſquam faciat, quod ego me amico meo facturum promiſeram? Promiſi tibi filium in matrimonium: poſteà peregrinus apparuiſti.

Cauſſæ non præſtandi promiſſionem.

Non eſt mihi cum extraneo connubium. Eadem lex me defendit, quæ vetat. Tunc fidem illam fallam: tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cum omnia eadem ſint, quæ erant promittente me, non præſtitero promiſſum. Alioqui quicquid mutatur, libertatem facit de integro conſulendi, & meam fidem liberat. Promiſi aduocationem: poſtea apparuit per illam cauſſam præiudicium in patrem meum quæri. Promiſi me peregrè vna exiturum: ſed iter infeſtari latrociniis nunciatur. In rem præſentem venturus fui: ſed æger filius, ſed puerpera vxor tenet. Omnia debent eſſe eadem, quæ fuerunt, cum promitterem, vt promittentis fidem teneas. Quæ autem maior mutatio fieri poteſt, quam ſi te malum virum, & ingratũ comperi, quod tanquam digno dabam, indigno negabo, & iraſcendi quoque cauſſam habebo deceptus. Plura ibidem in eandem ſententiã habet Seneca, docens exemplo Philippi Macedonum, non promiſſum ſolum, ſed & datum reuocandum, cum animaduertit à malo callidè in alterius damnum iniuriamque fuiſſe impetratum.

Cap. 36. & 37.

C. Cotta dicere erat ſolitus, ſe operam ſuam in eo, quod non contra officiũ peteretur, ſolere polliceri omnibus: ſed impertiri iis, apud quos optimè poni arbitraretur. Nimirum ſentiebat, nulli quidẽ promittendum quicquam, ꝙ honeſtum non ſit: cum autem præſtandum eſt quidpiam habendam rationem illius, qui minus eſt indignus. Eſt quidem comitatis benignè polliceri: ſed quoniam omnib. opera præſtari non poteſt, eligendi ſunt quibus eam impertias, ex Ciceronis monito. Conſiderandum etiam an præſtandum oporteat. Nam eſt contra officium nonnunquam promiſſum ſoluere Sacramentum, inquit rectè Ambroſius, qui necem Ioanni præſtauit ne promiſſum negaret.

Cic. ad Fratr. de petit. Conſul. Lib. 1. de off.

ITAQVE tum vtilitas, dum indignitas facit, ne quis conſequatur, quod promiſſum eſt. Ideò ſæpe peccatores non exaudiuntur. Sæpè, dico, nã exaudiuntur aliquando, ſiue ad fidem verã miraculo confirmandã: non ad propriç ſanctitatis teſti-

Quando peccatores non exaudiantur.

Digitized by Google

Ioan. 9. 31. ficationem. Quo pacto cæcus natus de Chriſto loquens, quia eum in finem miracula faciebat, negauit exaudiri à DEO peccatorem. Siue cum incipit illum pœnitere, tunc enim non raro, licet non infallibiliter, neque ex iuſtitia DEVS peccatorem exaudit. Ab irato quoque Deo, cum permanet peccator in affectu peccati non exauditur.

Mundus mendax & perfidus. SED iam ad mundum regredior: qui non ſolum eſt mendax in ſuis promiſſionibus, verum etiam infidelis ac perfidus. DEVS contra, verax, & fidelis in omnibus verbis ſuis. Vtriuſque contrarias conditiones vt intelligas ANIMADVERTO: *Pſ. 144.* *Veracitas* Duas eſſe virtutes oppido neceſſarias ad hominum ſocietatem conſeruandam. Vna eſt, à qua dicimur veraces: & hoc conſiſtit in dictis ac verbis, vt quis dicat ſicut habet in mente. Quod facit, qui iure enunciat, ſicut exiſtimat aliquid fore. *Fidelitas.* Altera, à qua denominamur fideles, quæ facit vt quis præſtet, quod promiſit. Et hæc locum habet in pactis ac conuentis, nempe, vt quis faciat, ſicut promiſit.

Exemplum promiſſi mendacis. AT quomodo mundus eſt mendax? quomodo perfidus in promiſſis? exemplis id plurimis explicari poſſet: Vnum accipite. Promittit ſi vindictam de hoſte tuo ſumpſeris, vt nobilem decet, ingentem decet, ingentem animi lætitiam. Perge porro, inquit, ille tibi ſonantem alapam dedit, tu poſtquam ternas repoſueris, fronti ſtigma imprime: inſidiare illi cacabo: obſerua noctu in angulo, qui luce palam non potes, inuade, ſterne, macta: nihil te turbabit amplius, gaudiis plenus incedes. At nouit mundus, & qui illi præeſt princeps tenebrarum id eſſe falſiſſimum. mentitur ſplendide, quia non enunciat, vt habet in mente. Poſtquam etiam te vindicaueris, ſi quam tibi poſſet parare lætitiam, illam ad te irritandum magis impedit. perfidus eſt, & infidelis: ſicut cum Titius promiſit Caio, cras faciam: ſed veniente die, nihil minus facit: infidelis eſt, quia fidem datam non implet, Et huic tu fidas miſelle.

Mundus ſubdolus. Ad hęc, mundus in pollicitationibus ſuis eſt ſubdolus & vaferrimus: Deus candidiſſimus. Si quid promittat mundus, quod malum non videatur: aut fortaſſe non ſit etiam, facit, quod callidi quidam deceptores ſolent: qui externis promiſſionem expetunt, & reuera promittere ſe dicunt; ſed id faciunt ſine voluntate & animo ſe obligandi. Quid facias, ſi poſtea exequi recuſet. In ius duces? dicet ſe non eſſe obligatum, ac te ſuſpenſum naſo omnibus ridendum propinabit. Et profecto eſt multorum ſententia talem omnino obligari. Quod tunc probabile eſt, quando, qui promittit contrariam voluntatem habet, vbi mundus, Caro, Dæmon, quia nemo ſe obligat alteri, nolens ſe obligare. Qui ſenſus videtur eſſe S. Thomæ, multorumque aliorum Scholaſticæ peritorum ſane, ſi Princeps legem ferret, abſque animo, ac voluntate obligandi populum ſibi ſubiectum, ea lex non obligaret conſcientiam ſubditorum: eadem autem cenſetur ratio in promiſſione, ſi abſit voluntas obligandi. Quod ſi is, qui promittit, nihil cogitet, de obligatione, habens in animo vere promittere, eo ipſo ſe ſe obſtringit cui promittit: quoniam ex ipſa promiſſione vere facta obligatio naſcitur, quando in promittente, contraria voluntas non adeſt, vt ſubtiliter docet Caietanus. Non vtitur his fallaciis DEVS, qui eo fine promittit, vt & nos certiores de euentu faciat, & ſibi quaſi vim neceſſitatemque faciendi iniiciat; obligationem etiam, quam alioquin haberet non poſſet inducat.

S. Thom. 22. Q. 110. Art. 3. ad 5. Angel. ver. Pactum Num. 4. Syl. eſt. eod. Q. 4. Tabiens Num. 2. Nauar. Manu. cap. 18. n. 7. Caiet. 22. Q. 88. Art. 2. Sot. lib. 7. de iuſt. Q. 1.

Mundus animo ficto promittit. TANDEM mundus ficto pollicetur animo, quod diuerſum eſt ab hactenus enarratis promiſſionum modis. Aliud enim eſt, eſſe mendacem, infidelem, vafrum: aliud

aliud ficṭum in promiſſione. Animo ficto promittere dico illum, qui habens in animo non promittere, verbo, nutu, geſtu promiſſionem exprimit. Quam multos ita decepit, decipitque cotidie mundus, ſed per eos, qui videntur veri, ſunt autem falſi fratres, ſocii menſæ, amici patinarum, contubernales culinæ, nepotuli, & ganeones: qui cum ære ſunt diruti, decoctores patrimoniorum, ſi quem ſuſpicentur, vel videant adoleſcentem à paterna domo venientem bene nummatum, adeunt, ſalutant, blandiuntur.

Salue, qui vales? vnde? quid in patria? bellum ciuile, mæror iuſtitium. Quid mi adoleſcens, ſociorum optime in domo paterna? Seueritudo, iurgia, monitiones aſſiduæ.

Tunc incipit deceptor. ô te felicem, quod euaſeris! Diua te aliqua, quæ hilaritudini præſidet: certe bona fortuna huc adduxit. Itaque ſane reor. bella hic ſors ſtudioſorum: omnes læti, hilares, feſtiui, imo diſſoluti: præterquam, qui apud illos Patres, vt vocant ſub diſciplina Scholarum adhuc vapulant, quod iugum eſt intolerabile. tu caue acceſſeris. At, congerro ſuauiſſime, ad ſtudia ſum miſſus. ô timidum pectus! ſpecta ceteros tibi pares. modo latinum ſcias balbutire, ampliſſimæ publicarum Scholarum portæ omnibus patent. Hæc Academiarum lex eſt. Ad ipſam ſcientiarum Imperatricem Theologiam, ſi illis ſtudiis te capi fingas, facilis eſt auditus. Nulla tibi ſit cura de Philoſophia, ne de Rhetorica quidem, ſocios inuenies, qui tam perfecte illam, quam tu ſyntaxim, calleant. mirabuntur acumen, etiam antequam loquaris, modo dentes ore aperto exeras. Sed hæc παρεργῶς non eſt enim de his dicendi copioſius nunc locus.

Audi alium: Ad ſympoſium te inuitatum veniebam ſociorum nomine, quo totum hodie migrauit contubernium, inſcio illo, cuius tu commiſſus es fidei. Quid hæres? Ita hic ſtudia auſpicamur. & ſane feliciſſime ſuccedunt: Hilaritudine ac mero ſanguinem excitamus, & vitales ſpiritus, qui apprime ad ſtudiorum opportunitatem ſunt neceſſarii. Fruſtra ſine illis ſpeculationi te dederis. quid titubas? nunquam te ſodalibus noſtris probabis, ſi tam es puſillanimis. At dicit adoleſcens bonæ indolis: vereor paterna monita: leges mihi datas, linguam, vultum, minas confeſſarii. Quid alter, falſus frater? Nugaris. Si his autem dederis, animum accommodaueris, ſcrupulis enectus intra triduum orci victima cades. quid tunc parentes dicent? exempla tibi dare poſſem recentia eorum, qui ita miſere perierunt. Quid moraris?

Ibo. Sed cuiuſnam impenſis apparabitur cæna? Non ſis ſolicitus, non turberis. dicam, quod res eſt: noſtris impenſis, tua pecunia, quem opulentum ſcio: tibi tamen nihil decedet: nihil. res ita inſtituetur. Tu numos commodabis, nos quibus in promptu modo non eſt pecunia, quia cotidie illam ex patria exſpectamus, & certo certius veniet. fortaſſe nuncius hac nocte ante portam cubauit. Nobilibus, & tam ſplendide veſtitis non credas. apage nos dico tibi ſinguli promittimus: quam primum nuncius attulerit, quicquid expoſueris fide nobilis redditum iri. Promittunt, iurant, peierant, per Iouem, Ditem, Mercurium: Sed animam iniuratam gerunt: mente interim non promittere illis fixum eſt: à mundo, carne, Diabolo id didicerunt Cacodæmonis pulli. Ita meus adoleſcens irretitus dulcium verborum plagulis, ducitur ad ſympoſium, tanquam bos coronatus ad victimam. Finita cæna, illamque ſequuta graſſatione, ridebunt miſerum: ſibi nunquam in animo fuiſſe, vt promitterent, dicent, Quis probat & conuincet? Promiſſio ficta ac

ſimulata, non eſt promiſſio. Tenebuntur illi quidem ex dolo, culpa, damno dato, ac ſequuto. Sed quibus nulla de animæ ſalute cura eſt, illi ſcilicet! ne alteri iniuria inferatur, religioſe cauebunt.

Promiſſiones diuinæ has offucias ignorant quibus idcirco tuto fidimus quoniam ex animo minime ficto emanant. Sed reciproce exigunt, vt quas involuunt conditiones ſolicite obſeruemus. Quare ex hoc Titulo Promiſſoris Ioannes Euangeliſta prouocat Christianos omnes ad diuinorum mandatorum exactam obſeruationem.
1. Ioan. 2. 25. Hæc eſt repromiſſio, inquit, quam ipſe pollicitus eſt nobis vitam æternam. Magna prouocatio, graue incitamentũ, acutus ſtimulus ad obſequendum Deo, vt è contrario ignis æternæ minæ. Exhorreſce, monet ſapienter Auguſtinus, quod minatur Omnipotens, & vileſcet omnis mundus, ſiue promittens, ſiue terrens. Confidite in Dei promiſſionibus: magna laus eius, de quo Paulus Apo-
Ad Rom. 4. ſtolus: In repromiſſione Dei non hæſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo.

Devs qui diligentibus te bona inuiſibilia præparaſti infunde cordibus noſtris tui amoris affectum vt te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, Promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur.

N O T Æ.

DE CONTRACTV PROMISSIONIS.

Promissio Græcis ὑπόσχεσις eſt actus rationis ſpondentis quidpiam alteri. Vide S. Thomam 22. Quæſt. 88. Art. 2. Promittere eſt polliceri: quæ Grammaticis quibuſdam differunt, quod pollicemur ſponte, promittimus rogati.

Non eſſe proprie dictum contractum ſentiunt auctores, quod non habeat reciprocam vltro citroque ex iuſtitia obligationem: id autem contractus requirit L. Labeo. ff. De verb. obligat. Scio tamen non raro leges & iura contractum vocare, fortaſſe non omnino ſtricte, ſed laxius paullulum.

§. Promissio *ſordidorum.*] Petr. Chryſoſ. in Epiſt. Timeo ne in noſtra promiſſione illud vulgare prouerbium locum habeat: *Dum herba creſcit equus moritur*, & dum fugans canis mingit, fugiens lupus euadit. Dubitatur ſane, An ſit beneficium, cuius dilatio cruciat expectantem.

§. Mvndi Promissa.] De his multa in libro, quem inſcripſimus, *Mundus fallax.*

Alybantis hoſpitis munera. Cum quis iactat falſo ſe magna largitum, & verbis duntaxat, non re ipſa præſtat beneficium.

Gloſſ. Eccleſ. 22. Sunt, qui plurima promittunt, & pauca reddunt; tales Mundus, Dæmon, Caro.

Multa fidem promiſſa leuant; vbi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Depingit graphice promittentem, & fallentem mundum Terentius Andr. 4.

In denegando modo queis pudor paullulum adeſt.
Poſt vbi tempus promiſſa iam perfici:
Tum coacti neceſſario ſe aperiunt:
Et timent: & tamen res premit denegare.
Ibi tum eorum impudentiſſima oratio eſt.

Quis

Digitized by Google

Quis es tu? quis mihi es? cur mea tibi?
Heus proximus ſum egomet mihi. Attamen vbi fides?
Si roges, nihil pudet. Hic vbi opus eſt
Non verentur: illic vbi nihil opus eſt, ibi verentur.

Pythagoras aiebat. *Age res præclaras nihil magnifici interim promittens.* Stobæus Serm. De vir.

Alcibiades apud Platonem in Sympoſio dicebat, ſe quoties Socrati occurrat, verecundia affici, quia promiſſa non ſeruauerit, atque ob id cupere vita excedere.

Obiici poteſt mundo, quod Æſonide.

Mobilis Æſonide, vernaq; incertior aura
Cur tua polliciti pondere verba carent?

Morus arborum ſapientiſſima, vltima flores producit, prima, vel imprimis fructus. Ita non eſt diu ante oſtentandum quid poſſimus, vel velimus. Tardè promittendum, & maturè præſtandum.

§. Promissio *in humanis Dominum non facit.*] Certi iuris eſt. Vide Paulum Comitolum in Reſponſ. Moralib. lib. 7. q. 16. eundem de conditionibus appoſitis lib. 2. q. 19.

Heſperidum mala olim dare dicebantur, qui magna ſplendidaque donabant. Melius dixeris Dei munera, quæ non niſi magna.

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Ego faciam omnia more Nicoſtrati dicebatur olim: melius; *More Dei*: nimirum, ſplendidè, egregiè, liberaliſſimè. Multa de magnificis Dei promiſſis in ſacra ſcriptura ſunt teſtimonia, quę reperies in collectoribus locorum communium Bibliacorum.

Pulcra eſt oratio Eccleſiæ Dominin. 12. poſt Pentecoſt. Omnipotens & miſericors Deus de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter ſeruiatur: tribue, quæſumus, nobis, vt ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus.

COMMENTATIO XXVII.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM ex Contractu Donationis.

Dominica VI. poſt Paſcha infra octauam Aſcenſionis.

In qua, de prædicata incredibili liberalitate, & donorum variorum in homines effuſione, docetur, quæ ſit natura Donationis diuinæ: quàm gratuita: quàm tempeſtiua: quàm per ſe firma: licet variis de cauſſis ob hominum ingratitudinem reſcindatur.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.
Ioan. 15. 26.

VRbem cuidam Alexander donabat magnificus, & qui nihil animo, niſi grande conciperet. Cùm ille, cui donabatur, ſeipſum menſus, tanti muneris inuidiam refugiſſet, dicens, non conuenire fortunæ ſuæ: Non quæro, inquiebat,

inquiebat, quid te accipere deceat, ſed quid me dare. Animoſa vox, & regia: licet *Sen. lib. 2. de Beneſ. cap. 6.* eam, Macedoni iniquior, Stoicus, ſtultiſſimam dicat. Quam enim aliam Deus ipſe dignam ſe duceret; ſi poſt infinitum benignitatis diuinæ effuſum in hominem theſaurum: poſt formatum materna in aluo corpuſculum, firmatum oſſibus, veſtitum pelle, ditatum potentiis, diſtinctum organis, dotatum pulcritudine: poſt infuſam in hanc regiam molem, animam, eamque ab omni næuo, ſuper niuem, non tam aqua, quam ſanguine dealbatam, inunctam Chriſmate, illuſtratam fide, eleuatam ſpe, conſummatam caritate, excultam gratia, ſaginatam Chriſti corpore, ſignatam non vno charactere; iunctam Deo matrimonii vinculo, initiatam ſpirituali ſacerdotio: inſtructam prudentia; roboratam fortitudine; perfuſam temperantia; munitam iuſtitia; animatam ſapientia; illuminatam intellectu; circumſeptam conſilio; oculatam ſcientia; nixam conſtantia; coloratam pietate; temperatam timore Domini; perfuſam gaudio; inconcuſſam pace interna. denique, longanimitate, bonitate, manſuetudine, modeſtia, continentia, caſtitate, paupertate, obedientia fulgentem.

Si poſt hæc omnia, dico, tam aperta in hominem manu effuſa, creatis donis non contentus Deus, maiora ſponderet, & increatum donum, ſeque ipſe incredibili liberalitate offerret: homo autem non conuenire id paruitati ſuæ diceret: quid accommodatius vſurparet liberaliſſimus Donator, quàm: non quæro, quid te accipere deceat: ſed quid me dare? Ita ſanè ſe res habet: modò nobis poſſit benefacere humani generis amator, minimè anxius, præ quam homines facere ſolent de perſonæ dignitate, in quam beneficium conferendum eſt, inexhauſtam largitatem ſuam vult eſſe donandi regulam. Id tum in aliis Dei donis, tum iis potiſſimum, quæ ſalutem animæ ſempiternam ſpectant eſt cernere: ſed multo maximè in increato dono, quod miſſione Spiritus Sancti fit, communicando.

MVLTOS ſanè in omni genere inſignità liberalitate nobiles DONATORES celebrari non ignoro. Quam liberalis fuit Iacob, qui capitali licet hoſti, fratri tamen Eſau, dono dedit, capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & arietes *Gen. 32.* viginti, camelos fætas cum pullis ſuis triginta, aſinas viginti, & pullos eorum de- *1. Paral. 22. 14.* cem. Quam munificus Dauid, qui Deo in donum obtulit auri talenta centum *1. Par. 29. 2.* millia: argenti mille millia talentorum: æs & ferrum ſine pondere, ligna & lapides, ac marmor parium abundantiſſimè? Quam largus Salomon, qui dedit Re- *3. Reg. 10.* ginæ Sabæ mulieri petaci omnia quæ voluit, & petiuit ab eo, exceptis his quæ vl- *NOTÆ.* tro obtulerat ei munera regia munificentia? Alios extollunt profani Pythium Bithynium, Alexandrum, Tuditanum, Sigiſmundum Auguſtum. Sed liberaliorem, ſiue Chriſto ob Paracleti à Patre miſſionem: ſiue Patre ob Filii & Spiritus Sancti donationem: ſiue Deo ob ſuimet liberaliſſimam largitionem, vel fuiſſe, vel reperiri poſſe diſertis verbis nego.

Quocirca ſi ob nudum promiſſoris Titulum, genus humanum Deo tantum debet, quantum animo concipi, nedum verbis explicari à mortalium quopiam haud poteſt, vt nuper diſputabamus: vobis hodie conſiderandum relinquam, quæ hominis erga DEVM ex DONATORIS liberaliſſimi Titulo oriatur obligatio: cum in humanis, promiſſio propter donationem ſubſequentem potiſſimum cenſeatur deuincire. Hunc autem titulum poſt Aſcenſionem Domini pertractare placuit: quoniam Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

PORRO,

Porro quam liberalem ſe nobis Devs donatorem exhibuerit: quæ donationis diuinæ ſit natura, quæ conditiones, ceteraque ad hunc Contractum ſpectantia iam expedire eſt animus ſi hoc præmiſerimus.

Donatio quid.

Donatio, ac ſi dicas, *Doni datio*, vt habetur *Digeſt. De donation. cauſſa mortis*, L. *Senatus*. §. 1. eſt rei licitæ nullo iure cogente mera liberalitate facta collatio. Quæ licet non ſit ſtricte cõtractus, quia reciprocam obligationem ex iuſtitia non parit; paſſim tamen in iure ac legibus contractus vocatur, latiori quodam, vt opinor, modo. Et quidem nominatus eſt, cum proprium nomen habeat, actionemque pariat ciuilem, quæ dicitur ex lege, vel ex pacto, vel ex donatione.

Donatio inter Deum ac hominem.

Hanc autem conuentionem, qualis qualis illa ſit inter Devm hominemque intercedere tum illa probant omnia, quæ Deum liberaliter in nos contuliſſe, ac hominibus vel vniuerſim, vel ſigillatim donaſſe conſtat. Tum, quoniam in confeſſo eſt, Deum cotidie hominibus peccatorum debita remittere: debiti autem remiſſio gratuita in legibus donatio vocatur, vt colligitur ex Leg. *Modeſtinus*. *Digeſt. De donationib.* & docet Panormitanus, in cap. *Statuimus*, De tranſactionibus: ac Rebuffus in leg. rei, ff. de verb. ſignι. Quare, qui res Eccleſiæ donare non poteſt, nequit etiam debitoribus illius remittere. Et vt pupillus donare, aut alienare nequit, ſine iudicis vel tutoris auctoritate: ita nec debitũ remittere poteſt. Denique, vt creditor ius habet ad rem ſibi creditam: ita eo ipſo quod remittat debitum donare cenſetur. Tum quia multa Devs à nobis iure ſuo poſſet exigere, longe ſtrictius, quam vllus dominus à mancipio operas ac ſeruitutem duriſſimam: ſanguinem imo etiam, ac vitam. Quod dum liberaliter non facit, dare dicendus eſt. Quando enim aliquis renunciat iuri, quod illi competit: nec velle ſe exigere teſtatur, quod ipſi debetur, dare gratuito exiſtimatur. Quod quidem toties nobiſcum Deus fecit, facitque cotidie, quoties nobiſcum ſummo iure non agit. Tandem, cuilibet dici poteſt: Quid habes, quod non accepiſti (nimirum dono à Deo) ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis. *1. Corinth. 4.*

Inter Patrem & filium non eſt donatio.

Neqve moueat quempiam in iure Cæſareo verſatum, quod inter patrem & filium nõ poſſit eſſe proprie dicta donatio. Præſcribunt enim leges Imperatoriæ patrem filio in eius poteſtate adhuc conſtituto donare non poſſe *L. Vlt.* Cod. *De impuberibus L.* Donationes quas parentes. *Cod.* De donat. inter virum & vxorem. Quia quamdiu filius eſt in poteſtate patris, ipſe ac pater pro vna perſona habentur in iure. Et, quod filius familias adquirit, patri adquirere cenſetur, niſi adquirat ex militia, aut quaſi militia: vel aliunde, quam ex bonis patris, vt habetur Inſtitutionibus. *Per quas perſonas nobis adquiritur.* Ac quod adquirit ne momento quidem in eius perſona ſubſiſtere poteſt *Leg. Placet*, Digeſt. *De acquirenda hered.*

Inter Devm & hominem valida donatio.

Vervm aliud eſt forum ſoli, aliud poli. In hoc, donatio inter Devm, quamuis Pater ſit, & hominem filium nondum emancipatum eſt validiſſima: tum quia iure diuino, cui cedit ius ciuile ita ſancitum eſt; tum, quia donationes Dei hominibus factæ iuramento firmantur: Iurauit Dominus & non pœnitebit illum. Iuramenti autem ea vis eſt, vt etiam in humanis, donationem inter patrem, ac filium factam confirmet validamque faciat. Quod docet Iulius Clarus Libro 4. Sententiarum receptarum. Quæſt. 8. Quæ huius rei ratio? Quoniam donatio inter patrem & filium tantummodo eſt contra leges ciuiles, non contra bonos mores. At ius iurandum roborat contractum, qui ſolum ciuili iure prohibetur.

Doni natura, & conditiones.

Sed qualis nam eſt illa decens, Deoque digna donatio, Id non niſi doni con-

ditionibus explicatis enucleatè declarari poterit: quare hoc prius agamus. DONVM, authore Philoſopho, libr. 4. Topicor. cap. 4. eſt DATIO IRREDDIBILIS: id eſt, ſine ſpe, ac pacto retributionibus: ac ſi dicatur, Eſt datio liberalis ex amore. E quâ definitione colligitur *primò*, quod notauit Durandus, donum habere duplicem reſpectum, alterum, ad eum qui donat liberaliter: alterum, ad eum, cui fit donatio. Deinde, Donum appellari ſolum id, quod naturæ rationali poteſt donari: hæc enim ſola eſt capax liberalis, ac gratuitæ donationis, vt obſeruat S. Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum. Præterea, donum eſſe ſupra facultatem accipientis, eo quod ſola voluntate donantis conferatur: quod docet Caietanus Prima parte, & colligitur ex S. Thoma. Illud etiam annotaſſe eſt operæ pretium: non tantum dici & eſſe donum id, quod actu donatur: ſed donum etiam appellari illud, quod cum donatori poteſt à donatore ad id deputatum eſt: vt magni Theologi adfirmant. Ruiſum, quod ad rem noſtram plurimum facit: Donum bifariam accipi poſſe: vno modo, pro quacumque re, quæ liberali voluntate accedente donari poteſt: quod rei cuilibet bonæ extrinſecum eſt. Altero modo, quod natura ſua ac proprietate ſubſtantiali donum eſt, haud minus, quam quilibet homo ſua, qua talis conſtituitur, differentia.

Dur. 1. Digeſt. 18. q. 1.

Libr. 4. contra Iulian. cap 3.

Quaſt. 38. art. 1.

S. Thom. 1. P. Q. 38. art. 1.

Canar. 16.

Bona. 1. Diſt. 18. Q. 2.

Gab. art. 1.

Mars 1. Q. 21. art. 3.

Quibus ita conſtitutis, indubitatum eſt apud Scholaſticos Doctores, liberaliſſimi donatoris Dei donum eſſe vniuerſè, rem omnem creatam, quam liberali collatione, traditioneque à primo conceptus noſtri exordio accipimus. Et hoc donum creatum appellamus, eſtque quadruplicis generis. Vnum ſpectat ad ordinem naturæ: alterum ad ſeriem gratiæ: tertium, ad gradum vnionis hypoſtaticæ: quartum ad culmen gloriæ.

Primum donum naturæ.

Principiò itaq; ipſa naturæ bona, Dei dona ſunt, cui acceptum referendũ, quicquid, ſumus, quicquid poſſumus, quicquid agimus: quandoquidem in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Ad hanc claſſem pertinent, formatio in vtero: animæ inſpiratio: natiuitas: nutritio: educatio; rationis vſus, ſenſuum, ac facultatum omnium expedita functio, præſeruatio à malo, conſeruatio in bono, protectio; cooperatio: commune ad corporis animæque actiones ſingulas auxilium. Cotidiana ſuſtentatio: in momenta ſingula auræ vitalis reciprocatio: ſexcenta alia ad vitam tuendam neceſſaria.

Dona gratiæ.

Poſt hæc ſunt dona naturæ ſupergreſſa limites, quæ in altiori rerum ordine conſiſtunt: qualis eſt imprimis cœleſtis gratiæ, qua diuinæ conſortes naturæ efficimur in hominem effuſio: peccatorum omnium tam in ſacro Baptiſmi lauacro quæ pœnitentiæ Oceano ablutio: offenſarum quarumlibet remiſſio: arctiſſima cum DEO per Euchariſtiæ ſumptionem coniunctio: admirabilis ad DEI filiorum adoptio: à poteſtate dæmonis emancipatio. gratiæ æternæ ac temporaneæ: actualis, ac habitualis: ſufficientis, ac efficacis: præuenientis, & ſubſequentis: antecedentis, & concomitantis: excitantis ac adiuuantis: inſtigantis, ac iuſtificantis: gratis datæ, ac gratum facientis oblatio. Deinde tot virtutum, ſiue Theologicarum, fidei illuminantis; ſpei confortantis; caritatis transformantis; ſiue Cardinalium: Prudentiæ ordinantis: Iuſtitiæ dirigentis: Temperantiæ moderantis: Fortitudinis roborantis. Tot ad hæc gratuitorum chariſmatum, quæ ſpiritui tribuuntur ſapientiæ, intellectus, conſilii, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, timoris Domini. Tot quoque eiuſdem diuinorum fructuum, caritatis, gaudii, pacis, patientiæ, longanimitatis, bonitatis, benignitatis, manſuetudinis, fidei, moleſtiæ, continentiæ, caſtitatis

Digitized by Google

tatis gratuita ſubminiſtratio, Quæque horum omnium fons eſt, tot cruciatuum Chriſti Domini perpeſſio, ac precioſiſſimi ſanguinis effuſio.

In tertia rerum ſerie eſt ſalus ac beatitas. Ad quam ſpectat Lumen gloriæ: Viſio beatifica: Dotes corporis: Aureolæ: Delectatio: Gaudium: Fruitio. *Dona gloriæ.*

Svpremi culminis Donum eſt vnio hypoſtatica: quo cum ab increato diſceſſeris maius excogitari non poteſt, Nimirum, arctiſſimus ille, qui inter naturam humanam, ac perſonam diuinam intercedit nexus, ac copula. Quod donum, cum in capite noſtro conſideramus, nobis etiam liberaliter conceſſum dubitare non poſſumus. *Donum vnionis hypoſtaticæ.*

Quamuis enim ſint nonnulli, qui exiſtiment Incarnationem, vnionemque hypoſtaticam non fuiſſe donum, vel gratiam illius hominis, quem vocamus Chriſtum: ſed tantum humanitatis in abſtracto, vt loquuntur Philoſophi. Nam ſicut verbum, inquiunt, non dicitur propriè adſumſiſſe hominem: ſed humanitatem: haud diſpari ratione, dici nequit, Donum illud, vel gratiam eſſe homini; ſed humanitati. Acuta ratiocinatio. Sed me Auguſtini auditorem verba Magiſtri mei magis mouent. Sic autem ille ſcribit Lib. de Prædeſtinat. Sanctor. cap. 15. Ea gratia fit ab initio fidei homo quicumque Chriſtianus, quâ gratiâ homo ille ab initio ſui factus eſt Chriſtus. Ex quibus liquet ſenſu Auguſtini, illum hominem, qui eſt Chriſtus Donum accepiſſe gratiæ vnionis. *An vnio Donum ſit.*

Nec ſimile mihi videtur, quod de Aſſumptione adferri video. Siquidem Aſſumptio ſupponit neceſſariò illud, quod aſſumitur: ante Incarnationem autem ſolum præſuppoſita fuit prior natura humanitas: ideóque illa dicitur à verbo adſumpta, non autem homo in concreto. Donum verò gratiæ, ac beneficium, non neceſſario præſupponit illud, cui dicitur fieri gratia aut donum. Ipſa enim naturæ rationalis creatio, donum eſt, ac beneficium naturæ creatæ. Et idcirco vnio hypoſtatica dici poteſt Donum, ac gratia non ſolum humanitatis, ſed etiam illius hominis Chriſti capitis noſtri: licet non ſupponat hominem in concreto prius natura ſubſiſtentem. Hæc ſubtiliora ſunt, quam pro omnium captu, fateor. At, qui poteſt capere, capiat: qui capere non poteſt, ſat habeat ſi admiretur, & in Chriſtianæ religionis myſteriis abdita quædam ſuſpiciat; ſicque ad Theologicas ſpeculationes acuetur. Conſtat igitur rem omnem creatam Doni appellatione contineri.

Sed eſt aliud Donum increatum, Deus ipſe: ſiue Eſſentiam ſpectes: ſiue Perſonas. Nam quælibet diuina perſona, & eſſentia ipſa donari poteſt. Igitur Donum Donatoris noſtri eſt Pater, Filius, Spiritus Sanctus: idem, quod inſolens apud homines Donator & Donum: nimirum præſtantius nihil, excellentiuſque inueniri poterat eo, qui immenſitatis ambitu omnia complectitur. Idcirco poſt rerum aliarum largitionem, vt liberalitatis inexhauſtæ vim virtutemque prodat, ſe ipſe munificentiſſimus offert. Ex quo colligas, in hoc donorum genere, non requiri diſtinctionem realem inter illum qui donat, ipſumque donum. *Deus Donum.*

At ſi hæc ita ſe habent, dicis, quomodo Spiritui Sancto peculiari ratione conuenit iſtiuſmodi denominatio? Id paucis ſic declaro. Nondum memoriæ vobis excidit, reor, quod dictum eſt paullo ante. Donum ſingulari quodam modo, & κατ' ἐξοχὴν dici illud, quod natura ſua, ac proprietate ſubſtantiali eſt Donvm, quod vocare poſſis *Donum ſubſtantiale.* Ita autem ratio Doni, neque Patri æterno, neque vnigenito eius Filio: ſed Spiritui Sancto ſolum conuenit. Sic enim eſt proprietas Spiritus, habetque illam ex vi productionis non- *Spiritus Sanctus Donum.* *NOTÆ.*

non voluntate aliqua illi accidentarie adueniente, ſicut in priore acceptione contingit. In qua quidem doni ſpecie, neceſſaria eſt diſtinctio eſt inter donum, ac illum, qui donat: ſicut eſt inter Patrem & Filium, qui donant Spiritum Sanctum.

Ratio doni in Sp. S.

VTRVMQVE inſinuat Chriſtus D. in hodierno Euangelio: *Cum venerit*, ait *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre: qui à Patre procedit.* Eadem quippe miſſione, qua mittitur Spiritus Sanctus, donatur ab eo, à quo mittitur, vt norunt Theologi. Cum igitur Filius illum à Patre mittat: & à Patre, Filioque procedat Spiritus, illi nobis ſpiritum, tanquam donum, ſicut, reuera eſt, ſubſtantiale tradunt. Paullo exactius pro auditoribus meis Scholaſticis, ſi qui tamen hoc in loco me audiunt. Miſſio Spiritus Sancti qua ad Apoſtolos miſſus eſt, eſt ipſamet æterna illius proceſſio, addito tantum reſpectu quodam rationis ad ipſas creaturas, ad quas mitti dicitur ratione alicuius peculiaris effectus. Iam vero, quoniam miſſio hæc natura ſua eſt amor: & quatenus denotat ordinem ad Creaturas eſt gratuitus amor: recte is, qui ea mittitur, liberaliter quoque dicitur donari. Quod non contingit in Proceſſione Filii, quæ ideo non eſt ſubſtantialiter ipſa donatio, quia non eſt amoris proceſſio. Eſt tamen donatio, ratione illius amoris, quo tanquam principio mittitur, ac donatur. At Spiritus Sanctus ipſa dilectione æterna, vt miſſione mittitur, & vt donatione donatur.

Spiritus donum, qua Spiritus Lib. 5. de Tri. cap. 2. Lib. 5. de Tri. cap. 14.

Quocirca ſubtiliter S. Auguſtinus, eo dicit Spiritum Sanctum eſſe Donum quo eſt Spiritus: nimitum proprietate perſonali: quæ nulli alteri perſonæ diuinæ, nec creaturæ aduenire poteſt, quia nulla ſubſtantialiter poteſt eſſe amor. Illud etiam eſt eiuſdem Magiſtri non minus acutum: Filium procedere à Patre, vt natum: at vero Spiritum Sanctum, vt datum. Quia Spiritus procedit ſubſtantialiter amore, ac dilectione, quæ eſt ipſa Donatio. Quamobrem, Spiritus non ſolum vt Spiritus, ſed etiam vt donum ſubſtantialiter procedit. At Filius procedit per intellectionem, quæ ſubſtantialiter non eſt donatio, ſed generatio. Quod autem per generationem producitur, exit vt natum. Pluribus hæc in Scholaſticis Exercitationibus confirmantur.

Primum donum Amor. Spiritus S. primum donum.

Nos ex iis hoc eliciamus: Primum donorum omnium rectè appellari amorem: eſſetque is inter homines quoque primum ſi donari poſſet, ſicut res alia: ſubſtantialiter enim, ac vi ſuæ proceſſionis eſt donum. Atque ob eam cauſſam iure Spiritus Sanctus dicitur primum donum. Siquidem vi ſuæ originis ſubſtantialiter habet rationem doni: aliis autem ſiue creaturis, ſiue perſonis diuinis eadem ratione non niſi denominatiue conuenit.

Bonau. 1. D. 18. Q. 1.

Addit S. Bonauentura: quia Spiritus Sanctus ſemper datur in ceteris donis gratum facientibus. Præterea: quoniam eſt cauſſa exemplaris ceterorum donorum. Tandem, vt inquit Marſilius, quia ſubauctoritativè eſt cauſſa ceterorum donorum, in 1. qu. 21. art. 2. hoc eſt, ab alio accepit eſſe cauſſam aliorum donorum: hoc enim denotat ſemibarbara illa particula.

Spiritus S. noſtrum donum. In S. Diſt. 18.

NEQVE illud eſt reticendum: Spiritum Sanctum non ſolum abſolute Donum, ſed & noſtrum donum nuncupari poſſe. Cuius rei gratia hunc S. Bonauentura ſancit Canonem, vt pronomen, Noſter, prædicetur de his quæ ſunt in Deo, neceſſe eſt dici cum aliquo reſpectu ad nos ſiue cauſſæ, ſiue relationis. Quomodo dicitur DEVS noſter, quia nobis vitam tribuit. Dicitur Spiritus Sanctus noſter relatione relationis quoniam reſpicit nos: & nobis ſpiratur, vt quidam diſſerunt. Vel, quod mihi magis probatur, quia nobis inſpirat bona opera: id eſt ad bona opera mouet. Qui ſane effectus, quamuis ſit communis toti Trinitati, nihilominus Spiritui Sancto

ᵭo tribuitur per appropriationem, ſicut reliqua opera gratiæ. An non etiam re-
ᵭe Spiritus Sanᵭus dicetur donum noſtrum, tanquam poſſeſſorum, quia à nobis
poſſidetur? An etiam, quia cauſſa efficiens donorum omnium.

Quo loquendi modo Paulus primæ ad Corinthios primo, trigeſimo. *Factus eſt,* *Chriſtus nobis*
inquit, *nobis ſapientia à DEO & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio.* Certe, non quia *ſapientia.*
Chriſtus formaliter fuit noſtra ſapientia; ſed quia nobis illam meruit, quæ per di-
uinum ſpiritum communicatur. Sic dicitur iuſtitia, & ſanᵭificatio, quia eſt illius
cauſſa meritoria Chriſtus, efficiens DEVS. Gratuito enim Dei per Chriſtum be-
neficium adipiſcimur, vt vere iuſti ac ſanᵭi ſimus, & habeamur. Eodem modo
Dauid exclamat: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea* Pſal. 26. 1. Et ſapiens alter *Pſal. 26. 1.*
conteſtatur de quodam: *In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Ioannes fidelibus *Ec. l. 44 17.*
ſuis ſcribit: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Et Chriſtus de ſe ad Martham *Ego ſum* *1. Ioan. 2. 1.*
reſurrectio & vita, nimirum, cauſſa reſurreᵭionis. Haud ſequus, faᵭus eſt nobis
iuſtitia, ſanᵭificatio & redemptio. Dedit enim, vt ait Theodoretus, remiſſionem
peccatorum, & iuſtitia dignatus eſt, ac ſanᵭos effecit à Diaboli tyrannide libe-
ratos. Quare inſcite faciunt hæretici dum his vtuntur teſtimoniis, vt probent,
peccata in iuſtificatione non tolli per iuſtitiam creatam animo inhærentem, ſed
illam, quæ Dei perfeᵭio eſt,

IAM ex Doni huius inenarrabilis præſtantia, tum donatoris incircumſcripta *In Deo omnia.*
liberalitas: tum mortalium, modo donis vti poſſint, admiranda felicitas deſumi-
tur. Nam ſi præter creata omnia numero infinita DEVS ipſe doni rationem habet,
quid excogitari poteſt, quod vel dari à liberaliſſimo, vel expeti à cupidiſſimo poſ-
ſit, quod huius donationis beneficio exaggerata quadam ratione. ac infinitis par-
tibus perfeᵭius non habeatur. DEVM enim qui habet, omnia poſſidet: qui extra
DEVM, vniuerſa; nihil habet. Quid enim? Putas ne extra DEVM bonum aliquod
reperiri, quod in DEO deſideretur? horret animus ſuſpicari. Hunc igitur dum ha- *Ioan. 11. 22.*
bes, cunᵭorum & particeps. Vita indiges? Ego ſum, inquit, reſurreᵭio & vita. *Ioan. 6. 35.*
Fame enecaris? Ego ſum panis vitæ. Siti exareſcis? Ego ſum fons aquæ viuæ ſalien- *Ioan. 4. 14.*
tis in vitam æternam. Hereditatem exoptas? Ego pars & hereditas tua. Laboris *Num. 18. 20.*
mercedem efflagitas? Noli timere: Ego proteᵭor tuus ſum & merces tua magna *Gen. 15. 1.*
nimis. Diuitias expetis? Deus pauperem facit & ditat: pauperem facit inimicum, *1. Reg. 2. 7.*
ditat amicum. *Denique ille eſt protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris,* *Eccl. 34. 19.*
& vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis & adiutorium caſus, exaltans animam, & il- *20.*
luminans oculos dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem. Bona & mala, vita & mors: *Eccl. 11.*
paupertas, & honeſtas à Deo ſunt, An non iure merito exclamauit vir ille ſacerri- *S. Franciſc.*
mus: Deus meus, & omnia.

NEQVE metuas, ne hæc donatio non ſubſiſtat. Nam licet apud homines iure *Donatio re-*
communi Cæſareo non ſit rata donatio bonorum omnium, præſentium, ac futu- *rum omnium*
rorum. Quod colligitur ex *L. Stipulatio hoc modo concepta. ff. de verb. oblig.* & eſt com- *inualida.*
munis doᵭrina Iuriſperitorum apud Iulium Clarum lib. 4. ſententiarum recepta-
rum. qu. 19. vbi citat Bartolum, Alexandrum, Aretinum, Decium, Abbatem, Imo-
lam, Ripam, Iaſonem. Siquidem ita cautum voluerunt, ne cui adimeretur teſtan-
di facultas. quod ſanè fieret, ſi quis præſentia omnia ac futura donaret: nihil enim
haberet de quo teſtaretur. Tamen cùm Dei dona infinitatis cõditione affeᵭa ſint,
quæ plurimis collata non minuuntur: etiamſi omnium te fecerit participem Deus,
nulla fit bonorum diminutio. Adde: Dei bona omnia præſentia eſſe, nulla futura.

Præſentium autem bonorum omnium largitio ſubſiſtit etiam inter homines legibus permittentibus.

Donatio gratuita. Porro, perſpectis doni præſtantiſſimi conditionibus, facilis erit de donationis diuinæ natura, annexisque diiudicatio. Conſtat enim imprimis donationem hanc eſſe planè liberam, ac gratuitam, quæ eſt præcipua donationis conditio: adeò, vt donatio antidoralis: hoc eſt, remuneratoria, ad remuneranda nimirum beneficia, propriè ac ſtrictè non ſit donatio: vt colligunt Iuris Doctores ex *L. Attilius Regulus, Digeſt. De donat.* & docet Titaquellus *L. Si vnquam. C. De reuocand donat.* Si autem vllius, certè Dei donatio eſt maximè gratuita: Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Quis prior in illum liberalitatem exercuit, vt inde meritò remunerationem expectet? *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* *Rom. 11. 35.* Quæ definitionē quandam Dei donatoris continent, quā ita format Bernardus, Quid eſt Deus? Ex quo omnia creabiliter, non ſeminabiliter. Per quem omnia: ne alium auctorem, atque alium opificem arbitreris. In quo omnia non quaſi in loco, ſed quaſi in virtute. Ex quo omnia, tanquam vno principio, auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium artifex. In quo omnia, non de quo: quia non eſt materia Deus.

Iob. 41. Huius donatoris vox eſt ad gratuitam donationem ſuam comprobandam: *Quis ante dedit mihi & reddam ei?* nemo ante dedit quicquam vt cogatur ipſe reddere. Vnde nec eſt reciproca Dei donatio. Quam è donationum genere expungunt Iuris conſulti, vt auctor eſt Iulius Clarus, quia donatio emolumentum adfert, & cōmodum, non onus & damnum; *L. Si heredit at. ff. Mandati* Donatio autem reciproca eſt oneri. Nulli oneroſa eſt Dei donatio ſed omnibus commodiſſima, ad omnia vtilis, vt pietas.

An donatio poſſit reuocari. Sed hoc maximopere in hac donatione attendendum, & æſtimandum, quod ſit conſtans, & perpetua, ſi Deum ſpectes. Diſputant ſolicitè Legumperiti. An donatio reuocari poſſit voluntate ſola donatoris: ita, vt tantummodò, quoniam illum pœniteat donaſſe reſcindere donationem queat. Et reſpondent id minimè fieri poſſe, ſi donatio gratis ſit facta. Quod conſtat ex *L* Senatus. §. *Digeſt. de donationibus. & Leg. Generaliter. C. De reuocandis donation.* Quemadmodum etiam alii contractus nominati non diſſoluuntur, ſi ſolum pœnitentia ductus, qui cōtraxit, vel diſſoluere. *Leg. Pœnitentiam. ff. De condit.* ob cauſſam. Verùm etiam ſi inter homines id fieri poſſet, aut timen: imo fiat aliquando. Quam multi enim ſunt, qui ſine cauſſa repetunt quæ dederunt, ſimiles illi, qui pallium à Diogene repoſcebat: cui ille facetè, ſed more Cynico Si donaſti, habeo: ſi commodaſti, vtor. Significans ſibi non eſſe in animo reddere, ſiue donaſſet, ſiue commodaſſet: quia turpe eſt repoſcere, quod dono dederis: & inhumanum eripere, quo vtenti eſt opus. *Laert. lib. 6.* In Dei donationibus ſemel factis ſecuros vos eſſe iubeo. non mutabitur Deus. Vos ſolummodò conſtantes perſiſtite. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: Iacobi 1. 17. Sine pœnitentia ſunt Dei dona & vocatio. Dona Dei ſunt huiuſmodi, vt ipſorum eum pœnitere nō poſſit: neque vllo modo, vel reuocari, vel irrita reddi queant. In Deū non cadit pœnitudo, ſicut nec inconſtantia. Dona ipſius ſunt ἀμεταμέλητα quod alicubi vertit Auguſtinus, impœnitenda: quæ nimirum pœnitentia immutari aut reuocari non poſſunt.

Quæ tamen non ita intelligenda ſunt, quaſi natura & conditio donorum ſit talis, vt mutationem, vel reuocationem non admittant: ſed quod Donatoris Dei

conſilium

conſilium atque decretum viciſſitudini ac reſipiſcentiæ nullum relinquat locum. Quod quidē de abſoluto atque efficaci volūtatis diuinæ decreto eſt accipiendum.

Itaque non Dei inconſtantia reſcinditur vnquam diuina donatio: ſed hominum vitio. Poſſe enim iure Donatorem reuocare donationem ſi ſit gratuita non antidoralis, eo quod ingratus ſit is cui facta eſt, leges & iura omnia præſcribunt. Et humana quidem quinque ex cauſſis, quæ habentur L. *Vltima* Cod. *De reuocand. donation.* iiſdem autem ad donationem diuinam tralatis, donatoris liberaliſſimi iracundiam concitari, & dona omnia auferri certum eſt, vt enumeratione fiet certum.

Ob iniuriam illatam reuocatur donatio.

PRIMA cauſſa reuocandi donationem eſt atrox iniuria, ſi donatori, is qui accepit, inferat. Atrox autem iniuria ſpectatur ex qualitate iniuriæ, ex loco, ex perſona, ſimilibuſque circumſtantiis. vt habetur Lib. 4. Inſtit. Tit. De iniuriis. §. *Atrox.* & in Gloſ. leg. vlt. Cod. De reuocand. Donation. Exempli cauſſa. Si quis donatorem ſuum furem, ſicarium, maleficum, proditorem, aut hæreticum, cum non ſit, vocauerit in loco publico.

Atrox in Deum iniuria.

Non eſt autem opus multis diſputare: quis atrocem Deo iniuriam inferat. Nam rem ſine vlla exaggeratione proponendo, & Theologice, conſtat, quolibet peccato mortali enormem Deo iniuriam fieri. Docent enim ſubtiles Theologi, in omni crimine lethifero præter rationem illam ſpecialem, quæ ex conuerſione ad obiectum aliquod commutabile, vt loquuntur, virtuti contraria, ſumitur, reperiri duplicem aliam, quam communem vocare poſſis, vel vniuerſalem. Alteram offenſæ grauis: alteram iniuriæ enormis; quæ rationes & diuerſas habent deformitates & inter ſe plurimum differunt. Ratio enim offenſæ in eo ſita eſt, quod peccatum ſit contra Dei voluntatem: ratio autem iniuriæ conſiſtit in hoc, quod peccatum ſit contra ſupremum Dei dominium, aut ius diuinum: quod cum DEVS perfectiſſimum habeat, ac abſolutiſſimum in creaturam rationalem: nihil ſane fieri deberet, niſi, quod DEVS, quatenus dominus vellet. Siquidem maxime rationi contentaneum, vt res quælibet domino ſuo fructificet, ac deſeruiat: ſeu, vt Iuriſperiti loquuntur, vt de re fiat, quod voluntate Domini conſtituitur. Ex quo conſequitur, vt quandocumque homo aliquid facit, quod Dei voluntati, ac mandatis eſt aduerſum, ea ipſa actione Deo iniuria irrogetur. Generaliter iniuria dicitur inquit Imperator Iuſtinianus, quarto Inſtitution. Titulo 4. Omne quod non iure fit.

Iniuria in Deum blaſphemia.

EST autem hæc iniuriæ ratio maior atque expreſſior, quando in vniuerſitatis theatro ſpectantibus Angelis, ea de DEO ſparguntur ab improbis conuicia, quæ in donatoris liberaliſſimi ignominiam, ſaltem apparentem vergunt, eiuſque honorem apud mortales imminuunt. De quo DEVS grauiſſime, ſed meritiſſime conqueritur: Blaſphemauerunt me Patres veſtri inquit alicubi: cum ſpreuerunt me contemnentes. *Ezech. 20. 27.* Huc pertinet illa expoſtulatio apud Ieremiam ſecundo capite: Quid inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis, quia elongauerunt ſe à me? *1. Iere. 2. 5.* Nimirum, quos ego bonorum omnium vbertate, ac copia ditaui. Si donatorem tuum, furem, ſicarium, veneficum appellas, cenſeris iuſtam donationis cauſſam dediſſe: & DEVM cotidie ſpernendo, conuiciando, blaſphemando infra furum ac latronum ordinem redigis: Siquidem in illorum conſpectu contumelias effutire non auderes, quas Deo inſpectante, ac prohibente, profundis; & donationem inconcuſſam permanere poſſe exiſtimas? Quod ſi nomen, famamque Dei tui, verbis non

QVINTA donationis diſſoluendæ cauſſa æquiſſima eſt, ſi conditio in donatione appoſita non fuerit impleta, vt dicitur, Cod. *Verum*: De condit. app. Vna ſemper in donationibus diuinis, quæ gratiam concernunt, & increatum donum intelligitur conditio: Si Deum non offendas, ſi illius beneficentiam non ſpernas: Si ad iracundiam, & amaritudinem non concites benefactorem. Cuius contrarium faciunt, qui mortali ſe crimine contaminant. Peccato DEVS ita afficitur, vt ſi dolore poſſet tangi, ſummopere illo pungeretur. Certe olim videns, quod multa malitia hominum eſſet in terra, vt dicitur Geneſ. 6. tactus eſt dolore cordis intrinſecus: aut, vt eſt in Hebræo. Indoluit in corde ſuo. *Conditio non impleta donationem reſcindit.* *Gen. 6. 5.*

Affligitur quadantenus peccatorum malignitate DEVS. Ipſi ad iracundiam prouocauerunt & adflixerunt Spiritum Sanctum eius, & conuerſus eſt iis in inimicum, inquit Iſaias Propheta. Cum quo facit illud Sapientiæ primo capite: vbi deſcribitur Spiritus Sanctus præ triſtitia ac moleſtia fugiens impium. Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & corripietur à ſuperueniente iniquitate: id eſt, vt exponit Epiſcopus Gandauenſis, confutabitur, ac veluti victus, & improperio affectus cum mærore diſcedet. *Iſa. 63. 10.* *Sap. 1. 5.*

Quare cauet Paulus ne contriſtemus Spiritum Sanctum Dei. Præterea amaritudine DEVM peccatores profundunt. Pereat Samaria, inquit Oſeas, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum. Deinde contemnit, ac ſpernit etiam DEVM peccator. Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus dereliquerunt me, & ſpreuerunt, inquit ipſe per Iſaiam Prophetam. Alibi autem Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. *Ephe. 4. 3.* *Oſeas. 14. 1.* *Iſa. 33. 8.* *Iſa. 1. 5.*

Hinc Auguſtinus duas illas ciuitates ingenioſe diſtinxit: terrenam, quam ædificauit amor ſui vſque ad contemptum Dei; & cœleſtem, quam conſtruxit amor Dei vſque ad contemptum ſui. *Lib. 14. de Ciuit. cap. 28.*

In illa ſunt ac fuere ſapiens qui cum potuiſſent cognoſcere DEVM non ſicut DEVM glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Sed manet decretoria DEI ſententia. Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnent me, erunt ignobiles. *1. Reg. 2.*

SEXTO. Donatio facta liberato à patrono reuocatur, ſi libertus patrono obſequia præſtare neglexerit. Imo repetitur res empta per libertum pecunia donatoris, *L. 1. Cod. de reuocand. donat.* Adhæc ſi donatori alimenta denegauerit reuocari poſſe donationem docet Panormitanus, L. vlt. *De donat.* num. 3. de quo litigant alii: illud in confeſſo eſt: ſi filius patri impie alimenta denegarit reuocationis iuſtam cauſſam eſſe. Sumus DEI reſpectu omnes, & liberti & filii: ille noſter pater eſt, & Patronus. Impius autem nulla illi præſtat obſequia: imo contumaciſſime denegat: eius aduerſario ſe addicit: alimenta ſubtrahit: patris enim deſerti ſunt voces Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui & non dediſtis mihi bibere. *Obſequiorum denegatio.* *Matth. 25.*

Caue Chriſtiane ne donatio tibi à Deo patre liberaliſſimo, & patrono munificentiſſimo facta, tuam ob ingratitudinem reuocetur. Terribilis ſane eſt illa Dei per Paulum promulgata ſententia: Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte & participes facti ſunt Spiritus Sancti: guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtuteſq; ſeculi futuri, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam; rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. *Hebr. 6. 4.*

NOTÆ.

DE CONTRACTV DONATIONIS.

LIbro 39. Digeſtorum, Titulus 5. eſt de donationibus. Lib. 8. Codicis Titul. 55. In Inſtitut. Lib. 2. Titulus ſeptimus. Libro 3. Decretalium Titulus 24. Apud Gratianum Diſtinct. 86. Cap. *Non ſatis.* & 16. Q. 3. Agunt de donationibus Iuris Canonici Interpretes c. *Placuit.* Theologi, qui de contractibus, Comitolus opuſculo ſeparato, Ioannes Azor. lib. 2. Tit. *De donat.*

Vlpianus lib. 1. ff. De donation. Donationes complures ſunt. Dat aliquis ea mente, vt ſtatim velit accipientis fieri: nec vllo caſu ad ſe reuerti: & propter nullam aliam facit, quam vt liberalitatem, & magnificentiam exerceat. Hæc proprie Donatio appellatur. Sic DEVS donat voluntate antecedente ac beneplaciti.

Omnis autem donatio debet eſſe gratuita ac liberalis. Vnde *Leg. Donari. ff.* De Regul. *& Leg. Donari ff. De donation.* dicitur: donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur. Nullo iure cogente exponit Gloſſa, nec naturali, nec ciuili, nec prætorio.

Apud Ethicos donatio eſt actus liberalitatis. Quod etiam colligitur ex L. 1. ff. De donationibus. Secundum Azonem & Hoſtienſem Donatio eſt actus, quo res alioqui licita nullo iure cogente, gratis ac liberaliter in aliquem confertur L. *donari* ff. De regulis Iuris.

Donatio fit bifariam: aut traditione rei, quando ſine vlla promiſſione præcedente quiſpiã rem ſuam alteri tradit, vt ſtatim fiat eius, aut nudo pacto, & ſimplici promiſſione, quando quis promittit alteri ſe rem ipſi traditurum, vt fiat ipſius, & hæc olim ſtipulationem requirebat, nunc nudo fit pacto L. *Si quis argentum.* Cod. *De donation.*

Diſputant Grammatici, quomodo diſtinguatur *δῶρον*, donum, munus, præmium. Donatus ſic differre exiſtimat: quod donum & munus, tam ante factum, quam poſt factum detur: Præmium non niſi poſt factum. Donum voluntarium ſit: præmium debeatur. Donum diis detur. Præmium viris fortibus. Munus hominibus. Donum à liberali detur. Præmium à præclaro. Munus ſit id, quod neceſſario ſubimus, lege, more, imperio eius, qui imperandi habet poteſtatem. Donum, quod nulla neceſſitate iuris, ſed ſponte præſtatur: & ſi non præſtatur nulla reprehenſio ſequitur: ſi præſtatur, plerumque laus eſt. Munus Varroni dicitur, quia, qui mutuo animo ſunt, id dant officii gratia. Nec à dono differt niſi cum per metaphoram vel pro officio ponitur: quomodo officia, vel à principe vel à Republ. muneris loco dantur.

AD ſacra quod attinet, Ioannes Ferdinandus in Theſauro ſcripturæ, verbo, *Donum*: nomine doni vel abſolute, vel pro vt dicitur donum à Deo exiſtimat ſignificari principalius ſolere gratiam iuſtificantem. Sed profecto pendet id ex adiunctis, ita vt æque poſſit habere alias ſignificationes, ſicut & nomẽ Donationis, quod ipſe fatetur ſumi pro gratiis gratis datis apud Paulum Romanor. 12. 6. Habentes autem donationes ſecundum gratiam differentes. Quæ tamen Donationis vox etiam ipſa aliter ſumitur: nempe pro vt complectitur quoduis donum gratiæ 1. Corinth. 1. 2. & nominatim gratiam iuſtificantem. Eſtque Græce promiſcue,

vel

Digitized by Google

vel δωρεά, vel χάρισμα: pro quibus interpres latinus ponit nunc donum, nunc donationem, nunc chariſma.

Donationum, quæ inter Deum & hominem celebrantur, tot ferè ſunt genera, quot earum, quæ inter homines. Alia eſt donatio cauſſa mortis: alia inter viuos ſine vlla mortis cauſſa. *Inſtitut. De donat.* Donatio cauſſa mortis eſt, quæ fit propter mortis ſuſpicionem, cum quis ita donat, vt ſi quid humanitus contingat, habeat is, qui accepit: ſi minus, non accipiat. An non de hac ſermo erat Chriſto cum diceret morte vicina. Ioannis 16. Expedit vobis, vt ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: id eſt, ſi mortem opperiero, donum veſtrum erit: ſi minus, indonati manebitis.

Donatio inter viuos eſt, quæ non fit ob mortis ſuſpicionem. Ea autem vel fit pure, abſolure, ac ſimpliciter, cum ſtatim res donata fit accipientis: talis eſt illa, qua homini prima gratia conceditur, quæ omnino gratis datur. Vel ſub conditione, vt Dono hoc aut illud ſi Titius ex Aſia redierit: talis eſt illa, qua homini conceditur gratia ſanctificans, quam DEVS dat, ſi animam ad illam præparaueris. Ac ſi dicat DEVS: dono tibi gratiam, ſi pœnitentiam egeris, ſacramenta ſuſceperis, peccatis renunciaueris. Vel ſub modo: v. c. Dono tibi equum, vt ſit tuus poſt annum exactum, talis videtur, qua homini datur gaudium, pax, regnum cælorum, quod non niſi vita peracta noſtrum perfectè erit. Vel fit donatio ob cauſſam v. c. dono tibi centum aureos, vt ſpectaculum populo exhibeas.

Sic DEVS tanquam Pater familias dat famulis ſuis decem mnas, dicens negociamini dum venio Lucæ 19. vt rediens audire poſſit ab vno: mna tua decem mnas adquiſiuit: id eſt, talenta, ac dona, quibus meritò vitæ æternæ comparent.

§. PROFANI MVNIFICI.] Pythius Bithynius platanum auream, vitemque tot ſcriptorum encomiis celebratam Dario donauit. Hic poſtquam Xerxis copias, ſepties nimirum centena octoginta octo hominum millia excepiſſet epulo, ſtipendium quinque menſium, frumentumque ſe dono daturum pollicitus eſt.

Alexander Promachum bibaciſſimum hominem, victorem in vini certamine aurea corona donauit. Curtius.

Tuditanus patrimonium populo diripiendum ſparſit.

Sigiſmundus Auguſtus Burram Hiſpanum celebrem ſcurram in conuiuio quomodo argento onerauit adeo, vt ſub pondere deficeret. Pontanus c. 16. de Liberal.

Comes Fuxenſis à turba petentium obſeptus, cum nihil ſibi præter mulam reliquiſſet, quam ponderoſus ſenex equitabat, reditum paranti, cum calcaria inſuper quidam extorquere cōnaretur, ille protento pede: accipe, inquiebat, modo mihi aliquem expedias, qui mulam meam Fuxam vſque ſolicitet.

§. DONA GRATIÆ. Hæc dona ſunt omnino gratuita: pecuniis non emuntur. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, aiebat Simoni Mago Petrus, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri Actuu. 13. 20. Non eſt æſtimabilis precio diuina gratia. Datur gratis, modo homo animæ ſinum ad accipiendum præparet. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine IESV CHRISTI in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.

Non omnibus quidem omnia dona obueniunt: quia vnuſquiſque proprium donum habet ex DEO. 1. Corinth. 7. 7. nullus tamen eſt cui non aliquid ſingulare donum communicetur.

§. DONVM

§. DONVM SPIRITVS SANCTVS.] Quomodo Spiritus Sanctus ſit donum & reſpectu cuius ita appelletur diſputant Scholaſtici: Durandus in 1. diſt. 18. q. 1. Gabriel ibid q. 1. Canatienſ. 1. P. Q. 38. ibidemque Valentia, Vaſquez, Peſantius, Suarez PP. Theolog. De Deo Trino, Hieronymus Flotauantius.

S. Thomas 1. P. Q. 38. art. 1. ad 1. Tripliciter donum accipitur. Primò, per modum identitatis, vt ſit idem cum donante: & ſic donum non diſtinguitur à dante, ſed ab eo cui datur: ita eſſentia diuina poteſt dici donum, & Spiritus Sanctus ſe dare. Secundò, quando eſt poſſeſſio donantis, vt ſeruus: ſic donum debet eſſe eſſentialiter diſtinctum à dante: atque ita donum Dei eſt aliquid creatum. Tertio, per originem, quando donum procedit à donante, & ſic conuenit cuiuis perſonæ procedenti, quæ ab ea, à qua procedit, per miſſionem, qua mittitur ad creaturas donari poteſt. Sic Filius eſt Patris: Spiritus Sanctus vtriuſque donum.

Nomen tamen doni attribuitur peculiariter Spiritui Sancto, non tantum quia donatur hominibus eo modo, quo nec Pater, nec Filius (non enim Pater eſt miſſus ab alio, vt Filius à Spiritu Sancto ſecundum diuinitatem: ſed Spiritus Sanctus à Patre & Filio miſſus eſt: licet Filius prout à Patre procedens poſſit aſſumere nomen doni.) Verum etiam, quia licet mundus non eſſet, vt ratiocinatur Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. & cum eo S. Thomas 1. P. Q. 38. art. 2. tamen ratione proceſſionis nempe per amorem diceretur donum. Siquidem primum donum donantis eſt amor erga illum cui aliquid donatur: ex hoc autem amore procedunt omnia alia dona creata, vt ait idem S Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 29. Qui præterea docet relationem Spiritus Sancti melius exprimi nomine Doni, quam nomine Spiritus: ſecundum autem rationem dictæ proceſſionis nomen Doni de Spiritu Sancto intelligitur, &, vt id, quod donari poteſt: & vt id quod eſt ad iſtud deputatum.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE
OBLIGATIONE
HOMINIS ERGA DEVM,

EX CONTRACTIBVS INNOMINATIS,

Do, vt des.
Facio, vt facias.
Do, vt facias.
Facio, vt des.

COMMENTATIO XXVIII.

Dominica I. poſt Pontec. Domini SS. Trinitatis.

DE PRIMO CONTRACTV INNOMINATO DO, VT DES.

Date, & dabitur vobis. Lucæ 6.38.

Ipſi honor et gloria. *Rom. 11.*

DEo Immortali, & Inuiſibili, Vni, Trinóque, cui ſacer dies hodiernus illuxit clarior, ſit per pes honor & gloria: tum alias ob cauſſas, numero infinitas, tum ob hanc potiſſimum: quod cum natura ſit bonitas, quæ ſui diffuſionem nunquam non molitur, nullum liberalitatis ſuæ modum faciat: nec ceſſet vnquam in genus noſtrum ſua munera, tanquam miſſilia quædam ex ſuperiore loco iacere, quo nos arctius ſibi deuinciat, penituſque conſtringat, verè miſericordiarum Pater. Id experti haud ita pridem Apoſtoli, in quos dum vehementior Spiritus, vno impetu, ruentis inſtar pluuiæ, deſcenderet, ſubiiciebam animo, Deum ex altiſſima cœlorum ſpecula, reſerato bonitatis omnipatente ſinu, vniuerſum ærarii diuini theſaurum voluiſſe depluere.

Experimur nos idem quotidie, dum miſericordiæ parens optimus, in cuius ma- *Dei in homines liberalitas.*

nibus

Pſalm. 30. *NOTÆ.* nibus ſunt *fortes noſtræ*, vita, mors: fœcunditas, ſterilitas, morbi, ſanitas; ingenium, hebetudo: venuſtas, deformitas: claritudo, vtilitas: diuitiæ, egeſtas: honor, ignominia: fames, ſaturitas: gratia, caritas, ſapientia, conſilium, intellectus, ſimilia ſexcenta, clauſa pertinaciter læua, & aperta dextra, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem bonarum ſortium congerit in ſinum noſtrum. Quod eſt profectò non auare, & ſextario, ſed large, & medimno, *Pſal. 144. 15. 16.* & modio integro bona data nobis admetiri. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore oportuno. Aperis manum tuam & imples omne animal bene-* *Cant. 5. 14.* *dictione. Manus tuæ tornatiles plenæ hyacinthis.* circumeunt, iaciunt, ſeminant.

Contractum paris. Qua fini? Vt me, te, omnes nos, quaſi ex contractu, magis ſane, quam ære libraque nexos ſibi copulet, & ad paria præſtanda, quod noſtri eſt officii, & Deus exigit, obſtringat. Dat vt te ad dandum, vel inuitet, vel impellat, certe obliget. Niſi & tu dederis, manum retrahet. Date & dabitur vobis. Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Dat, vt tu idem facias. Facit tecum miſericordiam, vt tu cum proximo. Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Facit tibi offenſarum gratiam, vt tu, ſi quid aduerſus fratrem tuum habes, hoc des humanitati, des amicitiæ, des amori fraterno, des Chriſtianæ Charitati. Nolite *Serm. 15. de verbis Apoſt.* condemnare, & non condemnabimini. Ignoſci vobis vultis? inquit Auguſtinus, ignoſcite: remittite, & remittetur vobis. Accipere vultis? Date & dabitur vobis. E quibus, qui non eſt plane hoſpes in contractuum foro, facile conficit, hominem, non tantum iis conuentionibus, quæ iure humano contractus nominati dicuntur, verum etiam quæ innominati cenſentur, Deo, vt ad eius voluntatem ſe accommodet, obligatum eſſe.

Quatuor contractus Innominati. *NOTÆ.* Quod, vt omnes intelligant, animaduertendum: maxime vniuerſalem contractuum diuiſionem illam eſſe, qua alii vocantur **Nominati**, *alii innominati*. L. Naturalis ff. de Præſcript. Verborum. Omiſſis autem nominatis iis, qui ex ſpeciali nomine ipſis impoſito ita appellantur, de quibus in aliis commentationibus multipliciter probatum eſt, inter nos & DEVM, obligationem ex iis oriri. Innominati quattuor omnino à Legumperitis recenſentur, ac his formulis exprimuntur: *Do, vt des: Do, vt facias: Facio, vt facias: Facio, vt des.* Hos inter Deum ac hominem intercedere, vel ex ipſo Euangelio hodierno deduximus. Sed fuſius in diuerſo rerum genere id eſt ſtabiliendum. Et quoniam vberrima ea eſt, & fructuoſa, ſi moribus accommodetur materia, in qua ſinguli ex iis contractus ſuas commentationes *Primus Do, vt des.* deſiderant, hodie vnam dabimus, ſolennitati, & Euangelio conſentaneam, quæ primum illum, *Do vt des*, complectetur.

In hoc duo. In hoc autem duo potiſſimum conſideranda ſunt: Cui dandum, & Quid. Illud Deum & proximum denotat. Hoc rem ipſam, ſeu donationis materiam. De proximo prius agendum, cui, vt dares liberaliter, DEVS ſic pleraque hominum generi conceſſit, ac ſi verè cum iis contractum iniens, dixiſſet: *Do, vt des*, Cui? Proximo. Quid? multa, ſed ad duo capita, cuncta reuocari poſſunt: Externa & interna. In illo colloco fortunæ bona, ad victum, veſtitumque commoda, & ſæpè ſuperflua, opes, prædia, domus, veſtem variam, ſupellectilem, genus, omnia, ſimilia.

Neque enim exiſtimandum eſt, communem omnium Patrem, cui de ſingulis generum cura eſt, & de generibus ſingulorum, ita huiuſmodi vni alicui addixiſſe, vt is ſine vllo pacto, nulla indigentium ratione habita, iis fruatur, & in quoslibet vſus temerarius ac prodigus effundat. Dum tibi opes contulit, & alteri neceſſaria deeſſe

deeſſe patitur, pactum inter te & DEVM intercepiſſe credas. *Do, vt des.* Indicaſſe hoc viſus Ioannes Baptiſta, bonus voluntatis diuinæ Interpres: qui non hærens in vniuerſalibus tantum, ſed ad particularia deſcendens, quod in re morali faciendum. *Qui habet*, inquit, *duas tunicas, det non habenti.* Lucæ 2. vndecimo. quaſi dicat: Ex conuentione duas accepiſti, vt vnam des. Si hoc verum, dicet aliquis, vt ſunt in obiiciendo ſubtilia, quorundam ingeniola, in rebus ſeriis plumbea: exue mi Pater, vnam è duabus, vel tribus: nam tertiā domi relinquere soles, & non habenti, deſcendens ab exedra, diſtribue. Belle equidem, mi adoleſcens, & feſtiue, vti opinaris, ſed imperitè prorſus. Mihi, vt & fratribus meis ne quidem vna eſt tunica. Meum, tuum, ſuum, ſicut omnis proprietas è religioſorum familiis exulat. Vtor ea, quæ mihi conceditur, non vt poſſideam, ſed vt corpori circumponam, tanquam cadaueri linteum. Eadem tibi obuenire poſſet, ſi tyrocinium prius biennio ponere eſſet in animo. Ita Petrum paupertatem euangelicam profeſſum duas tunicas, zonam & calceamenta habuiſſe lego Act. 12. Paulum & tunicam, & penulam, ſeu lacernam, ſecundæ ad Timoth. 4. imò Chriſtum ſibi duas tunicas ſeruaſſe ex Ioannis 19. liquet. Quanti eſt ſacram ſcripturam non verborum occidente littera, ſed viuificante ſpiritu metiri, & in ſenſus latentis adyta ſe immittere. Duas tunicas dixit Ioannes, quod docti Interpretes animaduertunt, non tam tunicarum numerum, quam veſtitus: & per veſtitum, cuiuſque boni alterius ſuperfluitatem denotans. Fieri enim poteſt, vt aliquis non duas tantum, ſed multo etiam plures tunicas habeat: omnes tamen illæ ad tutandam vitam neceſſariæ ſint: cum Ioannes non coget vllam dare non habenti. Quid enim ſi Scythiæ frigora ſint, & Alpinæ niues: Si Poloniæ Germaniæque gelu: quæ non duabus & tribus tunicis; ſed vix pecudum pellibus repelluntur: quæ lectis ſuperis inferiſque noctu indigent: quæ nec luculento foco, nec fuliginoſis hypocauſtorum antris mitigantur? Quicquid ergo corpori noſtro ſufficere poteſt, D. Hieronymi ſenſu, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc vna appellanda eſt tunica: & quicquid in præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc vnius diei victus dicitur.

Quomodo duæ tunicæ diſtribuendæ.

Act. 12. 8.

2. Tim. 4. 13.

Ioan. 19. 23.

Quid ſignificent duæ tunicæ.

NOTA.

S. Hier. q. 1. ad Hedib.

Poſſet etiam contingere, vt quiſpiam vnam tantum haberet tunicam, ſi plebeio more & ſecundum litteræ ſonum, veſtem illam accipias; & quia ea habenti neceſſaria non eſt ex Ioannis ſententia, eam illi, qui nullam habet, dare debeat: ſi ſatisfacere velit contractui cum Donatore Deo inito, *Do, vt des.* Quamuis alio ſenſu D. Gregorius ac V. Beda dicant. Idcirco de diuidendis cum proximo duabis tunicis dari præceptum: quia hoc de vna dici non potuerit: quoniam ſi vna diuiditur, nemo veſtitur. In dimidia quippe tunica & nudus remanet, qui accipit, & nudus qui dedit. Diuiſit tamen cum paupere tunicam vnam militarem Martinus, & vterque, quo tegeretur, habuit.

At cui proximo dandum? Non habenti, qua formula non is ſolum intelligitur, qui omnino nullam tunicam habet: ſed ille etiam, qui etſi vnam, imo plures habeat: tamen ad tuendam vitam alia, quæ tibi eſt ſuperflua, indiget. Eſt ergo idem, non habenti: quod egenti. Nimirum, duabus ex partibus, obligatio ex hoc contractu innominato, *Do, vt des*, in hoc genere rerum oritur: Ex inopia pauperis, ſi neceſſaria ad tuendam vitā non habeat, & ex abundantia diuitis, ſi plus habeat: quam illi ſit ad vitam tuendam, ſtatumque debitum conſeruandum neceſſarium.

Non habenti.

Neque Chriſti Domini minus clarum eſt præceptum: *Verumtamen quod ſupereſt,*

Ob diuitias date non diſtri-

Diuites damnatur. Luc. 15.

date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Lucæ 11. 41. & nunquam perpendiſtis vobiſcum hiſtoriam de diuite Epulone, quem deſcribit Lucas, indurum purpura & byſſo, epulantemque quotidie ſplendidè: nihil autem Lazaro viciſſim donantem. Hunc autem epularum ſectatorem quotidianum M. Auguſtinus Homilia 7. inter quinquaginta, exertè ſcribit, non alia de cauſſa damnatum, quam, quod ſuperuacaneas opes cum pauperibus communes non fecerit, negligens initam cum Deo pactionem, *Do, vt des.* Idem in hoc genere Patres conſenſu docent.

S. Baſilius Homilia 6. At tu, ait, inuehens in diuitem, nonne ſpoliatores, qui quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas? Eſt panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam tu in conclaui conſeruas: diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit: indigentis argentum, quod poſſides inhumatum.

Occurrit autem S. Ambroſius obiicienti. Quid iniuſtum eſt, ſi cum in aliena non inuadam, propria diligentius ſeruem? O impudens dictum! propriam dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detuliſti? S. Hieronymus monet Hedibiam, vt ſe debitricem agnoſcat, ſi plus habeat, quam ad victum & veſtitum ſunt neceſſaria. Idem premit S. Chryſoſtomus Homilia 34. ad populum: & eximere conatur perſuaſionem falſam diuiti, ne ſe putet accepiſſe vt in delitias abſumat, ſed ſciat pactum eſſe ſecum initum à Deo, vt in Eleemoſynam eroget.

Pauperi in neceſſitate licet accipere.

Porro tam certum eſt, DEVM diuiti bonorum temporalium copiam largiri, vt ille neceſſitatem patienti ſubueniat, & de ſuis communicet, hoc eſt, *Dare vt det*, vt audacter pronunciat M. Auguſtinus in Pſal. 147. *Superflua diuiti, neceſſaria ſunt pauperi: aliena retinet, qui iſta tenet.* Hinc eſt, quod liceat pauperi in ſumma neceſſitate, quæ neceſſitas aut naturæ, aut vitæ, aut corporis, aut indiuidui, aut abſoluta, aut extrema rectè nuncupatur liberè, à quocunq; bene habente ad ſe ſuſtentandum neceſſaria accipere ſine vllo furti piaculo. Cenſetur enim alter ei dare debere, & ad id obligari, non tam ex caritate, quam iuſtitia. Et profecto in neceſſitate ſubuenire etiam inimicis magis eſt effectus iuſtitiæ, quam caritatis, inquit S. Thomas in tertium ſententiarum diſtinct. 3. q. 1. art. 2. ad primum: quantò magis dare amicis? Et in *Leg. Rem legatam. ff. De adimendis legatis, & fideicommiſsis*, dicitur: Nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit; quoniam tenetur conferre. Et ff. *De Donationibus inter virum & vxorem*: Non enim donat, qui neceſſariis oneribus ſuccurrit.

Quocirca & diuinarum ſcripturarum oracula, & Sanctorum Patrum ſententiæ, & Theologorum, ac Iuriſperitorum decreta, legesq; naturæ perſuadent, vt inopes à copioſis paſcantur, nudi à pecunioſis veſtiantur, tenues à diuitibus foueantur, vt enim dent, illis liberaliter à Deo eſt datum. Veriſſimeque D. Thomas ſcriptum reliquit, ſecunda ſecundæ quæſt. 66. art. 7. Res quas aliqui ſuperabundantes habent, ex naturali iure debere pauperum ſuſtentationi, ac proindè illis à diuitibus dandas eſſe: nempe, ſi ſtare velint pactioni, *Do, vt des.*

Eccleſiaſtici magis obligantur ad dandas eleemoſynas. NOTÆ.

Quodſi verum eſt de copioſis omnibus cuiuſcunq; tandem ſint ſtatus, quantò magis adſtringet Eccleſiaſticos: qui diuinorum bonorum ſunt adminiſtratores. Dei n. bona ſunt Eccleſiaſticorum poſſeſſiones, & patrimonium Chriſti, vel in eius patrimonio. *C. Cum ſecundum Apoſtolum, De præbendis C. Cum ex eo. De elect.* in 6. *C. Qui Chriſti C. Qui abſtulerit* 12. q. 2. Itaque cum clariore quodam pacto his dat Deus tam opulenta beneficia, niſi tamen ipſi inuolent, vt dent ex iis egeſtate conflictatis.

Qua circumſcriptione deſigno pauperes, homines nobis ſimiles, non canes, moloſſos, ſimias, equorum greges, accipitres, falcones, alias beſtias. Nollem Chriſtianos

Digitized by Google

ſtianos ad Turcicam, & Saracenorum ſuperſtitionem accedere: multo minus Eccleſiaſticos, vt maior illos miſeratio beſtiarum huiuſcemodi, quàm hominum miſerorum tangat. Legimus gentem illam immanem, ac ſuperſtitioſam, felibus, piſcibus, brutisq; aliis, miſericordiæ titulo, cibum conſtituere, captas interdum aues liberare, hominum nulla cura ſuſcepta: ſed damnatâ planè: vt narrat in Turcicis Pandectiſ. Leonclauius. Eodem affectu in Mogorici regni partibus hoſpitalia ſunt, in quibus ægræ brutes animantes curantur, boues, aſini, accipitres, vt eſt in Narratione de Mogoribus haud pridem edita, & vita Gaſpatis Barzei. Certè alicubi mollius habentur, & delicatius in ægritudine canes quam homines. An ex contractu cum Eccleſiaſticis inito à ſupremo Numine, *Do, vt des?* De iis, quibus largiendum, eleganter contra Plautũ & Ciceronem Ethnicum diſputat. Cicero Chriſtianus lib. 6. cap. 11. cuius hæc concluſio. Vnum certum & verum liberalitatis officium eſt, egentes atque inutiles alere. A quo M. Tullius diſſentire haud videtur, ſi libri officiorũ conſulantur. Siquidem in illorum ſecundo ſcribit, homines tenues, quicquid benè ſibi factum ſit, putare ſe tantũ ſpectatos, non fortunam. De quo etiam Seneca egregiè lib. 2. de beneficiis cap. 31. & 32. ſed omnium optimè cœleſtis Magiſter Luc. 12. 13. & 14. ex quo fonte ceterorum qui de hac largitione egerunt, riuuli emanarunt. Non ſcrupuloſè examinanda bonitas eius cui datur: non eiuſdem intima penetranda: non excutienda intentio. Sat eſt, egenũ eſſe, vel videri. Contractus eſt factus inter te ac Deum, *Do, vt des*: Non Titio, non Caio, non Sophtoniſco, ſi verè eſt Dei amicus, ſi non imponat, ſi egeſtatẽ non mentiatur: ſi alicubi theſauros non habeat repoſitos, nullibi ego has cõditiones in pacti tabulas reperio. Si notorium ſit pauperẽ non eſſe, qui ſe fingit: ſi tibi id certo cõſtet: ſi aliundè id habeas, vt credere poſſis, ex contractu dare non teneris. At ſi ſuſpicione tantũ ducaris, nõ ſunt excutiendæ latebræ domus omnes, vt de vera egeſtate fias certior. Nec merita attẽdenda pauperis, ſed neceſſitas. Rectè S. Chryſ. pauperum ſemper aduocatus hom. 2. de Lazaro: *Non moribus demus, ſed homini, nec illius ob ſuam virtutẽ nos eius miſereatur, ſed ob calamitatem*. Et nonne Chriſtus apertè mandat contractus huius leges explicans: *Omni petenti tribue*. Non inquit, tribue modeſto, pio, ſancto: *ſed petenti*. id eſt, neceſſitatem patienti, ac poſtulanti. Non negarim, ſi in contentionẽ veniant boni ac mali, illis potius quã his manum aperiendam: mali tamẽ à miſericordiæ officiis non ſunt excludendi. In muneribus diſtribuendis bonitatis, ac meritorũ præcipuè ratio habetur: in eleemoſynis elargiendis, neceſſitatis. Portus eſt in neceſſitate conſtitutus homo miſericors, inquit, loco indicato Chryſoſt. Quis a. neſcit portum omnibus naufragium patientibus propoſitum eſſe, & recipere quoslibet, nullo boni, malive diſcrimine. Agnouit hoc Ariſtot. qui vt eſt apud Laërt. cuidã imprecãti, quod homini malo dediſſet vitæ ſubſidium: non mores, reſpondit, ſed hominẽ ſum miſeratus.

Quibus largiendum.

NOTÆ.

Luca 6.

Lib. 5. cap. 11.

An enim ex quibus eſt tribuendum? Ex donis à Deo tibi datis, ex opibus honeſto labore partis, ex patrimonio vel peculio aduentitio: non ex rapina, furto, vſura. *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, inquit Sapiens. Prou. 3. 9. *Et de primitiis frugum tuarũ da ei. Et implebuntur horrea tua ſaturitate & vino torcularia redundabunt*. LXX legũt. *Honora Dominum de tuis iuſtis laboribus*. Quod non tãtum Beda, Hugo, Dionyſius, & Lyranus, ſed & D. Auguſt. tract. de vita Chriſtiana, exponunt de Eleemoſyna: vt idẽ ſit. *Honora Deum*, quod pauperi dona, cui qui tribuit, Deo tribuere dicitur. Aut, interpretatione Ven. Bedę: Ad honorandum Deum da pauperi: hęc tua ſit intentio, non vt fauorem humanum captes. De quibus? *de tua ſubſtantia*: non de alienis, aut iniuſtè adquiſitis.

Ex quibus danda eleemoſyna.

 Quod

Quod egregiè docent M. Auguſtinus Sermone 35. de verbis Domini: Et Homilia 47. ex quinquaginta. S. Chryſoſtomus Homil. 35. ad populum. Et ex profanis Cicero Off. lib. 1. Addit Chriſtus Dominus vt facilitet pactionem ſuam. Lucæ. 2. 41. *Quod ſuper eſt*. quod tibi non eſt neceſſarium, ſiue ad vitam, ſiue ad ſtatum, ſiue tuorum ſuſtentationem conuenientem. O humanitatem facilitatemque Domini incredibilem ? Eandem appendicem alibi quoque reperio. Tobiæ 4. Vbi ſenior iuniorem ad Eleemoſynam inuitat, *Ex ſubſtantia*, inquit, *tua fac Eleemoſynam*. in Græco & Hebræo additur verſu 26. *ex ſuperfluo*.

Hinc votum paupertatem profeſſi in religione, quia ſemel profuſiſſimo eleemoſynæ genere à ſe omnem ſuam ſubſtantiam alienarunt, ad eam non amplius, ſi perſonas ipſorum ſpectes, obligantur. Eadem ratione filii familias excuſationem habent, ſi proprio peculio non gaudeant, & ſub parentum ac curatorum ſunt poteſtate: ſic enim vel non habent: vel ſi habent, ius, tamen diſtribuendi aliis ſummam alicuius momenti, ſine eorum quibus parent, bona venia non habent.

Quomodo dandum. SED quomodo dandum ex contractus tabulis ? Breuiter. Secundum facultatem. Audi Apoſtolum in poſteriore ad. Corinth. 8. verſ. 12. *Si voluntas prompta eſt* ſecundum id quod habet, *accepta eſt, non ſecundum id, quod non habet*. Contentus eſt DEVS, ſi plus non potes, vt des pilos caprarum, Exodi. 35. 6. vel duo minuta, Lucæ 21. 2. aut calicem aquæ frigidæ, Matth. 10. 42. Mola ſalſa & frugibus rite ſupplicant, qui non poſſunt auro. Qui culcitram non poteſt, peregrino ſtramen offerat, in quo cubet. Tobias ſenior iuniori præcipiebat: *ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, exiguum libenter impertiri ſtude*. Nunquam vacua eſt manus ab opere, cum arca cordis impleta fuerit bona voluntate, inquit S. Gregorius Papa. Voluntas efficax, cum præſtandi deeſt facultas, merito non caret, imo æquale cum operante habet. Vis enim meriti ac bonitatis naſcitur ex interna voluntate, vt in exercitationibus Scholaſticis demonſtramus, contra nonnullos, qui in operatione externa diuerſam bonitatem ponunt, ab eo, qui eſt in actu interno. Sed hæc alterius ſunt ſpeculationis.

Tobiæ 4. 9.

Dom. Sotus.

Deus ex affectu metitur eleemoſynam. Illud præſentis negocii: quod omnes intelligunt, ac nemo negat, Deum ex affectu potius metiri Eleemoſynam, quam ex dono. Ita populo perſuadere conabatur Ioan. Chryſoſt. Homilia 34. vbi Eleemoſynæ, inquit, magnitudo non in pecuniarum multitudine iudicatur, ſed in promptitudine dantium: & ideo, qui calicem aquæ frigidæ dederit, factus eſt acceptabilis. Et qui duo minuta erogauit: vt diſcamus, quia vbique Dominus mentem inquirit. Vnde pauca habens, magnam exhibere poteſt largitatem, cum efficax fuerit promptitudo: & multa habens, inferior videri poteſt pauca habente propter puſillanimitatem.

Fuſius idem argumentum tractat. Homilia 19. in Epiſtolam ad Romanos, vt omnes ad huius pactionis cum Deo obſeruationem extimulat, docens ea pauperes quoque adſtringi. Et quoniam pauperes cui pauca ſuppetunt, vel eximere ſe poſſet, vel dolere quod contractui non poſſit ſatisfacere: Neque diues infletur, inquit neque pauper, tanquam qui modica det, deiiciatur fit enim ſæpè vt plus diuite det pauper.

Non igitur vos oportet propter paupertatem miſeros æſtimare: faciliorem enim eleemoſynam vobis paupertas facit. Nam qui multa poſſidet maiori detinetur arrogantia, vel cupiditate, quam ea ſint quæ habet: qui verò parum habet ab vtraque hac tyrannide liber eſt, vnde & plures inuenit benefaciendi occaſiones.

Is enim

Is enim & in carcerem ad captiuos facilè ingreditur, & viſitat ægrotos, & potum aquæ frigidæ præbet: diues autem diuitiis inflatus, nihil amplectitur horum. Non ergo deſpondeas animum propter paupertatem: cœli quippe opulentiam faciliorem tibi facit paupertas. Ergo & cum tenuioribus Deus paciſcitur, *Do, vt des.*

Huic autem contractui eſt affinis ille, qui iſtis Euangelii verbis continetur: DATE ET DABITVR VOBIS, qui hac verborum forma eſt concipiendus: *ſi dederis, dabo*: & includit hanc negatiuam: Niſi dederis, *non dabo.* Non animaduertitis admirandam Dei benignitatem in horum contractuum reciprocatione? *Primo* conuenit nobiſcum ita: *Do, vt des.* *Fructus eleemoſyna.*

Itaque ex vi huius pactionis, ſine alia vlla conuentione, tenemur dare: ne autem abſque alia mercede demus; iterum nobiſcum contrahit, & ſe nobis obſtringit: *Si dederis, dabo.* nimirum plura, multa alia, innumerabilia. Quanto plus dabis, tanto plus recipies. Certe miſericordię ac bonitatis diuinæ non eſt numerus. Veriſſime dictum à Tobia ſeniore, cum filium ad benigne faciendum incitaret: *Præmium bonum tibi theſaurizas.* Pende pronomen *Tibi*: non alii vt fere faciunt, qui accumulatas diuitias, poſſeſſiones, ſupellectilem auream & argenteam, ita relinquunt, vt nullum ex iis fructum vnquam percipiant: vtinam nec detrimentum, ſuppliciumque maximum. Vt ille apud Lucam 12. qui cum ſibi blandiretur: *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare.* Audiuit mox à DEO. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Et de quo Eccleſiaſtes cap. 6. *Vir cui dedit DEVS diuitias, & ſubſtantiam & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ, ex omnibus, quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud.* Contrarium contingit viro miſericordi in pauperes, qui ſibi theſaurizat. *Tobia 4. 10.* *Luca. 12. 19. 20.*

Quare iterum monet filium Tobias ad dandam eleemoſynam, & cauſam ſubiungit: quia, *fiducia magna erit eleemoſyna omnibus.* Ex Hebræo vertere licet: *Munus amplum & bonum rependetur coram ſancto ſeu, à Deo merces optima reddetur*, vt habet Franciſcus Vatablus. Sed de mercede & fructu eleemoſynæ agere ſi aggrederer, nunquam finem hodie inueniret contractus huius explicatio. Itaque ſuperſedeo: monuiſſe contentus, ſatis ex dictis hactenus colligi, quid per hunc contractum à nobis cum DEO celebratum proximo dare particulatim conueniat. Nimirum, vniuerſe, quibus indigent: ſignate, eſurientibus cibum: ſitientibus potum: veſtem nudis: libertatem captiuis: ægris conſolationem: peregrinis hoſpitium: mortuis ſepulchrum. Ad quæ capita omnes functiones miſericordiæ, quæ circa corpus verſari poſſunt, reuocantur. De quibus ſigillatim tractandi, non eſt nunc quidem tempus aut locus. Quamobrem vt ad ſpiritualia, quæ alterum conſtituunt genus materiæ, circa quam contractus, de quo agimus, verſatur, gradum promoueamus.

DICENDVM: contractum innominatum *Do, vt des*, in iis quoque bonis locatum eſſe, quæ à Theologis vocantur *gratia gratis data.* Celebris eſt illa apud Doctores Gratiæ temporariæ partitio in *gratiam gratis datam*: & *in gratiam gratum facientem.* Quæ non ita eſt accipienda, quaſi aliqua ſit Gratia non data Gratis: ſed vni ſpeciei, quod proprio nomine careat, relinquitur nomen generis: vt contingit in prima ſpecie qualitatis apud Logicos, & multis aliis. *Gratia autem gratum faciens*, eſt donum ſupernaturale, quo ſanctificatur homo: ſicque ad propriam vniuſcuiuſque ſpiritualem ſalutem potiſſimum datum. De qua illud licet interpretari: *ſufficit* *Gratia gratis data materia contractus innominati.* *Gratia gratum faciens.*

tibi

Digitized by Google

tibi gratia mea, ſecundæ ad Corinth. 12. & ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Gratia* verè *gratis data* eſt donum ſupernaturale abſque debito ad aliorum ſpiritualem ſalutem præcipuè collatum.

Gratia gratis data.

Et ſpecies.

1.Corinth.12. verſ.8.

Varia porro ſunt dona, ſiue partes Gratiæ, huius, quas accurate enumerat Paulus Apoſtolus in priore ad Corint. Epiſtola cap. 12. *Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientia: alii autem ſermo ſcientia: ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Quarum omnium rationem ſigillatim declarat S. Thomas ſecunda ſecundæ à quæſt. 171. ad 178. & vniuerſe prima ſecundæ Quæſt. 111. Art. 4. vbi omnes has Gratiæ ſpecies reuocat ad tres facultates ſiue virtutes, quibus inſtructum eſſe oportet illum, qui alios de diuinis rebus erudire contendit: atque ita illos adiuuare, vt ad beatitudinem peruenire poſſint: ad quem finem iſte gratiarum apparatus refertur.

Omnes ad tres virtutes reuocantur.

Prima cognitio rerum diuinarum.

PRIMA virtus eſt peculiaris quædam & accurata cognitio rerum diuinarum. Quæ quidem cognitio tria complectitur. *Primum* excellentem quandam fidei certitudinem circa fidei principia, quam certitudinem Apoſtolus vocabulo Fides, denotat.

Secundum, notitiam concluſionum præcipuarum, quæ deducuntur ex principiis fidei, ac dicitur ſapientia. *Tertium.* Rerum humanarum ac naturalium quarumcunque ſcientiam: vt ex ea petantur exempla, ſimilitudines, comparationes, quibus ad diuinarum comprehenſionem ignari manuducantur. Inuiſibilia enim Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.

Romanorum 1.

Secunda, perſuaſionis efficacia.

Secunda virtus eſt, perſuaſionis efficacia: vt quod proponitur, altum, abditum, & à ſenſibus remotum, ita ſe habere, auditoribus perſuadeatur, & illorum excitetur adfectus. Ad quod conducit miraculorum patratio: ſiue in ſanitate modo extraordinario procuranda: quod ſpectat ad *Gratiam ſanitatum*, ſiue in rebus aliis mirabiliter perficiendis: quæ ſimpliciter vocatur ab Apoſtolo operatio virtutum, qualem ſuſpiciebant in Moſi Ægyptii pelagus ſecante, & in Ioſuæ filii Iſrael ſolem ſiſtente. Siue in reuelatione eorum quæ non niſi à Deo certo & infallibiliter ſciri poſſunt: qualia ſunt futura: ad quæ extenditur *Prophetia*: & cordis abdita: ad quæ penetrat *diſcretio ſpirituum.*

Facultas explicandi.

TERTIA virtus eſt promptitudo explicandi; cum decoro ac venuſtate illa, quæ ad dicendum conceperit diuinorum enarrator. Ad quam pertinet: tum idiomatis illius vſus, quod auditores intelligunt: & habetur *per genera linguarum*: dum idonea expoſitio ſententiæ ac ſenſus verborum, quod præſtat gratia illa, quam Apoſtolus vocat *interpretationem* ſermonum. Iam vero hæc chariſmata tam multa & diuerſimoda, quæ operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult, non dantur, niſi cum contractu innominato, *Do vt des.*

Gratis dandum quod acceptum gratis.

Eapropter Chriſtus Apoſtolis ſuis, quibus liberaliſſime hæc omnia contulerat, monet, vt eadem liberalitate in alios, accepta transferant, pacti memores. Matthæi cap. 10. verſu 8. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite. Gratis accepiſtis: Gratis date.* Hac enim commonitione inſtituuntur, vt data poteſtate miracula faciendi largiter vtantur. Sciebat enim Chriſtus, homines ruſticanos, vt Hieronymus diſputat, maiorem miraculis fidem quam verbis facturos. Quaſi dicat: ne parcatis miraculis: facite quotieſcunque ad perſuadendum aut neceſſa-

rium

Digitized by Google

rium, aut vtile prudenter iudicabitis. Appendice autem illa de gratis dando, quod gratis acceperunt, non ſolum iactantiæ occaſionem auferre ſtuduit Magiſter cœleſtis, vt Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophilactus commentantur, aut auaritiæ, vt alii volunt, occaſionem præcidere: ſed etiam docet, eos miraculorum dono liberaliter vti debere. Siquidem quæ gratis accipimus, quæque gratis damus, liberali manu & copioſe dare ſolemus.

Intellexit probe hanc Doctoris ſui mentem, diligens auditor Petrus, qui ipſo Pentecoſtes die, vt eſt probabilis quorundam opinio, claudum ex vtero annotum quadraginta ante ſpecioſam templi portam, intendentem in ſe oculos, ad quod illum inuitarat, intuitus, liberalitate præcipua, *Argentum*, inquiebat, *& aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do.* Notate loqui Petrum haud ſecus, quam ſi accepiſſet, ſicut reuera acceperat, quod donabat ex contractu, *Do, vt des: Quod habeo, hoc tibi do.* In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Habet profecto, qui vnde tribuat corporalem ex ære eleemoſynam non habet ſolidam ex hac Petri fiducia & enunciato conſolationem: nec ſi non det, id quod accepit, & habet vt det, vllam habet excuſationem. Pecuniam ſi non habes, quia non accepiſti, vt dares: habes, ſi vis, miſerendi voluntatem: quam tibi Devs dat, vt des: habes quem accepiſti, compatiendi affectum: da verba ſuauia & conſolationem exhibentia: pias ad Deum pro paupere preces, atque ſuſpiria. *Petrus largiter dat quæ acceperat. Caietani & Lorini. Actor. 3.*

Si nihil habeas, inquit ad hoc propoſitum Chryſoſtomus, habeas autem animum condolentem, apponetur tibi merces, vel huius rei gratia. Et ob id Paulus præcepit flere cum flentibus, & erga vinctos eſſe tanquam ipſi quoq; vincti ſimus. Non enim ſolis flentibus conſolationem quandam adfert, ſi plerique fuerint, qui condoleant, adfert & his, qui aliis premuntur afflictionibus. Fit enim ſubinde, vt compatientis ſermo iacentem & afflictum non minus refocilles, quam pecuniæ datæ. Propter hoc enim & pecunias iuſſit Deus egenis dare: non ſolum vt illorum ſuccurratur paupertati, ſed vt nos doceat condolere proximi malis. Atque ideo auarus non ſolum odibilis eſt, quod eos qui in paupertate ſunt, contemnit: ſed quod vt ipſe ad crudelitatem, & inhumanitatem multam inſtituitur. Sicut & qui pauperum gratia pecunias contemnit, propterea amabilis eſt, quod miſericors eſt & humanus: & Chriſtus, quando beatos vocat miſericordes, non cor tantummodo intelligit, qui datis pecuniis miſericordiam exhibent: ſed etiam eos, qui animi propoſito id faciunt. Qui autem animum habent benignum, ac miſericordem, ſi pecunias habuerit, proferet; ſi in calamitatibus quempiam viderit, flebit ac lamentabitur. Et ſi inciderit in aliquē cui facta fuerit iniuria, patrocinabitur. Et ſi calumniis preſſum conſpicatus fuerit, porriget manum: theſaurum enim bonorum habet; animum ſcilicet benignum, & miſericordem. Hunc accepit: ſed, vt det viciſſim. *Homil. 19. Epiſt. Rom. Rom. 12.*

Eleganter ac pie Hieronymus: Eleemoſynas non facere crimen habentis eſt. Ceterum qui non habet vnde faciat eleemoſynam, liber eſt. Quantumcunque dare voluerit, tantum dedit: quia voto dedit. Tamen habent & ſancte, vnde faciant eleemoſynas. Dicit enim Petrus: Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi do. Tum ſubiicit, eſſe miſericordiæ opus: quod in Pſalmo 111. habetur: *Diſponere ſermones ſuo in iudicio*: h. e. docere alios pro capacitate cuiuſque. E contrario argute reprehendit idem Doctor Epiſtola ad Euſtochium diuites auaros, ac illiberales, quod contractus innominati immemores, non dent quæ ha- *S. Hieron. Pſal. 111. 5. Epiſt. cap. 14.*

bent, Petro diſſimiles. Nunc, inquit, multi ſermone tacent, opere loquuntur: Fidem, & miſericordiam non habeo. Quod autem habeo, argentum & aurum non tibi do.

Quid dandum ex facultatibus ſpiritualibus.

Ex his deſumendum quidnam dare oporteat in hoc rerum genere. Nempè quicquid diuinæ gratiæ beneficio in noſtra eſt poteſtate. Peccantes corrigere: ignorantes docere: dubitantibus rectè conſulere: pro ſalute proximi Deum orare: conſolari mœſtos: iniurias ſuſcipere: inferentibus lenitate ac patientia ad pœnitentiam præire: offenſam remittere. Quæ ſunt officia miſericordiæ ſpiritualia.

Dona in alios transfundenda.

Deinde ſi quid eſt ſimile nobis liberaliter collatum in alios debito modo transfundere. Sic cum accepiſſent Apoſtoli omnes Spiritum Sanctum in ſigno ac dono ſenſibili linguarum, aliorumque miraculorum: minimè tenaces, nec ſordidi, vt gratis acceperant, gratis ac liberaliter dabant. Quare cum vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit iis pecuniam, dicens: *date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Petrus autem dixit illi: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poßideri.* Quodnam illud donum? quod Apoſtoli gratis acceperant, Græcè δωρεὰν, gratis acceptum: gratis refundendum, ſecundum pactionem. *Do, vt des.*

Actuum 8.

Actor. 8.

Sacerdotum poteſtas.

Simili modo acceperunt ſacerdotes poteſtatem remittendi peccata ſub eodem pacto, *Do, vt des.* Gratis acceperunt: gratis dent. Quamobrem oportet vt pœnitentibus, & ad ſe confugientibus liberales ſe præbeant: illos humaniter excipiant: ſuauiter, ſi res exigat, tractent: nunquam, modò id rei conditio permittat, reiiciant: mulcere potius, quam vrere: vngere libentius quam pungere: fragilitati eorum ſeſe accommodare: miſeriis illorum compati: lenes potius ſe quam acerbos ac crudeles ſe præbere aſſueſcant. Dent ſemper, negent nunquam, ſi ſalua religione poſſint. In pœnis imponendis, ſic ſe Iudices eſſe, vt etiam Patres ſint, ac benigni medici, meminerint: leuiores ſæpius, quàm grauiores, ſi ſalus filiorum id poſcat, ſatisfactiones imponant: non ſemper ſummo iure velint agere: ad id quod ſibi fieri vellent, non quod poſſint, aduertant. Maior data eſt poteſtas Epiſcopis tam varia dandi ſacramenta: certè vt dent gratis, quæ gratis acceperunt: atque idcirco ſi ſunt omnia requiſita, & ab idoneis petantur, negare nullo modo debent, aut poſſunt.

Gratia gratis data donanda.

Sapientia.

Scientia.

Adhæc ſi quis eſt qui Spiritus diuini Donatoris munificentiſſimi beneficio, ſe conſecutum gloriari poteſt: aut in ſe agnoſcit, ſiue ſermonem ſapientiæ, quæ altiſſimas rerum cauſſas, & à ſenſibus humanis remotiſſimas rimatur, ſiue ſcientiæ ad humanam ciuilemq; vitam probè inſtituendam: ſiue myſteriorũ fidei excellentem quandam cognitionem: ad eaque explicanda, & contra impugnantes defendenda ſingularem facultatem: ſiue inſignem quandam ad varia morborum genera curanda vim ac poteſtatem: ſiue virtutem admirandam edendorum miraculorum, ad fidei dogmata tum hominibus perſuadenda, tum roboranda: ſiue vaticinandi facilitatem, ac futura antequam eueniant prædicendi: & abditas hominum cogitationes in lucem proferendi: ſiue dignoſcendorum ſpirituum peritiam: ſiue idiomatum diuerſorum intelligentiam, atque iis vtendi dexteritatem: ſiue linguarum, & myſteriorum diuinorum promptam interpretationem: ſiue aliud quodcunque donum in proximorum vtilitatem dari à Deo ſolitum, ſciat, non niſi pactione interueniente, *Do, vt des,* eius gratiæ ſe participem factum, vt illam quoque gratis in

alios transfundat. Quod niſi faciat, tempore, locoque conueniente, dum id vel ſuadet ratio: vel inſtinctus Dei internus ſuggerit: vel cogit alterius neceſſitas: vel vtilitas allicit, tanquam pacti violator ſupplicium non euadet.

Donum concionandi quo ſine in Paulo.

Hoc perſuaſiſſimũ erat Paulo Apoſtolo: qui diuinus planè Eccleſiaſtes, & quo ſuperiorem ſi à Chriſto abieris, non videbit vnquam orbis Chriſtianus, cum inter alias Dei dotes plena manu à liberaliſſimo donatore in ſe congeſtas, etiam concionandi, & diuini verbi verè ſapienterque exponendi artem agnoſceret: palam profitebatur: *Si euangelizauero, non eſt mihi gloria* (gloriari non poſſum, quod è ſuperiori loco euangelium explanem,) quare? *neceſsitas enim mihi incumbit:* hoc eſt; huius muneris functio à me ſummo quodam iure, ex contractu & conuentione cum Deo facta, quæ præceptum, ideoque neceſſitatem talenti vtendi mihi imponit, exigitur. Non tam igitur mihi, ſi data ex pacto diſtribuam, expectanda erit laus & extraordinaria commendatio, præter illam quæ operi velut merces reſpondet: quam ſi auarè retineam, ſupplicium mihi erit formidandum. Addit autem quod grauiſſimam obligationem indicat: *Væ enim mihi ſi non Euangelizauero*: Græcè, ἐυαγγελίζωμαι, *euangelizem*: quia ad Euangelium promulgandum, data eo fine gratiâ, impellor: non ſecus ac ſi pecuniam gratis ab Imperatore accepiſſem, vt illam inter egentes diſtribuerem. 1. *Cor.* 9. *v.* 6.

Donatio ob cauſſam.

Hæc eſt illarum donationum natura, quæ ex pacto redonationem exigunt, quam Iuriſperiti vocarent fortaſſe *Donationem ob cauſſam.* Nam præter illam donationem, quæ fit inter viuos purè, abſolutè, ac ſimpliciter, aliam adſignant, quam triplicem faciunt. Vna eſt ſub conditione. Altera ſub modo. Tertia, ob cauſſam interpoſitam. Sub conditione eſt, cum tibi dono pallium, ſi frater tuus Roma incolumis redierit. Sub modo: ſi dono tibi equum, qui non ſit tuus vſque ad Kalendas Ianuarii anni inſequentis. Modus autem à conditione diſtinguitur: quia conditio donationem in futurum differt euentum, nec illa perficitur, niſi conditione completa. Modus donationem non ſuſpendit: ac proinde donatio ſtatim valet, quamuis deficiente modo, reuocari poſſit. L. 1. Cod. *De Donationibus ſub modo.* Præterea donatio ſub conditione fit, adhibita particula, *Si*, Dono tibi equum, ſi Doctor fueris promotus. Donatio ſub modo, fit interueniente particula, *Vt.* Dono tibi librum, vt ſit tuus poſt annum exactum. Ita Gloſſa C. *Verum.* De condition. appoſ. Donatio ob cauſſam eſt, qua aliquid datur alteri, vt certum quid faciat: Dono tibi Biblia ſacra, vt quotidiè ex iis caput vnum penſiculatè legas.

Donatio ſub conditione.

Sub modo.

Donatio Dei ob cauſſam.

Ita confert tibi Deus multa munera, vt illa in proximos diſpertias: vt gratis des, quæ gratis accepiſti: vt talenta tua ocioſa non habeas, neque abſcondas. Quare, ſi liberali Numinis ſummi munificentia gratiam es conſecutus, vt alios in via ſalutis inſtruas, à malo dimoueas, ad bonum horteris, purges, illumines, accendas: Euangelicam doctrinam, tanquam bonum ſemen in auditorum animis ſpargas, væ tibi, niſi vocationi tuæ ſatisfaciens, &, vt inſtituti proprii ratio exigit, docueris, ſeminaueris, Euangelizaueris.

In omnibus donationibus contractus innominatus.

Verumenimverò, quoniam multa ſunt, quæ ita nobis donantur cœlitus, vt eadem in alios transferre non poſſimus, non eſt exiſtimandum, illa minimè huius contractus de quo agimus, obligationibus ſubiacere. Pronuncio enim ſerió, nec me errare ſum certus. Quandocunque nobis Deus tribuit quidpiam ſiue ad naturæ, ſiue ad beatitudinis ſupernaturalis bona ſpectans, ſemper illud ſibi ſolenne adiungere, *Do, vt des.* Quidnam? dicis, vnicum vectigal, quod ab omnibus, & ob

quaſcunque donationes exigit. Vnicum tributum, quod bonis omnibus, non Eccleſiaſticorum minus, quam politicorum & ciuilium impoſuit: Vnicum portorium, quod cunctis diuinorum munerum, & humanarum actionum mercibus ſoluendum præſcripſit. Vnicum canonem, quem non hominibus modò, ſed & Angelis mentibus communem voluit. Vnicam decumam, quam ex mobilibus æquè, ac immobilibus ſibi pendi mandauit. Vnicam Gabellam exteris iuxta, domeſticisq; numerandam. Vnicum cenſum, nulli neque terrenorum, neq; cœleſtium redimibilem. Vnicum redditum à ſingulis, nullo diſcrimine afferendum, ex contractu, *Do, vt des*. Denique vnam penſionem ex beneficiis omnibus, ſiue optimis, ſiue tenuibus extrahendam, vt ſeruetur pactum, *Do vt des*. Quidnam? repetis.

Quæ non ab omnibus exigat Deus. Non aurum & argentum: quia bonorum tuorum non eget. Non campi pecora. Quoniam eius ſunt omnes feræ ſiluarum: iumenta in montibus, & boues: quare, *Pſal. 15.1.* non accipiet de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Non altilium co- *Pſal. 49.10.* hortem, quia ille cognouit omnia volatilia cœli. Non frondes, floſculos, herbulas, germina, fructus, nam pulchritudo agri cum ipſo eſt. Non eſculenta, & poculenta. quia, ſi eſurierit, (quamuis quomodo eſuriat ſatietas?) non dicet tibi, nec mendicabit à te: illius enim eſt orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabit carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabit? Non quicquid alicubi precio- *Iob. 41.2.* ſum. quia omnia quæ ſub cœlo ſunt, eius ſunt. Et tamen vnicum ille cenſum, redditum, gabellam, tributum ſe veriſſimè exigit: & in omnibus ſuis donationibus, illam ſuam appendicem, *Do, vt des*, irremiſſibiliter vſurpat.

Pſal. 49.7. Quid illud? iterum occinis. Non holocauſta. Audi populus meus & loquar: Iſrael & teſtificabor tibi. Deus Deus tuus ego ſum. Non in ſacrificiis tuis arguam te: holocauſta autem tua in cōſpectu meo ſunt ſemper. Non victimas, immolationes, libamina, victimas ouium, caprarum, boum, hœdorum, vitulorũ, columbarũ, paſſerum, turturum. Non immolationes panis, ſimilæ, ſalis, thuris, tritici, ſpicarum. Non libamen ſanguinis, vini, olei, aquæ à Iudæis vſurpata olim, Deo tunc grata, *Pſal. 39.7.8.* nunc reproba & ingrata. Sacrificium & oblationem noluiſti. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti.

Gloria Dei tributum. Quod ergo Dei vectigal, quæ penſio? Honor, laus, gloria. Hæc Dei tributum, canon, decuma, ipſi ſemper pro omnibus bonis, donisq; perſoluenda. Hoc portorium, tāquam corona, vt nunc loquimur, regia, theſaurum, velut Cameræ principalis gazam, vt proprium patrimonium reſeruauit, cum nullo communicandum. *Lucæ 11.* *Gloria in excelſis Deo*, gloriam meam alteri non dabo, præſcripſit ipſe Iſaiæ 48. cetera in creaturas tantum non prodige ſpargit. Gloriæ ſuæ tenaciſſimus & zeloſiſſimus eſt conſeruator. Non patitur vel minimum ab illa delibari. Vtilitatē, commodum, fructum omnem nobis transſcribit: ſibi laudem & gloriam pendi imperat. Hic eius amor, delitiæ, diuitiæ: his gaudet ceterorum illi nulla cura. Vtere, aiт, rebus creatis: mihi laudem transfunde & gloriam. Caue attingas, caue decerpas, caue diminuas, zelo, zelabo. Meis auſpiciis bellum ſecurus tenta, hoſtem aggredere: ego docebo *Pſal. 143.1.* manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad bellum: tibi cedat victoria: modo mihi gloria: tibi do triumphum: tu mihi honorem, & gloriam.

Dei gloria quæ. At in quo conſiſtit hæc Deo tam adamata gloria. Dicam id punctim, & clariſſimè. *Primo*: vt ipſum cultu ſummo numine digno venereris, nullum alium, vnum cole Deum. *Secundo*, vt ipſius laudem, quę mente, voce, ac operatione ſtudioſa perficitur, nunquam mortali peccato, & quantum permittit humana imbecillitas,

ne ve-

ne veniali quidem, & ſuperfluis, ocioſiſque ſiue verbis ſiue actibus interrumpas. *Tertio*: vt eius mandatis, ſuperiorumque tuorum in omnibus accurate obtemperes: nullum ſciens, volens prætergrediaris, ac violes. Quarto, vt obſequium, reuerentiamque Deo debitam, & ob ipſum maioribus tuis deferas. Parentes caros habeas: dominis pareas: proximos ames: nulli ſis offendiculo: omnibus ad virtutem, exemplo, ac incitamento: denique bonus Chriſti odor in omni loco. Hæc eſt illa ſupremæ illi Maieſtati expetita gloria.

Itaqve cum huic intentus Commentationi, moroſa vagarer cogitatione per Auditorum mihi longe cariſſimorum capita, tot à Deo cœlitus ornata muneribus, tot opulentata donis, videbar mihi & videre, & audire: Deum ipſum, beneficentiæ aperta dextera, dum tam liberaliter ſingulos, prout vult, multiplici donorum largitione exornat, ita fere donatos ſuos dimittentem. Do tibi, mi puer, natalium ſplendorem, & nobilitatem, vt des mihi honorem. Do tibi diuitias, Adoleſcens, vt des mihi gloriam. Do tibi ſanitatem iuuenis, vt des mihi laudem. Do tibi memoriam, Grammatice, vt des mihi gloriam. Do tibi ſubtilitatem, Philoſophe, vt des mihi gloriam. Do tibi iudicium, Medice, vt des mihi gloriam. Do tibi prudentiam, Legum inquiſitor, vt des mihi gloriam. Do tibi ſapientiam, Theologe, vt des mihi gloriam. *Deus à.*

Quandoquidem igitur gloria, laus, honor, vnicum eſt à Deo præſcriptum vectigal, quod nulli remittit, quo impenſe capitur, quodque ab omnibus vbique exigit, eia, mi adoleſcens, ſi quid facis, ſiue ſplendidum, è quo popularem auram aucupari poſſis: contemne hanc, & Deo gloriam adſcribe: ſiue pium, quo tui æſtimationem augere valeres, ſperne, ac Deo gloriam attribue: ſiue ingenioſum, quo nominis claritatem conſequerere; reiice, & gloriam in Deum refunde: ſiue laborioſum, quo te aliis probares: conculca, & Deo laudem offer. *Gloria in omnibus Deo danda.*

Illi ſoli, ſi quid publice, priuatimque pangendum aut dicendum ſit, laus immenſa: ſi ex muneris ratione decertandum, ſit honor exquiſitus, ſi quid pro dignitate faciendum, ſit gloria immenſa. Denique, ſi quid vnquam cogitandum, moliendum, agendum, ſit miſericordiarum Patri laus, honor, gloria ſempiterna.

NOTÆ.

DE PRIMO CONTRACTV INNOMINATO, DO, VT DES.

§. Contractvs Innominati] Sic vocantur, quia ſpeciale nomen non habent, quo appellentur. Nam, verbi cauſſa: *Do, vt des*, genus quoddam eſt, ita vt comprehendat emptum & venditum: locatum, & conductum. Venditor enim dat rem, emptor dat precium: Locator dat rem: Conductor dat mercedem. Contractus ergo innominati nomen generis habent, & tanquam genera continent contractus nominatos. Atque ideo innominati dicuntur: res enim & perſonæ non à communi, ſed à ſpeciali, & proprio nomine vocantur: ſpeciale autem nomen habent contractus nominati. Legendus Paulus Comitolus opuſ. de Contractibus & Ioann. Azor Tom. 3. lib. 6. cap. 2.

§. *DEI in homines liberalitas.* Infinita eſt de his dicendi & conſiderandi materia. Locum Topicum indicat Carolus Regius, de Oratore Chriſtiano Libr. 9. cap. 43. Quiſque exiſtimet ſe eſſe illum ſeruum, quem Euangelica proponit parabola, oblatum Domino ſuo, vt decem millium talentorum, quæ acceperat, rationem redderet. Hæc certe talenta quid ſunt, niſi ipſa Dei beneficia æſtimatione maxima.

Digitized by Google

Et quid numerus decem millium, niſi ipſa eadem multitudine innumera? Ad quinque millia pertinent, quæ naturalia ſunt, & ab ipſo auctore naturæ collata. In hoc enim naturæ ordine numerantur. Primo, quod Deus hominem creando ſeipſum nobis in ſua imagine dederit: ſemperque communicans, vt prima cauſſa, ſemperque influens, vt primus motor: quoniam in ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Secundo, quod totum hunc mundum homini eſt largitus, eumque omnium rerum conſtituerit Dominum. Tertio, quod formauerit & corpus & animam rationis participem, quaſi aureum annulum cum ſua precioſa gemma. Quarto, multa ſunt ſingulis, & varia diſtributa dona peculiaria, tum animæ, tum corporis, præter communia omnium. Quinto, nec deſunt multa externa bona, vt opes, amici, honores, ſimilia. Sed præter hæc alia quinque millia licebit enumerare longe his præſtantiora, quæ ſupra naturam ſunt. Primo, quod filii ſui perſonam nobis Deus dederit, ex quo beneficio, licebit cum Paulo inferre: quomodo non cum illo omnia nobis donauit? Secundo: quod formarit Eccleſiam, quæ eſt mundus alter, longe illo dignior, qui corporeus eſt. In qua ipſemet Chriſtus inter ſeptem ſacramenta præſidet, vt ſol inter planetas. Tertio: quod in nobis hominem genuerit ſpiritualem imagini filii ſui conformem, multis gratiarum ornamentis & virtutum donis locupletatam. Quarto, quod ſingulis ſingulares conceſſæ ſint gratiæ vt Paulus docet: Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Ad quod etiam pertinent tam multa auxilia ſpecialia, quæ liberaliter largitur. Quinto: quod promittat æterna quædam præmia, & ſuæ diuinitatis fruitionem, & mercedis futuræ ineffabilem gloriam.

Breuiter Euſebius Emiſſenus Homil. 1. de ſymbolo. Intelligo illius eſſe totum, cuius cœlo tegeris: cuius terræ gremio ſuſtineris: cuius aëre paſceris, & vitalis auræ participatione vegetaris: cuius luce, ac famulo ſole perfrueris: cuius tibi dies ad iucunditatem, nox obſequitur ad quietem. Qui poſt tanta ſeipſum tibi dedit, quando caro precio te redemit. Qui talia procurauit ſeruo, qualia parabit, victa peccati labe, iam libero? qui tanta iacenti contulit, quanta conferet reſurgenti

TERTVLLIANVS lib. de Patientia, tantum non miſſilia nominat recenſens beneficia naturæ, quæ Deus coelitus mittit?

Florem, inquit, lucis huius ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit: temporum officia, elementorum ſeruitia, totius genituræ tributa dignis ſimul & indignis patitur occurrere.

Ex profanis Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 4. Satius eſt prodeſſe etiam malis propter bonos, quam bonis deeſſe propter malos. Ita diem, ſolem, hyemis, æſtatiſque curſus, & media veris autumnique tempora, imbres, & fontium hauſtus, ventorum flatus ſtatos pro vniuerſis Deus inuenit.

§. *Dua tunica* victus & veſtitus. Præcipitur erga proximos caritas: totum autem caritatis genus per duas maxime neceſſarias, & communes ſpecies declaratur, victum & veſtitum, vt docet S. Baſilius apud S. Thom. Gregor. Homil. 20. Beda Lucæ ſecundo.

§. ECCLESIASTICIS *largiter danda Eleemoſyna*] De hoc accuratiſſime ſcripſit Ioan. Magerantinus in Notis ad Salmanum, recitatis Patrum ac Theologorum grauiſſimis ſententiis, & in ſordidos inuectiuis. Cardinalis etiam Bellarminus admonitione ad Nepotem ſuum Epiſcopum Theamenſem: vbi in noua controuerſia diſputat de reditibus Eccleſiaſticis in quos vſus expendi debeant.

Agit

Digitized by Google

Agit de eadem re S. Thomas ſecunda ſecundæ Quæſt. 145. Art 7. vbi recitat illud Auguſtini ad Bonifacium: Si priuatum poſſidemus, quod nobis ſufficiat, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicamus. Legendus ibi Caietanus, maxime Reſp. ad Tertium: & Dominicus Sotus lib. 1. de Iuſtit. & Iure Quæſt. 4.

§. Non attendenda merita pauperis] Locus communis, quem, vt ſimiles tractant fuſius qui ſcripſerunt de eleemoſyna, Iulius Fulvus hoc titulo. Ioann. Buſæus in Viridario, Franciſcus Labata in Apparatu Concionatorum, & locis communibus. Didacus Lopez in Menſa ſpiritualium ciborum.

§. Danda eleemoſyna ex propriis, & iuſte partis] Prouerb. 3. 9. *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Explicat hunc locum accommodate ad mores, & pro concionibus Quirinus Salazar in commentario, & docet intelligi poſſe de Eleemoſyna. Ex his quæ pauperi donantur honorem cedere Deo. Hortari Salomonem, vt eleemoſyna largiter Deo in pauperibus erogetur. Quomodo honoretur Deus eleemoſynis, & ſimilia non pauca. Non placere Deo munus etiam ex inhoneſte partis, quamuis non iniuſte ſatis conſtat ex illo Deuter. 23. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli: nec pretium canis in domo Domini.* De quo loco præter interpretes Cornelium, & Marium, Ioan. Mariana opuſculo de ſpectaculis. cap. 17. probans inde ex meretricio quæſtu & lupanaris ſordibus, partem aliquam in publicum ærarium vectigalis nomine non debere redigi.

§. Gratia gratis data] De his ſcholaſtici interpretes S. Thomæ loco citato. Valentia Tom. 2. diſp. 8. Quæſt. 3. Benedictus Iuſtinianus 1. Corin. 12. ibidemque Cornelius. Omnes creaturæ noſtris conditæ vtilitatibus tacitis quibuſdam vocibus clamant, *Accipe, redde, caue.* Accipe beneficium, redde gratitudinem, caue ſupplicium.

Profecto Deus in dando Rhetorem agit, licet homines erga illum meri ſint Dialectici.

Inter hos olim Philoſophi hoc conſtituebant diſcrimen, quod Dialectica compararetur manui conſtrictæ, Rhetorica dilatatæ. Deus manum ſuam aperit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes, vt ſapiens illa mulier in prouerbiis. Carolus Regius lib. 10. de oratore Chriſtiano cap. 7. num. 19.

Sunt duo quaſi fratres vterini. *Date, & dabitur.* Vnus ab altero non poteſt ſeparari, ſi ex tua domo diſcedat vnus, qui eſt *Date*, etiam alter cuius nomen *Dabitur*, non manebit. Nolite ſeparare, quos Deus coniunxit. Carolus Regius. lib. 10. c. 8. Num. 12.

Aliqui Deo nihil dare volunt, niſi cum pacto *Do, vt des.* O ſi haberem filium, quam libenter darem eleemoſynam. Ne, quæſo, dicas, *Do, vt des*: irreuerenter cum Deo ita tegeris. Da prius: deinde ora Deum, vt ſi ad eius gloriam, tuamque ſit ceſſurum ſalutem, quod concupiſcis, obtineas. Et ſi res ad votum ceſſerit, age gratias: ſin aliter, non deerit in cœlo præmium, & palatium, vt eiui contigit Romano, qui beatam virginem hæredem ſcripſit. Carolus Regius lib. 10. cap. 7. num. 15.

COM-

Digitized by Google

Dominica II. poſt Pent.

COMMENTATIO XXIX.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA *Deum ex ſecundo contractu innominato.*

FACIO, VT FACIAS.

In qua demonſtratur, quidnam Deus à prima rerum molitione in gratiam omnium; & à cuiuslibet conceptu ad interitum, tum vniuscuiusque, tum mundi fecerit, & facturus ſit, cum pacto, vt homo viciſſim, quod ſui eſt muneris, faciat.

Compelle intrare. Lucæ 14.23.

Deus Factor aquè ac Dator.

NON eſt in dando liberalior Deus, licet à dando Dei nomen habere videatur, quàm in faciendo. Quid non dedit, fecitque, qui omnia? Quocirca mirum mihi ſæpe viſum, ecquid in mentem venerit priſcæ ſuperſtitionis Antiſtitibus, &, qui deinde ſecuti, eiuſdem fautoribus, vt cum tam ſolicitè, ac putidè è rebus quibuslibet minimis, nomina ac titulos fictitiis ſuis Diis Deabusq; emendicarent, duo illa, quæ reliquorum vim omnem complectuntur DATORIS FACTORISQVE, omiſerint. Tot nominum, vt loquitur Minutius Felix, additamentis Romæ celebrabatur, vel vnus Iupiter, vt difficile ſit illa in ſyllabum coniicere, difficilius memoria complecti, difficillimum ſigillatim omnia adnumerata dare.

Minut. in Octauio.

Iouis cognomina. Barnabas. Briſſon. lib. 1. formular.

Superſunt ſigna & numi, olim etiam delubra ſtabant, in quibus ſuperba lemmata vncialibus literis inſcripta, & inſculpta legebantur. Celebrabatur nomine Statoris, Feretrii, Elicii, Fauni, Lucetii, Victoris, Inuicti, Viminii, Fagutalis, Latialis, Hercei, Opitulatoris, Tonantis, Vltoris, Cuſtodis, Piſtoris, Inuentoris, Prædatoris, Impulſoris, Stabilitoris, Centumpedæ, Supinalis, Dapalis, Arbitratoris, Propugnatoris, Hoſpitalis, Salutaris, Paganici, Conſeruatoris, Soſpitatoris, Seruatoris, Defenſoris, Tutatoris, Fulguratoris, Fulminatoris, Omnipotentis, Boni, Sancti, Summi, Supremi. Sexcenta alia æquè vel minuta, vel humanæ adulationis ambitioſa vocabula fingebantur.

Dator & factor Dei epitheta.

Sed vbinam bina illa, quæ inſtar ſunt omnium, *Datoris & Factoris?* An fortaſſe in *Boni* adiuncto latent? *Bonus* enim *optimuſque* cum dicebatur Iupiter *bona dans*, ac *benè faciens*: quaſi *Dator, Factorq;* quod *Bonitatis* maximè proprium, intelligebatur. Eaueo vehementer huic acumini, & dicto Ciceronis firmo. Qui tertio *de natura Deorum* pronunciat; Veteres Iouem Optimum Maximum appellaſſe, quod homines ſaluos, incolumes, opulētos, copioſos efficeret. Quo in genere loquendi ſuperlatiuum pro poſitiuo poni, nec comparationem cum aliis inſtitui Donatus Grammaticus adnotauit. Cuius enunciati hanc eius Interpres Seruius rationem reddit: quia nō ſunt alii Ioues, quorū vnus bonus, alter melior ſit, vnde poſſit dici *optimus*.

Deus bonus & optimus vnus. Matth. 19.17.

PROFECTO, vnus eſt bonus, Deus Matthæi 19. Solus eſt bonus Deus Chriſtianorum: Optimus, Maximus, Diuum hominumq; Pater, & Rex, Dator, Factorque munificentiſſimus, & incomparabilis. Is in Euangelio hodierno dicitur

feciſſe

feciſſe cœnam magnam, vocaſſe multos, miſiſſe ſeruos, vt adducerent inuitatos: iterum mandaſſe, vt quærerent alios, tandem imperaſſe, vt intrare compellerent. quæ omnia ſunt Datoris & Factoris diuini beneficia. Verum, quemadmodum nihil nobis dat, niſi conuentione inita, quam contractum innominatum appellari in iuris tabulis dicebamus, *Do, vt des*, vel proximo, aliqua, vel Deo gloriam, vt nuper commētabamur: ita dum ſe liberalem in faciendo exhibet alterum illum contractum ſtabilire *Facio vt Facias* hodierno die demonſtrandum ſumpſimus: & quidem iis potiſſimum in rebus, quæ in Euangelio, vocationis, miſſionis, inuitationis, compulſionis vocabulis deſignantur.

Tres operationes omnipotentiā n poſtulant.

Huius rei gratia illud è Chriſtiana Philoſophia tanquam indubitatum præmittendum eſt. Tria quædam generi humano feciſſe Deum, quæ ita omnipotentem illius dexteram poſtulabant, vt ab inferiore aliquo expectari non potuerint: & non niſi ab illo qui Deus eſt procedere. Sunt autem illa tria effectus triplicis actionis Deo propriæ, nimirum, creationis, conſeruationis, & cooperationis. Ab his præcipuè ſupremo Numini FACTORIS titulum tranſcribimus.

Creare & facere ſynonyma.
Geneſis 1.1.

CREARE ET FACERE in diuini quidem Codicis Lexico ſynonyma ſunt: licet in Philoſophorum & Grammaticorum Dictionario plurimum differant. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, dicitur primis verbis Geneſis Hebraicè eſt ברא *barà*, quod toto illo capite LXX. vertunt, ἐποίησε *fecit* ſicut & Iſaiæ 42. & 43. Vtuntur autem verbo ποιέω ſcriptores ſacri communiter, cum de prima rerum creatione, quæ admirabilis eſt factio, agunt. Pſalmo 145. 6. *Fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.* Pſal. 44. 5. *Ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & ſiccam manus eius formauerunt.* Actuum 4. 24. *Domine tu, qui feciſti cœlum, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.*

Inſt. exhort. pag. 22.

Hinc FACTORIS epithetum, quod vſurpamus in Symbolo. πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. *Factorem cœli & terræ.* Et Deus magnifico titulo κοσμοποιητὴς à ſcriptoribus Chriſtianis colitur, cum profani ſæpiſſimè illum δημιουργὸν vocent. Cuius rationem dum erudirè exponit S. Iuſtinus Martyr in exhortatorio ad Græcos, hoc diſcrimen inter illa eſſe adfirmat: quod ποιητὴς dicatur, qui nullius alterius præindigens, ex propria ſua virtute facit opus: is verò, qui δημιουργὸς dicitur, potentiam ſeu virtutem operis faciendi ex materia accipiens, opus conſtituit. Additque Iuſtinus, etiam Platonem ſic diſtinxiſſe.

IAM verò ſatis conſtat, Deum feciſſe res omnes: & quaſdam quidem ſecundum ſe totas, & incorruptibiles; quaſdam ſecundum aliquid ſui, nempe ſecundum materiam productione ex nihilo: hoc eſt, nullo ſubiecto præſuppoſito. Ad quam ſolam denotandam Philoſophi & Theologi nomen *creationis*, ac verbum *creo* accommodare ſolent, vt liquet ex S. Thoma prima parte quæſt. 45. artic. 2. eiuſque enarratoribus. Quia autem & nos à Deo creati ſeu facti ſumus: ipſe enim fecit nos: & non ipſi, nos Factura eius dicimur, nomenclatore Paulo Apoſtolo, ad Epheſ. 2. *Ipſius ſumus Factura.* Non eſt autem exiſtimandum, factum eſſe, creatumue hominem à Deo, vt ocio marceſcat, deſidiæ immerſus. *Factus eſt, vt faciat.* quid? quod Deo eſt placitum: ad quod ipſe factus: vt Deum cognoſcat, reuereatur, amet. Vt Deo obſequatur: diligat vt patrem, reuereatur vt Iudicem colat vt Regem, timeat vt Dominum.

NOTÆ.
Adam operatur in Paradiſo.

Vix Adamum fecerat Omnipotens *Factor, cum illum poſuit in Paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Gen. 11. 15. Quo docebat eum factum vt faceret. Egebar

Chryſoſt. homil. 14.

ne hominis cura Paradyſus? inquit Chryſoſtomus, nequaquam: ad quid ergo præceptum operandi? ſanciendus erat iam tunc ab initio inuiolabilis contractus, *Facio, vt facias*. Quid autem faciendum eſſet ad mores accommodarè ſic exponit Procopius. Paradiſus omnibus affluebat bonis, quid ergo operis ibi facturus Adam? Opus erat, opus erat quo ſe exerceret Lex Dei, & fides in creatorem. hæc enim ſi ſollicitè cuſtodiret, operabatur. Ipſe enim Dominus præceptum opus appellat, dicens: opus deeſt, vt credatis in eum, quem ille miſit. Certè, hominem cauere à quodam ſibi oportebat: cum nondum foret latro inſidians. Si præceptum obſeruaret, conſeruabat ſibi & Paradiſum: ne transgreſſus præceptum accerſeret ſibi exitium.

Materia contractus, facio vt facias.

Igitur opus vel labor hominis erat, vt ſedulo operam daret, ne delinqueret in latam legem, & ſibi noxam contraheret. Materia ergo contractus, *Facio, vt facias*, eſt operatio virtutis Procopii ſenſu.

Operatio virtutis.

Cui aſſonat Rupertus Abbas lib. 2. in Geneſin cap. 30. Quid operaretur, inquit, aut à quo cuſtodiret Paradiſum? operaretur vtique opus Dei, quod non eſt aliud, niſi opus fidei, niſi officium ſpei, niſi obſequium caritatis. Dicat aliquis cur non abſque vlla conditione poſuit illum in Paradiſo. Nonne melius fuiſſet, nullum dediſſe præceptum, quam poſitione præcepti facere præuaricationi locum? Ad hæc, inquam: quomodo ergo homo copularetur Deo, ſi non illi ſubligaretur obedientiæ iugo? ſi non acciperet commiſſum, in quo deberet fidelis exiſtere Deo? Itaque, vt operaretur per fidem, & cuſtodiret eum: ſcilicet ne deſerta fide vel dilectione creatoris ſimul perderet datum optimum. Contractum igitur iniit cum homine dum illum fecit Deus, quem exprimit formula, *Facio vt facias*.

Qualibet operatio honeſta eſt materia contractus, facio vt facias.
Homilia 14.
Iob. 5. 7.

Quod de qualibet operatione honeſta, & cuiuslibet opificii functione ſecundum litteram multi intelligunt, vt videtur ocioſitas. Sicque Adamum locatum in paradiſo, vt illum excoleret, citra laborem quidem, vt notat Chryſoſtomus, tamen cum membrorum exercitatione. Quamuis & laborem aliquem poſſet admittere, ſed qui ſine dolore exerceatur ac moleſtia. Nam reuera, *Naſcitur homo ad laborem, ſicut auis ad volatum*. Hac conditione factus eſt, vt laborando faciat. Quam conditionem ante peccatum non agnoſcere videntur aliqui. Nam vt argumentatur Bernardus ſermone 4. ad fratres: Homo creatus non fuit ad laborem: ſed diues creatus eſt: at cum opibus & ornamentis ſuis ſpoliatus fuerit, non niſi miſeros ac egenos filios generabit qui naſcentur ad laborem. Præſtat tamen etiam ad primam hominis originem eam referre, & laborem ſumere pro occupatione corporea, ad quam omnes ſumus facti: etiam Adam, cuius poſteri, quicunque tandem dicere poſſunt: *Homo agricola ego ſum, quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia*. Zachariæ 13. 5. Non laborare volentibus improperat Dauid: *Conſtitue Domine, Legislatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt*. Quibus ex ipſa hominis conditione laborare conuenit, ob pactum: Facio vt facias.

Pſal. 9. 21.

S. Bern. Serm. de ſap. & prud.
Serm. ſuper Ecce nos reliquimus.

Quod fideliter ſeruauit Adam, quamdiu fuit innocens, in paradiſo operans: ſed non minus poſt peccatum expulſus in ſudore vultus terram colens. *Cum autem legatur*, inquit, Bernhardus, contractum hunc perpendens, *Adam in loco voluptatis ab initio poſitus, vt operaretur, quis ſanum ſapiens, filios eius in loco afflictionis ad feriandum poſitos arbitretur?* Et alibi incitatius. *Non ad hoc de paradiſo voluptatis animaduerſio diuina eiciſſe videtur, vt alterum ſibi hic paradiſum adinuentio humana pararet. Homo ad laborem natus, ſi laborem refugit, non facit ad quod natus eſt, ad quod venit in mundum. Quid reſpondebit ei,*

qui

Digitized by Google

qui miſit eum? qui inſtituit, vt laboraret? Adde pactum, Facio, vt facias, quod hæreditate ad nos deuolutum, idem ſanctus notat, Homilia in feria quinta hebdomadæ pœnoſæ. *Duo nobis in hæreditatem reliquit ille vetuſtus Adam, laborem videlicet & dolorem: laborem in actione: dolorem in paſſione.*

Ex quo colligit alibi ſapientis eſſe, & ſecundum naturæ conditionem ſuæ viuentis, obediendo, patiendo, agendoque ſemper aliquid facere, vt factori ſatisfaciat. *Serm de obedientia.* Videſne, inquit, quam ſit vtile homini ſcire ſe hominem, vt proinde ſit paratus ad mandatorum obedientiam, & tolerantiam flagellorum: ac deinceps ſtudeat: vt qui nec laborem interim poteſt effugere, nec dolorem, ſic ſaltem laboret, & doleat, vt hæc ſibi in cibos tranſeant ſalutares. Et hæc quidem, vt ſciant homines, quoniam homines ſunt. actionib. iam & paſſionibus deputati. Erat, quãdo in actione & meditatione poſitus erat homo, ſine paſſione habens actionem. habens etiam ſine labore meditationem. Dico autem quando poſitus eſt in Paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret.

Vt operaretur, inquit M. Auguſtinus, non laborioſe, ſed delitioſe, & mentem prudentis magna, & vtilia commouerent. Et cuſtodiret: quod faceret in terra per agriculturam, cuſtodiret in ſe per diſciplinam. Vt ſicut ager obtemperaret colenti, ita ipſe Deo præcipienti. Vel cuſtodiret Paradiſum, nec committeret, vnde expelli deberet. Vnde accepit præceptum, quo cuſtodito, id eſt, quo ſeruato non perderet. Ex primo igitur genere actionum, quo Deus *Factoris* titulum obtinuit, rectè deducimus contractum innominatum, *Facio, vt facias.*

ALTERA actio ad eundem ſpectans, eſt conſeruatio continua, qua facit, vt iam in rerum natura producti conſiſtamus: in nihilum ilico ituri, ſi vel ad momentum factricem manum retraheret. *Conſeruatio creaturarum. NOTÆ.* Factricem dico, quia conſeruatio nihil eſt aliud, quã continuata quædam productio, vel factio: quatenus nimirum per illam res accipit, vt in ſuo eſſe perſeueret, vt in Diſquiſitionibus Philoſophicis olim docuimus. *S. Thomas 1. P. Q. 104. art. 1. & 2.* Sed hoc facere Deum, vt tu viciſſim facias, quæ ſunt placita coram eo, indubitatum eſt: ille in conſeruando: tu in benè operando perſeueres, ex pactione mutua, *1. Ioh. 3. 21.* *Facio, vt facias.* Sed hic modo non eſt immorandum diutius. *NOTÆ.*

TERTIAM igitur actionem conſidero, quæ eſt cooperatio creanti & conſeruanti propria. *Cooperatio Dei cum creaturis.* Veriſſimum eſt illud à Paulo Apoſtolo apud Athenienſes adfirmatum. *In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus.* In ipſo, id eſt, per ipſum: quo pacto præpoſitionem, IN, vſurpari à ſacris ſcriptoribus notum eſt. *Actu. 17. 28.* *In Deo meo transgrediar murum*, cantabat Dauid. *Pſal. 17. 30.* Et iterum: *In Deo faciemus virtutem.* *Pſal. 59. 14.* Ac Chriſtus Dominus: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi in oratione & ieiunio*: nempe per Deum, per orationem, & ieiunium. *Math. 17. 21.* Itaque ſententia illa Pauli ſignificatur continua, & actualis dependentia creaturæ à Deo tum in virtute operandi, tum in ſua operatione, ſicut in ſuo eſſe ab eo dependent. Qui ſenſus eſt grauiſſimorum Doctorum: inprimiſque S. Thomæ locis variis. Neque eſt admittendum, cauſſam primam ſolum communicaſſe ſecundis, vim ad operandum, eamque conſeruare, non actualiter cum iis operari. Sicut nec, quod ſolus Deus operetur ad præſentiam cauſſæ creatæ, hac nihil agente. Vtrumque à veritate alieniſſimum eſt. Certum illud: actiones exerceri vt ab aliis cauſſis creatis: ſic ab homine: ſed non ſine actuali influxu & cooperatione cauſſæ principis, quam Deum dicimus.

PORRO duo genera actionum ſunt, quæ ab homine proficiſcuntur. Quædam naturales, naturæ humanæ congruentes, & à naturalibus potentiis ac viribus elicitæ. *Duplex genus actionum.*

Digitized by Google

tæ. Quales ſunt actiones ſenſuum, qua externorum, qua interiorum, videndi, audiendi, tangendi, imaginandi, ſimiles. Tum etiam intellectus, & voluntatis, quatenus altiora, quam quæ naturæ limitibus continentur, non contemplatur, vel appetit. Alia ſupra naturam: ideoque tranſnaturales dicuntur, quæ & pietatis opere vocantur, ac ad promerendum Deum, vitamq; beatam referuntur: vti conuerſio peccatorum, iuſtificatio impii, ſacramentorum pia ſuſceptio, expiatio criminum, meritum vitæ æternæ, & quæ eodem pertinent, innumeræ aliæ. In vtroque hoc actionum genere, neceſſe eſt, vt Deus faciat, quò nos faciamus, eiuſque egemus in omnibus adiutorio, quod ſi non præſtet præſens ipſe & operans, quicquid tandem à nobis ſuſceptum fuerit, in irritum cadet: imò nec inchoari quicquam poterit.

Cooperatio Dei ex lumine naturali.

Hoc non ſolum fidei magiſterio docemur nos Chriſtiani: ſed naturali quoque lumine inter tam denſas infidelitatis tenebras, vix exiles ſcintillulas iaciente norant Gentes: quæ hac imbuti perſuaſione, ſine diuina ope præſtari ab homine nihil, non putabant fas eſſe aggredi quicquam alicuius momenti, niſi captatis auſpiciis, & litato Numine. Singulæ etiam ciuitates, imo & familiæ Deum aliquem adoptabant, in cuius tutela eſſent, & qui ſuo præſidio publicos ac priuatos conatus adiuuaret. Hinc Iupiter nomen inuenit, quem à *iuuando* dictum Cicero prodidit. Ipſe, inquit, Iupiter quaſi iuuans pater, à maioribus noſtris Optimus Maximus dicitur: & quidem ante Optimus, quam Maximus, quia maius eſt, certè gratius prodeſſe omnibus, quam magnas opes habere.

Lib. 2. de nat. Deo.

Ad actiones ſupernaturales neceſſaria gratia eſt.

His ita conſtitutis, hoc aſſerimus. In his potiſſimum operationibus diuinis, quibus in nobis & nobiſcum agit beneuolentiſſimus Pater, contractum illum fuit dari, *Facio vt facias.* Sed omiſſis hoc tempore actionibus naturæ conſentaneis, ad quas obeundas & perficiendas ope quidem indigemus, ſed communi, ac minus præſtanti: poſteriores, quas ſupernaturales & eſſe & dici debere adfirmamus, maiore virtute ac conatu iuuando, in nobis, nobiſcum Deus facit. In qua re longè grauiſſima, cautè ſpeculationis paſſibus procedendum eſt, cum, ſi vllum, in fidei Chriſtianæ myſteriis elucidandis, hoc certè ſit periculoſè plenum opus aleæ, vt ille aiebat, incedendum ſit, qui in eo euoluendo verſatur per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Vſque adeo enim, vt alicubi ſcribit M. Auguſtinus in hoc campo, iudicio Scholæ, Doctorum Doctor, ad diſcernendum difficilis hæc eſt quæſtio: vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia liberum arbitrium putetur auferri. Extremis inſiſtunt hæretici, vt ſolent. Catholici media occupant, quà itur tutiſſimè. Sed non eſt omnibus facilè, inter Pelagianorum Syrtes, & Lutheranorum & Caluinianorum vortices, regia, ac militari, quod dicitur, via, ita clauum, curſumque dirigere, vt aſpirante fidei ſinceræ, ac nunquam aberrantis, cynoſura, neutram in partem fiat deflexus. Quod nobis, ſed diuina imprimis implorata, ac fauente gratia, eſt præſtandum.

Lib. de grat. Christi cap. 47.

Error Pelagianorum.

Et aduerſus Pelagium quidem ſtatuendum: Ad hoc, vt quis ad magnam Regis magni cœnam: id eſt, vel fidem & Eccleſiam: vel Regnum cœlorum velit, poſſitque peruenire, neceſſarium omnino eſſe, vt Deus vocet, ſeruos mittat, inuitet, præueniat, excitet, adiuuet, comitetur, ſubſequatur, reluctantem trahat, rapiat, compellat. Contra Lutherum verò & Caluinum, aliaſque eiuſdem generis peſtes: Hominis liberam volũtatem, ſeu arbitrium, etiam dum *compelli à* Deo dicitur, non eſſe plane ſtolidum ac mutum inſtrumentum, ſed diuinæ vocationi, ac gratiæ motioni,

Lutheranorum. Caluinianorum.

tioni, inuitationique ſponte ac libere conſentire: vſque eo, vt, quod à Patribus Concilii Tridentini definitum eſt, illam poſſit, pro ſua libertate reiicere, ac repudiare. Et, vel illecta carnis illecebris, reſpondere vocanti, *vxorem duxi*: & ideò non poſſum, id eſt, nolo venire. Vel diuitiarum curis multiplicibus obruta, dicere, *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum*: id eſt, non vacat obaudire. Vel mundi fallacis implicita pompis, vocanti ingeminare, *Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excuſatum*: hoc eſt, non lubet obſequi: Vel cacodæmonis irretita technis, etiam ſeruos Magni Patrisfamilias occidere, & diſerte profiteri: Nolumus. *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* *Iſaia 28. 15.*

Fraus hæreticorum in attollenda gratia.

SVBTILIS & arguta eſt hæreticorum vaſtities. non quidem illorum, qui modo miſeræ plebeculæ, & ignoranti imponunt, ac regnum apud aduerſarios obtinent *Prædicantes* vel, *Superintendentes* dicti. Nam horum pleroſque, imo pauculis demptis, pene omnes (vt ſemel de iis ſententiam quoque meam habeatis) exiſtimo rudes, ſtolidos, & rerum Theologicarum vere ignaros, in Germania certe, vix agreſti ingenio, acumine nullo: & decipi æque ac decipere: errareque potius, vt vxorculis, & numeroſę ſoboli ſit bene, ac vt non male docuiſſe videantur, quam quod ſingulari aliqua præditi ſubtilitate ingenii, doctrinaue, quæ populo vendunt, poſſint, aut velint defendere. Sed arguta tamen ac ſubtilis fuit illorum ad fallendum vafrities: ingenio, quod apud nos acuerant in malum conuerſo: ac eruditione, quam in Eccleſia Romana hauſerant cõtra illam exacuente malitia, dæmonis etiam cote admota, qui ſuperiori ſeculo diſceſſione ab Eccleſia facta turbas illas communes in Septentrione, tum de aliis Religionis capitibus, tum de gratia, ac libero hominis arbitrio excitarunt. Vt enim ſe in gratia apud ignatos melioris doctrinæ ponerent, & omnis laborioſe operandi neceſſitas deſidioſo vulgo ſubtraheretur: noſque in inuidiam apud indoctos, quaſi minus fauentes Saluatoris noſtri meritis ac beneficentiæ, adduceremur, hoc inierunt conſilium.

Gratia Chriſti quo fine ab hæreticis extollatur.

Vt Chriſti Domini gratiam maximis extollerent encomiis: bonum factum, ſi fraus non ſubeſſet. Iiſdem elogiis tantam illi vim, atque efficaciam tribuebant, vt ea non moueri ſolum & flecti voluntatem quamlibet in partem, ſed impetu quodam ſuo, non aliter atque à ſuprema ſphæra inferiores orbes, vel inuitam ac repugnantem rapiari adfirmarent. Adeo, vt flante gratiæ ſpiritu, non ex parte duntaxat: quod vere Catholiceque alicubi ſcripſiſſe Hieronymum memini; ſed, quod orthodoxorum aures non ferunt, plane ceſſaret, & ſupprimeretur, imo concideret, ne retento quidem nomine, liberum arbitrium.

Vis irrefragabilis neceſſitans.

Catholica ſententia.

Alia ſane fuit ab omnibus retro ſeculis mens & ſenſus grauiſſimorum, ac doctiſſimorum Patrum eccleſiæ Doctorum, qui & Deum, effuſa in nos gratia, facere in nobis nulla, ac operari, ſed, vt nos quoque faciamus, libertatem minime lædendo docuerunt. Siquidem læſa ſemel, libertate, & multo magis, omnino ſublata: quodque inde conſequens eſt, neceſſitate, ac coactione interna ad aliquid faciendum inuecta, præmiorum ac ſuppliciorum rationes omnes conuelli, ſceleratiſſimis hominibus ad quælibet flagitia patentiſſimam portam aperiri: bonis autem recte ac ſecundum virtutem faciendi quidpiam vim omnem tolli neceſſe eſt, Quod argumentum populare & ad omnium captum, ad libertatem hominis ſtabiliendam in homiliis ſermonibus ſuis vrgent magna eloquentia, nec minore vehementia Patres.

Digitized by Google

M. Auguſtini ſententia.

Sed audite, quæſo vos, quid gratiæ Magiſter Auguſtinus, aduerſus Manichæos, quos olim doctores habuerat, poſtea acerrimos aduerſarios ſcribat. Neque hic libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem, neminem vituperatione, ſupplicatione dignum, qui id non faciat, quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant, & in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in locis ſacris, & in orbe terrarum, genus humanum? Et alibi. Vſque adeo hoc eſt manifeſtum, (de humana faciendi & non faciendi agit libertate) vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.

Liberum arbitrium non eſt inuentum Philoſophicum.

Non eſt hoc, vt popello perſuadere conantur ſectarii, inuentum Philoſophorum, quod obſcurata ſaluatoris munificentia, ad adulterandam Chriſtianæ ſimplicitatis ſinceritatem, & deprauandas fidelium mentes in eccleſiam à Papicolis ſit introductum. Neque è Platonis atque Ariſtotelis impuris voraginibus in diuini verbi limpidiſſimum fontem clam iſtiuſmodi fuit deriuata, vt fingunt, venenata vnda, qua cœleſtis doctrinæ latices inficeretur. Non ex Academia, nec Peripato prodibat, ſed è Chriſti ſchola. M. Auguſtinus cũ tam fidenter diceret: *Neque gratia ſine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam neque liberum Arbitrium ſine gratia.* Non de philoſophorum lacunis hauſerat, ſed de Euangelii fontibus. Bernhardus quod interitus adfirmabat: *Tolle liberum arbitrium, & non erit, quod ſaluetur. Tolle gratiam, non erit vnde ſaluetur.* Ex eadem ſcaturigine eſt encomium liberi arbitrii à Bernhardo concinnatum, in quo illud appellat diuinum quidpiam, præfulgens in animo tanquam gemmam in auro, quod & ſummum naturæ noſtræ ſplendorem, atque ornamentum adfert: & nullis criminibus aboleri, nullis calamitatibus minui, nulla externa vi labefactari, deſtruiue poteſt.

Libertas arbitrii non fauet Pelagianis.

Sed tanta & tam ſingularis humanæ libertatis commendatio nequaquam in Pelagianiſmi ſcopulos mentem Catholicis formatam inſtitutis impellit. Viuit, vigetque, & in omnem æternitatem perdurabit apud fideles M. Auguſtini doctrina, quam, vt in mortalitatis pelago fluctuantibus, ſecuriſſimam ducticem, multarum nationum variarum concilia, Romanorum Pontificum decreta, doctorum hominum conſenſus, Theologorum ſcholæ, orbis denique Chriſtianus vniuerſus confirmarunt. Hac doctrina imbuti libere profitemur, Devm in hominibus auctorem eſſe bonæ voluntatis. Nihil quenquam, quod ad vitam conducat ſempiternam non ſolum facere, ſed ne cogitare quidem ſine gratia poſſe. Operari Deum in cordibus noſtris. Cordis duritiem Deum auferre à nobis. Cor nouum, ac ſpiritum nouum creare, facere, infundere. Denique facere, vt nos velimus, & vt faciamus. Vt in præceptis eius vſque ad extremum vitæ ambulemus. Viſorum ſuaſionibus, partim extrinſecus, partim intrinſecus humanas mentes commouere. Inſinuare ſe in mortalium animos. Victricem delectationem, & inſuperabilem fortitudinem immittere. Auerſas, & aduerſas noſtras voluntates ad ſeſe vi quadam occulta & incredibili conuertere. Largiri tandem, quicquid boni ad inchoandum, continuandum, perficiendumque pietatis opus requiritur.

Concordia liberi arbitrii cum gratia.
NOTÆ.

Hæc autem contra Pelagium ita ab M. Auguſtino ſtatuuntur, vt nihil propterea de humani arbitrii libertate velit detractum: Sed ſemper ſimul illam propugnet. *Certum* enim eſt, vt loquitur, *nos velle, cum volumus: nos facere, cum facimus.* Et cum Deus diuina ſua luce mentem humanam illuſtrat & ad fidei lumen recipiendum, ac virtutum officia exercenda inuitat, conſentire, & non conſentire propriæ eſt

vo-

voluntatis. Quod autem à cœleſti Magiſtro Chriſto eſt dictum: Non poſſe vllum ad ſe venire, niſi Pater traxerit, M. Auguſtinus ſic interpretatur, vt in eo ipſo nihil violentum, nihil inuitum, nihil coactum, ſed ſpõtaneum, voluntarium, ac liberum agnoſcat. Trahit enim Deus voluntates, quas creauit, ipſaque trahit voluntate: nec voluntate modo, ſed & voluptate. Quamobrem ita alicubi concludit M. Auguſtinus. *Non ideo tollitur liberum arbitrium, quia iuuatur: Sed ideo iuuatur, quia non tollitur.* Et in eandem ſententiam Auguſtini in omnibus aſſector Fulgentius: Gratia *Dei hominum ſanatur, non tollitur arbitrium.* Signet hæc omnia Romanus Pontifex Leo 9. ad Petrum Antiochenum ſcribens: *Gratiam præuenire, & ſubſequi hominem credo, & profiteor, ita tamen, vt libertatem arbitrii rationali creaturæ non denegem.*

Itaque, ſic commendanda eſt gratia diuina vt libertatis humanæ ſeruetur integritas: ſic humanæ naturæ aſſerenda, ac retinenda libertas, vt nihil diuinæ gratiæ derogetur, cui adſcribenda pie viuendi facultas. Vere enim cum Paulo Apoſtolo adfirmare poſſumus de quocunque licet in ſummo ſanctitatis gradu conſtituto: Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Et, qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc enim mediocritatis temperamento, Lutheranorum & Caluiniſtarum extrema ſegnities ac vilitas, Pelagianorum autem arrogans tumor procul ab animis noſtris arcebitur. Hoc igitur tanti momenti dogmate religionis Chriſtianæ ſtabilito: Aſſerimus DEVM plurima ac varia in nobis gratiæ ſuæ munere facere, vt faciamus: & huc tendere cœleſtes illas & maxime abditas in nobis gratiæ præuenientis, excitantis, adiuuantis operationes. Sed quid à nobis, vt faciamus, exigit? Id ex varietate diuinarum operationum, hominumque diuerſitate iudicandum eſt. Aliqua autem ſtatui poſſunt rerum capita ad quæ cetera reuocentur. *Vis bona actionu à gratia.*

Nam vt philoſophatur M. Auguſtinus tres omnino vocationes in parabola Euangelii quod enarramus, ſignificantur. *Prima*, Iudæorum qui venire ad cœnam recuſarunt. *Secunda*, Ethnicorum, qui ad cœnam venerunt non compulſi. *Tertia*, Hæreticorum, qui vt veniant, compelluntur. His adiungantur aliæ: vt ſit ordine *Quarta*, quorundam è fidelium numero, qui vocantur ad caritatem, qua ſunt per peccatum orbati. *Quinta*, qua qui caritate ſunt prædiri ad varia virtutum Chriſtianarum officia, ſingularem pietatem, ſacramentorum frequentationem, humilitatem, abſtinentiam inuitantur. *Sexta*, qua pauci alii ex tanto hominum numero, ad Chriſtianæ vitæ perfectionem, quæ per votiuam paupertatem, religioſam obedientiam, perpetuamque & Angelicam caſtitatem paulatim acquiritur, licet in iis non conſiſtat, incitantur. *Septima* qua exſtimulantur plurimi ad heroicas quaſdam & plane diuinas virtutum magnarum exercitationes. *Octaua*, quæ ad omnes extenditur, qua impelluntur quotquot ſunt ad voluntatem Dei perſcrutandam, & ſaluti propriæ inuigilandum. Vult enim DEVS omnes homines ſaluos fieri: & ad agnitionem ſuam peruenire. Itaque facit in Iudæorum gratiam ſigna & prodigia vt credant: facit cum Ethnicis miſericordiam, & interius mouet, vt fidem arripiant: facit cum hæreticis admiranda, vt ad eccleſiam redeant. *Vocationum diuerſitas.*

QVID putas in ſalutis negocio negligentiſſime iuuenis, tecum facit miſericordiarum Pater, vt peccatis quibus collotenus immerſus hæres, renuncies? vt ex occaſionibus te circumſtantibus, & membra omnia tenaciſſime conſtringentibus te eripias? vt illam domum non amplius ingrediaris? vt monſtrum illud non concupiſcas, multo minus alloquaris, contingas, oſculeris, & Iſmaelitice colludas. *Quid facere velit Deus varios.*

Cum

Cum iis ſodalibus non agas, qui tibi toties ſcandalum, ac ruinæ occaſio. Illa conuiuia non frequentes, in quibus regnat luxuria. Ad illam theatralem ſpectaculorum turpitudinem, in qua toties lapſus, non accedas. In illo compotantium, ſaltitantium, digladiantium circulo, in quo ſæpe ſæpius vitæ vtriuſque adiiſti periculum non compareas. Angulos illos & antrum in quo Dido & Æneas, Madianitis & Hebræus, Mars & Venus, Corydon & Alexis plura exprimere non attinet, tanquam inferni procæcium deuita.

Procac'um antithalamus.

Tum vero vt confeſſionis Sacramentum ſerio, fideliter, integre, pure, verecunde, cum interna animi contritione, externis lacrimis, totius corporis, ac ſpiritus deiectione, non languide, & ex vſu, ſed vitæ emendandæ cauſſa adeas. Sacroſanctam Euchariſtiam, vere cœnam magnam, conuiuium Dominicum, Frumentum electorum, Angelorum ac Dei panem, carbonem ignitum, Pharmacum immortalitatis, myſticam benedictionem, Eulogiam, Metalepſim cœleſtem, tranſmutationem, conſummationem, viaticum, vitam, mirabilium memoriam, ſynaxin, κοινωνίαν, manna, Agnum immaculatum, Holocauſtum, victimam, Libamen, Hoſtiam pacificam, pro peccatis gratiarum actionem, fontem bonorum omnium: clarius; vt corpus & ſanguinem Domini peculiari cum deſiderio, fame, guſtu, accurata præparatione præmiſſa, Angelica cum puritate & immutatione in alterum hominem, non momentanea & volatica, ſed conſtanti atque ad vitam duratura, ſuſcipias, recondas, conſerues: cum eis delitias omnes tuas: animi ac corporis aduerſitates, propenſiones, deſideria, vota, ſuſpiria, communices.

Quid tecum facit, vt caſtitatem ex animo colas, modeſtiam ſingularem induas: pietati te ſincere tradas, hominum obloquia ſpernas, à vanitate oculos, mentemque auertas: litteris bonitatem adiungas: à via ſemel ingredi cæpta Deo ſeruiendi non recedas: ad dexteram vel ſiniſtram non declines. Status ſiue cœlibatus, ſiue matrimonii: conditioni ſiue nobilis, ſiue plebeiæ; officio ſiue vili, ſiue honorifico: obligationi erga ſuperiores, inferiores, æquales ſatisfacias.

Quid tecum facit, vt deſerta fallaci honorum, ac voluptatum ſpe, calcata carne, ſuperato dæmone, contempto mundo, abiectis diuitiis, renunciato ſeculo, abiuratis pompis, venditis boum iugis, deſerta villa, vxore, quæ promiſſa erat, repudiata, ſpoliatus omnibus, nudum nudus Chriſtum ſequare: Paupertatem ames, vt matrem, obedientiam amplexére, vt ſponſam, caſtitatem colas, vt Reginam ac Imperatricem. Quid tecum facit iam in religione, ſinceris illis mentium beatarum, & inenarrabilibus perfruente deliciis, vt haud contentus nouitio tirocinii feruore, in modum flammæ, facilius erumpente, quam perdurante, immortalem intus ignem, ex virtutum ſolidarum congeſtâ materia præpares: caritatis cœlitus hauſtæ facilius accendas: diuinarum inſpirationum flabris, orationum ventulo agitatis, viuam ſemper flammam exuſcites: quotidiana ſtudioſarum actionum exercitatione, tanquam noua ingeſta materia nutrias: Si imperfectiones intercurrant, nam ſumus homines, earum emendatione velut leui frigidæ aſpergine flammam viuaciorem efficias, vt quotidie, imo momentis ſingulis meritorum augmento creſcas: neque contentus vulgari virtutum religioſarum gradu, altiſſimum illum apicem, in quo Religionum fundatores conſtitêre, conſcendere nitaris, & Baſilii, Benedicti, Antonii, Dominici, Franciſci, Ignatii veſtigiis inſiſtere, ô! quis dabit.

Denique, quid tecum facit, quiſquis es è multorum numero, fortaſſe nil niſi numerus, vt ſalutis tuæ, quam pene in depoſitis habes, curam aliquam ſuſcipias, aliamque poſt hanc ſupereſſe vitam, tibi firmiter, ac, vt nunc loquimur, practicè perſuadeas.

Quid

Digitized by Google

Quid tecum facit? dico, Hic mergor Oceano bonitatis & miſericordiæ diuinæ: cuius abyſſus abyſſum inuocat: cuius profunditas eſt abſque fundo, latitudo ſine termino, altitudo infinita: incomprehenſibilia iudicia, non veſtigabiles viæ: operationes admirandæ magis, quam explicandæ. Balbutire aliquid circa hæc poſſumus: enarrare, & exponere, quod omnibus ſatisfaciat, ac difficultatem exhauriat non valemus. *Proceſſus in hominum conuerſione.*

Hic iubet quieſcere humana ignorantia, & ſtupere imbecillitas. Aliquid dicere putantur Theologorum ſummi, ſed tam parum teuera, ſi ad canones diuinæ ſcientiæ examinetur, vt nihil eſſe videatur. Aliquid tamen dicunt, cum aiunt, miris ſed veris modis Deum facere, vt opportuno tempore quiſpiam percipiat veritatem fidei, ſi adhuc eſt infidelis: virtutis pulchritudinem, ſi hactenus, fuit in vitiorum caſtris: perfectionis viam arctam, ſi eatenus aberrauit in larga perditionis: ſanctitatis culmen, ſi nondum eius deſiderium habuit, à quocunque tandem, ſiue à concionatore in templo, ſiue Doctore in ſchola, ſiue confeſſario in tribunali ſacro, ſiue à parente domi, ſiue ab amico foris, ſiue à Catechiſta exterius, ſiue ab Angelo, Deoque inſpirante, interius audiat: vel è libro, imagine, tabella, ſtatua, fronde, flore, herbula, mundique re alia conſpecta hauriat. Opportuno, inquiebam, & congruo tempore, quod nulli niſi Deo eſt cognitum, notitia illa, tot controuerſiis apud homines nobilitata, qua Deus omniſcius, non futura ſolum contingentia abſoluta, ſed & conditionata infinita, tanquam ſibi præſentia intuetur.

Huius cognitionis vi nouit certiſſimè, Si Petrum Bar-iona, reſpiciam nunc, exibit, & flebit amare: ſi alio tempore obſtinatus perſiſtet. Si Paulus in via Damaſcena tangatur cœleſti fulmine, concidet, ſeque mihi obſequentem præſtabit. Si hanc ſuauitatem Auguſtino & Manichæo & amoribus carnis irretito, immittam in horto reſolutus in lacrymas, manus dabit: alias in ſordibus hæſurus. Si hanc vocem Antonio Ægyptio iuueni opulento & eleganti curem proponi. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, vniuerſis diuenditis, mundo renunciabit. Si hos adoleſcentes vanos, arrogantes, luxurioſos, in tam abominanda laſciuiendi conſuetudine, minis cœleſtibus illa hora terream: Si vnum aliquem ex illis ad illorum exemplum in ipſo flagrantis æſtu criminis fulmine, aut inuiſibili gladio iciam: ſi alium in ſaltu, in ſpurco contactu, inter amplexus meretriculæ, è ſinu Dalilæ à Dæmone abripi patiar: ſi aliquos infortunio, paupertie, orbitate, vulneribus in rixa inflictis, mactem: ſi aliquem Gallica ſcabie & pagulis, ſi aliquem cancro, aut magis deteſtando morbo mulctem, reſipiſcent. *Scientia conditionalium. Proceſſus in hominum conuerſione. Illuminatio intellectus.*

Et compuncti corde dicent, vel vt olim ex Hebræis conuerſi poſt Petri concionem ad Apoſtolos: *Quid faciemus viri fratres?* vel vt turbæ ad Ioannem, poſt eius increpationem: *Magiſter, quid faciemus?* Vel vt Saulus tremens, ac ſtupens poſt Dei fulminationem: *Domine quid me vis facere?* Vel, vt Iob poſt Dei internam illuſtrationem: *Peccaui, quid faciam tibi ô cuſtos hominum*: Optima animi diſpoſitio ad illa, quæ ſubſequuntur. Suggeret deinde Petrus: *Pœnitentiam agite*, dicet Ioannes. *Qui habet duas tunicas, det non habenti. Nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. Neminem concutiatis. Nemini calumniam faciatis.* Intonabit Deus: *Surge, & ingredere ciuitatem*, templum, religionem, *& ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Addet Mater Ieſu de filio optimo ſuaſore: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* *Act. 11.22. Luc. 3.10. Act. 9.6. Iob. 7.20.*

Verum quoniam non eſt ſatis, Petrum, Ioannem, Mariam dixiſſe, hortatos eſſe, præſcripſiſſe: hominem audiſſe, vidiſſe, intellexiſſe. Quam multi probè auditis, vi- *Suauitas in voluntate.*

ſis,intellectis,nihilo meliores,peiores imo in reprobum dati ſenſum pereunt, Diabolo dediti. Addunt Theologi: Deum facere haud diſſimili, ac æque ineffabili modo, vt voluntas hominis affici ſe ſentiat ſuauitate quadam incredibili, ac inenarrabili, cuius ignorat originem, fidem nondum percipit. Dehinc facere, vt eadem dulcedine delibuta capiatur, propellatur, rapiatur: ſed omnino ſponte, voluntariè, liberè: capiatur amore, rapiatur voluptate, propellatur adſequendi deſiderio. Poſtea eundem Miſericordiæ Patrem facere, vt iam voluntas capta, propulſa, raptata velit, quod illi antea videbatur tam difficile, imò, impoſſibile. Neque velit tantum velleitate quadam imbecilla, inconſtante, ac lubrica, ſed voluntate perfecta, efficaci, firma, immobili. Tandem facere vt faciat, quod antea, haud ſecus ac mortem, vel ſiquid terribilius, abominabatur. Quidnam illud? declinare à malo, & facere bonum, ſiue officium iuſtitiæ. En contractum innominatum, Facio vt facias. Clarius & copioſius.

Facit vt infidelis, gentilis, Saracenus, Turca, Chriſtianorum fidem, à qua tantoperè abhorrebat antea, amplectatur: pro illa torqueri, uri, diſſecari, findi, paratiſſimus. Facit vt hæreticus errorem abiuret: Schiſmaticus Eccleſiæ vnitatem prædicet: eius viſibile caput agnoſcat: ſuperbus typho elationis depreſſo, omnium ſe pedibus ſubiiciat: Impurus, adulter, mœchus, libidinoſus, laſciuus, fœditatem omnem deteſtetur: Auarus pecuniam penè omnem in pauperes diſtribuat. Vindictæ appetens cum inimicis capitalibus in gratiam redeat, amicitiam ſuam offerat, beneuolentiam impoſterum & affectum fraternum ſpondeat: Prodigus, aleæ, luſioni, ſumptibus inutilibus deditus, frugaliter viuat: Inuidus caritatem, procax modeſtiam, maledicus benedictionem, ebrioſus temperantiam, fur iuſtitiam, raptor ſui deſerendi deſiderium, ſcortator caſtitatem, ſacrilegus religionem, glorioſus humilitatem, vanus maturitatem amet, & rebus omnibus præferat: tandem mundo, illiusque vanitatibus addictus, ſtatim nuncio ei remiſſo, imò bello illi, ac carni indicto ſeueriſſimam viuendi viam ineat: nec communibus contentus vitæ religioſæ vinculis, firmioribus etiam ſpontaneè ſe adſtringat, totumque Deo ſe deuinciat, non iam homo amplius, ſed quidam quaſi Deus terreſtris.

Deus auctor conuerſionum. Et niſi hoc modo ſe gerat Deus, ſiue cum infideli, quando ad fidem eſt conuertendus: ſiue cum peccatore, quando ad virtutis ſtatum eſt perducendus: ſiue cum quocunque alio, quando ad perfectionem eſt inſtigandus, fruſtra laborat Concionator, deſudat Catechiſta, clamat Eccleſiaſtes, monet Confeſſarius, inſtant amici, vrgent domeſtici, fulminat pater, conſpirant ad vnius conuerſionem religioſi, quotquot ſunt. Vtique omnes. Ex quo, tanquam principio quodam fidei, duo colligere ſum ſolitus, quæ mihi, & in magnis pro proximo laboribus, cum exiguo ſæpè fructu, magnum adferunt ſolatium: & magnam cum Chriſtiana modeſtia animi tranquillitatem pariunt.

Meritum ex conatu. VNVM eſt, ſi quis muneri ſuo ſatisfaciat, tantum ſe apud Deum habere meriti, ac ſi iiſdem laboribus, pari caritate, & induſtria felicitate diſpari, multitudinem penè innumeram, conuertiſſet ad fidem, aut probitatem: quoniam hoc in hominis non eſt poteſtate: modò tamen ipſe qui hæc conatur peccatis ſuis aut imperfectionibus, maloque exemplo conuerſionem non impediat. Præclarè Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 2. cum docuiſſet Deum miro modo operari in cordibus hominum: ſubiungit in ſequentibus, eſſe quandam ſcholam remotam à ſenſibus carnis, in qua illi, qui trahuntur ad fidem (eadem eſt ratio de virtute, pietate, *Cap. 8.* ſanctitate)

ſanctitate) audiunt à Patre. Et niſi in interna illa ſchola audirent exterioris ſcholæ clamores, nihil efficerent. Nunquam legiſtis poſt feruentes illas Pauli & Barnabæ conciones credidiſſe gentiles: at quot? *quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam,* Actuum 13.48. Poſt alios eiuſdem Apoſtoli ingentes labores, pro animarum ſalute exantlatos, ſcribitur: *Quadam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum colens Deum audiuit, cuius Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebãtur* à Paulo Actuum 16.14. Fortaſſe millia aliquot auditorum habebat præco ille diuinus, & vnica eſt inuenta muliercula, quæ Pauli verbis credidit, vt ſupponit Proſper Aquitanicus. Et *Lib. de lib. arbit.* quare credidit? fortaſſe Pauli ſpiritu, efficacia, actione, eloquentia incitata? minimè Sed quia Dominus aperuit illi cor: id eſt, gratiam infudit, præuenit, excitauit, illuminauit, mouit, affecit: fecit, vt vellet, & crederet: fecit non ſolum vt poſſet credere; ſed etiam vt crederet: fecit, vt Paulus non ſuaderet tantum, ſed & perſuaderet, nimirum efficacem illi gratiam ſuam eſſe voluit. Et nos terræ tubera turbemur, ſi ad noſtra vota pagi, ciuitates, oppida non concurrant, & illico non conuertantur. Noſtrum eſt tam libenter vni alicui, quam mille hominibus laborẽ impendere, ac non numero, ſed animarum precio, Deique voluntate moueri: fructus labori ſi non reſpondeat, in Dei prouidentia ac prædeſtinationis arcano conquieſcere. Ex quibus æſtimate vos, num laus ſit hominis Cõcionatoris, Catechiſtę, Doctoris multos habere qui dicentem audiant, adde etiam qui obaudiant ac conuertantur. Miſelli! hoc Dei miſerentis eſt opus, non laus hominis volentis: Dei facientis, non hominis dicentis. Nemo poteſt venire ad me dicit Chriſtus, niſi ei datum fuerit à Patre, Ioan. 6. Non à Petro, Paulo, Martino. non: ſed è Patre. Fides, conuerſio, morum emendatio, donum Dei eſt, non hominis: collaborare poſſumus, ac debemus ex officio, efficere non poſſumus. Et hoc eſt *Alterum*, quod miram animi pacem homini proximorum conuerſioni dedito ingenerat.

Quæ cum ita ſint, aliquid videntur dicere Theologi, dum hæc adferunt, vt ob oculos ponant, quid faciat Deus vt viciſſim faciendi neceſſitatem ex contractu homini imponat. Sed quod omnino exiſtimo, ne centeſimam quidem partem eorum, quæ in hominibus hominum gratia operatur *dator factorque* munerum muníficentiſſimus, obumbrare valent. Quare receptui canamus, & ignorantiam noſtram volentes lubentes faſſi illud identidem vſurpemus. O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt judicia eius: ſed interim officio noſtro non deſimus: Facienti, vt faciamus, reciproco faciendi officio reſpondeamus: certi, nunquam ad ampliora illius liberalitatem nobis defuturam. Sic enim effatum illud Theologicum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*: nempe maiorẽ, ſi priori reſpondeat, interpretari licet. Deus facientes iuuat, qui tamen non facerent, niſi in ſe facientẽ vt faciant haberent. Cooperandum eſt. Nec deſidioſum iuuit Hercules, vt eſt in fabulis, bubulcum, qui lutoſa in via defixum plauſtrum nihil connitendo, illum plorans implorabat vt extraheret. Sed monuit bubulcum Hercules, vt boues ſtimularet, humeris plauſtrum promoueret, non defore opem à promptiſſimo auxiliatore.

IAM illud fortaſſe ſcire aues: Cur dicam Deum facere in nobis vt faciamus: & *Gratia actualis eſt operatio.* non potius, dare gratiam vt faciamus; cum totum hoc in datione potius, quam factione conſiſtere videatur. Quando contractum alterum innominatum, *Do, vt facias*, explicabimus, palam fiet, in quibus ille bonis, inter Deum ac nos initus, conſiſtat: nunc ſat ſit dixiſſe: hunc de quo modo diſputamus & vocatur, *Facio vt facias*: *NOTÆ.*

Gratia excitans. *Præueniens.*

in iis fundari, quæ ſunt reuerà actiones, ſeu operationes quædam. Siquidem illam Dei gratiam, ſiue auxilium, adiutoriumve, quo tam miræ in hominibus fiunt conuerſiones, & vocari ſolet *Gratias excitans, præueniens, mouens, comitans*, non per modum qualitatis alicuius permanētis dari exiſtimo: ſed eſſe ipſammet intellectionē, illiuſque illuſtrationem: tum motionem vitalem voluntatis, prout hæc à Deo dimanant, etiam ante liberum hominis conſenſum, non tamen ante vitalem concurſum, neque ſine hoc. Nam non probatur mihi, quod dicunt aliqui ex Theologis eas operationes Deum in nobis facere, potentiis humanis ſolummodò paſſiuè ſe habentibus: actiuè enim & vitaliter ad illas operationes concurrimus, quibus homo victrice illa voluptate in mente vexillum erigente, tam miranda efficit.

Gratia illuminatio.

VERBI cauſſa. Lumen illud inſolitum, quod ſubito aliquando dum minimè cogitas, ad ſententiæ alicuius piæ, vel moralis, imò indifferentis, imò turpiculæ lectionem, vel auditionem accenditur, ac ad diuina ducit. Illa dulcedo, ſuauitas, illecebræ. Illud, neſcio quid, quod, qui accipit, ſentit, ſed effari, & explicare non poteſt: illud tamen, neſcio quid, quod interdum poſt confeſſionem ſeriam, cōmunionem corporis & ſanguinis dominici diu deſideratam, poſt mortificationem aliquā voluntariè ſuſceptam. Illud, neſcio quid, quod meditationis, contemplationis, orationis ſiue vocalis, ſiue mētalis, nocturnæ recollectionis, examinis diuini tempore: illud, neſcio quid, quod in concione, lectione, ſacrificio ſentis, admiraris, de rehendis: ſed vnde veniat, neſcis: at, quo vadat, paullatim colligis, dum ad ſuperna te trahi, rapi, compelli animaduertis. Illud, illud eſt ipſiſſima gratia, mouens, vocans, excitans, præueniens, operans: id eſt, ipſa operatio, Et factio Dei omnipotentis, qua te ad cœnam magnā inuitat, allicit, trahit, rapit, cōpellit, facit, vt facias, & ſequaris.

Compelli quid ſit. *Gregor. lib. 34 Mor. cap. 2.* *Auguſt. epiſt. 50.* *S. Hieron. Oſea 2.* *Tracta. 36. in Ioan.* *Tractio voluntaria.*

NON te turbet, quod *compelli*, dixerim. Omitto expoſitionem, quamuis bonam Gregorii Papæ, qui eos cōpelli arbitratur, quos flagellis & aduerſitatibus erudiros Deus vocat. Non expendo etiam illam Auguſtini, Epiſtola ad Bonifacium comitem: id dictum Magiſtratibus, vt hæreticos pœnis, ſi aliis modis nequeant ad Eccleſiam, à quâ deſciuerunt, redire cogant. Mihi iſtud placere vehementer non diſſimulo: *Compelli & trahi*, idem in hac materia ſignificare: neutrum autem quicquam violentum, coactum, inuoluntarium, ſi voluntatem ſpectes, ſed quod ſpontaneum eſt, liberumq́; denotare, vt ſuperius indicauimus. Diuina ſunt, quæ in hanc rem ſcribit Gratiæ vbique Patronus Auguſtinus ſemper animo memori verſanda.

Noli cogitare te inuitum trahi, trahitur animus & amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus, qui verba perpendunt, & à rebus, maximè diuinis intelligendis longè remoti ſunt in hoc ſcripturarum ſanctarum euangelico verbo forſitan reprehendamur, & dicatur nobis. Quomodo voluntate credo, (addamus, oro, voueo, mundo renuncio, confiteor, communico, corpus caſtigo, crucem amplector) ſi trahor? Ego dico: parum eſt voluntate; etiam voluptate traheris. Quid eſt, voptate trahi? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis.

Porro, ſi Poëtæ dicere licuit:

Trahit ſua quemq́; voluptas,

non neceſſitas, ſed voluptas: non obligatio, ſed delectatio. Quanto fortius nos dicere debemus: trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur vita æterna, quod totum Chriſtus eſt.

An verò habent corporis ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeratur à voluptatibus

tibus

Digitized by Google

tibus ſuis? ſi animus non habet voluptates ſuas, vnde dicitur: Filii autem hominum ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt: inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis deliciarum tuarum, potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem, & ſentit, quid dico: da deſiderantem: da feruentem: da in iſta ſolitudine peregrinantem, atque ſitientem, & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem. Da talem, & ſcit, quid dicam. Si autẽ frigidè loquor, neſcit, quid loquor. Tum aliquibus interiectis, ad idem reuoluitur.

Ramum viridẽ oſtendis oui, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quod currit, trahitur, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo iſta, quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt: quoniam verum eſt:

Trahit ſua quemque voluptas:

non trahet reuelatus Chriſtus à Patre: quid enim fortius, deſiderat anima, quam veritatem?

At tractio, dicis, ſecundum Ariſtotelem, eſt motus violẽtus. Quod ſi igitur Deus homini vim non infert, ſed liberam ab hominib. exigit ſeruitutem, quomodo trahi perhibemur? Quid tricaris? Sat dictum, quid in diuinis litteris ſit *trahi*. Ruſum, breuiter ex Auguſtino: Trahi à Patre, eſt interna perſuaſione, & amoris ingentis declaratione, ad Chriſtum duci. Et ex Cyrillo lib. 4. in Ioan. c. 6. Non enim cum dicit: Neminem poſſe ad ſe venire, niſi Pater traxerit eum, vi quadam cogi, rapiq; credentes putandum eſt: ſed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta. Vnde intulit: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: vbi auditus, diſciplina, doctrina adeſt; ibi fides, non vi, ſed perſuaſione oritur.

Tractio an motus violentus.

Eleganter, & non Theologicè minus, quam oratoriè Chryſoſtomus, Homilia de conuerſione Pauli obiicientibus, nihil mirum, quod cõuerſus fuerit Paulus, quoniam Deus vocem illam Saule, Saule, quaſi funem ceruici eius iniecerat, vique ipſum ad ſe trahebat: reſpondet, voluntariè obediſſe, cum multi eandem vocem audientes, quia nolebant, non obediuerint. Et pridem quidem Iudæi ſumma quadam liberæ mentis peruicacia, quem audierant in Iordane dilectum Dei filium appellari, & Spiritus Sancti in ſpecie columbæ teſtimonio decorari, deceptorem ipſi nominarunt; & reſpuerunt eum, quem tam luculentè Ioannes prædicauerat: & qui tot ſe ſignis, & præclara doctrina prodiderat. Nec dubitauerunt vinculis adſtringere illum, qui vt Saulum, ſola eos voce in terram proſtrauerat, ac ſe eorum oculis præſens, inuiſibilem reddiderat. Adfert quoque in exemplum Elymam, cui cæcationis remedium, quod Paulus expertus, reſipuerat, fruſtra ab eodem Paulo adhibitum eſt. Proconſuli autem alienum malum profuit. Tandem extremo conatu inculcat, vt rem ſummi momenti, & maximè neceſſariam: non cogi à Deo quemquam nolentem, ſed volentem trahi. Contrariam opinionem eſſe defenſionem ignauiæ, ne piis hortationibus quis adquieſcat, & tacitam accuſationem Pauli, eorumque omnium, qui diuinæ vocationi reſpondentes ſancti euaſerunt, tracti, non coacti. Non alia autem vis eſt in verbo *Compelle*. Compellitur quis voluptate, id eſt, ita Deo interius operante, agitur, verſatur, incitatur, vt cum ſumma voluptate, liberrimoque conſenſu, velit, quod vult, faciat, quod propoſuit. Niſi compulſionem ad exteriora referas. Acute namque Auguſtinus: *Dum foris inuenitur neceſſitas, naſcitur intus voluntas.* Nimirum, neceſſe eſt, morbum à Deo immiſſum perferre: velis nolis, febri æſtuas, angina cruciaris, pleu-

Matth. 3. 16.
Ioan. 7. 12.
Actu. 13. 11. 12.
Vis verbi Compello.
Serm. 33. de verb. Apoſt.

ritide pungeris, famem, peſtem, aliaſque calamitates ſuſtinere cogetis. Ex hac neceſſitate foris patiendi naſcitur intus, Deo faciente, voluntas peccata deſerendi diuiniſque mandatis obſequendi.

Exemplum compulſionis Euangelicæ. Lib. 3. cap. 10.

VVLTIS & alium compellendi modum? Exemplo illum proponam. Gaſpar Barzæus Belga, homo ex ordine noſtro, ad Indiæ potiſſimum ſalutem natus, miro flagrabat animarum ſaluandarum deſiderio. Hic virum quendam nobilem, ſed ſceleratum diu ad confitendum pellexerat fruſtra. Non tamen idcirco hominem deſeruit: Sed eo magis vrgere ſtatuit, quo extremam eius neceſſitatem, diuinitus, vt fas eſt credere, præſentiebat. Itaque, hominem quadam die ex pulpito in concione adeſſe aduertit. Ea mox abſoluta, ne fortaſſe elaberetur, ſocium mittit, qui roget, vt ſatiſper expectare ne grauaretur, dum ſe Gaſpar à côcione, vt ſolebat, colligiſſet: habere illum quæ neceſſario cum eo communicet. Ac libenter ille quidem futuri neſcius expectabat. Gaſpar vero conſulto, dum concio diffluxiſſet, præſtolabatur: qua deinde commiſſa hominem adit, & ſubito ait, ſe non aliud ab illo exigere, quam peccatorum confeſſionem, qua ſciret eum hoc præſertim tempore indigere. Ille tergiuerſari ac differre: Gaſpar vrgere. demum vbi aliter non potuit: ſane inquit Gaſpar, hinc non abibis niſi confeſſus: atque eum in finem iuſſi ædem obſerari. Tum ille cauſſatus hoc ſolum, ſe imparatum, ſubdit Gaſpar: nihil agis, poſſum hunc defectum quærendo ſupplere. Denique ille coactus, annuit. Et Gaſpar hominem audiens, cum iam craſſiſſima, quæque maxime horrebat eructaſſet, vt intentius ſe pararet inpoſterum diem dimiſit, abſolutionis beneficium tunc promittens. Ille deuorato pudore, ne, quæ iam dixerat, fruſtra dixiſſet, reddit poſtero die, atque ita iuſſu Gaſparis tertio: tum tandem expiatus, paucis poſt diebus, cum claſſem conſcendiſſet, moritur: mire lætus, quod à Gaſpare in cœlum, vt merito ſperabat compulſus fuiſſet intrare. Ita compelli libertatem non excludit, quam ſemper exigit contractus, de quo agimus, *facio vt facias.*

Deus operans in creaturis amoris fomentum. Ignatius libel. exer. ſept. 4.

Cuius ſuauis contemplatio mirum eſt, quos amoris diuini igniculos in pectoribus fidelium excitet, & quam impellat hominem ſalutis ſuæ auidum ad magna quæque in Dei honorem audenda, faciendaque. Id vidit, vt multa perſpicaciter, vir in aſceticis eximie peritus, Ignatius familiæ noſtræ Ductor, qui in exercitiorum ſpiritualium libello, dum amoris ſpiritualis excitandi rationes ſuggerit: poſtquam dixit contemplandum DEVM in ſingulis exiſtentem creaturis ſuis: & elementis quidem dantem vt ſint: plantis vero, vt per vegetationem quoque viuant: animalibus inſuper vt ſentiant, hominibus poſtremo, vt ſimul etiam intelligant. Inter quas accepi, ait contemplator, vniuerſa hæc beneficia eſſe, viuere, ſentire, ac intelligere: meque templum quoddam ſuum efficere voluit ad imaginem ſuam, & ſimilitudinem creatum. Deinde præſcribit, vt conſideretur DEVS ac Dominus propter me in creaturis ſuis operantem, & laborantem quodammodo, in cœlis, elementis, plantis, frugibus, animantibus, quatenus dat ipſis, conſeruatque id, quod ſunt, habent, poſſunt, atque agunt. Quod quidem in nobis non tantum de actionibus naturalibus, ſed etiam ac multo maxime de operibus gratiæ ac ſupernaturalibus eſt intelligendum.

Facio, ſacrifico.

ALIA ac longe diuerſa eſt materia, in qua Chriſtus contractum *Facio, vt facias,* conſtituit, non quidem cum omnibus, ſed certo quodam perſonarum genere. Ad cuius intellectum, vt rem eruditis notam, ponimus, *facere,* non Latinis ſolum verbum ſacrificandi eſſe: ſed quod illi reſpondet Hebraicum eiuſdem ſignificationis eſſe.

eſſe. *Cum facies vitula*, canit virgilius. Et Moſes Leuitici 15.15.*Faciet vnum* ex turturibus: id eſt, ſacrificabit *pro peccatis, & alterum in holocauſtum.* Elias vero lib. 3. Reg. cap. 18.23. *Dentur nobis duo boues, & illi eligant ſibi bouem vnum, & in fruſta cadentes, ponunt ſuper ligna, ligna autem non ſupponant, & ego faciam alterum.* Iſaiæ 25. *Faciet Dominus in monte hoc conuiuium* LXX. pro *Conuiuio*, legunt, vnguentũ, & intelligunt Chriſtum vnctum in ſacrificium oblatum Oſeæ. 2. 8. Ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicaui eis, & aurum quæ fecerunt Baal. Quod etiam apud Græcos obtinere conſtat teſtimonio Plutarchi lib. 8. Quæſtionum conuiualium. Cap. 8. Ποιεῖν.

Cum ergo Chriſtus Dominus, qui Syriaca, vel Hebraica lingua vtebatur dixit Apoſtolis Lucæ 22. quando illos ſacerdotio initiabat: *Hoc facite in meam commemorationem.* Poſtquam ipſe prius feciſſet, id eſt ſacrificaſſet, An non contractum cum iis, eorumque ſucceſſoribus omnibus iniit: Facio, vt facias. id eſt, ſacrifices? Quare ſacerdos vite conſecratus, tum ex vi muneris ſacerdotalis, cui adnexum eſt hoc pactum, tum ob illa Chriſti Saluatoris verba, tenetur rigoroſo præcepto, ac ſub peccati mortalis reatu, ad faciendum aliquando: id eſt, ad ſacrificandum aliquando & aliquoties, non ſolum toto vitæ tempore, ſed etiam in anno quolibet, niſi legitimo impedimento excuſetur. Ita ſentit S. Thomas 3. P. Quæſt. 22. Artic. 10. expreſſius in 3. Diſtinct. 13. Quæſt. 1. art, 2. Quæſtiuncula prima ad ſecundum, Durand. ead. Diſtinct. Quæſt. 2. Dominicus Sotus Quæſt. 1. art. 10. Paludanus Diſt. 11. Quæſt. 2. Maior quæſt. 5. Antoninus parte tertia Titulo 13. cap. 16. §. 12. Syluester verbo Miſſa 1. quæſt. 7. Summa Angelica Numero 44. Nauarrus cap. 25. Num. 88. Petrus Sotus at cum dubitatione Lect. 13. de Euchariſtia, Gloſſa cum iuris Pontificii conſultis in cap. Dolentes, de celebratione Miſſar. *An ſacerdotes teneantur ex contractu.*

Quod ſi inquiras, quoties ad vitandam culpam, in anno *facere* teneatur ſacerdos? Syluester verbo Miſſa. 1. Quæſt. 7. & Antoninus parte 3. Tit. 13. ca. 16. §. 12. referunt, quoſdam iuris Pontificii Doctores aſſeruiſſe, obligatum eſſe ſacerdotem per ſe loquendo ad celebrandum quotidie. Sed nimius iſte eſt rigor Canoniſtarum, qui ne rigidiſſimis quidem Theologis probatur. D. Thomas pronunciat, teneri ad faciendum in præcipuis feſtis: maxime vero illis diebus, quibus fideles communicare conſueuerunt. Addit autem Dominicus Sotus eſſe ſacerdoti mortale peccatum hiſce diebus omittere ſine cauſſa. Sed & hoc nimium rigorem ſapit. Fortaſſe & illud nimiam laxitatem, quod Nauarrus adfirmat: Satisfacere ſacerdotem obligationi, *Facio vt facias*, ter aut quater in anno, faciendo. Satis habui grauiſſimorum quorundam Doctorum retuliſſe ſententias: meam hic premo in ſcholis Theologicis ſatis explicatam, cum non tanti ſit vt tantorum virorum opinionibus præferatur, aut adiungatur, & certis de cauſſis non proferre hoc loco viſum fuerit, illi eam enunciaturus ſum, qui è re ſua, eam non ignorare exiſtimauerit. *Quoties in anno teneatur facere ſacerdos.*

Tandem omnibus communis eſt illa materia, in qua Dominus eandem hanc conuentionem *Facio vt facias*, ſtabiliuit: nimirum Chriſti ſanctiſſima vita, moreſque ſeu illius imitatio, & exemplum, quod vniuerſis vitam æternam deſiderantibus propoſuit ad imitandum. Illa radicata in Chriſti pectore humilitas: elucens erga omnes caritas, temperantia, modeſtia, miſericordia: & in qua vnita cernuntur omnia, paſſio: cuius exordio illud præſcripſit, & idem repeti potuiſſet in epilogo: *Scitis quid fecerim vobis? exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Si *Imitatio Chriſti.* *Ioan. 13. 10. 15.* *1. Pet. 2. 21.*

ſapis.

Digitized by Google

ſapis ergo Chriſtiane, inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte mon-
Exod. 25. 14. ſtratum eſt: Fecit enim Dominus vt faceres.
Num. 8. 4.
Chriſtus non ſibi placuit ad Rom. 15. Sed profeſſus eſt ſe deſcendiſſe de cœlo,
Rom. 15. 3. vt non ſuam ſed Patris faceret voluntatem Ioann. 6. Et non quærere voluntatem
Ioan. 6. 38. ſuam, ſed eius qui miſit illum Ioan. 5. Et quæ Patri placita eſſent, feciſſe ſemper Io-
Ioan. 5. 30. han. 8. vt & nos faceremus. At difficillimo ſupremi agonis tempore, non ſuam
Ioan. 8. 29. ſed Patris petiit fieri voluntatem. Matth. 26. Luc. 22. Felices, ſi & nos idem fe-
Matth. 26. 42. cerimus. Nam eos qui Patris facient voluntatem, fratrum, ſororum, matris loco ſe
Luc. 22. 42. habiturum adfirmauit Matth. 12. Mar. 3. Felices iterum, quia quicquid petiueri-
Matt. 12. 50. mus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita
Marc. 3. 35. coram eo, facimus, primæ Ioann. 3. Et DEVS timentium ſe voluntatem facit Pſal.
1. Ioan. 3. 22. 144. Ille nobis adhuc quotidie ſi amici eius fuerimus occinet, non minus ac cœcis
Luc. 18. 40. olim: *Quid vultis, vt faciam vobis?* Faciam omnia, quæ ad ſalutem veſtram ſunt ne-
ceſſaria: Sed memineritis contractus inter nos initi, *Facio, vt facias.*

NOTÆ.

DE SECVNDO CONTRACTV Innominato.

FACIO VT FACIAS.

§. F*acio*] Variæ ſignificationis eſt in ſacris. Legendi interpretes Geneſ. 1. 1. Singularis phraſis eſt illa Actuum 2. 34. *Iuſſit foras ad breue homines fieri.* ἔξω ποιῆσαι, *foras facere.* ποιεῖν ἔξω, facere vt foras eant, egrediantur, vide Theſau. ling. græ. cuius auctor ſic loqui Plautum docet. Transfuſus eſt loquendi modus ad linguas vernaculas, Itali, Fatteui manzi, indietroi fuora. Galli, Fattes voui enauant.

Alia phraſis Actuum 15. 33. *Facto* ibi aliquanto tempore ποιήσαντες δὲ χρόνον: *facientes tempus.* Quod idem eſt, vt notat ibi Lorinus, ac tranſigere, conſumere. Hebræi *facere pedes ac barbam, dicunt*, pro lauare, tondere lib. 2. Reg. 19. 16. *Facere tempus* Græciſmus videtur proprius Noui Teſtamenti. Iacob. 4. 13. ποιήσωμεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα, *Faciemus ibi quidem annum.* Secundæ ad Corinth. 12. 25. νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα. *Nocte & die in profundo maris fui.* Actu. 18. 23. καὶ ποιήσας χρόνον τινά. *Et facto ibi aliquanto tempore.* Matth. 20. 12. Hi nouiſſimi vna hora, ἐποίησαν, fecerunt.

§. *Adam operatur in Paradiſo.*] Notant omnes interpretes tropologiam de fugiendo ocio. Sed accuratiſſime ad mores illam tractat, miſcens ſpiritualia Benedictus Fernandius. ſect. 6.

§. *Conſeruatio.*] De hac actum in Philoſophicis ad lib. 2. Phyſicorum, vbi de cauſis. Lege S. Thomam 1. P. Q. 104. ibique Valentiam.

§. *Cooperatio.*] Lege S. Thomam P. P. Quæſt. 18. art. 4. ad 1. Quæſt. 105. Art. 5. lib. 3. contra gentes. cap. 67. & 69. In ſecundum ſententiar. Diſt. 1. Q. 1. Art. 4. De potentia Quæſt. 3. art. 7.

Male audit Durandus, quod neget cum cauſis ſecundis alio modo operari primam, quam quod communicauerit vim ad operandum, & conſeruet vim operatiuam ipſarum. In 2. Diſtinct. 1. Quæſt. 5. Diſt. 37. Quæſt. 1.

Non admittenda *alia* ſententia extrema Gabrielis in 4. Diſt. 1. Q. 1. quæ male tri-

tribuitur Petro Aliacenſi. Meminit illius abſq; nomine alicuius auctoris Auerroës lib. 9. Metaphy. comment. 7. libr. 12. Comment. 18. Albertus lib. 2. Phyſico. Tract. 2. cap. 3. S. Thomas lib. 3. contra Gen. cap. 69. 1. P. Q. 105. Art. 5. & in ſecundum Diſt. 1. Q. 1. Art. 4. ſolam cauſſam primam operari ad præſentiam ſecundarum, quæ orientur. Id de materialibus quoſdam alios ſenſiſſe ſcribit S. Thomas citans Auicembron. Lib. Fontis vitæ.

VERVM eſt, quod quia ſine influxu & cooperatione cauſſæ primæ nihil operantur ſecundæ, ſoleat ſacra ſcriptura tribuere operationem cauſarum ſecundarum Deo: vt formationem corporis noſtri, & ſingulorum membrorum Pſal. 138. 15. 16. Iob. 10. 10. Ierem. 15. Solis, Lunæ, ſyderum curſus. Tradunt eum fundere imbres Iob. 38. 32. ventos concitare. Iob. 38. 28. tremefacere terram. Pſal. 103. 32. accendere fulgura. Iob. 38. 35. vitam animantibus, cibumque largiri. Pſal. 135. 25. ſeminato grano proprium corpus: 1. ad Corinth. 15. 38. incrementum plantis. 1. Corinth. 36. veſtire Lucæ 12. 28. Sic Filius eum Patre dicitur vſque modo operari. Ioann. 1. 17. Producere in montibus fœnum. Pſal. 146. 8. Pelle & carnibus veſtire Iob. 10. 11 Ob eandem cauſſam comparatur homo Deo collatus cum ſecuri in manu artificis Iſaiæ 10. 15.

Quemadmodum demonſtratur primam cauſſam creaſſe: ita & habere poteſtatem annihilandi. Itaque non poteſt ſecunda cauſſa operari ſine prima, neque operatio ſecundæ habere ſuum eſſe ſine illa, & per ſolam ſubtractionem concurſus ipſius deſinit. Neq; enim vt Filius abſente Patre, & ſubſiſtere ac operari per ſe poteſt, ſic cauſſæ ſecundæ ſine Deo, ſed potius vt lumen præſentiam ſolis & vim requirit: Sic res omnes creatæ Dei conditoris ex nutu ac influxu naturali pendent.

DENIQVE omne eſſe tam actuale quam potentiale, ac etiam eſſentiale intrinſecum & actualem dependentiam habet ab eo, quod eſt ſuum eſſe, & exiſtere, & operari, atque in ſe continet quodlibet eſſe & exiſtere, ac operari.

§. *Concordia liberi arbitrii cum Gratia.*] Legendus Molina integro libro hoc titulo, Bellarminus & tot alios contra hæreticos huius temporis diſputantes. Clariſſima ſunt illa Auguſtini lib. de ſpiritu & littera. cap. 13. DEVS viſorum ſuaſionibus aliiſque modis intrinſecis, & extrinſecis agit vt credamus. Vbi nemo habet in poteſtate quod ei veniat in mentem; & ipſum velle credere operatur in nobis: ſed conſentire vocationi vel ab ea diſſentire propriæ hominis eſt voluntatis. Lib. de Gratia Chriſti cap. 19. Voluntas deſuper excitatur vt credat. De Gratia & lib. arb. cap. 16. Certum eſt, nos facere cum facimus. Sed ille facit vt nos faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea faciatis, Ezechielis cap. 36.

§. *Gratia actualis.*] De hac ad primam ſecundæ S. Thomæ Quæſt. 109. clare & pro Concionatoribus Ioannes Mariana lib. 3. De morte & immortalitate cap. 7. Sic arbitrabar, Dei auxilium nullam in proximo agente affectionem dicere, aut etiam operationem: Sed ipſam actionem videndi in homine, calefaciendi in igne: diuina etiam promerendi, vt procedit à cauſſa proxima iis nominibus vocari: vt à cauſſa adiuuante Deo eſſe auxilium, opem diuinam. Fingo aliquem humeris ingens pondus ſuſtinere velle, viribus impar, Atlantis æmulatione cœlum. Accedit, qui opem ferat, ne ſub pondere corruere ſit neceſſum: iuuamen illud nil eſt profecto, quam ſuſtentatio ipſa molis vaſtæ, vt procedit ab eo, qui in ſubſidium

Zz acceſ-

acceſſit opem conanti tulit. Sic de diuino auxilio cogitandum eſt. Actionem ab vtroque agente profectum, diuerſa inducere nomina, & rationes non eaſdem, cum ſit eadem. Eſſeque adeò veluti canalem & tubum; per quæ procedunt, quæ ſunt vtrique agenti conſentanea, vt ab homine humana, à Deo diuina, & incorporea aliquando. Exemplo id confirmat. Calefactio tum à calore ignis procedit, tum ab ignis ſubſtantia, ſine qua neque ardor conſiſteret, neque vero operaretur. Sic calefactio, vt eſt à calore admotæ ſtupæ infert calorem, vt ab igne nouam ignis formam.

Gratia Actualis in *Excitantem* diuiditur & *Adiuuantem*. Excitat Deus per Concionatores prodigia, per mala quæ infert & ſupplicia. Aſpectu quin etiam rerum omnium quæ ſub ſenſum cadunt atque earum ſpecie extrinſecus excitamur, interius, commotis in mente variis imaginibus, ſalutares affectus ſæpè exiſtunt, amoris, timoris, ſpei, doloris, gaudii. Admonitio externa commotio imaginum, affectus inde exurgentes gratiæ excitantis ambitu continentur.

Adiuuantem gratiam intelligimus ipſam Dei opem, & iuuamen quo nobis iunctus ſubleuat infirmitatem noſtram, vt præſtare poſſimus eo præſtante, quas noſtris viribus non poſſemus actiones ſalutares pœnitentiæ, dilectionis, abdicationis morum priorum, vitæque turpioris. Porro ipſa actio ſalutaris, vt à Dei ope profecta eſt *Gratia adiuuans*.

Alia diuiſio Gratiæ, quæ cum priore conſentit, eſt, in *Præuenientem* quæ eadem eſt, *excitans*: & *concomitantem*, & *ſubſequentem*: quæ vtraque eſt *cooperans*, ſeu *adiuuans*, alia atque alia ratione. *Concomitans* eſt, quia nobis adeſt, & imbecillitatem noſtram ſubleuat. *Subſequens*, quod ſequitur gratiam excitantem, ſeu præuenientem. Eadem res, rationes diuerſæ, ne nominum multitudo decipiat.

Huc illa tendunt in ſacris decantata. Omnia opera in nobis operari Deum. Iſaiæ 26. 12. Omnia in omnibus. 1. Corinth. 12. 6. Deum operari in nobis velle & perficere. Ad Philippenſ. 2. 13. Sine eo nihil nos poſſe Ioan. 15. 5. Omnem ſufficientiam ex Deo eſſe 2. ad Corinth. 3. 5.

Quod in nobis operatur Deus id illi in ſacra ſcriptura ſingulari quodam modo ſolet tribui Geneſ. 22. 12. Nunc cognoui, quod times Deum: id eſt, cognoſcere feci. Ad Galat. 4. Miſit Spiritum Filii ſui clamantem: hoc eſt, clamare facientem. Roman. 8. Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: hoc eſt, poſtulare facit.

§. *Facio, ſacrifico.*] *Facere*, etiam apud profanos ſignificare, ſacrificare liquet ex Macrobio lib. 3. Saturnalium cap. 2. Sic Græcis *ποιεῖν Facere*, id eſt, *ſacrificare*, probat Budæus in comment. Græcæ linguæ ex Athenæo Lib. 14. cap. 3. Idem docet Caietanus in id. 1. Corinth. 11. *Hoc facite.* Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ exponit: *Hoc facite*: Cœleſtem hoſtiam litate. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. id eſt. ſacrificate & offerte, vt Chriſtus fecit. Legendus Seruius ad id Virgilii. Cum faciam vitula pro frugibus ipſe venito, ibidemque Pontanus in Symbolis & Cerda in eruditiſſimis Commentariis: Item Clitouæus in ſecundo Antiluth. cap. 14. Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 12. Benedictus Iuſtinianus ac Cornelius de Lapide. 1. Corinth. 11. 23. Maldonatus Matthæi 25. Henriquez libr. 9. cap. 10.

§. *An ſacerdotes teneantur facere.*] Diſputat de hoc S. Thomas 3. P. Quæſt. 82. Art. 10. & accuratè Suarez Tom. 3. in 3. Part. Diſput. 80. qui cenſet probabilem

bilem eſſe opinionem multorum ac grauium Theologorum: Nullum eſſe præceptum obligans ſacerdotes ſub peccato mortali ad ſacrificandum aliquando. Magis piam tamen ſecuriorem & in praxi conſulendam eſſe alteram de obligatione ſub peccato mortali celebrandi aliquando & aliquoties. Eſt enim verè hæc magis conſentanea rationi: & vix poteſt ſine ſcandalo magno contrarium fieri: & vt minimum exiſtimatur communiter, huiuſmodi omiſſionem diuturnam ſacrificii eſſe ſignum prauæ conſcientiæ ac perditæ vitæ. Sacerdotes igitur monendos vt frequenter celebrent, & ſuadendum contrarium non eſſe in conſcientia tutum.

Tandem non eſt omittenda illa Gregorii Nyſſeni conſideratio: velle Deum, vt nos faciamus, quo ipſe faciat: vt & nos illi dicere poſſimus, *Facio vt facias.* In Orat. Dominic. Quid eſt, quo dicitur, ait, vt dicamus Deo, Quod ego feci, fac? Imitare ſeruum tuum Domine pauperem & egenum, qui regnum vniuerſarum rerum obtines. Remiſi debita, ne tu illa exigas, ſupplicem repellere veritus ſum, nec tu ſupplicantem repellas. Lætum & hilarem admiſi debitorem: talis item tuus fiat, ne tuum debitorem triſtiorem reddas: par ambobus remiſſio decernatur, tuo ſimul & meo debitori. Et, ſolui, ſolue: dimiſi, dimitte, magnam ego proximo exhibui miſericordiam: imitare tu Domine ſerui tui humanitatem: feci vt faceres.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Quo fine? Vt vos ſaluos vos ipſi faciatis, & alios quamplurimos.

COMMENTATIO XXX.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA Deum, ex tertio Contractu innominato:

Dominica III. poſt Pentecoſt.

DO, VT FACIAS.

In qua diſſeritur, tum de donis ad ſanctificationem peccatoris requiſitis, tum de aliis gratuitis Dei beneficiis: & oſtenditur hæc dari, vt homo ſtrenuè faciat, quod eſt muneris proprii.

Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Lucæ 15.7.

RERVM Molitori, atque Architectori Deo, cuius Imperio atque nutu, non ſola terrarum tantum, ſed & cœlorum immenſi orbes conditi perſeuerant, quod momento fieri potuiſſet, non niſi ſtatis durationum interuallis perficere placuit. Ita in prima molitione, quam creationem dicere ſolemus, quod per eam ex nihilo educta ſint omnia, eſt cernere.

Primo fuit תהו ובהו *thohuve bohu*, κενὸν & ὐδὲν, *inane & nihil*: tum chaos quodam, rudis moles, & indigeſta congeties elementorum: ἄμορφ@ ὕλη inquit Sapiens *Gen. 1. 2.* *Sap. 11. 18.*

piens

piens, materia inuiſa, hoc eſt informis, fœdaque ſpecie: terram inanem & vacuam nominat vulgatus Interpres, ſed erat aquis adoperta: ſuper quas ferebatur, ac ſi incubaret, ac confoueret, alitum in morem, quæ oua calore vitali fouent, & animant, ſpiritus Domini. Deinde ſparſit lucis quendam florem, ſed nondum ſolari horto inſitum, quo aſpectabile fieret, quod eatenus latuerat. Dixit, Fiat lux: & facta eſt lux. Poſt hæc, ſequutum eſt ſchiſma, lucis à tenebris: aquarum ab aquis, cælorum & arida. Hoc exceperunt productiones variæ, herbarum, fruticum, arborum, aſtrorum, animalium: tandemque hominis, rerum creatarum principis conditura, ceu culmine ædibus impoſito, conſummatum eſt opus ſuis partibus abſolutum, & ornamentis illuſtre.

Se paſcens. Atque tunc denique quieti ſe dedit, cogitatibus ſuis & viſendæ molis conſpectu ſe paſcens diuinus artifex.

In iuſtificatione idem proceſſus. Eundem ſupremi opificis morem in altera haud paullo magis operoſa creatione, quam & recreationem rite dixeris: nos peccatoris ſanctificationem, Theologi iuſtificationem appellant, ſi mentem diligenter attendas, animaduertes. Poſſet quidem, cui nihil reſiſtit, punctulo temporis, ex inimico amicum: ex peccatore iuſtum: optimum ex peſſimo facere. Quod eueniſſe aliquando ſingulari miſericordiæ beneficio negare non poſſumus. Sed ſancita tamen à ſe lege ordine quodam conuerſionem ſanctificationemque peccatoris, de qua in Euangelio hodierno agitur conſummat.

Peccator nihil. PRINCIPIO itaque eſt *Nihil*, tam creationis, quam iuſtificationis terminus à quo. Non vos turbet quod *peccatorem* dicam *nihil*: id quidem alibi copioſius doceo.
NOTÆ. Nunc ſat ſit illud olim peccatoris mox conuerſi & iuſtificati: *Ad nihilum redactus*
Pſal. 72. 22. *ſum, & neſciui.* Neſcit peccator ſe nihil eſſe, & tamen eſt nihil. At hominem refert: referat ſane, ſed caret oſſibus virtutum ſolidarum, amoris diuini neruis, adipe pietatis, ſubſtantia iuſtitiæ, vitali pulſu remordentis conſcientiæ; luce intentionis, voce bonorum operum, vmbra hominis, mera orbitas, verum nihil. Profecto, ſi Phi-
Eccleſiaſt. 12. 13. loſophice deſcribẽs hominem Eccleſiaſtes, dixit: *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo*: valet Bernhardi conſequentia: Si hoc eſt omnis homo:
Serm. 30. in Cant. abſque hoc, nihil eſt homo: & per legitimam ac Dialecticis cognitam conuerſionem: Homo eſt nihil.

Ex peccatore vt nihilo fit aliquid. Ex hoc nihili ſinu, Iuſtificator improborum DEVS, omnipotenti dextera, educit molem quandam, ſed adhuc informem, & imparatam, inuiſam materiam: videlicet peccati deſerendi propoſitum, initio infirmum ac debile: vitæ emendandæ deſiderium fragile, ac inconſtans. Hoc ſpiritus diuini omnia fouentis, viuificantis ac perficientis fœtu, & quodam quaſi miſericordiæ maternæ incubatu paullatim ſolidatur ac matureſcit. Hoc autem non contingit, niſi dicat DEVS *Fiat lux* in intellectu, quam præueniente vel excitante gratia è tenebris illico Pater lumi-
NOTÆ. num facit ſplendeſcere. Illuſtratur igitur intellectus fide, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Sed fide, quæ vt primę diei lux, nondum in ſole, ita nec dũ in habitu conſtituitur: at ſolum, veluti qualitas ſine ſubiecto alio, eſt enim actio, Deo opitulante elicita, illuminat. Hæc eadem eſt firmamentum variis ſignatum ſideribus. Siquidem fundamentũ iuſtificationis noſtræ eſt Fides. Deinde conſequuntur productiones variæ: nempe timoris ſeruilis, ſpei veniæ obtinendæ, dilectionis Dei, timoris filialis, ac reuerentiæ circa Deum: vel certe exiſtendi in gratia & amicitia

Digitized by Google

citia Dei: ex qua proxime mouentur homines, ad illam quam requirit Deus à peccatoribus pœnitentiam nimirum, contritionem extra ſacramenti vſum, aut cum hoc attritionem: quam excipit animæ ornatus eximius, donorum, ac chariſmatum cumulus, quæ Reginam illam, quam Gratiam ſanctificantem appellamus, comitantur.

DIVTIVS hæſi in commentationis initio, quam ſtatueram: Sed claritati inſeruire volui, cui dum conſulitur, breuitas ſæpe eſt negligenda. Nec male cecidit. Auguſtus introitus, auguſto infinitorum donorum ædificio aperiendus fuit: templis magnis, magnæ valuæ: altis turribus, alta fundamenta conueniunt. Quid maius altiuſue Dei miſericordia, ac liberalitate, quæ in peccatoris conuerſione & iuſtitiæ donatione cernitur. Magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua Domine! qui peccatores recipis & manducas cum illis: quo fine? Vt paullatim lumine vultus tui illuſtrando: adfabilitate ſermonis attrahendo: beneficiorum multitudine deuinciendo, ſuadendo, hortando, impellendo è peccatoribus iuſtos, ex hoſtibus amicos, ex peſſimis optimos facias. Reuera magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua Domine! qui nonaginta nouem ouiculas relinquens in ſolitudine, vadis ad vnicam illam quæ perierat: quo fine? vt quærendo, vocando, alliciendo, tandem inuenias, & impoſitam bonitatis latiſſimis humeris ad ouile balantem reportes. Omnino magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua Domine! qui accendit lucernam, vt perditam drachmam inueſtiges: quo fine? vt laborando, ſudando, vertendo, dum nummulum reperis lætitiam de noſtra ſalute ſolicitis angelis parias. Hæ ſimileſque parabolæ ad vulgi ſenſum captumque accommodatæ, & quam Chriſto cordi fuerit peccatorum conuerſio, & quomodo ad illam perducantur, & quibus deinde donis cumulentur abunde declarant.

Miſericordia DEI.

Pſal. 135.

QVOCIRCA, quoniam nuper demonſtrauimus, contractum illum innominatum, *Facio, vt facias* fundari in iis Dei, Chriſtiue operationibus, quæ multiplices peccatoris ſanctificationem antecedunt, & in præueniente, excitanteque gratia potiſſimum conſiſtunt, ſequitur, vt probemus, alterum illum, *Do vt facias*, ea bonorum genera, ſibi ceu materiam poſcere, quæ homini iam iuſtificato, vel ſimul cum iuſtificatione liberali miſericordiæ diuinæ munere donantur, conuentione inducta, *Do vt facias*. Sunt autem illa fere ſeptem. Primum, gratia ſanctificans. Secundum, tres virtutes Theologicæ. Tertium, virtutes morales infuſæ. Quartum morales adquiſitæ. Quintum, dona ſpiritus ſancti. Sextum, characteres ſacramentales. Septimum talenta partim naturalia, partim ſupernaturalia. In his omnibus locum habet contractus *Do, vt facias*. Singula percurramus & illuſtremus.

Materia contractus Do vt facias.

PECCATORI iis excitato actualis gratiæ afflatibus, de quibus proxima commentatione ſat ſuperque eſt actum: ac deinde iis præparato operationum internarum intellectus, ac voluntatis diſpoſitionibus, quas paullo ante nominauimus, datur à Deo, qui hominem habentem rationis vſum, ſeu adultum abſque his præparamentis non iuſtificat, ſingulare illud ac eximium, quod nullis verbis ſatis explicari poteſt beneficium. Id nos, quoniam verborum penuria laboramus, GRATIAM ſiue ſanctificantem ſiue iuſtificantem nuncupamus. Cuius naturam, vim, efficaciamque, ſi cum Theologis in conſuetis ſubſelliis agendum eſſet, per genus, differentiam, ac proprietates connatas pluribus explicarem: nunc quoniam eo in loco operam locaui meam, vbi vtilitati poſthabenda eſt ſubtilitas, ſectandæ non ſpecula-

Gratia ſanctificans.

Digitized by Google

culationes acutæ, ſed moralitates ſolidæ,fructus & virtus, non flores & vmbræ inſequendæ, ſimpliciſſimè dico.

Quid Gratia ſanctificans. Epiſt. 2. Petri. 1. 4.

GRATIAM, eſſe rem illam, ſiue formam, qua noſtros animos diuinæ effici conſortes naturæ ſcriptum reliquit Chriſtianæ religionis Antiſtes Petrus. quid, quæſo ad huius beneficii magnitudinem declarandam addi poteſt? Ea autem & peccatorum maculæ omnes,quamuis infinitæ,ac fœdiſſimæ perfectè delentur,vel potius raduntur,aut,ſi mauis ſcholaſtica vocula annihilantur,&anima ſuper niuem dealbatur:ac peccator in amicitiam Dei recipitur,à quo effectu quia ſic gratis redditur,& quia etiam gratis datur,ſi meritum noſtrum condignum ſpectes,forma ipſa, Gratia gratum faciens appellatur:eademque eſt ſanctificans,ac iuſtificans. Nam in duobus conſiſtit peccatoris iuſtificatio, quorum alterum eſt remiſſio peccatorum, alterum gratiæ virtutumque donatio,ſeu infuſio.

Quid prius? Remiſſio peccati: an infuſio gratiæ.

Superuacaneum autem eſſet, hic ſubtilius inueſtigare velle, de quo incredibili contentione certant recentiores quidam Theologi: vtrum Gratiæ infuſio ordine naturæ præcedat remiſſionem peccatorum? An potius prius natura ſit,remitti peccatum homini, quam gratiam hanc ſanctificantem illi dari. S. Thomas, vbi hanc rem ventilat,exertè ait. Quamuis ex parte agentis prior ſit infuſio gratiæ,quam peccatorum remiſſio: ex parte tamen ſubiecti, priorem eſſe liberationem à peccato, quam conſequutionem gratiæ ſanctificantis. Quod mihi vehementer probatur: quia receſſus à forma contraria ex parte ſubiecti prior eſt conſecutione formæ alterius ſubſequentis,quæ eſt terminus ad quem. Nam ſubiectum non intelligitur habere formam contrariam, niſi concipiatur prius denudata altera illa forma, in cuius expulſione eſt tranſmutatio à contrario in contrarium. Non capio hæc penitus,inquis,benè habet, ſuſtine,& attendo ad reliqua. Capiſne quando ventus inſinuans ſe per feneſtram,illam aperit,prior ne ſit ingreſſus venti,deinde ſubſequatur feneſtræ apertio: an è contrario prior ſit apertio feneſtræ, deinde ſubſequatur ingreſſus venti, qui ingredi non poſſet niſi tolleretur impedimentum feneſtræ clauſæ. Sed his omiſſis,hoc dicamus,quod ſummoperè ad rem noſtram facit.

An gratia eadem cum caritate.

In hoc primo dono,quo ſanctificatur peccator,includi pactũ, *Do,vt facias.* Quod eſſet extra controuerſiam,ſi adfirmaremus, quæ plurimorum eſt opinio: Formam illam, qua iuſtificamur, reuera non diſtingui à virtute caritatis: ſed eandem planè eſſe Gratiam gratum facientem, quatenus emundat hominem à peccatis, & virtutem caritatis,quatenus eſt principium operandi efficiendiq; actus honeſtos amandi Deum. Sed cum in Exercitationibus Theologicis doceamus,cum Doctore Angelico,formam illam, qua in gratia cum Deo ponimur, ſiue iuſtificamur,diuerſam reuera eſſe à virtutibus:nominatim verò etiam à caritate:difficile fortaſſe videatur, quomodo detur, vt faciamus, cum non ſit faciendi principium: alioquin enim, quomodo à caritate,aut virtutibus operatiuis diſtingueretur.

1. 2. Q. 100.

Gratia datur, vt facias.

Verum hæc res omni difficultate carebit, ſi dicatur: Gratiam ſanctificantem ita ferè comparari ad virtutes à Deo infuſas, ſicut anima ad paſſiones, quæ ab illa dimanant. Et,quemadmodum anima,ſicut principium vitale vniuerſale cum potentia qualibet,actu influit:ita Gratiam, ſicut Principium quoddam vniuerſale ſupernaturale,cum qualibet virtute ad actum illius proximè concurrere. Qua ratione S. Thomas videtur philoſophari. Sicque facillimè explicaueris: Quomodo Gratia ſit vita animæ,illamque ac hominem totum viuificet;quoniam cum animæ ſubſtantia ad ope-

Q. 100. 24.

ad operationes ſupernaturales influit, perinde atq; anima. Si enim habitus quidam operatiui adiunguntur potentiis, vt illæ, quas ſua virtute non poſſunt, operationes pietatis ſupernaturales, habitus vitæ efficiant: cum ipſa quoque animæ eſſentia concurrere debeat ad actiones ſupernaturales, nec tamen poſſit virtute ſibi congenita, videtur ſane illi concedendus habitus aliquis, quo eleuetur, vt concurrere poſſit ad omnes illas functiones ſupernaturales: qui quidem à Gratia nō poteſt eſſe diuerſus. Dat igitur Deus gratiam vt facias, id eſt, eius adiutorio opera pietatis, aliarumque virtutum accumules.

Adde his. Non poſſe hominem mereri vitam æternam perfectè (condignè dicunt Theologi) niſi ſanctificante ſit ornatus gratia. Tale enim meritum neceſſario exigit vt operans ſit iuſtus in Gratia & amicitia Dei. Quod liquido conſtat ex Concilio Tridentino Seſſione VI. cap. vltimo, vbi iuſtificatis dicitur debere proponi vitam æternam: & tanquam gratiam Filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſum; & tanquam mercedem ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddendam. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus à iuſto iudice ſibi reddendam: non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Ex quo rectè colligas, præmium beatitudinis ſolum eſſe promiſſum operibus filiorum, qui Dei gratiam habent, qua in filios adoptantur, ab iiſque tantum per merita obtineri poſſe.

Ad merendum gratia ſanctificans neceſſaria.

2. Tim. 4.

Filii Dei ſunt hæredes regni.

Qvod apertè tradidit S. Paulus Epiſtola ad Romanos cap. 8. *Vbi ſpiritus*, ait, *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei. Si filii & heredes: ſi tamen compatimur, vt conglorificemur. Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Quibus verbis Apoſtolus reddens rationem illius pronunciati: ſi filii & hæredes; docet præmium cœleſte non deberi operis bonitati, niſi ſit Fili Dei, hoc eſt, nimirum hominis gratia inſtructi. Quare & cap. 5. præmium illud vocarat ſpem filiorum Dei: nimirum illis & non aliis promiſſum. Cum itaque Deus velit nos bonis operibus abundare. Abundate, clamat Paulus, in omni opere bono, velitque meritis nos noſtris Christi Domini iunctis beatitudinem promereri, ad quod Gratia neceſſario requiritur: certè dum nobis Gratiam tam liberaliter offert, cenſetur illam dare, vt faciamus, id eſt, operemur opus bonum, quod cœleſtis regni eſt meritorium.

1. Corinth. 15.

Accedit, curandum eſſe impenſe omnibus, quibus Gratiæ beneficium oblatum eſt, ne ocio torpeſcant, & ne in eodem velint gradu conſiſtere: ſed vt in ſanctitate creſcant continue, quoniam in via Dei non progredi, regredi eſt, vt Aſcetarum habet effatum.

Ad augendam gratiam.

Ad hoc hortatur Sapiens: Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari, id eſt, gratiam & iuſtitiam perficere. Nam vt rectè Auguſtinus, Epiſt. 106. Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Et Tractat. 5. in primam Iohannis: Caritas cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur. Iuſtorum ſemita, inquit ſapientiſſimus Regum, quaſi lux, ſcilicet auroræ ſplendeſcens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem: hoc eſt, magis ac magis ſplendeſcit, vſque quoad ſolis meridiani ſplendorem atque perfectionem, in hac vita, virtutis ac gratiæ, in futura, gloriæ ac beatitudinis perringat. Monet Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi, vt qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc. Hortatur

Eccl. 18.

Prou. 4. 18.

Apoc. 22.

Digitized by Google

Eph.4. Philip.1. Iacob.cap.2.

tatur etiam Paulus, vt veritatem facientes in caritate creſcamus: & vt caritas noſtra magis ac magis abundet. Ex operibus autem iuſtificatur homo, & non ex fide tantum, ait Iacobus Apoſtolus, quod intelligitur de augmento gratiæ: probat enim illud exemplo Abrahami, qui vt conſtat ex Geneſis 15. iuſtus erat, magis autem eſt iuſtificatus, ac Deo placuit, quando obediendo illius mandato, filium offerre voluit, Gen. 22. Quare de prima id iuſtificatione non poteſt intelligi, ſed de altera, quæ in augmento conſiſtit.

Duplex augmentum gratiæ.

Hoc autem duplex adſignare ſolent Theologi: nimirum Phyſicum, quando gratia in Entitate intrinſeca, vt cæteræ formæ ac qualitates creſcunt, augetur & Morale: cum non habita ratione entitatis, moraliter cenſetur creſcere in ratione gratiæ: videlicet faciendo, vt homo magis gratus, Deoque dilectus maiori gloriæ deſtinetur. Quæ acceſſio poteſt intelligi in gratia ac ſanctitate, ratione nouorum meritorum actualium, quæ oriuntur ex eadem ſanctitate, ratione quorum acceptatur ad maiorem gloriam.

Operibus augetur gratia.

QVOCIRCA ſi gratiam nobis donat DEVS & cupit illam excoli, nutriri, perfici: quod fit per actiones honeſtas, ac ſtudioſas, ſiue intenſiores ac feruentiores ſint, quam præcedentes habitus, ex quibus Deo cooperante procedunt, de quo nullum eſt dubium, ſiue æquales, ſiue etiam remiſſiores, de quibus eſt aliqua diſſenſio. Sed mihi omnino certum videtur ob rationes in ſcholis Theologicis fuſius examinatas per has quoque acceſſionem fieri. Vnde conſequens eſt DEVM gratiam donando illud ſuum pacti modo adiungere *Do, vt facias*: id eſt, ſancte opereris, gratiam nutrias, augeſcas, perficias. Iam vero ſi gratiam quæ inter excellentia Dei dona minime omnium actiua videtur, datur tamen operandi cauſſâ: facile quid de aliis, quæ vnice ſpectant operationem iudicandum ſit perſpicitur.

Tres virtutes Theologales dantur ad operandum.

DEFINIVNT autem Concilii Tridentini Patres. In ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipere hominem per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur fidem, ſpem, & caritatem: Itaque donat DEVS cum gratia tres virtutes Theologicas. Et hæc eſt altera materia, in qua contractus, *Do, vt facias*, conſtituitur. Non enim exiſtimandum eſt: dum DEVS habitibus, qui ad actus & operationes neceſſario referuntur potentias animæ, intellectum & voluntatem exornat, velle, vt illi non niſi ad ocioſum quendam ornatum iis inhæreant, & non ad illum vſum ad quem natura ſunt facti adhibeantur. Friuolum id eſt ac ineptum plane ſuſpicari: non ſecus ac ſi exiſtimes Principem militi arma bellica tradere: parentem libros filio: diuitem inſtrumenta opifici, Regem iudici poteſtatem, Epiſcopum Vicario auctoritatem nō alio fine quam vt illa apud ſe habeant, nunquam vero iis vtantur. Ita dat DEVS fidem, ſpem, & caritatem, vt facias, hoc eſt, vt iis, tanquam inſtrumentis adiutæ facultates animæ, actus credendi, ſperandi, amandi frequenter exerceas. Quod vt omnes dent effectui: & non diebus ſolum ſingulis, ſed qualibet etiam hora, & poſſit fieri & per occupationes ſit facultas, vehementer auctor ſim. Nam reuera religio ſancta & immaculata, operationibus præſertim fidei, ſpei, & caritatis ſtabilitur, ac manifeſtatur.

Ceremoniæ in fide ſunt fundata.

Externi quidem ritus ac ceremoniæ, quæ laudabiliter in Eccleſiam ſunt introductæ magna cum ſpirituali vtilitate exercentur, fateor, ſed ſine fide, ſpe ac caritate, & illarum officiis, tam hiſtrionum eſſe poſſunt, quam Eccleſiaſticorum. Sine cultu veri Dei, inquit Proſper, etiam quod virtus eſſe videtur, peccatum eſt. Et Gregorius Papa: Si non prius in corde noſtro fides gignitur, reliqua eſſe bona non poſſunt,

Proſp.lib.1. de voca.c.7. L.2.Moral. c.15.

ſunt, licet eſſe videantur. Detegere in templis caput, poplites in terra ſubmittere, manus pectinatim complicare, oculos ad aram, vel cœlum torquere, pectus pugno tundere, coronam Deiparæ voluere, terram oſculari, lacrymas fundere grata ſunt Deo, negari non poteſt: Sed ſi religione animentur. At ſi fide, ſpe, caritate deſtituantur: & niſi vel actu, vel habitu ſaltem ex his fontibus procedant, non magis Chriſtianorum ſunt quam Gentilium. Aliquid faciunt piorum & religioſorum hominum vitæ auſteritas, corporis afflictatio, abſtinétiæ, ieiunia, xerophagiæ humi cubationes, flagra cilitia, ſimilia ſexcenta, quæ mortificationis ambitu includuntur. His placatur Devs, impetrantur dona ſpiritualia, edomantur affectiones prauæ, ſopiuntur cupiditates, exſcindūtur ſcelerum fibræ: Sed ſi fide, ſpe, caritate nitantur. Sine his illa etiam quæ mortificationibus maiora ſunt, obedientia, caſtitas, paupertas ad vitæ æternæ meritum nihil conferunt. Ad quod plus valent fidei, ſpei & caritatis operationes, niſi me Theologia fallat, quam omnia externæ auſteritatis & mortificationis officia.

Qvamobrem hoc ego conſilium iis, quibus beneuolo, & maximum meritorum gloriæque cumulum exopto, dare conſueui: Vt fidei, ſpei, caritatis actiones pias ſibi familiares, quotidianas, imo horarias, ac pene momentaneas faciant. *Frequentandi actus fidei, ſpei, caritatis.* Quam primum mane euigilauerint, oculis mentis in Devm coniectis actum fidei exerceant Credo Devm, Deo, in Devm, Credo quicquid Sancta Mater credit eccleſia. Tum ſpei. Tu es, qui extraxiſti me de ventre. Spes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Devs meus es tu, ne diſceſſeris à me. *Pſal. 21.10. Verſ. 7.* Tum caritatis, Deus meus, amor meus. Nunquam orationi dent initium ſine harum virtutum operationibus: *Credo, ſpero, amo*, nunquam litteris operam addicant ſuam, niſi præmiſſis credendi, amandi actibus. Nunquam quieti ſe tradant, niſi totius diei negotiis, & occupationibus fidei, ſpei & caritatis ſigillo ſignatis. Neque mente tantum, ſed ſæpe cum inuita opportunitas externis quoque ſignis latentem interius ad hæc promptitudinem promant, fidei poteſtatione, ſpei ſignificatione, caritatis eximiæ demonſtratione. Ad quid enim in animo tuo reſideant fides, ſpes, caritas, actuoſæ virtutes omnes, niſi vt facias. Eas tum Devs tibi infudit, adiunxit pactum *Do vt facias*.

His tribus virtutibus, quas Theologicas vocari diximus, adiunguntur à liberaliſſimo Donatore aliæ, quæ *Morales* dici ſolent: *Virtutes morales infuſæ.* Sed quia non adquiruntur per actus frequentatos, ſed à Deo ſingulari quadam prærogatiua infunduntur, non *adquiſitæ*, ſed *infuſæ* appellari conſueuerunt: pertinentque ad rempublicam ſpiritualem, ac cœleſtem, ſicut *adquiſita* ad ciuilem, ac politicam: ideoque diuerſæ eſſe debent, quod vel ex Ariſtotele conſtare poteſt, qui ſic Politicorum Quinto, de virtutibus differit. *L. 5. Pol. cap. 3.*

Porro has virtutes, quæ tot ſint numero, quot morales adquiſitæ, & ad quatuor capita reuocantur, prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, ſimul cum gratia donari à Deo, quo colore negari poſſit equidem non video. *Quatuor capita virtutum moralium.* Cum in Clementina vnica de ſumma Trinitate & fide Catholica definiatur, quod tã paruulis in baptiſmo, quam adultis in iuſtificatione infundantur gratia & virtutes: docetque præclare Gregorius Homil. 5. in Ezechielem, ac refertur *de Pœnitentia* Diſtinct. 2. cap. *Poteſt.* Spiritum Sanctum in Sanctorum corporibus iuxta quaſdam virtutes ſemper manere, quas inter numerat multas morales, humilitatem, iuſtitiam ac ſimiles. Et nonne Dei perfecta ſunt opera? Quando ergo hominem iuſti-

iuſtificat,perfectè ſanare dicendus eſt,ac tribuere omnia quæ ſunt neceſſaria ad recte viuendum: inter alia autem neceſſariæ ſunt virtutes infuſæ. Et ſanè experientia conſtat homines plurimis annis in ſceleribus enutritos, cum primo conuertuntur ſentire magnam quandam ad omnium virtutum functiones facilitatem: quod ſine habitibus,qui in iuſtificatione infundantur,defendi commodè non poſſet: adquiſitos enim non habent: & ſingularem Dei concurſum ſine aliis coniecturis inducere nec Philoſophicum eſt,nec Theologicum.

Morales adquiſita.

Sunt igitur virtutes morales infuſæ, quibus adiungamus adquiſitas: nam & hæc Dei dona ſunt,ſiue in fidelibus,ſiue in infidelibus inueniantur,vt docet S. Auguſtinus de virtute continentiæ Epiſtola 89. quæſt.2. & 101. ac 103. in qua dicit continentiam hominis infidelis eſſe donum Dei. Idemque ſcribit de Patientia Libro de Patientia à cap.15. & Lib.4. contra Iulianum cap.13. idem adfirmat de omnib. virtutibus infidelium. Et hæc eſt alia materia, quam contractus *Do vt facias* complectitur. Dantur enim hæc omnia, vt opera bona tam moralia quam ſupernaturalia faciamus. Virtutes autem infuſæ etiam, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria ſobriè & iuſtè, & pie viuamus in hoc ſeculo, exſpectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum.

Ad Tit.2.12.

Dona Spiritus Sancti.

Non contentus his omnibus Dei liberalitas, quamuis nihil adiiri poſſe videatur, beneficia beneficiis cumulat, vt hominem magis magisq; ſibi deuinciat. Poſtquam enim iuſtum gratiæ ac virtutibus probè inſtruxit, ac pro acquirendis moralibus vires ſubminiſtrauit: addit eximia quædam dona, quæ ſpiritus dici ſolent, & ab Iſaia Propheta enumerantur, ſpiritus ſapientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris Domini. Quæ quidem dona ex S. Thomæ ſententia, ſunt habitus quidam à virtutibus differentes ac potentias animę perficiunt ad actiones quaſdam heroicas. Qua ratione peculiariter procedunt ex diuino quodam Spit. S. inſtinctu, quo mens hominis Deo per inhabitantem gratiam coniuncti mirabiliter ſolet impelli, ad opera quædam præſtantia: quarum operationum ratio, ne quidem ab ipſis qui illas exercent reddi poteſt: neque plane intelligi, quomodo ad illas fuerit impulſus. vt patet in Samſone qui dono fortitudinis concuſſis domus columnis, ſe omneſque, qui aderant, interemit, Iudicum 16. In Eleazaro, qui eiuſdem vi doni, ſupponens ſe Elephanto eumq; interficiens, occubuit, ſuo triumpho ſepultus, vt inquit Ambroſius In Salomone, qui dono conſilii iudicauit tam ſagaciter, puerum diuidendum, vel eius rei dandam ſignificationem. At virtutes concurrunt, ad minus excellentes ac raras operationes, ac ordinaria quædam vitæ officia ſine tanto impulſu agitationeque ſpiritus, animam potentiasque rapientis.

Cap.11.7.

Lib. 1. offic. c. 40.

Ext. Mac. 7.

Dantur ad faciendum.

Quis autem non facilè animaduertit in his quoque conuentionem aliquam inuolui, *Do, vt facias*. Nam dona iſta vel ſunt in parte animæ apprehenſiua, vt donũ intellectus, ſapientiæ, ſcientiæ, conſilii: vel appetitiua, vt pietatis, fortitudinis, timoris. Intellectus datur, vt eius vi efficaciaq; iuſtus res diuinas ſubtiliter penetret: eapropter tam latè patet huius doni, quã ipſius fidei ratio, cui reſpondet vt oſtẽdit S. Thomas, Donatur ſapientia, vt rectum formet homo iudicium: quo ſtatuat rebus diuinis inhærere. Accedit donum ſcientiæ, vt intellectus circa res creatas non fallatur. Additur donum conſilii, vt particulariter ex iudicio ſapientiæ vel ſcientiæ quid agendum colligat, & concludat. Offertur pietas, vt alteri debitum officium impendatur;

Secund. ſecund. Q. 8.

datur: præſertim Deo religioſus cultus: Alterum enim ab habente illa reſpicit. Orna ut pars iraſcibilis timore, vt homo ſingulari quodam modo abſtrahat ſe à prauis cupiditatibus, quæ à bono retardare ſolent. In timore enim Domini declinatur à malo. Tandem in eadem animæ regione reſidet fortitudo, vt poſthabitis difficultatibus ac periculis iuſtus bono conſtanter adhæreat. Nonne donorum propria cuique ratio oſtendit, eo pacto donari hæ iuſtis vt faciant? *Prouerb. 16.*

Neque hic tamen diuinæ munificentiæ conſiſtit effuſio. Nam vt nuper diſputabam, nonnullis faciendi legem præſcriptam eſſe, ex contractu *Facio vt facias:* quia Deus peculiari quodam modo aliqua facit in quorundam gratiam, quæ non in omnium. Ita hic dicendum, quibuſdam obligationem impoſitam eſſe faciendi ex pacto, *Do, vt facias*, quæ non omnes attingat. Cuius rei graria in memoriam eſt reuocandum, quod pueri in Catechiſmo docti eſtis. Inter ſeptem Sacramenta religionis Chriſtianæ, quæ omnia gratiam Dei ritè ſuſcipientibus conferunt tria: Baptiſmum nimirum confirmationem ac Ordinem ſemel collata, nunquam iterari poſſe, ſicut cætera. Cuius rationem hanc adſignant ſapientes Theologi. Quod tria illa animæ Characterem imprimant, eumque indelebilem: id eſt, ſignum quoddam, ſeu ſpirituale ſignaculum, quod nullius vi, improbitate, violentiave eradi poteſt. Quare cum in hoc effectu maneant ſemper Sacramenta, non eſt quod repetantur. *Characteres Sacramentales.*

Porro hic Character, ne ocioſum quid putetur, quod vſque adeo Deus & natura in ſpiritualibus æquè ac corporeis deteſtatur: præterquã quod ſigni rationem habet, in ordine ad Sacramentum, à quo imprimitur, per ſeſe eſt principium actiuum vel paſſiuum, vt D. Thomas rectè animaduertit. Nam quod aliqui adfirmant: Characterem eſſe qualitatem quandam immobilem ac realem, quæ ſine ordine ad actiuitatem vel effectum animum humanum exornat, & ad certa quædam munera deputet. At quemadmodum in corpore eſt nitor quidam & pulchritudo qua ſplendeſcit hominis facies: ita in animo tum alias diſpoſitiones, tum characteres reperiri, quibus venuſtetur, mihi ſemper viſum eſt, eſſe minus Theologicum. Et vniuerſe aſſerendum eſſe puto. *Character operatorius.* *3. P. Q. 83. ar. ad 4.*

Qualitatem omnem ſpiritualem intrinſece eſſe ob perfectionem ſubſtantiæ, cui inſidet: vt conſequatur quidpiam ſubiectum, quo alioqui deſtitueretur. In anima autem ſpirituali perfectionis rationem habet, vel mundities quædam à peccatorum maculis, quod præſtat Gratia, quæ mundat, & ſanctificat: vel diſpoſitam eſſe ad operandum, aut recipiendum principium operationis vel operationem ipſam, vel tandem formam qua quis à peccatorum næuis emaculetur. Quamobrem ſic ſtatuo. Characterem Baptiſmi eſſe aptitudinem paſſiuam ad recipiendam per Sacramenta iuſtificantem Gratiam. Confirmationis verò eſſe aptitudinem paſſiuam, ad exercendos promptè actus internos ac ſupernaturales, qui neceſſarii ſunt, vt confeſſio fidei debito modo, & religioſè perficiatur, non obſtantibus periculis aduerſariorum. Sacerdotalem autem characterem reor eſſe actiuum principium, quo Phyſicè operetur ſacerdos, & virtutem illam admirandam imprimat verbis conſecrationis, vt conſummetur transſubſtantiatio. Qui deinde extenditur facilè ad Epiſcopalia munera. Denique characterem Diaconi, Subdiaconi, & inferiorum ordinum eſſe, vel poteſtatem actiuam ad ordinis cuiuſque exercitium: vel aptitudinem paſſiuam ad ſeruandam reuerentiam, quæ Eccleſiaſticis illis muniis debetur. *Character non eſt ornatus inanis.*

Digitized by Google

Characteres dantur, vt facias.

Ex quibus colligendum: Sacramentalia hæc ſignacula dari ſemper cum pacto *Do vt facias* vel patiaris, aut recipias. Nam bene pati eſt præclare agere, & faciendi termino continetur. Itaque datus eſt tibi character Baptiſmalis, vt rite, pie, ſancte, aliorum ſacramentorum effectus recipias. Confirmationis, vt prompte, libenter, alacriter, exterius, interiuſque fidem, ſenſu, verbo, opere profiteatis. Sacerdotalis mihi & aliis, vt cum debito cultu, reuerentia, veneratione, ſacro ſancta myſteria tractemus. Ordinum aliorum Eccleſia miniſtris inferioribus, vt pure, caſte, reuerenter ſacris altaribus deſeruiant, munerique ſuo ſatisfaciant, pacti memores, *Do vt facias*.

Decem mnæ nobiles Euangelici.
Luc.19.19.

Et ego hic finem facere cogitabam, niſi me Euangelicus nobilis rapuiſſet, qui vocatis ad ſe decem ſeruis dedit iis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio: rediens autem iuſſit vocari ſeruos, quibus pecuniam dederat, vt intelligeret quantum negociati eſſent, pigrum autem & officii deſertorem, poſt increpationem ſeueram ita mulctauit, vt auferri curauerit mnam quam in ſudario repoſitam detinuerat, & dari alteri qui grauiter laborauerat. Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Quia omni habenti dabitur, & abundabit, & ab eo autem qui non habet & quod habet, auferetur ab eo. Hic ſane cum ſatis conſtet per *mnas*, bona, quæ DEVS hominibus diſtribuit, intelligi debere: illud tamen eſt obſcurum, quænam illa ſunt bona, quæ famulis ſuis ad negociandum diſtribuit. Sed ſiue dicas naturalem rationem cum Ambroſio: ſiue diuerſa officia Eccleſiaſtica, qualia ſunt epiſcopi, presbyteri, Diaconi, cum auctore imperfecti in Matthæum, quibus addere poſſes alia omnia officia in republica Chriſtiana ad communitatis conſeruationem neceſſaria, magiſtri, conſiliarii, ſenatoris, iudicis, principis, regis, imperatoris: ſiue ſenſus, tam internos, quam externo cum D. Hieronymo: ſiue verbum Dei ac Euangelium, quod Doctoribus annunciandum & exponendum committitur, cum Iuſtino, ac Chryſoſtomo: ſiue vniuerſalibus, omnia gratiæ quam vocant, gratis datæ genera, cum Anaſtaſio: ſiue denique generatim, omnia dona, quæ à Deo hominibus dari ſolent, ſi talia ſint, vt adhibita ſtrenue laborantis induſtria multiplicari poſſint.

Quid per mnas intelligatur.

Ambr.c.19. Hom.53.

Hier. Beda. com. Chryſ.Matt. Iuſt. dial. Tryph. Anaſt. 82.

Vniuerſalis materia contractus Do vt facias.

Illud omnino eſt conſtituendum, in his omnibus, nimirum naturali ratione nobis à Deo data: muneribus tum Eccleſiaſticis tum Politicis: Senſibus qua internis, qua externis, docendi, legendi, iudicandi, ſcribendi, aliiſque ſexcentis iſtiuſmodi Talentis, ac gratiis fundari contractum, *Do, vt facias.* Idcirco enim hæc tam multa ac varia tibi donata ſunt, non vt ea in ſudario recondas: non vt in terram defodias, & ocioſa eſſe ſinas, ſed vt pro dato tibi munere, multiplices & augeas: vt induſtrios mercatores imiteris, qui pecuniam nunquam ocioſam, vt loquuntur, iacere ſinunt, ſed omni opera adhibita multiplicare ſatagunt, quod à Paulo Apoſtolo factum ſtudioſe, qui gloriabatur, Gratia eius in me vacua non fuit. Dantur enim nobis hæc omnia, vt abnegantes omnem impietatem, ſectatores ſimus operum bonorum.

1. Corinth. 15.10.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

DE TERTIO CONTRACTV INnominato.

DO VT FACIAS.

§. DEVS *per temporum interualla fecit omnia*] DEVS opera ſua ordine conſummauit: multis primum elementis depalans quodammodo mundum: dehinc exornatis velut dedicans: Nam & lumen non ſtatim ſplendore ſolis impleuit: & tenebras non ſtatim ſolutio lunæ temperauit: & cœlum non ſtatim ſideribus ſignauit: & mare non ſtatim belluis frequentauit, & ipſam terram non ſtatim varia fœcunditate dotauit. Sed primum eſſe ei tribuit: inoculauit dehinc illam ornatuum, tanquam miraculorum vario germine: Amphitheatr. Honor. lib. 3. cap. 3. Res corporeas non eodem inſtanti omnes ſimul, ſed omnino ſex dierum interuallo productas eſſe pleritque Patrum adfirmant, eamque Deum rebus creandis moram adhibuiſſe: tum vt videremus, quid & naturæ rerum ex ſeſe, & quid finis ad quem ſunt factæ, poſtularet: tum, vt omnipotentiam ſuam res varias creando, ſapientiam diſtinguendo, bonitatem denique varie eas ornando, demonſtraret. Primi itaque diei initio cœlum empyreum, terram atque aquas ex nihilo produxit, quo eodem etiam die lucem quandam condidit, quæ ab oriente in occidentem ſucceſſiue viginti quatuor horarum ſpacio decurrens, tres primos dies mundo effecit, antequam ſol fons perpetuæ lucis naſceretur. Quam lucem veriſimile eſt ita fuiſſe conditam vt eam totius vniuerſi tenebræ, & terræ aquarumque natalis duodecim imaginariis horis præceſſerint: ipſa vero condita, aliis locis meridiem, aliis veſperam, aliis deniq; mane attulerit. Palæſtinam certe primo ſuo ortu reſpexerit, à quo occidentem verſus, via futuri Æquinoctialis progreſſa iſti ſoli terræ 12. horarum diem, reliquis vero orbis terrarum partibus inæquales admodum dies præſtiterit.

Secundo die ex aquis factum eſt firmamentum: hoc eſt, non vnum aliquod corpus, ſed aggregatum ex omnibus iis corporibus, quæ inter cœlum empyreum, & terræ, aquarumque globum interiecta nunc ſunt: coactis in cauernas terrarum aquis, omni plantarum genere ſoli nuda veſtiuit: atque ad earum germinationem, & conſtantem mundi lucem ac ſigna: Quarto die cœlis ſolem, lunam, cæteraſque ſtellas impoſuit, priore illa ac temporaria luce ſublata. Quinto piſces ac volucres ex iiſdem aquis produxit. Sexto animalia terreſtria omnis generis, iis, vt videtur, exceptis, quæ aut ex putrefactione, aut ex diuerſorum ſpecie, animalium commixtione naſcuntur. Eodem die ex terra homo eſt conditus, & tanquam rerum ceterarum moderator, atque dominus in terreſtrem paradiſum, tanquam in arcem & regiam tertio prius die inſtructam eſt introductus.

§. *Peccatoris iuſtificatio, quædam eſt creatio:*] Nota ſunt illa: *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Pſal. 103. Vbi lege Lorinum. *In Chriſto neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed noua creatura;* ad Galat. 6. *Creati in operibus bonis, vt in ipſis ambulemus: ipſius enim factura ſumus.* Ad Epheſ. 2. *Si qua in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt.* Secunda ad Corinth. 5. Legendus Iulius Mazarin. Lectiona ſacra 72. in Pſal. *Miſerere,* qui tractat hoc argumentum pro concionatoribus docte.

Digitized by Google

§. *Ex peccatore fit iuſtus.*] Vide S. Thomam tertia Parte Quæſt. 85. Artic. 5. vbi habet ferè eadem quæ Concilium Tridentinum de actibus qui ad gratiam iuſtificantem diſponunt.

§. *Quid ſit gratia iuſtificans.*] Dicet aliquis, quid, quæſo, eſt iſta Gratia, de qua tam multa dici, diſputari, controuerti audio? Infinita quæſtio quam ſi explicandam ſumpſero, hodiè dicendi finis ante veſperam non erit: neque vnquam, mihi credite, niſi ſacræ Theologiæ pluſquam mediocriter peritis ſatisfiet. Nam ii qui per terram repunt, poſtquam omnia dixero, expoſuero, illuſtrauero, ſemper recurret interrogatio eadem, Quid eſt Gratia? vt illi, qui cum Dialecticas ſcholas explicarem, poſt tot exercitationes, declarationes, examinationes de Ente rationis, illud tanquam nouum & inauditum, ingerebat: Quid, quæſo, bone Pater, eſt Ens rationis? Quaſi vero hæc ſint talia, quæ vt lignea ſimulachra, vel homunculi veſtiti, calceati, petaſati, cum pallio, & galero in palæſtram Academiam introduci poſſint: & vel viſu vel odoratu, vel ſono, vel tactu dignoſci. Ne tamen nihil dixiſſe videar, audite quidpiam cuſum in officina Romana.

Gratia, res eſt illa ſiue forma, qua noſtros animos diuinæ effici conſortes naturæ ſcriptum, ac ſanctum reliquit Chriſtianæ religionis Antiſtes Petrus. breuis ac enucleata deſcriptio: amplioris materiam ſubminiſtrabit ille non tam purpura, ac diademate, quam Dei familiaritate, & plurima maximarum rerum vaticinatione, nobilis vates Dauid, qui totam penè eius virtutem, efficaciamque, quæ in quattuor capitibus conſiſtit, verbis fermè totidem comprehendit.

Is è peccatorum ſordibus, in quibus diu iacuerat, exſurgens aliquando, ſeque ipſe circumſpiciens, indignabundus atque dolens, ad animæ ſuæ fœditatem, ac labem detergendam huius Gratiæ rores his verbis implorat: *Aſperges me Domine hyſſopo, mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Quid quereris Rex auguſtiſſime? oblitum animum turpiſſimorum cœno flagitiorum? Parce lacrymis. Si in te vnum omnium ſeculorum atque hominum omnium ſcelera conueniant, cœleſtis roris Gratiæ beata perennitate penitus elueretur. Ita, inquam, optime virorum mundaberis, lauaberis purus à colluuione ſcelerum, & integer hoc beneficio viues. Hæc opis huius diuinæ prima laus eſt, à ſordidatis, & conſceleratis animis tetram luem, nubilumque depellere.

At inquies, quamuis ab omni vitiorum labe expurgatus, quamuis à peccatorum omnium fœce ad naturalem atque inſitam munditiem reuocatus fuerit, tamen ſplendores illos, quibus diuinos amores prouocet, non habebit. Non ſit ſordidus, nihil habeat offenſionis, careat deformitate laruali, ſed & deſideret nitorum flores, & mundum omnem regiæ generoſitatis: cuius tandem gloriæ conſcientia ſe placere poſſe confidit, aut quo ſe conſolabitur, & eriget bono? Ne huius quidem formę gloriam collo fluens, aqua deſiderat, non ſolum in priſtinum datum à natura bonum, quaſi colorem deterſis ſordibus, animum reſtituere poteſt: quod & noſtrates aquæ poſſunt, quibus corpora abluuntur, ſed verò etiam ad apicem quendam pulchritudinis ac nitoris euehere, quo nullus næuus aſpirare poteſt, quod illæ non poſſunt. Ergo bono animo ſis, licet Regum ac vatum maximè ſecurus ac lætus canas, licet non mundabor ſolum, ſed & dealbabor: id eſt, non modo macula omnis, ac turpitudo, ſed etiam quæ altera eſt diuinæ gratiæ laus ampliſſima, ſupra mortale faſtigium, eximius quidam candor, ac decus ſuperum oculis, & amore digniſſimus effloreſcet.

Sed

Digitized by Google

Sed quicquid tandem iſtud ſit, ruſus inquies, magnum eſſe non poteſt, quia breue, ſubitum, fugax, plenum ſolicitudinis, ac timoris. Quid enim albedine magis obnoxium ſordibus? quid magis expoſitum ad iniurias? quid minus diuturnum? Nix ipſa, quæ dum agitur de candore, habet, quod & limpidiſſimum & ſupremum eſt, nonne leui quapiam offenſiuncula, ipſo ſolis aſpectu, quo cætera recreantur ac vigent, ſubito deflorеſcit? vt ipſum nomen albedinis ſolicitum ſemper me habeat neceſſe ſit, metu diuturnitatis: qui vnicus animi tyrannus eſt, vbi cætera delectant. Sed nitor ille, quo ſalutari hoc rore reſperſus animus illuſtratur, ac fulget, niuis albedinem longo ſuperat interuallo, vt dicere meritiſſimè poſſis: *ſuper niuem dealbabor.* vt interpretatur Ambroſius: non ad breue aliquod tempus: ſed (quæ tertia laus eſt) in omnem æternitatem duratum ſpecie, ac dignitate. Vnicum eſt tanto candori à propria cuiuſque voluntate periculum: hoc ſi diuertitur ſemper illæſus, æternum florens, omnia nedum tuta, ſecura ſunt.

At timeo tamen aggeratum cumulum ſordium, quanta tandem aquarum cœlo deducenda vis eſt, vt adulterii, homicidii, tanta colluuies eluatur. Imo verò ſi vna duntaxat guttula animus aſpergatur, omnis momento labes, fœditas omnis abſcedat. Atqui ſi vel Luciferi ſpurciſſimum lutum, quod enim peius dixerim? ſi illam, inquam, ſentinam, vel vna eiuſdem ſtilla penetraret, ſubito ille reſtitutus ſibi naturalem omnem cœleſtium illarum mentium, quæ ſolutæ ac liberæ ſunt ab omni concretione mortali, fulgorem ac decus non adæquaret modo, ſed longè etiam ſuperaret. Quæ quarta eſt atque poſtrema ordine, dignitate nulli ſecunda laus Gratiæ. Qua intelligitis animam lenari, mundari, ornari, excoli, illuſtrari, in amicitiam Dei recipi: ideoque illam eſſe inſtar aquæ, ſed viuæ ac viuificantis: inſtar roris, ſed diuini: inſtar niuis, ſed nunquam diſſoluendæ: inſtar herbæ, ſed borith, omnia emundantis; inſtar torquis, ſed aurei: inſtar gemmarum, ſed ſolis in modum lucentium: inſtar fœderis, ſed perpetui: deniq; diuinitatis participationem veram.

COMMENTATIO XXXI.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA Deum ex quarto Contractu Innominato.

Dominica IV. poſt Pentecoſt.

FACIO VT DES.

In qua tractatur, quam admirandis modis Deus faciat quoſdam homines idoneos, ad officia ipſis ab æterno deſtinata: & quid faciat in ſeculi mancipiis, vt ſua, ſeque dent liberaliſſimè, & vocantem ad religionem promptè ſequantur.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Matth. 4. 20.

In verbo tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Luca 5.

PERDVXIMVS hactenus peccatorem, fauentibus ſuperis, è profundiſſimo inimicitiæ diuinæ barathro, ad ipſum vſque diuinitatis, quod vix ſperari poterat, conſortium. Et ſi iuuat breui Anacæphaleoſi, quæ commentationibus

Peccator viribus à Deo ſubminiſtratis è cloaca peccati ſe erigit.

nibus aliquot, quibus contractus innominatos incluſimus, diſputata ſunt, tetraſtare. Dedimus hominem, ſiue infidelitatis, ſiue mortiferi criminis violentia, facultatibus omnibus, non corporis ſed animæ, qua truncatis, qua luxatis, truncatis ſupernaturalibus tam virtutibus quam potentiis: debilitatis, luxatiſq; naturalibus, in ſpiſſiſſimo ſcelerū, vt impuritatum fœdiſſimarum cœno (cloacam recte dicerem) collotenus immerſum, vitali omni motu, actioneque ſublata, informi carnis purulentæ maſſæ, quæ abortu ſolet eiici, vel, ſi id eſt fœdius, cadaueri beſtiali, quam homini ſimiliorem.

Proceſſus conuerſionis. Gratia actualis. Huic diximus primo Patrem miſericordiarum DEVM, nullis id poſcentibus peccatorum promeritis quibus caret, gratuita quadam liberalitate Christi aſſertoris noſtri beneficio prouocate, miris, ſed veris, ac ineffabilibus modis, paullatim motionis aliquod vitalis principium, faciendo, ac operando internis communicare: inſolita quadam luce mentem perfundere: viſa obiicere: virtutis pulchritudinem proponere: fœditatem peccati ſuis coloribus exprimere: mouere voluntatem, adfectum rapere, ſuauitatem quandam inenarrabilem, ac triumphatricem, omnis aduerſitatis ingenerare, victricique voluptate renitentem ſubigere, ac ſpontaneam facere. Quod Theologi aliis verborum inuolucris, gratiæ actualis, præuenientis, excitantis, ſufficientis, & efficacis velare conſueuerunt. *Diſpoſitiones ad habitualem.* Deinde, immiſſa cœlitus menti ex tam tetra ſordium ſentina ſeſe eripiendi ſpe, adiuncto timoris ſtimulo: ſubminiſtrantis dilectionis alis: porrecto, quo extrahatur, pœnitentiæ fune, tandem aliquando educere, vel extrahere. Poſtea eductum, vel emergentem, viuo baptiſmi, aut confeſſionis ſacramentalis latice aſpergere: mundare gratia, dealbare iuſtitia: illuſtrare fidei habitu: firmare ſpe: coronare caritatis diademate: virtutibus infuſis, vt totidem vnionibus, nouum decus addere: adquiſitis, ceu gemmis excolere: Donis ſpiritus diuini, vt murenulis ditare: characteribus ſacramentalibus, vt diuinæ familiaritatis notis inſignire.

Ornamenta iuſti. Vt vere dicere poſſit ac gloriari ſic exornatus cum formiſſima Agnete: Dexteram meam ac collum meum cinxit lapidibus precioſis: tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas: & circumdedit me vernantibus, ac coruſcantibus gemmis. Annulo fidei ſuæ ſubarrauit me: & immenſis monilibus ornauit me. Induit me Dominus cyclade auro texta. Poſuit ſignum in facie mea vt nullum, præter eum amatorem admittam. Et in his quidem atque horum annexis fundari probauimus tres contractus innominatos, qui inter nos & DEVM intercedunt: *Do, vt des: Do, vt facias: Facio, vt facias.* Sed non ſiſtit hic munificentiſſimi Donatoris liberalitas. Vt enim ſibi arctius adſtringat quoſdam, omnibus antea dictis non contentus DEVS, promittit pauculis quibuſdam, quos eximie caros habet, & ab omni æternitate ad id elegit, promittit, inquam, illud inuidendum: Faciam vos fieri piſcatores hominum. In piſcatores mutatos ad piſcandum inuitat, mouet, vrget: Duc in altum, & laxate retia veſtra, in capturam. Nihil capientibus adſiſtit: piſcandi modum ſuggerit: In verbo tuo laxabo rete: manus ipſe mouet, & piſcium copioſam multitudinem in rete ipſe propellit.

De ſolitudine ſua conquerentes ſolatur & alios ſocios ſubmittit: quibus & illud interius ingeminat: Faciam & vos fieri piſcatores hominum: reluctantes ſi inueniat, tamdiu occultis quibuſdam modis in iis faciendo ſuadet, inſtat, impellit: donec illi dato corpore, donata anima, relictis omnibus ſequantur eum. Atque hæc eſt illa materia, in qua vltimum illum inter nos & DEVM celebratum ex innominatis

natis

Digitized by Google

natis contractum, FACIO VT DES, fundari, eſt demonſtrandum. Cuius rei gratia, quædam pręmittenda ſunt, quæ facem pręferent iis, quæ in negocio iuſtificationis, ac perfectionis Chriſtianæ, de qua in hodierno Euangelio eſt ſermo, conſueuit operari.

Deus facit idoneos.
NOTÆ.

PRIMVM eſt, diſcrimen quoddam oppido notandum inter Deum ac hominem, dum de electione, vel deſtinatione ad munus officiumque aliquod agitur. Homo ſiue ille Rex ſit, ſiue Imperator, ſiue Pontifex, quoniam naturarum non eſt Dominus, aut opifex: nec tantæ poteſtatis, vt illas pro beneplacito poſſit fingere, reformare, aut recoquere, cum alicui demandat procurationem quampiam, vel munus iniungit, non facit in illo quicquam, quo aptitudo aliqua ad executionem accedat, & ex inepto reddatur idoneus. Sicut etiam dum amat aliquem, ſane, neque bonum facit aut venuſtum: ſed amat, quoniam talis eſt. Et ſi optet in ſe aliorum affectus ferri, ſe ab iis amari, coli, obſeruari, in ſe confidentiam haberi, non tribuit illis vim internam, qua diligant, colant, aut ſperent.

DEVS autem vniuerſorum conditor, qui fecit nos, & non ipſi nos, quando hominem ad officium aliquod eligit: vel certo muneri addicit, aptitudinem ipſe internam, externamque confert; Facit, non ſolum vt velimus: Sed etiam vt poſſimus, & munus exequamur. Opera manuum eius ſumus: lutum ſuum verſat, vt allubeſcit: poteſt enim. Ipſe cognouit figmentum ſuum. Scit quid poſſimus, quid valeamus. Poteſt ilico de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Si nos diligat, diligendo bonos facit, ac pulchros, dum eo ipſo infundit gratiam, venuſtatem animæ. Et dum vult, vt ipſi fidem adhibeamus, in illum credimus, ac ſperemus, eumque viciſſim amemus. ipſe fidei, ſpei, ac caritatis promptitudinem communicat, facitque vt credamus, ſperemus, diligamus. Ex quo principio, miſſis aliis, colligunt Theologi; cum DEVS aliquem deputat, & conſecrat ad ſacramenta, ſiue danda, ſiue recipienda, vel alia miniſteria, id non facere per ſimplicem deputationem, quemadmodum inter homines ſolet fieri: Sed infundendo qualitates ac diſpoſitiones, quibus fiant apti, ac idonei ad iſtiuſmodi munera. Quare dum vult, vt quiſpiam vnice ſibi carus ſe totum det, donet, conſecret, ita in illo operatur, vt ad id ſit maxime idoneus. quod eſt, *Facere, vt det.*

Perfectio duplex.
NOTÆ.

Secundo eſt illud animaduertendum, Chriſtianæ vitæ perfectionem duplicem eſſe. Altera conſiſtit in gratia & caritate cum qua ſimul eſt abſentia omnis vitii flagitiique lethalis, ac ceterorum, quæ pugnant cum diuina amicitia. Quam perfectionem in ipſa iuſtificatione conſequimur: vtinam ad vitæ finem illam conſeruarent omnes. De hac illud intelligo, *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter perfectus eſt.* Quod omnibus dictum, omnes obligat. Ad hanc ſectandam cunctos fideles Apoſtolus hortatur. *Gaudete, perfecti eſtote.* Sicque verum eſt, quod doctiſſimi, ſanctiſſimique Theologi adfirmant, inter quos S. Thomas lectione 3. in poſterioris ad Corinth. cap. 13. Perfectionis ſtudium diuinæ legis auctoritate omnibus imperari. Altera perfectio præter integram legis obſeruationem, Euangelica quoque conſilia amplectitur, & illa præcipue, quæ paupertatis votiuæ, caſtitatis perpetuæ, atque integræ obedientiæ terminis continentur: Chriſti inſuper ſequelam habet, & vitæ illius innocentiam exprimit. Quam quidem perfectionem cœleſtis Magiſter non omnibus imperat: Sed quoſdam eximiè ſibi dilectos ſuaui quodam mentis impulſu, & admirabili operationis internæ efficacia, ad eam perducit, in eaque conſeruat.

Matth. 5. 48.
2. ad Corinth. 13. 11.

ſeruat. Quo beneficio an maius aliud in ordine creatæ gratiæ ad ſalutem conſequendam reperiatur, vobis æſtimandum relinquo.

Mire inducit Deus ad religionem. In his autem, quod noſtri eſt propoſiti, *Facit* Deus, *vt dent.* Sed tam mirè, & tam ſtupendis modis facit: vt illi ipſi, in quibus Deus hæc facit, quid faciat, & quomodo faciat, & quo fine faciat, intelligere plane nequeant: certè nullo verborum ambitu ſatis poſſint comprehendere. Nam minima ſunt, ac vmbram vix exprimunt, quæ hic ſubiiciam, partim ex ſcriptis libris, partim experientia aliqua, partim aliorum ſermonibus accepta.

Conuerſio adoleſcentum ad religionem. Cum Deus ex inſcrutabilis conſilii ſui decreto, ante omnia tempora ſecularia, miſericordia ſuadente condito, poſt ſanctificantem gratiam, tantumque virtutum variarum apparatum gratis communicatum ad perfectionis religioſæ apicem perducere aggreditur, primo quidem ex altiſſima cœlorum ſpecula, inter tam diuerſos hominum cuneos, patria, lingua, forma, conditione, ingenio, actionibus, cogitatibus diſcrepantes, in vnum aliquem adoleſcentem, nullo eius merito, de meritis quampluribus antecedentibus, amore plenos oculos coniicere conſidero, illumque ſibi peculiari quadam ratione, omnibus paternæ dilectionis ſignificationibus proſequendum, implendumque donis deſtinare. Sed quoniam eius beneficii participem facere, ex lege ſemel lata, non conſtituit vllum, qui non venditis omnibus, quæ habet, ea pauperibus, ſe vero totum Deo dederit, perfectionis omnis abſolutiſſimum ac vnicum exemplar, CHRISTVM ſecutus à quo tantoperè, corrupta ſemel parentis primi vitio, propriisque delictis natura abhorret: quæ plurium ſemper inexplebili cupiditate ſitiens, non facultatem minus quam voluntatis, ac iudicii proprii eſt tenaciſſima, quæ tamen niſi mactata, quod per votiuam oblationem fit vnquam, ad perfectionem aſpirare nedum pertingere poterit. Faciam, inquit Deus, vt det, imo profundat, cuius modo tanta, ſiue habendi, ſiue retinendi auiditate tenetur.

Quæ putabantur bona deſipiunt. Facit igitur Deus, ſalutis humanæ ſitientiſſimus, ſed illorum longè maximè, quibuſcum tam amanter agit: facit, dico abditis quibuſdam & non niſi ipſi perfectè cognitis modis, vt quæ aliis pleriſque, tanquam per aurea perſpicilla à fallaciſſimo mundo fabricata res ſingulas intuentibus tam ſpecioſa videntur, & optanda, vt ab hominum parte maxima expetantur, & vnica ad felicitatem inſtrumenta putentur, diuitiæ, honor, pulchritudo, vires, voluptas, vxor, liberi, propinqui, amicorum turba, clientum ordines, famulorum turba: palatia, fœnus, prædia, veſtes precioſæ, dapſiles cibi: breuiter: vitæ commoditates omnes, quæ & ipſi paullo ante in deliciis erant, & ſui ſpecie ſplendida, non animum minus, quam oculos attrahebant, momento temporis, metamorphoſi, ac conuerſione plane admirabili, omni depoſita venuſtate, deformata appareant, neque ſui deſiderium amplius, vt antea, ſed quandam quaſi nauſeam: imo abominationem ingenerent.

Miratur interim adoleſcens, mutatas tam repente totamque diuerſarum rerum formas: aurum in lutum: argentum in ſcoriam: pulchrum in deforme: honorem in contumeliam, dignitates in onera, voluptates in amaritudinem.

Ratiocinatio adoleſcentis Tum vero ita ſecum ſolitarius vel in horto ſub ficu cum Auguſtino, vel in concłaui ad lectica ſpondam inclinatus ratiocinatur. Anima mea quid pateris? vbi

es?

es? quæ repentina rerum conuerſio? Antea nihil magis optandum, nihil magis *cui ſordes terra.*
proſequendum videbatur, quam facultatum copia abundare, & nemini in diuitiis concedere: nunc deſipit faſtus, & abundantia: & è conuerſo extrema ſapit optime pauperies: dare vniuerſa eſt animus, ita inuitus terram poſſideo. Blandiebatur haud ita pridem corporis elegantia. quid non faciebas, vt belli ac venuſti ſpeciem adoleſcentis præferres, nomen obtineres? Huc curæ, ſumptus, vigiliæ, byſſus, collaria, faſciæ, roſulæ, tæniæ, ſexcenta alia tendebant: quam hæc modo deſpectui ſunt, & abiicienda videntur? Quam placet ſaccus, flagellum, ciliria? Quam nunc arridet neglectus corporis, impexum caput, lacrymis irroratus vultus, callo obductæ manus, denudati pedes, decorticati crucis trabe humeri, ſulcatũ vngulis dorſum, liuidum percuſſione pectus, exeſa catenis latera. Heus anima quid ſentis? quã tibi heri ſuaue erat intereſſe conuiuiis, aſſidere menſæ omni conditurę genere dapſili: edere, bibere, dormire, ſaltare, laſciuire in lectis eburneis, luxuriari cum ſocio: videre, videri: tangere, tangi: ſpectaculis oculos accommodare, ridere, cachinnari: noctes dieſque huius calorem, illius tenebras compotationes fallere. Sed quam hæc hodie in amarorem & abſynthium ſunt conuerſa? Quam graue tibi videtur, & neſcio cur videatur: videtur tamen intus, neſcio, quo, quibuſque modis talia faciente, & ſenſum inuertente.

Videtur graue ac laborioſum vel manum ad cibi delicatioris bolum vnum porrigere: faſtidium ingenerat, vel menſarum memoria: non niſi nauſeabundus hoc totum voluptatis genus vel proferendo vſurpo. O quam mihi abominandum videtur, vel guttulam citra neceſſitatem infundere per gurgulionem: ventrem eſculentis, poculentiſq; farcire: ſomno magis, quam extrema requirat neceſſitas indulgere. Carnificina profecto mihi eſſet, aleam, vel pictas chartas aut taxillos ad ludẽdum in manus ſumere. Cataſtam potius ſubirem, quam pedes inſanientium, caput furioſorum, corpus hiſtrionum in ſaltu agitarem. Ignem potius inferni, & ardentes tartari prunas ore verſarem, quam inhoneſtum vllum: aut iuramenti non neceſſarii; multo minus blaſphemiæ proferrem. Craticula Laurentii mihi mollior eſſet, quam luxuriantium culcitræ. Scintillantem laminam potius voluerem, quam alterius carnem quam alterius carnem fœde attrectarem. *Delitia, amaror.*

O quod tormentum voluptas omnis carnalis mihi videtur! vah anima! quo feror? deliberatum mihi paullo ante erat in hoc ætatis virore, flore adoleſcentiæ, tot externis, interniſque præſidiis à parentibus, opibus, ſanitate, robore, pulchritudine, amicis, nobilitate, fauore, ingenio ſcientia munito ad prima fœlicitatis humana contendere, decurſo iam fœliciter Philoſophiæ curriculo, & doctrinæ in publicis concertationibus documento ad aliorum ſtuporem dato, honoris ſtadium aurigante Themide comite libertate, impellente natura, haud inuita Minerua, Muſis ſociis, ingredi, & magnis paſſibus, exiguis itineribus ad altiſſimum dignitatis faſtigium contendere. Deinde poſt Doctoratus ſuſcepta vel inſignia, vel teſtimonio de aptitudine procurato, aut in magni alicuius principis aula, aut imperiali curia, cameraue aut alibi, negociis fori nobilis vitam minime in gloriam traducere. *Voluptas, tormentum.*

At nunc quam hæc vana ac inutilia parent vniuerſa! Honoris illud culmen lubens deſpicio. Humanam omnem auram, populari fauore, & amentia concitatam, ac ſuauiter demulcentem indignabundus repello. Deſpicio honorificum doctoris nomen, neque, niſi vi adacto imponi patiar. Inſignia recuſo, Palatinorum officia putent. Fori ſtrepitus exhorreſco; curiæ delitias, dignitateſque ſponte *In honoribus qua ærumna.*

reſigno. Libertati hactenus tam mihi, adamatæ dominæ nuncium mitto. Ex diſciplina ſcholaſtica in aliam arctiorem, ita ſuadet, neſcio quis, qui animum potenter inuaſit, & occupat, tranſire placet. A ferula ad ligonem: à calamo ad raſtrum: à gymnaſtico puluere ad monaſticum agonem auolare iuuat. Quam mihi ſeſe amabilem offert religio, eremus, ſolitudo: Quam lenocinatur continentia, egeſtas, obedientia? Quam demulcet pectus rerum omnium deſpicientia, abdicatio, crucis voluntarium ſupplicium. Quid moraris anima? perge, euola, crucem amplectere.

Deus proponit commoda religionis.

Gaudet adhæc, imo, ſi dicere noſtro more fas, videt DEVS, & detractis falſitatis ocularibus, quibus mundana, vt aurum ſplendebant, veritatis longe diuerſa interioribus oculis adpoſita firmat. Tum dubitabundum ſtupentemque hunc ſuum tyronem, & cuius agatur inſtinctu ſolicite inquirentem, ſtans ipſe poſt pellucidum carnis parietem, reſpiciens per patentes cœlorum feneſtras, proſpiciens per cancellos humanitatis magis, magiſque exſtimulat, ac facit, vt dare tandem omnia animo ſtatuat, & opere exequatur. Poſtquam ergo hic primus aſſultus non infeliciter ceſſit, ne non tam impetu rapiatur, quam ratione ducatur in poſterum, proponit illi compoſitis iam adfectuum fluctibus.

Finis hominis.

Quis hominis Chriſtiani ſit finis? Cur animal illud nobile rationis particeps à Deo ſit conditum? quare in hunc mundum: tanquam in exilium rerum Princeps ſit ablegatus? quo tendat? quæ opificii ſit deſtinatio! quæ ipſius eſſe debeat, niſi ab artifice ſuo diſſentire velit, quod ſine flagitio non poteſt. Certe animaduertit cœlitus communicato lumine, hunc finem non eſſe vitæ commoditates, honorem, apud mortales illuſtre nomen, ſimilia. Sed finem hominis vltimum vnum eſſe, quem ſubdiuidere tamen in duos liceat, honorem, ſeruitiumque Dei, & ſalutem propriam. Quoniam creaturæ quemadmodum eſt eſſe à Deo, ita propter Deum: vti ſeruum propter vſum heri: opus propter artificem: rem poteſtati ſubiectam propter Dominum eſſe conſtat: & vas fractum in manu figuli, qui poteſt ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, quia figulus eſt. Neque eſt lapidis dicere ſtatuario, quomodo incedendus ſit, aut ad quod opus. Ideoque neque tibi licet alium, quam à Deo propoſitum finem præfigere. Huic tua voluntas eſt conformanda; quæ tum demum recta dicetur, cum ad huius architecti perpendiculum directa fuerit. Hoc publicum eſt pondus ad quod voluntatis cuiuſque priuatum examinandum eſt. Ab hoc omnis æquitas, rectitudo omnis deriuatur.

Finis hominis ac media.

PERGIT porro DEVS & inſtat. Hunc finem præfixum habeas, reliqua omnia, quæ facienda, & perpetienda, vt media intuere ad hunc ſcopum: in quem ſi collimaueris ô te felicem, & modis omnibus fortunatiſſimum, cui nihil deſiderari poterit! In mediis autem non curandum, an ſapiant, placeantue: ſed, an ad finem propoſitum conferant, qualia qualia ſint cumque tandem. Hæc mediorum eſt ratio: quibus omnis bonitas à fine & ad illum proportione, mutuanda eſt. Suggerit deinde idem internus monitor, quam hæc omnia corrumpat mundus, qui non niſi laqueis & impedimentis à fine retrahentibus eſt implexus. Quæ in illo ſit malorum ſeges, bonorum penuria: quam grauia ſcandala, quæ ſimplicium ac innocentum corruptelæ: quæ in omni ſtatu, conditione, officio ad peccandum irritamenta: diuitiæ quam lubricæ ac incertæ? quanta in us ſolicitudines? quæ moleſtiæ ab externis, amicis, propinquis? quis exitus ſit ad omnes caſus metus? quæ in proſpera æ-

que,

que, atque aduerſa fortuna ærumnarum moles? Quanta in ipſis ſenſuum voluptatibus amaritiės? Quam viles illæ? quam cum beſtiis communes? quam homine ad immortalitatem condito indignæ: quod menti ex iis, rationique periculum? ob oculos illi ponit, quam ſtragem ediderint in Dauide, Salomone, & aliis prope innumeris. Quam vitioſæ ac mortiferæ ſint cupiditates, quæ in mundo regnum obtinent: Quas pedicas homini iniiciant, quomodo pene renitentem in veræ mortis ditionem pertrahant. quantum in ſummis etiam voluptatibus faſtidium ex ipſa frequentia, & repetitione quotidiana. Honoribus ac Magiſtratibus quid magis inſtabile: Summis eſſe negatum ſtare diu omnes ſciunt, experiuntur maximi. Quantum faſtigio iunctum eſt præcipitium? Magna ſeruitus, magnus eſt honor. Quantis animus, & quam contrariis agitetur fluctibus. Principum Regumque nulli melius, quam ipſi norunt, ac teſtantur verbis ſæpe palam: clam gemitu: an non & lacrymis interdum? Et tu te felicem vel ſemi-prætoris, aut ſenatoris, aut conſulis, munere adepto exiſtimas: cupiditatem tuam, quæ infinita eſt, Doctoris nomine, Conſiliarii titulo, canonicali beneficio expleri poſſe cenſes: vilis anima, & ſolidæ felicitatis ignara.

Non hic ſubſiſtit inſtigator diuinus: ſed ſeſe intimius in animum pugilis ſui inſinuat: factaque rerum collatione, ſuggerit poſt hæc, quam glorioſa ſit Chriſti ſequela: vendere omnia, ac dare pauperibus: id quod ab omni hominum genere factum, plebeis, nobilibus: magnis, paruis: principibus, regibus, imperatoribus, æterna memoria ac commendatione, ab ipſis mundi amatoribus extolli: quod haud multum curandum: Sed rei tamen præſtantiam dignitatemque indicat. Verum, quantum illud? Dei intimam familiaritatem eo facto obtineri, ſalutis, quaſi certam promiſſionem, arrham æternitatis, bonorum omnium cumulum? *Religio vtilis, iucunda, honeſta.*

INGERIT idem internus Magiſter quanta in religioſa vita ſit quies: quæ ſecuritas: quæ bene beatæque viuendi commoda cum mundi incommodis collata. Tum paupertatis voluntariæ, caſtitatis item, obedientiæque vtilitatem haud maiorem, quam facilitatem, iucunditatem, dignitatemque explicat: exempla ſanctorum accumulat: ſociorum antecurrentium felices exitus, quam plurimos refert: difficultatem omnem diminuit: quæ dura, aſpera, ſcabra, in planam, æquatamque viam ſternit. Et hæc omnia facit, aliaque infinita, vt quem ita inſtigat, ad dandum impellat. Sed fruſtra eſſent vniuerſa, niſi per ruptricem, triumphatricemque voluptatem commodo tempore, ac loco menti ſemper refugæ, vel reluctanti veluti æternam iniiceret, qua illa abditis modis ſpontanee, non coacte, attracta, poſtquam attrahentis vocem interius perſonantem audiuit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me, venditis datiſque omnibus Chriſtum ſequi proponeret. *Commoda vitæ religioſæ.* *Matt.19.16. Marci.10.17. Lucæ.18.18.*

Animaduertitis, reor, in quanam materia potiſſimum, contractus *Facio, vt des,* inter Deum hominemque intercedat. Verum non iis tantum, quæ indicatæ ſunt potius aut inſinuatæ, quam enarratæ, vel explicatæ operationibus diuinis conſiſtere exiſtimandum eſt. Vtitur enim DEVS ad eundem finem aliis quamplurimis: quæ, quoniam habitualiter in homine non perſeuerant, ſed in actuali quodam auxilio, motioneque ſpiritus ſunt poſita, ad ipſius Dei *facere*, non autem ad *dare* cenſentur pertinere: ideoque ad hunc locum illa reſeruaui. *Materia contractus facio vt des.*

Sunt autem illa, quæ in Catechiſmo vocantur *Fructus, Spiritus*, ac *Beatitudines* *Fructus, Spiritus: beatitudines.*

Digitized by Google

Euangelica, de quibus, Conueniunt autem fructus, & beatitudines, quod ſint actus quidam boni, non autem habitus: atque eo ipſo à donis Spiritus Sancti, & à virtutibus, tum Theologicis, tum moralibus diſtinguuntur Cum igitur infinitæ Dei bonitati nondum ſit ſatisfactum tantis donorum, virtutumque ornamentis, quæ nuper recenſuimus, vt aliquem totum quantum tibi deuinciat, facit vlterius ineffabili quadam ratione, vt peculiares aliquot actus in ſe habeat, quibus ad excellentem ac eximiam perfectionem promoueatur: & beatitudinem, quæ in hac vita eſſe poteſt: ac, vel in religioſo viuendi inſtituto, vel nullibi reperitur, poſſideat, alterius verò ſpe certiſſima ſe ſoletur. Hi actus vocantur *Fructus ſpiritus*, ac *beatitudines*.

Beatitudines quid ſint. Et has quidē exiſtimo eſſe præſtantes quaſdam operationes, quæ ſingulari quadam motione Spiritus Sancti, ab eiuſdem donis proficiſcantur. Et dici beatitudines, quod peculiari quadam ratione conducant, ad adipiſcendam illam beatitudinem, quæ continetur præmiis correſpondentibus iiſdem operationibus: ſiue illa præmia dicantur eſſe aliqua bona, quæ in hac vita communicantur: quod placuit Auguſtino Lib. 1. De Sermone Domini in monte. cap. 9. cuius ſententiam declarat S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 69. ſiue dicantur ſpectare ad vitam æternam, vt vult S. Ambroſius Lib. 5. in Lucam. Iuxta quam ſententiam S. Thomas ibidem explicat iſtiuſmodi præmia. Siue partim referantur ad bona huius vitæ, partim ad bona æterna, vt D. Chryſoſtomus arbitratur. Certè actus illi, paupertatis, mititatis, luctus, famis ac ſitis, miſericordiæ, munditiæ, pacis, tolerantiæ: tot enim beatitudines Matthæus capite 5. enumerat, peculiari quadam ratione ſpem adferunt beatitudinis æternæ conſequendæ: ſicque cenſentur quadamtenus: nempe in ſpe certa reddere hominem beatum, iuxta modum loquendi Apoſtoli ad Roman. 12. ſpe ſalui facti ſumus. Quo pacto Ariſtoteles primo Ethicorum cap. 9. iuuenes ſcribit ſecundum ſpem eſſe beatos.

Art. 2. ad 3.
Art. 4.
Homil. 6. ex variis in Matt. tomo 2. cuius meminit S. Thomas art. 2.

Fructus Spiritus Sancti. Fructus autem Spiritus Sancti duodecim recenſet Apoſtolus ad Galat. 5. ac ſingulorum nomina exprimit, ſunt autem caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Non eſt autem exiſtimandum hos ſolos eſſe: ſunt alii quamplurimi, vt eſt S. Auguſtini perſuaſio: præcipui tamen ſunt quos annumerauit Apoſtolus. Si quidnam ſint, ſciſciteris: breuiſſimè & clariſſimè dixerim, eſſe operationes quaſdam bonas ac ſupernaturales, quæ virtutes quidem tanquam radices ſuas reſpiciant: ſed ſimul & illud habent, quod ſint effectus quidam, quaſi vltimi & per ſe delectabiles: & modo quodam ſingulari à Spiritu Sancto, tanquam ex diuino ſemine profecti, vnde fructus appellātur Loquendi formulam S Ioannes Apoſtolus ſuggeſſit, cuius eſt illud enunciatum in prima Epiſt. cap. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen Dei in ipſo manet*: Non me fugit, *Munditiam* cordis, quam Chriſtus Dominus in Beatitudinibus, & *Pacem*, quam Apoſtolus in fructibus numerat, non tam propriè actus eſſe, quam quiddam conſequens: ratione tamen actuum, ex quibus proficiſcantur id nominis obtinent, non malè, vt obſeruat S. Thomas, quæſt. 69. art. 3. Sed his non eſt immorandum, nec ſpinoſe ſingula perſcrutandi tempus. Hoc ad rem noſtram facit.

Deum incredibili benefaciendi voluntate, dum ex millibus, vnum aliquem ad Apoſtolicæ vitæ perfectionem perducere aggreditur, poſt gratuitam illam ſanctificationem, in qua animum, primo quidem gratia, tum virtutibus Theologicis: deinde qua infuſis, qua moralibus: præterea Donis Spiritus Sancti; characteribus quoque

quoque ſacramentalibus, ac variis chariſmatibus & talentis ad miraculum exornauit: facere tandem, ſiue per ſe proximè, ſiue interuenientibus virtutum habitibus: adiunctis etiam fructibus ſpiritus, ac beatitudinibus, vt homo occulto quodam modo, ſed longè efficaciſſimo, eo perducatur, ad quod illum Deus, cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere, ab omni æternitate deſtinarat. Facere nimirum, vt des.

Qvid? dicis. Hæc altera commentationis huius pars futura erat, ſuperiori nec longa minus, nec minus fructuoſa. Sed colligamus in vnam vocem quæcunque infinitis vix poſſent exprimi. Facit Deus vt des: Quidnam? non partem aliquam ſubſtantiæ, quæ te contingit, vt glorieris cum Zachæo: *Ecce dimidium meorum bonorum do pauperibus*: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Sed, OMNIA, facultates vniuerſas, per paupertatem egentibus. corpus per caſtitatem ſponſo cœleſti: animam per obedientiam Deo, ac eius vicariis. Profecto, dicet aliquis, ex illis adoleſcentibus, quibus, poſt triennalem Philoſophiæ curſum, cui propediem finis imponendus eſt, pruriunt pedes ad longiorem alterius ſtadii ſtudiiſque decurſum, quique hoc tempore, non niſi inania, vigilando ſomniant: Nobis, bone Pater, hæc ceciniſſe videris, & mihi præſertim familiari tuo, tantum non digito in me intento. Ac ſane in modico ſuades, me, abdicatis omnibus, religioſum fieri, & Chriſtum ſequi. Opto autem ego apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, longe dilectiſſime, ſed & omnes, qui audiunt me hodie, fieri tales, quales fuerunt Apoſtoli, qui relictis omnibus Dominum Ieſum ſunt ſequuti.

Quæ dari conſulat Deus

Luc. 19. 8.

NOTÆ.

DE QVARTO CONTRACTV INNOMINATO,

FACIO VT DES.

5\. DES *facit idoneos.*] Deus in hoc differt ab hominibus, quod homines cum hominibus iniungunt aliquod officium, non tribuunt iis aliquid internum, quo fiant apti ad illud officium. Et cum diligunt aliquem non faciunt bonum & pulchrum: ſed diligunt quia talis eſt. Et cum volunt ſe ab aliis diligi, aut ſibi credi, aut in ſe ſperari, non tribuunt iis vim aliquam internam, qua diligant, ſperent, aut credant. Devs autem cum diligit, diligendo facit bonum, & pulchrum infundendo gratiam. Et cum vult ſibi credi, in ſe ſperari, ſe diligi, infundit habitum, fidei, ſpei, caritatis. Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 11. Idem licet cernere in admiranda illa hominum electione ad gloriam, de qua incredibili contentione inter neotericos certatur: An nimirum fiat propter merita, quæ habiturum Titium v. c. præſcit Deus: an vero ſimpliciter, nullo meritorum intuitu. Exiſtimo autem Deum inſcrutabili ſua miſericordia & iudicio, hominem ante omnem meritorum præuiſionem æternæ gloriæ deſtinare: neque hunc habere actum: Quia præuideo Titium fore bonum, pium, ſanctum, ideo eligo illum ad gloriam. Sed potius, eligo abſolute Titium ad gloriam, quia mihi placet. Quoniam autem nemo gloriam conſequetur, niſi mundus, bonus, ab omni macula purus, faciam electum meum, antequam è vita decedat omnibus hiſce dotibus excellere.

Præclare Concilium Arauſicanum Canone 25. ex illis Pauli Apoſtoli verbis: miſericordiam conſecutus ſum, vt ſim fidelis, colligit, donum iſtud non eſſe collatum, quia eſſet fidelis: cuius inſiſtens veſtigiis, & illud colligere ſoleo. Si Titius electus eſt ad gloriam vt haberet merita, ac ſanctus fieret non potuiſſe illum eligi, quia habiturus erat merita.

§. Per-

§. Perfectio *duplex*.] Dilatari hæc poſſunt iis, quæ communiter à Theologis ac vitæ ſpiritualis Magiſtris diſputantur de perfectione Chriſtiana, & bonis ſtatus religioſi. Legendus Iacobus Aluarez de Pac. Tom. 1. Bellarminus lib. 2. de Monachis: Hieronymus Platus tribus libris de bono ſtatus religioſi. Breuiter & eleganter Benedictus Iuſtinianus Tom. 1. in Epiſtolas Pauli Diſp. 1. cap. 4.

Alia eſt perfectio, quæ diuinæ legis ac præceptorum obſeruatione continetur, quæ eſt omnibus neceſſaria: alia, quæ longius provecta, ita ſummo bono adhæret, *S. Tho. 2. 2. Q. 184 art. 2. & 3.* vt præ illo cætera contemnat omnia: Sic enim ſapienter à ſummo Theologorum Magiſtro definitum eſt. Chriſtianæ vitæ perfectionem poſitam eſſe in caritate erga Deum vt proximos, quæ tum demum dicitur perfecta cum ei nihil in ſuo genere deeſt, quod iure poſſit deſiderari. Sed Dei quidem caritas, qua ſe diligit ipſe, qui totam naturæ diuinæ bonitatem, ac immenſum illum bonorum omnium Oceanum, vel exhaurit, vel æquat ita perfecta eſt, vt ad illum perfectionis gradum, nulli creatæ naturæ, fas ſit aſſurgere. Ab hac perfectione caritatis infinito quodam interuallo diſtat illa perfectio, qua Beatorum mentes ita penitus feruntur, in Deum, vt ne ad punctum quidem temporis ab eo diuelli aut ſeparari queant: Sed ita tamen perfecta eſt, vt diuinæ iuſtitiæ ac prouidentiæ lege poſita, nulla fieri poſſit acceſſio. Longiſſime ab hoc perfectionis gradu abſunt ii, qui præter legis præcepta nihil nobilius, aut præſtantius expetunt, nihil ſpectant honorificentius, eo ſolummodo contenti vt gratiam & caritatem ab omni Mortifera labe puram integramque conſeruent. Medium fere locum inter hanc & Beatorum perfectionem occupant ii, qui, vt Dei amore & caritate, vehementius inflammentur, atque indies magis magiſque exardeſcant, omnes in eo curas, cogitationeſque ſuas collocant, vt quæ diuino amori vel concipiendo, vel fouendo, vel augendo atque inflammando obeſſe poſſunt quam longiſſime à ſe repellant, ac penitus amoueant, ſeque totos quoad eius fieri poteſt Deo deuoueant. Ad hanc Chriſtianam perfectionem inuitatus fuit ille in Euangelio adoleſcens, qui cum ſolicite quæreret à Chriſto, quid *Matth. 19. Mar. 10. 17. Ioan. 18. 18.* ſibi facto opus, vt vitam ſempiternam aſſequeretur. Matthæi 19. Magiſter, inquiens, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Reſpondit Chriſtus, mandata noſti: addens: ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Adfirmanti autem ſe illa omnia ab ineunte ætate præſtitiſſe; ſubdit Chriſtus: Si vis eſſe perfectus, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. Quo loco, quicquid hæretici contra moliantur, Chriſtus nonnulla tanquam neceſſaria ad ſalutem diſtinguit ab iis, quæ ad perfectionem tendentibus amplectenda proponuntur. Illa præcepta, hæc conſilia nuncupantur. Illa faciliora ſunt, hæc, vt ſcribit Ambroſius, lib. 1. de virginitate, multo ſunt difficiliora. Illa honeſta, ac laudabilia, eaque de cauſſa Deo grata: hæc longe præſtantiora, quæ ſua pulchritudine, Auguſtino auctore ſermone 18. de verbis Apoſtoli mire Deum ſibi conciliant. Illa omnibus præcipiuntur, tanquam neceſſaria, ſine quibus nemo, ſalutem conſequatur. Hæc vt ſcribit Auguſtinus ſermone 61. de tempore, vltro ac ſponte capientibus offeruntur. Illa parendi & obſequendi adferunt neceſſitatem. Hæc vt Hieronymus Epiſtola ad Euſtochium, & Auguſtinus de virginitate cap. 60. obſeruarunt, humanæ libertati permittuntur. Illa denique obtemperantibus beatam, immortalemque vitam, negligentibus ſupplicium pariunt ſempiternum. Hæc citra noxam quidem omittuntur: ſed vt copioſe tradit Auguſtinus de ſancta virginit. cap. 14. eximiam quandam in Beatorum concilio ſuis cultoribus

bus

Digitized by Google

bus immortalitatis gloriam pollicentur. Igitur Chriſtus ad vitam ingredi volenti nihil præter præcepta præſcribit. At perfectionem petenti, præter præcepta, quæ reliquis actionibus, tanquam fundamentum ſubſternuntur tria potiſſimum imperat: vt bona omnia vendat: vt confectam inde pecuniam pauperibus largiatur: & quod vnum cetera quodammodo amplectitur, vt ſe ſequatur. Quod, vt ait Hieronymus, Matthæi 19. proprium eſt Apoſtolorum. Hanc perfectionem Chriſti Domini hortatu, inſtinctuque atque impulſu Apoſtoli ſectati ſunt, vocantem ſecuti: Ideoque apud Matthæum cap. 19. omnium Apoſtolorum nomine fidenter admodum dixit Petrus: Ecce nos relinquimus omnia & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?

Non erat quidem Petrus (vt nonnulli nimis fortaſſe acute, ſed parum pie exiſtimarunt, de ſuo & condiſcipulorum præmio vel anceps, vel ſolicitus, perinde quaſi, qui ſua reliquiſſent quidem, non tamen vendidiſſent, & pauperibus dediſſent ad illum cœleſtem theſaurum adoleſcenti hac lege promiſſum, ſi cuncta pauperibus erogaſſet, aſpirare nullo modo poſſent. Sed potius, vt Origenes, Chryſoſtomus, & Hieronymus tradiderunt, ſignificat ſe, reliquoſque Apoſtolos feciſſe iam quod Chriſtus ab illo adoleſcente poſtulauerat. Quia vero per exiguas aut nullas pene diuitias reliquerant, percunctatur, num ſibi is theſaurus expectandus ſit, quem plurima relinquentibus Chriſtus paullo ante pollicitus erat. Et qui certum aliquem gradum in cœlo ſperat, qualis ac quantus futurus ſit, cupit cognoſcere.

Credibile etiam illud videtur, & Apoſtolorum virtuti, eorumque perfectioni conſentaneum, ſi non omnes, aliquos tamen, ſi non omnia, nonnulla certe ex iis quæ habebant, vendidiſſe, & dediſſe pauperibus.

Qui vero non vendiderant, propinquis ſuis, quia vere pauperes erant, nihilo minore laude reliquiſſe. Quare fecere omnia Apoſtoli, quod ad perfectionem aſſequendam erat neceſſarium cum relictis omnibus Chriſtum ſecuti ſunt.

Adoleſcens autem Euangelicus ad eandem vocatus, & ſolicitatus abiit triſtis, rei magnitudinem & difficultatem perhorreſcens, ob eam quam Euangeliſta cauſam indicauit. Qui enim plurimis diuitiis atque opibus afflueret, arduum atque aſperum putauit, omnia vendere, dare pauperibus, & Chriſtum ſequi.

LIBER QVARTVS
DE
OBLIGATIONE
HOMINIS ERGA DEVM,

EX CONTRACTV MANDATI: MVTVI: Vſurarum: Empti: Venditi:

SEV

Ex Titulis, & Jure Dei

Mandatoris: Mandatarii: Mutuatoris: Fæneratoris: Trapezitæ: Creditoris: Debitoris.

COMMENTATIO XXXII.

Domin. V. poſt Pentecoſt.

DE CONTRACTV INTER MANDATOREM, ET Mandatarium.

NOTÆ.

DEVS MANDATOR.
HOMO MANDATARIVS.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum. Matthæi 5. 20.

Mandati vox in S. Script.

CVM multis nominibus id, quod à Deo homini imperatur in ſacro Scripturarum Codice appellari ſoleat: nimirum, *Lex, Præceptum, Verbum, Iudicium, Iuſtificatio*: tum nihil frequentius occurrit, quam nomen *Mandatum*, quo idem denotatur.

Geneſis 26. 4. *Benedicentur in te omnes gentes, eo quod obedierit Abraham voci meæ & cuſtodierit præcepta*, & mandata *mea*.

Exodi 6. 13. *Locutusq; eſt Dominus ad Moſen & Aaron & dedit* Mandata *ad filios Iſrael.*

Exodi 15. 26. *Si obedieris* Mandatis eius, *cunctum languorem quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te.*

Exodi 16. 28. *Vſque quo non vultis cuſtodire* Mandata *mea?*

Exodi 24. 12. *Dabo tibi legem* & Mandata.

Pſalmo

Pſalmo 77. 7. Mandata *eius exquirant.*

Pſalmo 88. 32. *Si iuſtitias meas profanauerint,&* mandata *mea non cuſtodierint.*

Aliis ſexcentis locis idem vocabulum occurrit. Dicunt autem Latini *Mandatum*, quaſi *Manu-datum*, vt Eruditis placet, eo quod veteres in mandatis dandis & accipiendis manus ſibi inuicem dare conſueuiſſent. Quem morem in multis promiſſionibus vulgò hodieq; nos Germani obſeruamus, ac retinemus. Qui *Mandatum* aliquod dat, *Mandator* dici ſolet. Cui mandatur, illudq; ſuſcipit *Mandatarius* à Iurisconſultis nuncupatur. Ex quo cōficitur: cum Deus olim in lege veteri Iudæis, in noua, hoc potiſſimum capite quinto Matthæi, Chriſtus à ſe denominatis, id eſt, Nobis Mandata dederit, tam multa & varia: eaque nos exequi diligentiſſimè voluerit: illi quidem Mandatoris; nobis autem Mandatariorum titulum conuenire. Ideoq; inter Deum & nos illam obligationē, quæ inter Mandatorem Mandatariumque apud homines ex contractu orta intercedit, multoque arctiorem reperiri.

Mandatum. Manudatum.

Mandator. Mandatarius.

Cui quoniam neutiquam ſatisfaciebant, Scribæ & Phariſæi, tametſi vni huic rei ſe ſtudere aſturè ſimularent toties grauiſſimis verbis a Chriſto Domino ſe verè ac ſeriò reprehenduntur: & tanquam Mandatorum præuaricatores caſtigantur. Quare, & vos, inquit Dominus, transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Matth. 15. 3. Ex hoc fonte dimanarunt illa in Scribas & Phariſæos defulminata. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum, & cyminum, reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam & fidem. Matth. 23. 23. Væ vobis, quia eſtis, vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes ſupra neſciunt Lucæ 11. 44. Et vobis Legis-peritis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt: & ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas. Lucæ 11. 46.

Mandatorum præuaricatores Phariſei.

Atque idcirco edicit Chriſtus: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: hoc eſt: niſi maior & exactior fuerit mandatorum obſeruatio: quam Chriſtus iuſtitiam vocat, quia mandatorum Dei obſeruatione iuſtificamur, à beatitudine æterna excideritis. Addit autem ipſe noua quædam Mandata, & vetera explicat. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides: Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio. Quibus verbis magnum *caritatis mandatum* continetur. Audiſtis, Quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non peierabis: Ego autem dico vobis, non iurare omninò. Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.

Ex quibus ſimilibusq; Mandatis nouus oritur in hominibus tanquam Mandatariis erga Chriſtum obligationis modus: qui nos ad diuinæ voluntatis ipſius arbitriique iuſſi, & imperia capeſſenda, deindeq; opere implenda compellit. Et ſine, ſi quem tot contractuum aliorum religio ad præceptorū diuinorum obſeruationem perfectam non moueret, hic vnus ratione vtendi ſufficeret, vt ſe Dei voluntati conformaret, nihilq; quod ab ipſo imperatum eſſet, prætergrederetur. Et vnicus hic ad amicitiam diuinam promerendam ac deinde cōſequendam beatitudinem eſt ſatis: illo diſciſſo nullum in aliis omnibus reſtat præſidium. Verùm, quæ ſit contractus

iſtius ratio, & quæ conditiones ex diuinis humaniſque legibus, & analogia præſertim ad contractus humanos examinandum eſt hodie.

Obligationes Mandatorii. Mandata publica.

Definiri ſolet *Mandatum* à Iurisperitis: *Contractus, quo quis officium honeſtum & lege permiſſum gratuito expreſsè, vel tacitè ſuſcipit exequendum.* Sunt autem *Mandata* publica & priuata. *Publica* vocantur propriè præcepta, ſiue edicta Magiſtratuum, quæ quidem ſunt neceſſitatis. Et ſic Iuſtinianus accepit in Authentica de *Mandatis* Principum. *Priuata* dicuntur, quando negocia, in iudicio, vel extra iudicium noſtro nomine conficienda amicè ac bona fide alicui commẽdamus. Mandatur item aliquando alicui iurisdictio, vt litem componat, vel dirimat; aut ſententiam in reum ferat, aut in aliquem inquirat: aut animaduertat. Mandatur alicui lis exercenda, ſi conſtituitur procurator ad lites, & iudicia: adhæc negocium gerendum, adminiſtratio, & ſimilia. In præſenti *Mandatum* accipimus, tum vt præceptum complectitur; tum vt officii commiſſionem & ſuſceptionem.

Priuata.

Mandati interpretatio.

Atque vt inde potiſſimùm incipiamus, à quo *Mandati* anima dependet. Monent rectè Legum humanarũ periti, in *Mandato* interpretando quædam ſpectanda eſſe atque obſeruanda, quæ plurimùm ad rem faciunt. Primvm eſt: Mandati verba ſic intelligi debere, & exponi, vt à voluntate Mandatoris non recedatur. Mandatum datur in hodierno Euangelio: vt ſi offerens munus ad altare, ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relicto munere ante altare, vadas prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeras munus tuum. Multa profectò hic ſunt, quæ interpretationem commodam requirunt, vt ad voluntatẽ Mandatoris peruenias. Nam *primo* dubium eſt, quare dixerit: ſi frater habet aliquid aduerſum te. Sententia enim poſtulare videbatur, vt diceret Chriſtus: & ibi recordatus fueris, quod habes aliquid contra fratrem tuum. Si enim frater meus habet aliquid aduerſum me, id eſt, ſi me odit: non ego illi, ſed ille mihi reconciliari debet. An fortaſſe in hac ſententia eſt viciſſitudo quædam? quaſi dictum ſit: ſi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, & tu aduerſus fratrem. Ita interpretatur Euthymius. An fortaſſe in Mandato illis verbis concepto, tanta continetur, ac præſcribitur perfectio, vt velit Mandator non tantum, cum alios læſimus, ſed etiam cum ab illis læſi ſumus, vt relicto ſacrificio ab eo reconciliationem poſtulemus. Ego ſenſum Mandatoris hunc fuiſſe opinor. Si frater tuus habet aduerſum te iuſtam querelam, quia illum læſeris, prius iniuriæ factæ ſatisfacias, illique reconcilieris, tum verò ſacrificium offeras, & placato fratre, Deum tibi placatum reddas. Ita ferè S. Chryſoſtomus Homilia 17. Auctor imperfecti in Matthæum. Auguſtinus quoque & Hieronymus, ex quibus id confirmat Ioan. Maldonatus, quoniam referuntur iſthæc ad ea, quæ præceſſerant proximè: qui dixerit fratri ſuo racha, fatue: quaſi dicat, ſi recordatus fueris ad aram, quod dixeris racha, aut fatue, relinque munus in altari, ac vade prius reconciliari fratri tuo.

An eundum ad reconciliationem pedibus corporis.

Deinde. Illud non ſatis conſtat: An Mandatori propoſitum ſit imperare, vt ſimili in caſu pedibus corporis ad fratrem nos conferamus, reconciliationem quæſituri. Monet S. Auguſtinus bonus Mandati Interpres, non ita intelligendum, quaſi ſemper ad fratrem proficiſci debeamus. Sanctum quidem id eſſe conſilium, & quando caritas id efflagitat, eſſe quoque præceptum neceſſarium: plerumque tamen affectibus potius, quam pedibus ire debemus. Affectu iniuriam, ſi quam accepimus, condonare debemus, & odium deponere: effectu etiam damno ſi quod accepit ſatisfaciendum eſt. Hoc eſt Mandatum ſub mortali obligans: itio, & iſtiuſmodi

iſtiuſmodi alia ſunt conſilii. Plura ſunt in hoc Mandato, quæ difficultate non carent, ſuo loco & tempore commodius examinanda.

Quando derogetur mandato posteriori

SECVNDVM ad Mandati Interpretationem ſpectans eſt, quod Mandatum poſterius tum deroget priori, cum de eo mentionem fecerit: *Capit. Graue, De officio Iudicis ordinarii*: alias minimè, niſi fortè poſterius, ſit arctioris vinculi, vt ſi prius pertineret ad commodum priuatum, poſterius ad vtilitatem communem. Multa fuêre à Deo in Teſtamenti Veteri mandata, quæ per Mandata Chriſti poſteriora, nequaquam ſublata ſunt iuxta hanc obſeruationem: vt præcepta Moralia, quæ ſuum hodieque vigorem obtinent. Vt enim rectè Leo Pontifex Sermone ſexto de ieiunio decimi: Quæ vtrique Teſtamento erant congrua, nulla ſunt commutatione variata. Hinc ſæpè monet Auguſtinus: iſtorum Præceptorum ratione non diſtingni duplex Teſtamentum. Eorum tamen aliquibus, quæ permiſſionem quandam inuoluebant, derogatum eſt, quia ſingularis eſt facta illorum in poſterioribus mentio. Audiſtis: Quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Oculum pro oculo: dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo,

Lib. de ſpiritu & litt. c. 14. l. 10. in Fauſt. cap. 2. Tr. 3. in Ioan. in Pſal. 73.

Mandatum ſub conditione.

TERTIO: Illud reperio à Iuriſconſulto obſeruari: Mandatum ſub aliqua conditione ac modo datum, duo mandata continere. Verbi cauſſa: Mando tibi, vt ad Kalendas Quinctiles proximè futuras ſoluas Samueli creditori meo mille. Duo hic mandata ſunt: vnum, vt Kalendis Quinctil. proximis ſoluas: Alterum, vt ſi tunc temporis non perſolueris, ſoluas quamprimum. Quod colligitur *ex cap. Cum dilecti: de dolo, & contumacia*: Et ex L. Celſus, ff. *De recep. arbitris.* Idem in multis Dei mandatis locum habet. Quærere ſolent aliqui: An ſi anno ſuperiore ſua peccata confeſſi non fuerint, vi mandati de confeſſione annua, teneantur confiteri quouis die anni præſentis, vbi primum commodè potuerint. Opinor equidem elapſo anno confeſſionis annuæ obligationem manere, & teneri præuaricatorem confiteri quolibet die anni inſequentis. Eſt enim Mandatum ſub modo datum, quod duo continet: Nimirum vt & ſemel in anno fidelis quilibet confiteatur: & vt abſolutè, ac ſimpliciter confiteatur: ac proinde qui in vno anno confeſſi non ſunt, proximè ſequenti quando commodè poſſunt iure coguntur.

Talia erant haud dubie olim mandata in Eccleſia, vt in Paſchate & Pentecoſte Catechumeni Baptiſmum ſuſciperent: id eſt: ne vltra Paſcha vel Pentecoſtẽ differrent. Quod ſi impediti tunc non ſuſciperent: quamprimum commodè poſſent, ad baptiſmum accederẽt. Haud abſimili modo in vetere Hebræorũ republica, qui legitimè impediti primo menſe Paſcha non celebrabãt, ſecundo menſe cogebantur.

Quæ contineat mandatum.

QVARTO: obſeruant Legumperiti, mandatum non ſolùm continere, quæ expreſſa ſunt: ſed etiam quæ Mandato coniuncta: veluti ea, ſine quibus ad Mandatum peruenire non poſſumus: aut ſine quibus mandatum ad effectum perduci non poteſt. Ita Gloſſa *in cap. In cauſſis de Electione.* Vnde Panormitanus ibi contra Hoſtienſem: ſi datur poteſtas eligendi, cenſetur data poteſtas poſtulandi. Sic etiam Gloſſa in cap. 1. De poſt. Prælator. Et cap. *Nulli*; Diſt. 16. Prohibito matrimonio cenſentur vetita ſponſalia. Abbas cap. *In cauſſis*, citato. Prohibita rei venditione, nequit eadem in pignus dari: quia ex pignore facilè venitur ad venditionem pignoris, L. *Quorum.* ff *De Pignoribus.*

Occaſiones quo mandato vetita.

Hinc ſine ambagibus licet colligere: cui prohibetur peccatum, ei vetitas omnes eſſe occaſiones, quibus ad peccatum ducitur. Cui prohibetur quidpiam, quod minus eſt, eidem prohiberi, quod in eodem genere eſt maius. Qui fratrem *racha*, aut fatue appellare non debet: nequam, ſcelus, furiam, Diabolum abſque crimine nominare non poteſt. Et multò minus Magiſtrum ſuum, quem vt Patrem habere deberet, ineptum, aſinum, bubulcum, Scrophipaſcum, Grobianum, Marcolphum, aliiſque magis fœdis compellationibus conſpurcare. Quod vtrum à diſcipulis ſine peccato mortali fiat, confeſſarios conſulite, qui ſi ſint Theologi, quam ſeuere pronunciare debeant: & quibus hæc caſtigare ſuppliciis atque expiare oporteret ignorare non poterunt: Sed hoc modo nos non agimus: quibus illud ſupereſt inferendum. Si mandatum omnia illa continet, ſine quibus ſeruari non poteſt, magnam eſſe ſeriem obligationum, quibus mandatarius, vt diuinis ſatiſfaciat mandatis conſtringitur. Harum

Memoria mandati. *Pſal.102. 17.18.*

Prima eſt, mandati cognitio & memoria: quomodo enim exequetur, quod ignorat? Hinc illa iuſtorum eſt in ſacris benedictio: *Miſericordia Domini ab æterno & vſque in æternum, ſuper timentes eum, & iuſtitia illius in filios filiorum, his, qui ſeruant teſtamentum eius. Et memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.* Hoc tibi ſtudioſe imprimis curandum, mi Adoleſcens, vt Mandatorum diuinorum tibi ſemper obuerſetur memoria: quam excolendam exiſtimo: non rerum turpium notis, de figuris, quibus forte ſcatet: non verborum cantionumque leuium, ac vanarum conſignatione: non illicitis abſtruſorum nominum carminumque barbarorum, aut mollium, quæ magis ſuggerunt, imaginibus, ſed mandatorum omnium, ac ſingulorum, accurata impreſſione.

Mandata quot in Teſtamento veteri. NOTÆ.

NEQVE opus apud nos magna memoriæ arte, quæ Iudæis videri potuit neceſſaria, vt mandata Dei noſtri omnia memori menti imprimantur. Difficile profecto fuit olim in ſynagoga conſtitutis omnia Domini mandata, tum moralia, tum iudicialia, tum ceremonialia memoria complecti: cum habuerit Lex vetus, vt exiſtimant aliqui, & ex diligenti ſupputatione colligitur ſexcenta & tredecim: adfirmantia quidem ducenta, & octodecim: negantia vero, trecenta ſexaginta quinque. Ita ex noſtris auctoribus, Epiſcopus Abulenſis recenſet in caput primum Ruth, quæſtione 24. nec non Pariſienſis Antiſtes, Lib. *de fide & legibus* cap. 1. Galatinus quoque lib. 11. cap. 4. ac Paulus Burgenſis prima parte Scrutinii Diſp. 8. cap. 9. At Rabbi Moſes, vt refert Carthuſianus, Actuum 15. tot numerat, quot ſunt oſſa in homine. Ex Rabbinis etiam dubiorum ductor, vt à libro ſuo appellatur, commemorat adfirmatiua ducenta & octodecim, ſecundum numerum membrorum in humano corpore: negatiua, trecenta ſexaginta quinque, ſecundum numerum dierum anni. Hui! quanta mandatorum farrago. Et tamen ſi credendum Ioſepho, Iudæi adeo vniuerſa Dei mandata legeſque in animo penitus inſculptas habebant, vt melius ea memoriæ, quam nomina ſua propria tenuerint.

Lib. 3. Duct. dub.

Ioſeph. lib. 2. contra Appion.

Praua legis noua mandata. NOTÆ. *Iſa.c.10.22. 23. Rom. 9. 28. Lib. 4. in Marcion. c. 1. cap. 16.*

Multo autem pauciora habemus nos à Deo præſcripta mandata, tot ceremonialibus ac iudicialibus, per libertatis aſſertorem Chriſtum merito antiquatis: vt idcirco *Verbum abbreuiatum dicantur* noui Teſtamenti tabulæ, tum ab Iſaia Propheta, tum à Paulo Apoſtolo: quia veterum mandatorum amplitudinem in pauca Chriſtus contraxit, & Euangelio incluſit. *Sermonem deciſum*, inquit Tertullianus, *faciet Dominus compendiatum. Eſt enim nouum Teſtamentum & legis laciniosis oneribus expeditum. Ipſius erat præceptum, qui illud recte, & præſtruxit & diſtinxit, & ad arbitrium diſciplinæ*

plinæ ſuæ diſpoſuit: & merito in compendio ſubſtrinxit, quoniam & alias reciſum ſermonem facturus in terris Dominus id eſt Chriſtus prædicabatur.

In eandem ſententiam Euſebius, libro ſecundo demonſtrationis Euangelicæ, cap. 40. Ipſe Dominus contrahens & perficiens per totum terrarum orbem Euangelicam prædicationem, perſpicue ſignificans, in quo omni Moſaico ambitu ſublato, qui imaginibus & ſignis & corporalibus adorationibus conſtabat, breuitate præditum Euangelii verbum in omnes homines emiſſum Prophetiæ veritatem comprobauit. Nec aliter Chryſoſtomus, facilitatem indicans memoria comprehendendæ, & opere exequendæ mandata Euangelica facilitatem. Non opus eſt, inquit, longo circuitu ſiue laboris, ſine fatigationis, quæ ex operibus fit legalibus: ſed cum multa breuitate ſalus erit. Tale ſiquidem eſt quiddam fides, quæ breuibus verbis ſalutem complectitur. Et Auguſtinus: Hoc ipſum verbum conſummatum & breuiatum, nec obſcurum Deus eſſe voluit, ne non vacaret legere: ideo apertum ne dicam, non mihi licuit intelligere.

Verbum abbreuiatum

Sermo Euangelicus.

L. de diciplina Chriſtia. c. 1.

Vere abbreuiatus, ac perfectus ſermo Euangelicus, ait Hieronymus, quoniam pro cunctis lacinioſæ legis ceremoniis dedit mandatum breuiſſimum fidei & dilectionis. Quod mandatum vocatur vetus & nouum. Primæ Ioan. 2. *Mandatum vetus eſt verbum, quod audiſtis. Non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus quod habuiſtis, ab initio.* Iterum mandatum nouum ſcribo vobis. Vetus & nouum præceptum eſt caritatis. Vetus, quia in vetere quoque eſt teſtamento datum: quia primis noſtris progenitoribus præſcriptum, quia à natura quodammodo inſitum. Nouum, quia renouatum in lege Euangelica, apertiuſque declaratum, cum deſuetudine ob improbitatem hominum antiquatum videretur. Nouum quoniam vult Chriſtus noua quædam propenſiſſimaque in proximos voluntate illud à fidelibus obſeruari. Nouum etiam Hebræorum phraſi id eſt præſtantiſſimum. Sic canticum nouum Pſal. 95. Nouum item idiotiſmo Hebræo, hoc eſt poſtremum. *Filioli,* aiebat ſuauiſſimus Chriſtus, *adhuc modicum vobiſcum ſum:* tum ſubiungit: *Mandatum nouum do vobis,* quod hoc extremo vitæ fugientis actu, vobis commendo, & peruelim vt ſtæ fixum inhærere memoriæ, breue enim eſt, & ceterorum compendium.

Mandatum vetus & nouum.

in c. 10. Iſa.

1. Ioan. 2. 7.

Deut. 6. 5.

Pſalm. 95. 1.

Ioan. 13. 33.

Quamuis nec alia apud nos ſint multa. Siquidem remotis innumerabilibus & multiplicibus ſacramentis, quibus Iudaicus populus premebatur, per miſericordiam Dei factum eſt, vt breuitate confeſſionis fidei ad ſalutem perueniremus, inquit Auguſtinus. Et eleganter Pacianus, *Donatam,* id eſt, *condonatam,* ait, *in Nouo Teſtamento ſyluam delictorum, & remediorum indulgentiam deſtinatam, quoniam in pauca concluſi ſumus, & neceſſaria, quæ & ſeruare facillimum ſit, & cauere:* vt meritiſſimo Tartarum non reuiſet, qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca ſeruet: Non ſeruabit autem, qui illa non ſciuerit.

Pauca mandata in lege noua.

In c. 9. Epiſt. ad Rom.

Quocirca primam mandatarii obligationem eſſe diximus, vt ſciat, quæ ſibi mandata ſint, ac memoriam habeat mandatorum dilectionis & fidei. Ad hoc obligari quemlibet ratione vtentem apud Theologos nullum eſt dubium. Illud tamen ab iis diſquiritur: Quando incipiat mandatum ſciendi res fidei obligare? Deinde, iſtud etiam diſputant: An ſinguli fidelium lege ac mandato compellantur ad ſciendos omnes fidei articulos. Præterea huius quoque apud illos eſt diſceptatio: An ſinguli Chriſtiani vi mandati diuini debeant ſymbolum Apoſtolorum, aut duodecim, ſiue quatuordecim fidei articulos diſcere, & memoriæ mandare, aut memoria tenere. Neque non controuerſia eſt aliqua: An fidelium ſinguli præ-

Præceptum fidei quando & ad qua obliget ſcienda.

NOTÆ.

ter,

ter articulos fidei, ſcire, addiſcere, & memoriæ tradere debeant, alia doctrinæ Chriſtianę rudimenta, atque principia: Precationem dominicam: Salutationem Angelicam: Decalogi præcepta: Eccleſiæ Mandata: Sacramenta à Chriſto inſtituta, & iſtiuſmodi alia: De quibus dubio procul in Catecheticis inſtructi eſtis, nec noſtri eſt inſtituti hic ſingula enodare. Sat eſt dicere, obligationem ex contractu Mandati oriri, vt Mandatarius ſciat, memoriaque teneat, quæ debet exequi.

Lectio mandatorum. Quoniam autem memoriæ, id quod ediſcendum eſt, non traditur, niſi legatur, vel audiatur, poſtquam audiuit, quia fides ex auditu, legere oportet Mandatarium, quæ ipſi à Mandatore DEO committuntur. Cum Deus Ioſue quem poſt Moſis mortem, populi ducem eſſe volebat, varia mandata præſcripturus eſſet, ad legem ſtudioſiſſime ſeruandam hortatus eſt, in qua Mandatorum medulla continebatur. *Ioſue. 1. 8.* Legi autem complendæ oportunum ſuggeſſit remedium. *Non recedat volumen legis* *Prouerb. 3. 21.* *huius ab ore tuo:* Ioſue 1. capite. Adiunxit ſapiens in eadem re oculos. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis, Prouerb. 3. quid eſt, non recedat volumen legis ab oculis & ore? Nimirum: os oculoſque nunquam à mandatis diuinis legendis, perlegendiſque auerte.

Nam per volumen, non mẽbrana, aut papyrus, & attramentum accipienda ſunt, ſed in iis perſcripta, mandata, quæ ſemper perlegenda ſunt: id eſt, quam frequentiſſime: & ſemper, quando oportet, ac decet, vſitata ſacræ ſcripturæ formula, Semper eadem in ore habenda ſunt, vt nihil loquamur, quod mandatis Dei non ſit conſentaneum.

Reg. comm. ſociet. 48. NOTÆ. Sic in Religionis noſtræ conſtitutionibus lege ſancitum reperio, vt quilibet & communes omnibus & officii ſui regulas habeat, atque intelligat, ſibique faciat familiares, & earum memoriam menſibus ſingulis iis legendis, vel audiendis renouet. Facile namque excidit, quod lectione repetita memoriæ non commendatur: vel auditione ſaltem. Ad quam quomodo rudes teneantur, vt Mandata diuina ſiue in concionibus, ſiue catecheſibus, ſiue aliis modis percipiant, ſuo tempore copioſius docebimus.

Lectioni ſacræ dediti. Conſtantinus. Euſeb. L. 1. de vita. cap. 26. Obligationi huic ſatisfecerunt non è plebe tantum vilia capita: Sed ſummi Reges, ac Imperatores, ne quis ſibi deeſſe tempus cauſſetur ad mandata Dei peruoluenda, quod in tot occupationibus mundi Monachis non defuit. Inter quos meritiſſimo primas habet Conſtantinus Magnus, qui, vt eſt apud Euſebium omni cura & cogitatione poſtquam Chriſtianorum ſacris initiari decreuiſſet in lectitandis, verſandiſque mandatis Dominicis incubuit. Id profecto ſatis patuit in concilio Niceno vbi doctiſſimam, præter cetera eius rei documenta, orationem habuit. Hinc illa Porphyrii Poëtæ in commendationem tanti Cæſaris. Inter belli paciſque virtutes, triumphos & laureas, legum ſanctiones & iura, etiam Muſis tibi familiaribus adeo vacas, vt inter tot diuinæ Maieſtatis inſignia, quibus inuictus ſemper imprimis es, huius etiam ſtudii in te micet ſplendor egregius.

Alexius Comnenus. De Imperatore Alexio Comneno ſcribit qui illum diſputantem bis audiuit Euthymius Zigabenus initio ſuæ panopliæ. Eum cum varias hæreſes ſuo in imperio graſſari animaduerteret, inſignem litteris ſacris nauaſſe operam. Cum à publicis, inquit, grauiſſimiſque Reipub. muneribus, & curis ſupereſſet aliquid temporis, id omne in ſcripturarum diuinarum voluminibus accurate perlegendis conſumebat.

Idem

Luſitaniæ principes. Oſor. L. 6.

Idem factitaſſe Luſitaniæ Principes diſertiſſimus eius gentis ſcriptor Oſorius Lib. De inſtitut. Regis ſcribit: Nunquam, inquit, ſatis laudare potero multos Luſitaniæ Principes, qui temporibus illis incultis, in quibus omnia præclara ſtudia ſepulta eſſe videbantur, multum tamen legebant: quod illorum conciones, quas in annales translatas legimus plenæ Philoſophorum ſententiis facile declarant. In litteris autem ſacris ſummo ſtudio verſabantur: ita vt ſi quid ab illis Latine ſcribendum eſſet, eodem plane ſtylo ſcriberent. Veluti,

Alphonſus primus Luſitaniæ Rex.

Rex Alphonſus primus Regni huius conditor. Is cum Scalabim vrbem ſitu & arte munitiſſimam, & militum multitudine, & vigilum diligentia, & præfectorum vigilantia defenſam, centum & viginti tantum ſtipatus hominibus fortiſſimis nocte vna cæpiſſet: & vrbis ſitum, & expugnationem illam non incommode litteris Latinis complexus eſt: ita tamen, vt appareret illum ex ſanctis litteris non viuendi tantum diſciplinam, ſed dicendi etiam ſtylum & rationem percepiſſe.

Alphonſus Rex Aragonum. Panor. lib. 2. vita.

In ſtuporem me rapit, nec fidem mereretur nisi à fide digno hiſtorico perſcriptum eſſet, quod de alio Alphonſo Aragonum Rege narrat Panormitanus: eum quater ac decies, cum gloſſis, ac commentariis ſacra Biblia perlegiſſe: tantopere illi curæ erat mandatorum diuinorum peruolutatio.

Eandem curam iniiciendam putauit haud contemnendus monitor Fernandus Carthaginienſis illuſtri rei bellicæ Duci: cui ſuadet vt lectionis ſtudium, quamuis vndique occupationibus irruentibus, vigore deſiderii ſpiritualis remota tepiditate feruescat. Sed quia quibuſdam lectioni non eſt ſatis prouiſum, niſi addant ſcriptionem: ita Deo cordi eſt, vt mandata audita aut lecta animo imprimantur, vt aliquibus etiam ſcriptionem eum in finem imperarit.

Deſcriptio mandatorum.

Sit itaque tertia ordine mandatarii obligatio, vt mandata ipſe deſcribat: ſi alio modo memoriæ fugacis imbecillitati non poſſit conſulere. Sic Deuteronomii 17. 18. Deus Regibus præcipit: Poſtquam ſederit (Rex) in ſolio regni, deſcribat ſibi Deuteronomium Legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus: & habebit ſecum: legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ: vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verbum, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt, ne eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos: neque declinet in partem dextram vel ſiniſtram, vt longe tempore regnet ipſe & filius eius ſuper Iſraël.

Rex propria manu deſcribit Deuteronomium.

Deſcribat ſibi Deuteronomium, inquit Deus, propria nimirum manu, vt Docti exiſtimant, tum quoniam id contextui eſt magis conſentaneum: tum quia magis cum fine mandati à Deo præſcripti congruit, nempe cum perpetua illius memoria: certe, quæ ſcribimus ipſi, multo firmius ac tenacius memoriæ infigimus, quam quæ tantum legimus. Quoniam vt recte Ambroſius alicubi ſcribit. Non ſolum auribus, ſed etiam oculis ea ponderamus, quæ ſcribimus. Adde & in amoribus nobis eſſe ea, quæ manu ipſi exaramus. Quocirca Aloyſius Gonzaga adoleſcens ſanctiſſimus, vt ſe amore rerum maxime cararum priuaret ante ſupremum diem ſcripta ſua Collegii Rectori obtulit.

Ambro. Epiſt. 45.

Alliciunt etiam quæ ipſi ſcripſimus, vt frequentius ea peruoluamus. Idcirco quamuis amanuenſibus vti potuerint Reges Iudæorum, vt exiſtimant aliqui: quia quæ per alios facimus, facere ipſi dicimur, vt eſt in regula iuris: nimirum in iis, quæ ad exteriorem operam, non autem ad mores proprios ſpectant: tamen pios aliquos reges ſua ipſorum manu diuinam legem deſcripſiſſe eſt credibile. Quid, quod

Chriſtianorum fuerint aliqui, quos tamen Lex illa non adſtringebat, qui id præſtarunt. In Hiſtoria Anglorum reperio, Alfredum omnes Teſtamenti noui libros bis omnino exſcripſiſſe.

Carolus Magnus. Simile quid in Carolo Magno mandatorum diuinorum ſtudioſiſſimo obſeruatore admireris. Hunc Theganus Treuirenſis Chorepiſcopus, qui Imperatoris Ludouici res in vita geſtas commentario eſt complexus, ſcribit, Coronato filio Ludouico, nihil aliud cæpiſſe agere, quam orationibus, & eleemoſynis vacare, ac libros corrigere. Siquidem quattuor Euangelia Chriſti, ait, qui intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, in vltimo ante obitus ſui diem, cum Græcis & *Tom. 9. An. 778.* Syris optime correxit. Admirandus exclamat Cæſar Baronius. Plane miraculum videri potuit, ſeculo rudi inueniri regem adeo excultum litteris ſacris, & in procinctu ſemper poſitum principem, velut ociosum de rebus diuinis Philoſophantem, vt plane, quem Magnum titulo merito dicunt, ipſe iure te maximum appellauerim: nempe, bellica fortitudine, ſcientia & pietate.

S. Stephanus Vngariæ Rex. An non talis etiam Hungarici Regni ſidus Stephanus Rex, qui adoleſcens, mira ſacrarum litterarum cupiditate flagrabat, vti de eo narrat Chartuitius Epiſcopus? Non ſufficit tamen lectio, ſed nec ſcriptio ad mandatorum diuinorum obſeruationem exactam, niſi accedat

Meditatio mandatorum. Pſal. 118, 143. MEDITATIO: ad quam ex vi contractus obligatur quartò Mandatarius: cuius eſſe debet illud diligentiſſimi Mandatarii: *Mandata tua meditatio mea eſt.* Pſalm. 118. Hoc item præſcriptum à DEO Duci Ioſuæ: *Non recedat volumen Legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Ioſue 1. 8. Optima meditandi materia ſunt Mandata Domini, quæ nunquam ſine fructu animo voluuntur. Dici vix poteſt, quos fructus in homine gignat accurata, & adfectibus plena de mandatis diuinis meditatio. Hæc enim non ſinit illorum obrepere obliuionem: animum ad agendum excitat: membris ipſis corporis ad exequendum vigorem indit. Verè dictum: *πάντα μελετῇ [illegible]*: *Omnia poteſt meditatio.* Laudat Plutarchus Philopæmenen, quod in ipſis etiam itineribus de prælijs aliisque ad rem bellicam pertinentibus perpetuo cogitaret. Inde autem factum ſcribit vt ſummam rei militaris peritiam ſit conſecutus, & maximas victorias obtinuerit. Quid igitur non poſſit, quid non faciat, cui Domini Lex meditatio eſt? Et *Pſal. 1.* quidem nocte ac die: hoc enim iuſto tribuit Pſalmiſta: *In lege eius, Domini meditabitur die ac nocte.*

Quid ſit meditari die ac nocte. Sed qui fieri poteſt, vt noctem quis diei meditando iungat? Ad litteram id fieri debere & poſſe putabat Rabbi Iſmael, vt habetur in Thalmud Babylonico, Tractatu Menachoth. Cum enim à ſororis filio rogatus, liceretne ſibi Græcorum: hoc eſt, Gentilium ſcripta legere, poſtquam Moſis legem percepiſſet: reſpondit: eam ſolum horam, aliis, quam legi diuinæ libris impendere fas eſſe quæ nec ad diem pertineret, nec noctem. Sed hoc Rabinicum eſt: illud Chriſtianum: noctes ac dies meditari in lege Domini, qui, quam poteſt, frequentiſſimè noctu & interdiu meditationi incumbit: qui ſtatis horis hoc ſtudium ſuſcipit, vt ait S. Thomas: qui nihil non ex legis agit præſcripto, etiam cum dormit, vt docet Euſebius in catena, Hilarius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus. Qui, vt inquit Baſilius, Regula *Regul. breu. 306. Pſal. 15. 8. Pſal. 24. 15.* 306. non inuenit ſpacium quoad futiles cogitationes poſſit aberrare: prouidens Dominum ſemper in conſpectu ſuo: vt eſt Pſalmo 15 habens oculos ad illum vt eſt in Pſalmo 24. Qui, vt idem exponit, totam non indulget ſomno noctem: ſed

partem

partem inſumit in attenta rerum neceſſariarum cogitatione. Qui, vt Euſebius, Au- [*Bernard. Ser.*
guſtinus, Remigius, Thomas Titelmannus interpretantur, neque in proſperis, ne- [*35. ex paruis.*
que in aduerſis recedit à lege. Qui, vt Bernardus commentatur vacat vtrique vitæ, [*Rom. 13. 12.*
contemplatiuæ, & actiuæ. Qui, vt Iacobus de Valentia explicat, Veteri ac Nouo [*Auguſtin.*
ſtudet Teſtamento: Nox præcedens, Vetus eſt: Nouum, dies appropinquans: ad [*epiſt. 3.*
quod nec noctium, nec dierum ſufficiunt Auguſtino teſte continua opera. Qui [*Deut. 6. 6. 7. 8.*
non tantum ſtans & ambulans, ſed & cubans id facit, vt ſignificauit Deus in Deu- [*Cap. 11. 18. 19. 20.*
teronomio & Ioſue. [*Cap. 17.*

Denique opportunum tempus meditationi diuinorum mandatorum dandum [*Ioſue. 9. 8.*
eſt cuilibet mandatario. Quod facere cenſetur, qui dies feſtos huic rei impendit: &
qui nunquam tantis ſe curis ac cogitationum turbis ſe diſtrahi patitur, vt non quo-
tidiè aliquid temporis diuinæ contemplationi ſeponat. Aptiſſimum autem ad il-
lud, tempus eſſe cenſet S. Chryſoſtomus nocturnũ, ob quietem, ſilẽtium tenebras,
quæ mirum in modũ meditationẽ iuuant. Certe media nocte ſurgebat Rex Dauid, [*Pſal. 118. 62.*
ad confitendum nomini Domini. Sed quoniam non omnibus eadem eſt facilitas
ſomnum diſcutiendi adoleſcentioribus maxime, proximum nocturno, nec minus
fortaſſe, idoneum eſt matutinum: In matutinis, canebat idem Pſaltes, meditabor [*Pſal. 62.*
in te. Neque verò alienum, eſſe veſpertinum, oſtendit Iſaac qui egreſſus legitur ad [*Gen. 24. 63.*
meditandum inclinata iam die. Quod etiamſi Antonius Nebriſſenſis de aratione [*In quinquage.*
contendat debere intelligi: tamen de mentis agitatione propriè accipiendúm eſſe [*cap. 28.*
cum Lyrano ſummi viri opinantur.

Exigit igitur Mandator noſter Meditationem ſuorum mandatorum, & eam [*Meditatio*
continuam, ſine faſtidio, ſatietate, ſocordia: nocte dieque: & quid exigit ſupra, vires [*continua.*
humanas? Nimirum homullus ille dicere potuit illi, quã deperibat. Dies noctesq; [*Amans Thaeod.*
ames me: me deſideres: me ſomnies: me expectes: de me cogites: me ſperes: me [*Teren. in Eu-*
te oblectes: mecum tota ſis: meus fac ſis poſtremo animus: quãdo ego ſum tuus. [*nu. Act. 1.*
Et dicere non poterit Deus diliges Deum tuum ex corde toto tuo, & ex tota ani- [*Scen. 2.*
ma tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi ho- [*Deut. 6. 5. 6.*
die in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & Meditaberis in eis ſedens in domo tua,
& ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens.

Hæc eſt illa, de qua gloriabatur idem antea laudatus vates, & ad mandatarii ob- [*Exercitatio*
ligationem pertinet, *Exercitatio. Ego autem exercebar in mandatis tuis.* Pſal. 118. *Seruus* [*in mandatis.*
tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis Iterum: *In mandatis tuis exercebor*. Sicut enim de- [*Pſal. 118. 79. Verſ. 23.*
ambulare, ſcribit S. Loyola, iter facere, & currere, exercitia ſunt ſeu exercitationes [*Verſ. 15.*
corporales: ita quoq; mandatorum diuinorũ meditatione, præparare, & diſpone- [*Lib. Exercit.*
re animum ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas: & iis ſublatis ad quæ- [*Annot. 1.*
rendã, & inueniendam voluntatẽ Dei circa vitæ inſtitutionẽ vocantur exercitia ſeu
exercitationes ſpirituales An de his intelligendum quod de Iſaaco ſcribitur in Ge-
neſi, *Egreſſus Iſaac ἀδολεσχῆσαι: exerceri* in agro? Noſter legit, *ad meditandum*. Chal- [עילעוה
dæum verbum ſignificat, *orare*: Hebræum, vt Hieronymus exponit, *loqui in oratione*: [*Pſilah.* שוח
ſcilicet, ſubmiſſè quaſi muſſitando, quod propriè meditantiũ. Optima exercitatio eſt [*Suach.*
meditatio. Falſes exercitationes, & non tantum, quę venatu, piſcatu, ſaltu, pugillatu
ſuſcipiuntur, adoleſcentibus ſtudioſis, & magnis etiã Principibus, ac Regibus Da-
uidis exemplo aſſumendæ eſſent. Quem vt in aliis multis, ſic in hoc etiam, expreſſit
penè ad viuum immortalis memorię Princeps Philippus II. Hiſpaniarum, & India- [*Petr. Mat.*
rum Rex Catholicus, de quo Petrus Matthæus Hiſtoricus Gallus lib. 1. Hiſtoriæ [*pag. 64.*

Pacis Franeicæ: Illius exercitationes erant vel in Bibliorum lectione, per quam loquitur Deus hominibus, vel in precibus, per quas Deo loquuntur homines.

Scrutatio EXERCITATIONI huic adhæret *ſcrutatio* : quæ mandatariis frequens eſſe de-
mandatorum. bet, vt illud haud mendaciter vſurpent : *Scrutator mandata Dei mei.* Pſal. CXVIII.
Verſ. 115.
Scruta quid. *Scrutamini ſcripturas* aiebat Chriſtus Dominus, Ioannis V. Et, beati qui ſcrutantur
Cœlius Rho- teſtimonia eius. Noſtis, quid ſcruta denotent? veteramenta omnifaria: detritas
dig. lib. 10. veſtes: dimidiatas ſtrigiles, iumentorum ſoleas: refixos clauos, & ſimilia; quæ cum
Antiq. cap. 6. confuſe in vnum conie cta cumulum exponantur, non niſi longa moleſtiſſimaque inueſtigatione ac diſcretione, & extricatione in ordinem aliquem redigi poſſunt: aut vnum ab altero ſeparari. Hinc *ſcrutari mandata*, eſt diligentiſſime inquirere, inueſtigare, ſigillatim pertractare, ac ſi ſcrutariam faceres.

Exquiſitio. Quare *ſcrutatio* idem videtur, quod *exquiſitio*, ſed perquam ſeria & accurata, de
Pſal. 118. 45. qua Pſalmiſta, *Mandata tua exquiſiui.* Ponant mandatarii in Deo ſpem ſuam, & non
Pſal. 77. 7. obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

Loquutio. Ex his ſequitur locutio, ſermocinatio, diſputatio, non de rebus inhoneſtis, ludicris, vanis: non de tribus capellis: ſed de Mandatis Dei. Lingua loquitur, quod cor ſcrutatur, & exquirit. Meditatio ſi ſit acris, & ſeria, vehementiorem animi affectum modumque excitat, qui deinde corpus commouet, membra impellit, & linguam maximè, in verba propellit. Hinc quorundam in ſolitudine non gemitus tantum, & ſuſpiria: ſed voces etiam articulatæ, & ſermones, non cum alio: ſed ſe-
S. Aug. l. 1. cum. Quod de ſe teſtatur Auguſtinus in Confeſſionum libris: De Philoſophan-
conf. tibus Lucianus. Quam ob cauſam in ſacra ſcriptura dicitur interdum meditari os, & lingua. *Os iuſti meditabitur ſapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.* Pſal. 36. 30.
Pſal. 36. 30. *Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam: tota die laudem tuam.* Pſal. 34. 28. *lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam.* Pſal. 70. 24. Significat autem impetum vehementem, qui geſtu ipſo corporis declaretur, & ore potiſſimum verba profundente. Loquebar de Teſtimoniis tuis inquit Rex Dauid, & non confundebar: quæ cauſſa? & meditabar: id eſt, quia meditabar in mandatis tuis. Et quia mandata tua meditatio mea eſt. De Impetatore Comneno ſcribit Euthymius, eum de lectis ex diuerſis voluminibus ſolitum fuiſſe conferre cum viris Doctis & eximiis, coluiſſeque ſermones probatos, quorum ingenti amore animus eius ardebat. Huc ſpectat, qui
Pſal. 118. 73. mandatariis commendandus eſt diſcendi ardor: *Da mihi intellectum, vt diſcam man-*
131. *data tua.* Deſiderium: *Mandata tua deſiderabam.* Electio: *Mandata tua elegi.* Concu-
173. piſcentia: *Ecce concupiui mandata tua.* Dilectio: *Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi.*
40.
47. *Leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.* Fiducia: *Mandatis tuis credidi.* Æſtimatio:
48. *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Denique, perpetua recordatio: *Man-*
66. *data tua non ſum oblitus.*
127. Sed nondum ſatisfactum Mandatarii officio. Finis enim ad quem diuinorum
176.
Obſeruatio mandatorum memoria, lectio, ſcriptio, meditatio, exercitatio, perſcrutatio, exqui-
mandatorum. ſitio, & quæ eo referuntur, alia dirigi debent, eſt, vt exactè ſeruentur: vt ſecundum ea, tanquam normam certamque regulam viuatur: vt ad illorum amuſſim diligenter facta, dicta, cogitata omnia componantur. Non minus vere, quam ſcite à Rabinis in Tractatu Sanedrim dictum eſt. Qui ſacras litteras, Codicem Mandatorum Dei, legit, neque quod legit ad actionem confert, ſimilis eſt ei, qui crebro ſeminat, metit nunquam. Item mulieri, quæ parit ſæpe, ſed natos illico ſepelit. Demum, Canto-

Digitized by Google

Cantori, qui totum diem canit, neque poſtea quicquam habet. Magis ſcitam *Matt.7.24.*
comparationem inſtituit Chriſtus Dominus Matthæi 7. 24. Omnis, qui audit
verba mea hæc, & facit ea, adſimilabitur vno ſapienti, qui ædificat domum ſuam
ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro
ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſuper arenam. Aliam ſimilitudinem ſuggerit *Iacobi.1.22.*
Iacobus Apoſtolus dignam cum monitione ſeria. Eſtote factores verbi & non auditores tantum fallentes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor,
hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe & abiit: & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Itaque non eſt ſatis meditari,
mente recolere, magni facere ac deprædicare mandata Domini, ſed reipſa præſtare
oportet, quæ continent ac præcipiunt. Non auditores legis iuſti ſunt, inquit Paulus *Rom.2.13.*
apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Optime veridicus Dauid de iuſtis: *Pſal.102.18.*
Memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.

ORDINE igitur *Quinta*, ſed præcipua Mandatarii obligatio, eſt *Executio eorum,* *Exequutio*
quæ mandatis continentur. Quia autem executio ſummi momenti eſt, ac varia *mandatorum.*
complectitur, diuerſiſque modis poteſt fieri, pro mandatorum multiplicitate, variis nominibus ac verbis in ſacris paginis ſolet exprimi:

Interdum *cuſtodiendi* voce. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, Pſal. 118. Huius *Cuſtodire mandata.*
præcepti memor mandatarius reſpondet: *Paratus ſum & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua*: Pſal. 118. Et gloriatur: *Particeps ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*: Dum vacillat pes eius in lubrico, proteſtatur: *Clamaui ad te, ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua.* *Verſ.4. v.60. v.63. v.146.*

Geminum eſt huic verbum *ſeruandi*. Itaque & hac formula vtitur mandatarius: *Seruare mandata.*
Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua. Et hanc eſſe notam fidelis mandatarii fatetur *Pſalmo.118.*
Ioannes Apoſtolus. *In hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruemus.*
Primæ Ioannis ſecundo capite, Græcum τηρεῖν, vertit Interpres in eadem Epiſtola *Cap 2.4.*
cuſtodire: dum mandatarium falſum & hypocritam deſcribit: *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Verum, ſiue ſit ſimplex, vocabulum ſeruare, ſiue
conſeruare, ſiue cuſtodire, denotant ſingula ſedulum ſtudium, quale illorum eſſe
ſolet, qui gemmam ſibi percaram, theſaurum, arcem, ciuitatem, vel quiduis aliud
vitæ neceſſarium, vel maxime commodum, aut precioſum ſeruatum volunt. Sic
iubemur cuſtodire verbum Dei, ſi boni mandatarii eſſe volumus, vt Maria virgo
quæ conſeruabat omnia verba Mandatoris in corde ſuo, non tantum aure hauriens, nec perpendens ſolum: Sed voluntate venerans atque exoſculans. *Luc. 2. 51.*

Notant egregiam Paronomaſiam ſacri Interpretes, qua in hac re vtitur auctor *Mandata cuſtodiunt.*
Eccleſiaſticus cap. 15. præmio alliciens mandatarium ad muneris ſui executionem
ſedulam: Si *volueris* inquit, *mandata ſeruare, conſeruabunt te.* Suppleuit prudenter ſenſum vulgatus Interpres: Græce enim ſolummodo eſt ἐὰν θέλῃς συντηρήσεις ἐν τολμαῖς: *Ecc.15.13.*
Si volueris, conſeruabis mandata. Mandatarii ſunt cuſtodes mandatorum: ſed viciſſim
mandatariorum cuſtodes ſunt mandata. Non σωματοφύλακες, qui olim in precio
erant: ſed animæ cuſtodes aduerſus hoſtes externos ac internos.

Quemadmodum & regem cuſtodiunt magis miſericordia & veritas, quam ſatellites, ſic roboratur clementia thronus eius, magis quam ſtipatoribus ſclopetariis.
Nec indignum tua perſona putes titulum mandatarii mandata ſeruantis: nam gloriatur Chriſtus vnde tu Chriſtianus Patris ſermonem ſe ſeruaſſe. *Prouerb.20.28.*

Eodem collimat *abſcondendi* vocula abſcondimus, quæ in precio habemus: quæ *Abſcondere*
 nolle- *mandata.*

nollemus perdere, quæ maximè in tuto eſſe cupimus. Itaque monet ſapiens, ab-
Prouerb.2.1. ſcondenda eſſe fideli Mandatario Dei mandata Prouerbiorum ſecundo: *Fili, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te.* quem inde fructum capiam? *Tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies*: hoc eſt, veram ſapientiam, & honeſtatem adquires. Sed prius abſcondenda ſunt mandata: Vbi quæſo? *penes*
Qui·inus Salazer. *te.* Sunt aliqua preciosiſſima, inquit inſignis Interpres, quæ nec ipſi quidem arcæ fidimus, atque adeo nobis cum geſtamus, vt ea ratione melius, ac ſecurius aſſeruentur. In hunc ergo modum mandata Dominica conſeruanda dicit ſapiens: nimirum, in imo peccatoris penetrali, non in chartis tantum: non vt faciebant Hebræi, in thephillim, ſeu phylacteriis, aut membranulis & codicillis, quibus
Matt.23.5. ibique S.Hier. Chryſ. mandatorum decas in ſcripto dependebat de fronte, de quibus Matthæus Euangeliſta cap.23. ſed multo magis in mentis adytis.

S. Max. in loco ſerm.17. Valet hic, quod refert D. Maximus Euripidem Philoſophum dixiſſe adoleſcenti, quem magnam librorum copiam mercari videbat: *Non arcæ, mi adoleſcens, ſed pectori*: Dum diſputat de Theſauro abſcondito, Euſebius Emiſſenus: *Hunc*, ait, *Theſaurum ille, abſcondit, qui mente retinet, corde diligit, & eius nunquam obliuiſcitur.* Illud enim abſcondimus, quod carum habemus, *& amittere timemus.* Quibus inſinuat tria in homine arcana loca, in quibus Mandata Domini abſcondenda, intellectum, voluntatem, memoriam. In his recondere præcipit Salomon mandata, dum dicit: *Si mandata mea abſconderis penes te.* Id eſt, ſi mente conceperis, ſi voluntate proſecutus fueris, ſi memoria aſſidua recolueris: Denique, manus etiam operi admoueris.

Facere mandata. QVOD verbo *Faciendi* in hac materia frequenter ſignificatur. Ioſue primo: *Confortare, & eſto robuſtus valdè, vt cuſtodias, & facias omnem legem*: Vbi duo diſtinguuntur, φυλάττεσθαι, καὶ ποιεῖν: *cuſtodire, ac facere.* Quæ Andreas Maſius eadem ferè eſſe dicit: ita vt in priori, poſterius includatur: Rabbini tamen diſcrimen adſignant: quod *cuſtodire* ſit à vetitis cauere: *facere* autem, ſit agere, & operam ſuam præſtare: vt prius mandata negatiua; poſterius, adfirmatiua reſpiciat. Ibidem ad Ioſue Mandator Deus: *Meditaberis in ea diebus ac noctibus, vt cuſtodias ac facias omnia, quæ ſcripta ſunt in ea.* Hic mandatorum eſt finis.

Ambulare in mandatis. Qui non rarò *Ambulandi* Metaphora declaratur. Ita officium Mandatarii explicat Ioannes Apoſtolus ſecunda ſua Epiſtola: *Hæc eſt caritas, vt ambulemus ſecun-*
2.Ioann.6. *dum Mandata eius. Hoc eſt enim Mandatum*: nempe, hæc eſt lex Mandatoris, hoc Mandatarii officium, *vt quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis*, ἐν αὐτῇ τῇ ἐντολῇ, vbi obſeruat Didymus, *ambulare in* Dei *mandato*, & illud *cuſtodire* idem eſſe: ambulationis vocem tamen indicare prouectum, profectumque. Subiungit,
Geneſis 2.15. Adamum ſecundum quoddam huius rei ænigma poſitum fuiſſe in Paradiſo vt operaretur, & cuſtodiret eum, vt eſt Geneſis ſecundo: quo loco verbo, *operaretur*, inquit, effectus prouectio ſignificatur: per *cuſtodiam* perfectionis ipſius ſtatus, atque Conſtantia. At quomodo ambulandum Mandatario? Ad exemplum Chriſti,
1.Ioan.2.6. qui præiuit: *Qui dicit ſe in ipſo manere*, intonat Ioannes, *debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe*
Proſper.l.2.de vita contemp. cap.21. *ambulare. Quid eſt, ambulare*, ſicut ille ambulauit? inquit Proſper, niſi contemnere omnia Proſpera, quæ contempſit: non timere aduerſa, quæ pertulit: libenter facere quæ fecit: docere, quæ docuit: ſperare quæ promiſit: & ſequi quo ipſe præceſſit.

Chriſtus præit in via mandatorum. Nimirum, Chriſtus ambulauit viam Mandatorum Dei: primus ipſe ſuis illam ſignauit veſtigiis: in ea quicquid aſperum complanauit, Ille igitur ſequendus. In-

geniosa

genioſa eſt illa Ruperti Abbatis obſeruatio in Teſtamento Veteri cum nondum Dominus ad nos veniſſet, dictos eſſe iuſtos ambulare tanquam præcurſores & prodromos, ac anteambulones: in Nouo, quia iam venit, iuſtos dici, ſequi. Ad quod inuitat ipſe, *Venite poſt me*, Matth. 4. *Sequere me*. Matth. 9. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur* Ioan. 12. Hæc autem *ambulatio*, non fit paſſibus corporis, ſed mentis. Siquidem his ambulamus cum Deo, coram Deo, poſt Deum: in lumine, lege, iuſtificationibus, cum ei placere ſtudemus, & mandata illius exequi. Ambulamus iiſdem ſecundum Spiritum, quia ductum eius ſequimur: ambulamus in viis Domini, qui illi obtemperamus. *Matth. 4. 19.* *Matth. 9. 9.* *Ioan. 12. 26.*

Porro: quemadmodum, qui Mandatum ſuſcipit, officium deſerere non poteſt: *L. ſi quis alicui*, §. *Qui ſuſcepit*. ff. *Mandati*. niſi iuſtis de cauſſis ab officio recedat. Ita qui ſemel in via Mandatorum Domini, ambulare inceperit, nunquam poteſt deſiſtere, niſi violati Mandati reus agi velit, cum nunquam hic iuſta ceſſandi cauſſa dari poſſit, quæ interdum ad humana mandata deſerenda ſufficit: vt capitales inimicitiæ inter Mandatarium ac Mandatorem: abſentia Reipub. cauſſa: ingreſſus religionis, & iſtiuſmodi alia. Vna tantum mors eſt Mandatarii, quæ illum ab exequendis mandatis, & ab ambulando vlterius eximit: non eximit tamen ab omnibus, ſed aliquibus ſolum: manet enim Mandatum magnum dilectionis in omnem æternitatem duraturum. *A mandato an liceat recedere.* *ff. Mandati.*

Quia verò tarda molimina neſcit Spir. S gratia, feſtinatio ambulantis & promptitudo ſignificatur *currendi* vocabulo. *Viam mandatorum tuorum cucurri*, fidenter aiebat toties laudatus Mandatarius, *cum dilataſti cor meum*. Pſal. 118. *Currere in via mandatorum.* *Pſal. 118. 32.*

Et quia arctiſſima eſt Mandatarii obligatio, vt ad voluntatem Mandatoris omnia exequatur, frequens eſt illa in litteris diuinis admonitio, ne quis tantum ſibi auctoritatis arrogare audeat, vt in Mandatorum via declinet ad dexteram vel ſiniſtram. Quod ita è Rabbinis haud ignobilis apud ſuos Magiſter, exponebat, vt diceret ad dextram eos declinare, qui de ſuo quidpiam Mandatis Diuinis addunt, ad ſiniſtram, qui detrahunt. Nimis anguſta interpretatio laxa eſt iſthæc parœmia; & ſignificat vniuerſe ita in via Mandatorum ambulandum, vt à recta ſemita in nullam partem deflectat Mandatarius. Hoc illorum eſt qui palantes oberrant, rectam non tenere lineam, aberrare ab orbita. *Non declinandum ad dexteram vel ſiniſtram.* *Ralbach.*

veluti ſyluis vbi paßim
Palantes error certo de tramite pellit.

Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit. Tam dextra, quam ſiniſtra in vitium abducit: & reprehenſioni ſunt obnoxia, quando virtuti mediæ opponuntur. Itaq; nunquam à recta mandatorum ſemita eſt deflectendum ad alterutrũ latus: ſiue id contingat ob aliquid, quod vtile, iucundum, imò & honeſtum videtur: ſiue ob aliud, quod detrimento ſum, ac incommodum: ſiue ob voluptatem; ſiue ob dolorem: ſiue ob opes, ſiue inopiam: horum n. ac ſimilium dextera ac ſiniſtra ſunt ſymbola. Via Mandatorum Dei eſt regia, directa & maximè cõpendioſa: quare ſi ab ea deflectas, in obliquum ilicò vergis, non ſine diſcrimine. Quemadmodum apud Geometras dum à duobus præſcriptis punctis minimum aſcendit, vel deſcendit linea.

Huc facit, quod quærunt Iuriſconſulti. An ſi Mandatarius exceſſerit Mandati fines, quod eſt, declinare ad dextram vel ſiniſtram, ratum ſit, ac firmum, quod facit? Reſpondent vnanimi conſenſu: minimè. Quoniam is qui Mandati fines egreditur, aliud agere videtur *L. Diligenter*. Digeſt. *Mandati*. Et hoc locum habet, *Excedere fines mandati.*

non

tur ex habitudine ad obiectum materiale ac formale, vt contritio dici poſſit, peccatorum quotquot ſunt, grauiſſimorum remiſſionem obtinere. Eſt tamen vtiliſſimum, eniti, vt dolor & contritio non ſolum appretiatiue, verum etiam intenſiue ſit ſumma: quia quo maior, eo Deo eſt gratior, ac plus meretur. Poteſt quoque facile euenire vt homo ſeipſe fallat, & dum ſe ad acrem intenſamque contritionem excitare non ſatagit, nec appretiatiue quidem peccata, plus, quam alia incommoda, quod omnino neceſſarium eſt, deteſtetur.

Conditio appoſita mandato ſeruanda.

Ceterum, quando in mandato certa conditio apponitur, cum illa neceſſario negotium gerendum eſt, vt mandato ſatisfeciſſe dicamur. Mando tibi, verbi gratia: vt non niſi menſe elapſo, rem traditam vendas: citius id tibi facere non licet. Mando vt mihi equum emas aureis quinquaginta: pluris emere nequaquam tibi permittitur: & quamuis minoris mercari poſſes, reliquum non liceret tibi ſumere. Sic ſi mandauero, vt vendas librum meum tribus drachmis, & vendidiſti quinque, debes mihi reſtituere duas drachmas: nam cōditionem hanc debebat mandatum, ne minoris venderes, poſſes tamen pluris vendere. Hoc perquam diligenter in mandatis diuinis exequendis eſt obſeruandum, vt nulla conditio intermittatur. Exempli cauſſa. Mandat, vt iuſtitiæ operibus ſtudioſe incumbamus: hoc eſt, bonis actionibus obeundis vacemus. Sed adiungit: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Matthæi 6. quomodo faciebant Scribæ, & Pharisæi. Imperat, vt egentibus aliquid ex tuo contribuas: ſed addit: *Cum facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt, in ſynagogis & in viis, vt honorificentur ab hominibus. Te faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Iubet orare, atque ſine intermiſſione orare, ſed conditionem copulat: Cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus. Ieiunium præcipit ſed cum adiuncto: cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Matthæi. 6.

Mandatorum diuinorum conditiones.

Matt.6.1.

Matt.6.17.

An mandatoris iuſſum ſemper ſcrupuloſum ſeruandum.

Lib.1.cap.3.

Apvd vetuſtiſſimos Romanæ reipublicæ Iuriſperitos quæſitum inuenio: Quidnam foret in mandato ſuſcepto rectius; id ne omnino facere, quod mandatum eſt, an non nunquam contra, ſi id ſperet, ei, qui mandauit, vtilius fore. Quam quæſtionem eleganter & copioſe pertractauit A Gellius lib. 1. Noctium Atticarum: vbi in officiis, inquit, capiendis, cenſendis, iudicandiſque, quæ Græce καθήκοντα Philoſophi appellant, quæri ſolet: An negocio tibi dato, & quidquid omnino faceres, definito, contra quid facere debeas, ſi eo facto videri poſſet res euentura proſperius, exque vtilitate eius, qui tibi negocium mandauit. Anceps quæſtio, & in vtramque partem à prudentibus viris arbitrata eſt.

Mandatoris verba ſequenda.

Sunt enim non pauci, qui ſententiam ſuam vna in parte defixerint, & re ſemel ſtatuta deliberataque, ab eo cuius negotium id potiſſimum eſſet, nequaquam putauerint contra dictum eius eſſe faciendum: etiamſi repentinus aliquis caſus, rem commodius agi poſſe polliceretur: ne ſi ſpes fefelliſſet, culpa impatientiæ, & pœna indeprecabilis ſubeunda eſſet. Si res forte melius vertiſſet, diis quidem gratia habenda, ſed exemplum tamen intromiſſum videretur, quo bene conſulta conſilia, religione mandati ſoluta rumperentur.

Alii exiſtimauerunt: incommoda prius, quæ metuenda eſſent, ſi res geſta aliter fieret, quam imperatum eſt, cum emolumento ſpei penſitanda eſſe. Et ſi ea leuiora, minoraque; vtilitas autem contra grauior, & amplior, ſpe quantum poteſt fir-

Digitized by Google

ma oſtenderetur: tum poſſe, aduerſum mandata fieri cenſuerunt, ne ablata diuinitus rei bene gerendæ occaſio amitteretur. Neque timendum exemplum non parendi tradiderunt, ſi rationes huiuſmodi duntaxat non adeſſent. Cum primis autem reſpiciendum putauerunt ingenium, naturamque illius, cuius ea res, præceptumque eſſet: ne ferox, durus, indomitus, inexorabiliſque ſit. Qualia fuerunt Poſthumiana imperia, & Manliana. Nam, ſi tali præceptori ratio reddenda ſit, nihil faciendum eſſe monuerunt aliter, quam præceptum eſt.

Craſſi Mutiani factum.

Inſtructius, deliberatiuſque fore arbitramur theorematium hoc de mandatis huiuſcemodi obſequendis, ſi exemplum quoque Publii Craſſi Mutiani clari & inclyti viri appoſuerimus. Is Craſſus à Sempronio Aſſellione, & pleriſque aliis hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus traditur quinque habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua: quod eſſet ditiſſimus: quod nobiliſſimus: quod eloquentiſſimus: quod Iuriſconſultiſſimus: quod Pontifex maximus. Is cum in conſulatu obtineret Aſiam prouinciam, & circumſedere, oppugnareque Leucas oppidum pararet, opuſque eſſet firma ac procera trabe, qua arietem faceret, quo muros eius oppidi quateret; ſcripſit ad Magiſtrum ἀρχιτέκτονα molis Athenienſium, amicorumque populi Romani, vt ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, vter maior eſſet, eum mittendum curaret. Tum Magiſter ἀρχιτέκτων, comperto, quam ad rem malum deſideraret, non, vt mandatum erat, maiorem: ſed quem eſſe magis idoneum, aptioremque faciendo arieti, facilioremque portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari iuſſit: & cum interrogaſſet, cur non, quem mandarat, miſiſſet: cauſſis, rationibusque quas dictabat, ſpretis: veſtimenta detrahi imperauit, virgiſque cædi. Corrumpi atque diſſolui officium omne mandantis ratus ſi quis ad id, quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondeat.

Dei mandata accuratiſſime exequenda.

SEVERE dicis, & dure nimium in architectum egit Craſſus. Dubito equidem: nam is mos veterum Romanorum fuit. Sed fortaſſe mandata humana, tantam, tamque accuratam obſeruandi, atque opere exequendi rationem non merentur. Dei certe illam, & longe maiorem poſtulant, ideoque ſi ab ipſo imperatum eſt aliquid, & conſtet illius eam voluntatem abſolutam eſſe, vt, ſicut mandatum eſt, fiat, non licet, vel latum vnguem, vllius vtilitatis cauſſa, quæ eſſe putetur, recedere.

Auguſt. lib. de Paradiſo.

Si quid vel addas, vel detrahas, inquit Auguſtinus, præuaricatio quædam videtur eſſe mandati. Simplex namque & pura mandati forma tenenda eſt.

Mandatum Sauli datum.

MANDARAT Dominus Sauli, dum ille in bellis Dei negocium gereret, vt percuteret Amalech, & demoliretur vniuerſa eius. *Non parcas ei, aiebat, & non concupiſcas ex rebus eius aliquid: Sed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque la-*

1. Reg. 15. 3.

ctantem, bouem, & ouem: camelum & aſinum: primo Regum cap. 15. Sed Saul exiſtimans rationibus Dei conſultius fore, ſi magnam pecudum copiam ad victimas: argenti, aurique aliquid ad theſaurum Domini reſeruaret, pepercit ipſe, ac populus Regi Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant: nec voluerunt diſperdere ea: quicquid vero

1. Reg. 15. 14.

vile fuit, & reprobum, hoc demoliti ſunt. Quæ cauſſa? *Vt immolarentur Domino Deo,* reſpondet Saul Samueli. Specioſus equidem prætextus, cur mandati fines egreſſus eſſet. Sed adeo id mandatori diſplicuit, vt Saulem regno ſpoliauerit: & quod ma-

Verſ. 11.

gis mirum, dixerit: *Pœnitet me, quod conſtituerim Saul Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.* Cumque ob hanc rem grauiſſimis verbis Propheta Dei

nomi-

nomine Saulem caſtigaret, addidit, aureum illud effatum, non chartis magis quam pectoribus mandatoriorum Dei inſcribendum: *Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quam victimæ: & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro eo ergo, quod abieciſti ſermonem Domini abiecit te Dominus ne ſis Rex.* Tetribilis ſententia, iuſta tamen, quia à iuſtitiæ auctore.

1. Reg. 15. 22.

Iam vero ex diuerſitate eadem inter mandata Dei ac hominum oritur, & illud, vt, quamuis olim ſeueriſſimum fuerit mandati iudicium: quod eleganter defendit Cicero oratione pro Sexto Roſcio, vbi infamem eſſe mandati præuaricatorem demonſtrat: Maior tamen & exactior in mandatis Dei exequendis requiratur ſolicitudo, & negligentiam, ac præuaricationem maius ſequatur dedecus, grauior debeatur pœna. Sed ex aliquo quoque id diſcrimine prouenit: quod eſt valde diligenter perpendendum.

Seuerum iudicium in præuaricantes mandata.

Contractvs Mandati inter homines eſſe poteſt, vel gratia ſolius mandatoris: vt, ſi mandauero tibi vt mihi ſupellectilem librariam emas Francofurti. Vel mandatoris & alterius, vt ſi mandauero, vt pannum lineum emas Amſtelrodami non mihi ſolum, ſed & famulo domeſtico. Vel ſolum alterius gratia: vt ſi mandauero, vt Legato Cæſaris Romæ palatium conducas: vel gratia mandatoris & mandatarii, ſi mandauero vt in curia Imperatoria negocium geras quod mihi ac tibi eſt commune. Nunquam tamen mandati contractus initur ſolum gratia mandatarii vt conſtat ex *Leg. 2. Digeſt. Mandati.* & Inſtitut. eod. titulo. Neque enim quiſquam mandatum alteri dat, vt negocium proprium gerat, ſed conſilium tantummodo. At Deus dum mandatum dat hominibus, id in gratiam fit ſolius mandatarii. Nobis ſerimus, nobis occamus, nobis metimus: nobis actiones noſtræ fructum omnem adferunt. Deo nulla accedit vtilitas, qui humanis non eget auxiliis, ad negocia ſua expedienda. Bene cecinit non malus Poëta.

Diſcrimen inter mandata Dei & hominum.

Iac. Billius in Anthol. ſacra.

Non ideo quicquam mandat Deus, vt ſibi proſit.
Nec ſerui officio verus eget Dominus.
Cuius preceptis augetur, qui famulatur:
Fitque minor, quiſquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens ſimul omne tenenſque poteſtas
Nil perdit proprium nil habet occiduum.
Nunquam non habuit, quod habet dans: quicquid habere,
Proderit & ſumens non niſi quod dederit.

Sæpius illud mihi repetendum eſt: Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris? aut quid ei confert, ſi immaculata fuerit vita tua? Iob. 23.

Ab hoc diſcrimine ſumendum ex qua culpa mandatarius teneatur. Antiqui Iuriſconſulti tam exacte mandatum opere impleri debere ſunt opinati, vt mandatarium teneri dixerint, non ex dolo tantum & lata culpa, verum etiam in leui & leuiſſima. Et ſane in L. *A Procuratore.* Cod. *De mandato*, expreſſe dicitur: A Procuratore dolum & omnem culpam, licet non improuiſum caſum præſtandum eſſe. Si omnem culpam, ergo etiam leuiſſimam. Quod licet durum ſit in humanis mandatis, ideoque communiter doceant Doctores. Si mandatum ſit tantum cauſſa mandatoris, tunc mandatarium ex dolo ſolummodo & lata culpa teneri. Si in vtilitatemque vtriuſque, tunc ex leui quoque obligari. Tamen quoniam omnia

Ex qua culpa teneatur mandatarius.

 man-

Digitized by Google

mandata diuina, non Dei, ſed hominis ſolum vtilitatem ſpectant. leuiſſima etiam culpa teneri Dei mandatarios certiſſimum eſt: & ſi negligat, reddere debere, vſque ad nouiſſimum quadrantem. Eſt plane Zelotes Deus, vt hic contractus quam exactiſſime ſeruetur. Vult quæ imperat cuſtodiri nimis. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

Pſal. 118. 4.

Mandatum voluntarium.

DEINDE. Omne mandatum nobis à Deo datum, ſi mandatorem reſpicias eſt voluntarium: quoniam à ſola ipſius voluntate pendet. Si mandatarium eſt neceſſitatis. Quale in humanis eſt illud, quod habet tutor, curator, adminiſtrator legitimus, ſyndicus, quia lege & iure conſtituuntur. De quibus Bartolus *Leg. Creditor.* §. *Duobus.* Digeſt. *Mandati.* & Iaſon. lib. *Rogaſti* §. *Si fugitiuus.* Digeſt. *Si certum petatur.*

ADHÆC differunt mandata diuina ab humanis. Quod ſi quis vnum prætergrediatur, apud homines, non idcirco tanquam omnium præuaricator, damnetur. At in Dei mandatis, qui in vnum peccat, omnium ſit reus, ex D. Iacobi regula, quam alibi copioſe explico. Si quis vnum mandatum cuſtodiat, inquit M. Auguſtinus, & aliud præuaricatur, nihil ei prodeſt.

Lib de Paradiſo.

Mandata Dei leuia.

1. Ioan. 5. 3.
Matth. 11. 29.
Deutr. 32.
Roma. 10. 6.
Prouerb. 4. 2.

DICES, fortaſſe mandata diuina à te ſeruari non poſſe: grauia eſſe: vires imbecilles ſuperare. Erras, mi homo, ſi hoc ſentis: Mandata eius grauia non ſunt primæ Ioannis 5. Facilitatem mandatorum Dei non Chriſtus ſolum expreſſit, vbi iugum ſuaue, & onus leue dixit: Sed & Moſes in veteri lege tot difficultatibus circumſepta, edicens, verbum prope eſſe in ore, & in corde noſtro. Nonne ſemitæ ſapientiæ ſunt æquitatis? id eſt, æquæ, ac planæ; ita vt non artentur ingredientium greſſus, nec habeant offendiculum, currentes per illas. Quare vere Baſilius impium appellat, qui dicere audet, impoſſibilia ſpiritus mandata: & hoc blaſphemum eſſe. Auguſtinus autem fidenter aſſerit: nullum præceptum homini factum, nullum mandatum eum à Deo accepiſſe, quod impoſſibile ſit humanæ imbecillitati: Hieronymus vero, nemini dubium eſſe, ait, poſſibilia Deum mandaſſe. Fidelis eſt Deus, qui non patitur, nos tentari ſupra id, quod poſſumus. primæ ad Corinth. 10. Fateor mandata Dei vocari vias duras alicubi: Hebraice, vias latronis, Pſal. 16. Anguſtam Chriſtus aſſerit portam, & arctam viam quæ ducit ad vitam Matt. 7. 14. Non niſi per multas tribulationes intrandum in vitam, monet Apoſtolus. Regnum cælorum vim patitur, & rapiunt illud violenti Matth. 11. 12. Sed omnia poſſumus in eo qui nos confortat, Ad Philippen. 4. 13. Et omnia credenti poſſibilia ſunt, Marci. 9. 23. Et licet apud homines ſit impoſſibile ſaluari, apud Deum omnia poſſibilia ſunt. Suppetit nobis infinitum meritum Chriſti: præſto eſt gratia: vrget nos Chriſti caritas: eiuſdem exemplo, meritis, Sacramentis, Sanctorum ſuffragiis, Angelorum cuſtodia, piorum lectione librorum, præſidum cura, noſtris orationibus, ſpe beatitudinis, quæ iam non differtur amplius, caritate, cui nihil difficile, patrocinio virginis beatæ, omnium indulgentiſſimæ matris, & ſexcentis aliis ſubſidiis, facillimum fit, quod humanæ imbecillitati, tam erat antea difficile: imo impoſſibile.

Aug. l. 2. de peccat. meritis. cap. 3.
Hier. lib. 3. contra Pelag. & in cap. 5. Matth.
Pſalm. 16. 4.
Matth. 7. 14.
Actuum. 14. 22.
Mat. 11. 21.
Ad Philip. 4. 13.
Marci. 9. 23.
Luca. 18. 27.
1. Corinth. 5.

Vtilitas obſeruationis mandatorum Dei.

QVIS autem ad finem memoret vtilitates omnes, quæ ex diligenti huius contractus obſeruatione hauriuntur. Vis noſſe Deum? *In hoc ſcimus quia cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus*, primæ Ioannis 2. Profecto, qui non obſeruat, Dei mandata, non eum nouit: non eum æſtimat practice, immenſum, ſapientem, iuſtum, bonum, potentem. Non eſt in præuaricatoribus mandatorum Dei libera ac expedita

dita ſcientia, ſed veritas detenta in iniuſtitia ad Romanos primo. Sine mandato- 1. *Rom.* 18.
rum obſeruatione haberi poteſt notitia quædam, vt illi habuerunt, qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, arida, ſpeculatiua tantum, infructuoſa: non adfectiua, practica, vtilis. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt, primæ Ioannis ſecundo. Optas 1. *Ioan.* 2. 4.
ſemper in omnibus à Deo exaudiri? *Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus*: primæ Ioannis tertio. Cupis in Deo domicilium contra ho- 1. *Ioan.* 3. 22.
ſtium inſultus collocare? *Qui ſeruat mandata eius in illo manet, & ipſe in eo*, primæ Ioan. 1. *Ioan.* 3. 24.
3. Manet in eo, tanquam in adiutore, & cuſtode: ita vt, qui cuſtos eſt mandati, illius quoque cuſtos ſit DEVS. Exploratum habere velles, an proximum Chriſtianè diligas? In hoc cognouimus, quia diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus, primæ Ioannis quinto. Certus eſſe deſideras, de caritate 1. *Ioan.* 5. 2.
Dei? *Hæc eſt caritas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus*, primæ Ioannis 5. *Hæc eſt caritas, vt* 1. *Ioan.* 5. 3.
ambulemus ſecundum mandata eius, ſecundæ Ioannis ſexto. Quid iucundius corporis ſanitate? Hanc ſi deſideras, ſerua mandata. Si obedieris mandatis eius, cunctum languorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te. Exodi. 15. Quid be- *Exodi.* 15. 26.
nedictione Dei fœcundius optas? ſerua mandata. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, eo quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & mandata mea. Geneſis 26. Quid vita æterna deſiderabilius. Vis ad vitam ingredi? *verſ.* 4.
ſerua mandata.

NOTÆ.

DE CONTRACTV MANDATI.

DE hoc contractu diſputant præcipuè iuris ciuilis Doctores. Extat Titulus in iure ciuili *Mandati*, vel contra: qui eſt primus Libri 17. Digeſtor. Et in Codic. Lib. quarto eſt Titulus 35. *Mandati, vel contra*. In Inſtitutionibus quoque lib. 3. Titul. 27. eſt, *de mandato*. In iure Canonico nullus eſt Titulus *mandati*: Eſt tamen Titulus 38. De *Procuratoribus*, Lib. 1. Decretalium. Procurator autem mandatum habet de re Domini procuranda. *Sed Mandatarius* latius patet quam *Procurator*. Lege Paulum Comitolum, opuſculo de Contractibus: & Ioannem Azorium To. 3. Lib. 9. Definitionem *mandati* habent & explicant Bartolus, Baldus, Azo, Accurſius alii ICti Rubrica *mandati*:

Mandatum dupliciter contrahitur. *Primo* expreſſe: Mando vt mihi fundum emas. *Secundo* tacite: Si ſciens ac tacens patiar, vt tu meum aliquod negotium geras, eo ipſo videor mandare negocium. Leg. *Qui patitur*. ff. *Mandati*. Leg. *Qui fide*. ff, eod. tit. Secus, ſi quis me abſente negocia mea tractauerit, ſine meo mandato: tunc enim inter me & ipſum non cenſetur contractum mandatum: quia neque expreſſe, neque tacite illi mea negocia commiſi. Eſt tamen quaſi contractus, qui dicitur, negociorum geſtorum: quatenus aliquis rem meam amice, ac vtiliter geſſit.

§. MANDATA quot in T. V.] Nullus accuratius omnia mandata per Pentateuchum ſparſa in ſynopſin redegit, quam Cornelius à Lapide ad finem Commentariorum: vbi facit partitionem vniuerſalem mandatorum Moſi à Deo pro ſynagoga datorum.

Digitized by Google

Mandata Moſaica alia ſunt
- Alia Simplicia.
  - 1. Moralia, ſiue Naturalia.
  - 2. Ceremonialia.
  - 3. Iudicialia.
- Alia Miſta.
  - 1. Moralia, & Ceremonialia ſimul.
  - 2. Moralia, & Iudicialia ſimul.
  - 3. Ceremonialia, & Iudicialia ſimul.
  - 4. Moralia, Ceremonialia, Iudicialia ſimul.

Tum ſingula in Claſſes diſtribuit, tu peruolue, ſi vacat.

§. VERBVM *abbreuiatum*.] Interpretatio illa eſt multorum veterum, Origenis, Theodoreti, Oecumenii, Photii, Theophylacti, Primaſii, Cypriani, in Orationem Dominicam: & in ſymbolum, Auguſtini Tractat. 16. in Ioann. & lib. 1. ad ſimplicia. Quæſt. 2. Baſilii in cap. 10. Iſaiæ. Ambroſii de Tobia cap. 20. & Præfatione Epiſt. ad Galat. Verum hanc interpretationem non eſſe admodum conſonam ad mentem Pauli oſtendit Benedict. Iuſtinianus in Commentario.

§. PRÆCEPTVM Fidei.] De hoc ex inſtituto Catechiſtæ & Summiſtæ ad primum mandatum Decalogi. Lege Ioan. Azorium. lib. 8. Inſtit. moral. cap. 7. Tom. 1. & Paulum Laymann in Theologia Morali. Tom. 1. libr. 2. ſcholaſticos, ad 22. Quæſt. 1.

§. LEGE *ſaucitum vt legantur Regulæ*.] Tres Imperatores, vt eſt in Codice Theodoſiano Libr. 1. Tit. 1. ita decernunt *Leges neſcire nulli liceat.*

M. Auguſtinus in Regula cap. vlt. *Ne per obliuionem aliquid negligatis ſemel in ſeptimana vobis legatur.*

S. Benedictus in Regula cap. 66. ſanxit Regulam ſuam ſæpius in congregatione legendam. *Ne quis fratrum ſe de ignorantia excuſet.*

S. Hieronymus epiſtola 14. ad Celantiam, *Nec ſufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, & operibus obliuiſci: Sed ideo illa cognoſce, vt facias, quicquid faciendum didiceris. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum: Sed factores legis iuſtificabuntur*

Plura in hanc rem ſuppeditat Iulius Nigronius Commentario ad Regulam 49. Summarii.

§. *Non declinare ad dexteram vel ſiniſtram.*] Adagialis locutio, quam doctè explicat Martinus Delrius Tom. 1. Adag 31. & Interpretes SS. Geneſis. 24. 49. Num. 20, 22. Deuteronom. 2. 5 17. 28. Ioſue. 2. 3. 1. Reg. 6. 14. libr. 2. Reg. 2, 14. lib. 4. Reg. 22. 2. Paral. 34. Iſaiæ. 30.

COM-

COMMENTATIO XXXIII.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA Deum ex Contractu Mutui, & Vſurario.

Dominica VI. poſt Pentecoſt.

In qua docetur, licitum eſſe paciſci cum Deo de Vſuris, & illas ex Mutuo, Deo dato expectare. Adhæc: quibus ex rebus Deus det Vſuras diſquiritur. Deinque, probatur, quod Homo ſit Mutuator: Deus Fœnerator.

Accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent: & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſſit apponi. Et manducauerunt & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas. Erant autem, qui manducauerant, quaſi quattuor millia. Matthæi 15. Marci 8, 6.

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem reddet ei. Proverb. 19. 17.

HOMO MVTVATOR. DEVS VSVRARIVS.

FLAGITATORI cuidam domeſtico peracri, ſed minime maligno, auditorique meo aſſiduo ac in paucis attento vt ſatisfaciam, viſum fuit Commentationibus hiſce noſtris, quibus multis iam menſibus Contractus inter Deum ac homines initos, ex iiſque ad diuinæ voluntatis iuſſa capeſſenda, & facienda imperata, obligationem arctiſſimam explicamus, hanc quoque inſerere, AN fas ſit cum Deo eam tractare negociationem, quæ Vſuraria dicitur. Et, num huius etiam conuentionis & contractus gratia inter Deum & nos oriatur obligatio. Aio, videri: & huiuſce quidem pronunciati; quod minime ignauum, ſtupidumque auditorem poſtulat, rationem optimam eruendam eſſe ex recitati Euangelii viſceribus: in quo Chriſtus miſericordia motus, ſeptem panibus & paucis piſciculis pauit quaſi quatuor millia hominum: cum prius illos diuini verbi laudatiſſimis epulis ſaginaſſet. Vos auribus, oculis, ac mente minime vagi, quæ promam, ſingula, tanquam totidem ex ſacro eloquio, Patrum ſcitis, Theologorum enunciatis, Iuriſperitorum reſponſis, Philoſophorum concluſionibus ſelectas margariras, patentibus pectorum bene affectorum conchis excipite, ac reconditote. *An à Deo vſuras exigere liceat.*

PRINCIPIO rerum diuiſionem inſtituamus, in illas, quæ natura ſunt ſteriles, nec quicquam, niſi induſtria humana accedat producunt, & illas, quæ ex ſeſe gignunt aliquid. In ſterilium genere colloco plurima, quæ in numero, pondere ac menſura conſiſtunt. Res numeri, vocatur pecunia, aut numi. Res ponderis, quæ ponderatur, dum traditur, vt aurum, argentum, & omne genus metalli. Res menſuræ, quæ datur incerta aliqua menſura, vt oleum, vinum, mel, lac. Hæ res & ſimiles, ſiue illas in arca recondas, vel ſerues in horreo, ſiue terræ committas, nullum ex ſe fructum producunt. Tametſi plurimum auri vel argenti in ramenta, & ſcobem redacti tuo in agro ſeminaueris, nunquam auream ſegetem metes. Effunde vinum in *Res ſteriles & fœcundæ.*

hortum,

Tertia part. S. Thom. q. 74. art. 3. Scotus vult paſtam & panem ſpecie non diſtingui in 4. diſt. 2. q. 6. Suar. vult diſtingui vide Comitolum lib. 1. reſpon. mor. qu. 41. num. 1.

hortum, vel montes, terram humectabis, vites non prodibunt. Sparge nummos, quot voles, in pinguiſſimum agri tui ſolum, nihil præter glaream, & lolii affatim ad meſſem reperies. Panes bene coctos ſicut piſa & fabas planta, ſi placet, etiamſi fortaſſe ſubſtantialis panum forma à formis componentium partium, ideoque frumenti quod generat, non diſtinguatur (de quo magna eſt Caietano cum Philoſophiæ Peripateticæ, & Scoti ſectatoribus concertatio) profecto nunquam panem exoriri & in culmos excreſcere videbis: ſed corrumpi potius, & in fimum verti, ac terram ſtercorare. Ita res habet. Si quis ſecus factum vidit, prodeat, concertationem ſuſcipiet Philoſophus, & quæ fidit affirmator, non eum vidiſſe, quia natura eſt ἀδύνατον probabit. Porro in fœcundarum rerum genere numeramus pecudes, vites, arbores, ſimilia, quæ ex ſeſe gignunt aliqua, etiamſi hominis non accedat diligentia, nullus labor.

... ur inter homines vſura ... dicta.

Ex hoc principio ſumēda eſt vna aliqua ex iis rationibus, quibus probatur, apud homines, vſuram, iure quoque naturali eſſe prohibitam, vt conſenſu docent Iuriſperiti, ac Theologi. Solus Carolus Molinæus eſt hæreſeos notatus, qui aſſeruit, non eſſe contra rationem, modicum quid pro mutuo, quod datur accipere, ſeu vſuram petere. Contra quem ita argumentari licet. Res in quibus mutuum & vſura verſantur ſua natura fructum non pariunt, niſi induſtria & opera vtentium. Itaque eſt contra rationem naturalem, vt ex mutuata pecunia, vel ſimilibus lucrum accipiatur, quoniam illud non prouenit ex rebus mutuatis, ſed ex induſtria & opera mutuatarii, ideoq; pertinet ex iuſtitiæ præſcripto ad mutuatarium, tanquam res propria.

NOTÆ.

... nor. lib. 3. ... reb. Alfon.

Acute Rex Aragonum Alfonſus, cum animaduerteret illicito lucro hominibus inſidias à fœnatoribus ſtrui; fœnus nihil aliud quam animæ *funus* videri ſibi dixiſſe fertur, ſicque damnaſſe vniuerſam fœnerandi rationem, quæ planè ſit contra naturæ regulam, cum ex nihilo nihil gignatur.

Solum; fertiliſſimum.

Iam vt vſuram inter Deum ac homines licitam eſſe conuincam, dari mihi poſtulo, quod non negabitis, eſſe in aruis Dei, ſolū quoddam peculiare, in quod quamuis inaratum, ſiue ſpargantur, ſiue plantentur, ſiue inſerantur quæ natura ſunt infœcunda, feliciſſimè proueniunt, & centuplicatum fructum dare ſolent. Quodnā iſtud? inquis Reſpondeò clariſſimè: eſſe manus Chriſti, & illorum quos benedictione fœcundarit, qui ex nihilo facit aliquid. In Chriſti manibus obuli producunt drachmas: drachmæ ſiclos, ſicli minas: minæ talenta. Non intelligis fortaſſe Hebræum computandi modum: accipe Romanum: Grana in manibus Saluatoris Ieſu geminant obulos, oboli victoriatos, victoriati denarios: denarii vncias: vnciæ libras: libræ talenta. Vel more noſtro: oboli progignunt batzios, batzii florenos: floreni aureos: aurei roſas nobiles & numos Luſitanos. Adhæc miraris, & neſcio quid dubitationis caperata fronte præfers.

Telluris fœcunditas à Deo.

At cenſeri Chriſti manus minus eſſe fœcundas, quam ſit tellus cui fœcunditas à Chriſto? In hac ſeritur granum ſine folliculi veſte, ſine fundamento ſpicæ, ſine munimento ariſtæ, ſine ſuperbia culmi, exurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultu munitum, & vſquequaque veſtitum. Eadem arbores ornare ſolet poſt ſpolia, flores denuo colorare, herbas rurſus imponere, exhibere eadem quæ abſumpta ſunt ſemina, ampliatione multiplici aucta, nec prius exhibere, quam abolitione conſumpta. Mira ratio, de fraudatrice ſeruatrix, vt reddat, intercipit: vt cuſtodiat, perdit, vt integret, vitiat: vt ampliet,

amplics, prius decoquit: ſiquidem vberiora, & cultiora reſtituit, quàm accepit, & exterminauit. Reuera, fœnore interitum, & iniuriam vſura, & lucro damnum, mutuumque compenſat. Et Chriſti manus bonorum copia ac fructu minus grauidas arbitraris?

Sed fœcunditatem hanc ex ipſo Euangelio deducamus. Nonne in eo accipiens Chriſtus pauculos panes & piſciculos benedixit & iuſſit apponi: illico autem ita ſunt multiplicari, vt ſaturatis quaſi quattuor hominum millibus de fragmentis ſeptem ſportæ ſuperfuerint? Vbinam multiplicati fuerint panes: vtrum in manibus Chriſti, an in manibus Apoſtolorum, aut in manibus vel ore ſumentium dubitat S. Hilarius. Hoc ſit nobis extra controuerſiam: non fuiſſe in manibus, aut ore ſumentium multiplicatos, quemadmodum è ſectariorum grege nonnulli contendunt Euchariſtiam non eſſe corpus Chriſti, niſi in ore ſumentium. Hoc ſi fuiſſet factum, ſibi fortaſſe multi ex iis tribuiſſent miraculum.

D. Hieronymus in manibus Chriſti; Chryſoſtomus, Leontius, & Euthymius in manibus Apoſtolorum multiplicatos arbitrantur. Vtrumq; probabile eſt, & noſtræ deſeruit ſpeculationi. Illud videtur probabiliſſimum, quod Ioan. Maldonatus obſeruat. Primò quidē in manibus Domini qui princeps erat miraculi auctor fuiſſe multiplicationem factam: frangendo enim multiplicaſſe credibile eſt, & duodecim cophinos impleſſe, quos duodecim Apoſtoli ad ſuum quiſq; ordinem deferret. Ita Sareptana vidua, de qua lib. 3. Reg. 17. & altera de vxoribus Prophetarum Lib. 4. Reg. 4. putantur hauriendo olei multiplicationem ſenſiſſe. Poſtea autem in Apoſtolorum manibus, vel cophinis creuiſſe: ita vt quantum ex corbibus detraherent, diſtributioni faciendæ, tantum diuinitus accreſceret. Sicut in lecytho viduæ factum eſt, vt quantum hauriebat, tantum rurſus emanaret: ita vt lecythus non ſit imminutus, quæ ſacræ ſcripturæ ſunt verba. Inde factum, vt Apoſtoli duodecim plenos cophinos collegerint, videlicet tantum, quantum à Chriſto, vt diſtribuerent, acceperant. *Matt. 14. Marc. 6.*

Neque illud mihi eſt improbabile, Chriſtum mutuo accepiſſe panes, ſed cum vſura reddendos. Quamuis enim interroget Apoſtolos: quot panes habetis? & illi reſpondeant, ſeptem: tamen ego crediderim non Apoſtolorum fuiſſe, ſed aliquorū è multitudine: quaſi dicatur, totam illam multitudinem nō niſi ſeptem panes, & piſciculos paucos habuiſſe. Eodem modo Matth. 14. vbi dicunt Apoſtoli: Non habemus hic niſi quinque panes non eſt neceſſarium dicere, fuiſſe Apoſtolorū panes. Nam Ioannis 6. in eiuſdem miraculi narratione dicitur, puerum habuiſſe quinque panes hordeaceos, & duos piſces: an vt venderet? an tanquam domini alicuius baiulus eos deferebat? Certè Euthymius venales fuiſſe putat, in quo etiam inclinat Cyrillus Ioannem enarrans. *Chriſtus mutuo accepit panes cum vſura reddendos.*

Denique, ponatur iſtud, quod Chriſto aſſerente eſt veriſſimum. Quicquid Chriſti Domini aut Dei nomine, illius amicis datur, vel amore illius relinquitur in Dei Chriſtique manibus collocari, illique conſignari & committi. Manifeſtiſſima ſunt illa veritatis verba: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis: Matth. 25. 14. Quamdiu inquit, ἐφ' ὅσον: quatenus feciſtis: vel quod illis feciſtis.

Nunc ita iuuat ratiocinari. Ex primo illo à nobis roborato principio deducitur. Vſuram inter homines illicitam eſſe ex ipſa natura rei, cui accedit legum diuinarum humanarumque prohibitio: quam alibi legibus recitatis confirmamus. Ex eo- *Cur cum Deo vſura licita.*

Fff dem

Digitized by Google

dem autem, & altero illi adiuncto colligimus Vſuram Deum inter ac hominem honeſtam laudabilemque cenſeri debere. Nam ſi propterea apud homines improbatur, quia res quæ datur mutuo, ac vſuræ ſubſternitur, infœcunda ex ſe eſt, neque fructum vllum præter vſum habet: conſtet autem illam in Dei manibus locatam multiplici fœtu abundare, illumque progignere: conficitur, honeſtè præter rem illam, quam ſortem capitalem vocant, aliquid præterea poſſe exigi: & multo magis ſi offeratur, & præceſſit promiſſio, poſſe accipi. Nulla autem lege ſiue diuina, ſiue humana hanc vſuram prohiberi: imò ad illam multis homines incitari, facile intelligetur, rerum, in quibus iſtiuſmodi vſura conſtituitur, explicatione.

Vſura materia pecunia.

PRIMO igitur licet cum Deo vſuram exercere, & ab eo fœnus expectare ex iis rebus omnibus, ex quibus inter homines non licet: vt è pecunia, vino, oleo, panibus, ac ſimilibus. *Si fœneraueris hominem*, inquit Auguſtinus in Pſal. 26. & habetur decimaquarta q. 3. (*ſi fœneraueris*) id eſt, ſi mutuo dederis pecuniam tuam, *à quo plusquam dediſti expectes, non pecuniam ſolum, ſed aliquid plus, quam dediſti, ſiue illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud, ſi plus quam dediſti, expectas accipere, fœnerator es, & hoc improbandus, non laudandus.* Verto ſententiam conuerſione Theologica, & meam facio conuerſam, Auguſtino haud repugnante, ſicque aſſero. Si fœneraueris Deum, id eſt, ſi mutuò dederis pecuniam tuam, & plus quam dediſti ab eo expectes, ſiue triticum ſit, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud, fœnerator es, & hoc laudandus, non improbandus.

Vſuraria negotiatio à PP. laudata.
NOTÆ.
Chriſoſt. in S. Matthæum.
Sermon. 6. de ieiunio decimi menſis.
Luc. 6.
S. Leo refertur Diſt. 4. cap. ſicut non.

Hanc Vſurariam negotiationem agnoſcunt Patres ad eamque exercendam auditores, & lectores ſuos hortantur. Audi Chryſoſtomum. *Mutuum da, ampliores cape vſuras, mutuo da, accepturus: ſcilicet vbi nulla inuidia, nulla accuſatio, nulla inſidiatio, neque terror, mutua nullo indigenti, ſed Chriſto, & propter te neceſſitatem habenti, eſurienti, & omnes nutrienti. Hæ namque Vſuræ regnum: illæ gehennam præparant. Hæ ſunt pietatis, & miſericordiæ: illæ crudelitatis & auaritiæ.* Audi Leonem Papam: *Deus fideiuſſor eſt pauperum, & largiſſimus redditor vſurarum.* Qui pecunias ſuas amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentum, hoc ſanctum fœdus exerceat, & hac vſurarum arte diteſcat: illius ſit creditor & fœnerator, qui dicit *Date, & dabitur vobis.* Alio loco idem Pontifex monet, vt hoc fœnus, nimirum, cœleſte, ac diuinum ſolummodo exerceamus, vt quod hic miſericorditer tribuimus, à Domino, qui multipliciter & in perpetuum manſura tribuit, recipere valeamus. Itaque cenſet Deum fœnus præſtare. Quod exertè S. Ambroſius ſcribit Lib. de Naburhe cap. 14. Vbi, Deus, inquit, pro munere quo pauper adiutus eſt fœnus exſoluit: quaſi bonus debitor creditori. Ideò vrget Auguſtinus Lib. Homiliar. 80. homilia 29. Vt demus in vſuram non homini, ſed Deo. Demus autem Deo, ſi pauperum manibus committamus. *Nam fœcundus eſt ager pauperum*, inquit idem Pater Sermone 25. de verbis Domini cap. 3. *citò reddit donantibus fructum. Similis terræ, quam ſeminauit Iſaac, reddens fructum centeſimum: & Chriſtus centuplum promittit.*

Homil. 8. in Gen.
Petr. Chryſ. ſer. 25.

Hanc eandem fœcunditatem ponderat Chryſoſtomus, docetque, in hoc vſuræ genere non eſſe locum ingratitudini, neque vlli alii damno. *Centupla dantur: & non ſolùm centupla: Nam aliqua dantur in præſenti vita, alia in futura, nempe vita æterna. Quæ igitur nobis defenſio erit, ſi negligentes fuerimus, & non feſtinauerimus centupla pro paucis accipere?* Eleganter quoque Petrus Chryſologus & per antitheſin: *Vſura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum: & tamen homines ad Deum nolunt habere contractum: ſunt forſitan de cautione ſolliciti. Quare? Nonne homo homini exiguæ chartula obligatione conſtringitur?*

ſtringitur? Deus tot & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur. Sed, dicis, Eſto quod debeat, quo exigente reſtituet? Seipſo: quia non poteſt ille mentiri. Idem ipſe eſt & exequitor & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profuſus eſt in largiendo. Crede homo Deo, quod tibi Deus dedit; maiora reddere vult, qui vult debere largitor.

Exempla Vſurarum ex Eleemoſynæ. NOTÆ.

Exemplis hæc confirmanda eſſent antiquis & recentibus. Sed vulgata ſunt, & à pueris quoque cantillando ex vita Ioannis Eleemoſynarii frequentantur. Illud noſtræ diſputationi eſt perquam accommodatum. Cum ſe virgo humana ſpecie auguſtior ſecundum quietem viſendam præbuiſſet, Eleemoſynam vocari, ſe profeſſa, expergefactus, ad templum iuit, ac pauperi veſtem donauit, illud intra ſe muſſitans: experior diuinane ſit, an dæmoniaca viſio. Vix finierat, & ecce ignotus quiſpiam offert centum numiſmatum bulgam, hoc addens; accipe mi frater, & diſtribue, vt tibi placuerit. Exhilaratus Ioannes reddere parabat, cogitans ſe non indigere: ſed doni auctor tum iam diſparuerat. Profuſior deinde Ioannes ſæpè Eleemoſynæ loco erogabat quidpiam illud ingeminans: Videbo ſi mittat mihi Deus centuplum, vt dixit. Quo, cum Deum tentare videretur, abſtinuit, hoc dicto ſe ſolans. Theſaurus diuitiarum Dei immenſus eſt: & plus Deus poteſt dare, quam tu diſtribuere.

In vitis P. P. Par. 1. In vita S. Ioan. Elemoſy. §. 8. Specul. Exempl. Tit. Eleemoſyna.

Bernardini Senenſis ſententia.

Præclara celebratur ſententia magni Eccleſiaſtæ Bernardini cui à Senis eſt cognomen: Fœnus ita demum ſine peccato exerceri, ſi pecunia iis credatur, qui nec capitalem ſummam reddere poſſunt: nempe pauperibus. Hoc approbatum eſt in cœleſti foro fœnus. Fœneratur Domino, rectè inquit Sapiens, qui miſeretur pauperis. Itaque qui pauperi pecuniam mutuò dat, qui panes offert, qui vinum, oleum, triticum, aliaque ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria tribuit ea ſpe, vt præter ſortem capitalem à Deo plus aliquid ex vi mutui dati accipiat, ſibi fructuoſam, Deo gratam, bonis minimè inuiſam, pauperibus optandam, omnibus commẽdandam negotiationem exercet, nulli periculo, nullius reprehenſioni, omnium ſecundis votis expoſitam. Atque hic eſt primus à Deo vſuras expoſcendi atque accipiendi modus.

Prou. 19. 17.

Alter in iis bonis verſatur, quæ mirum, quantum ab illis, quæ inter homines vſuræ ſubiacere ſolent, diſcrepant. Talia ſunt, pater, mater, vxor, fratres, ſorores, domus, agri, & iſtiuſmodi alia. Hæc enim ſi à te ſpontè, libenterque alienaueris, & in Deum illius ſolius gratia transtuleris, ſpem certiſſimam potes concipere, tantundem tibi reſtituendum, & fœnoris titulo addendum aliquid. Sed parum fortaſſe aliquid, & vix dignum vſuræ nomine, hæc tibi offerenti Deus attribuet. Qua ratione dicebat ille de quo initio mentionem fecimus: Inter homines non eſſe contra rationem modicum quid accipere pro mutuo, quod alteri datur, vel pro officio ipſo actuque mutuandi, quo beneficium mutuatario confertur. Erras, Deus tam eſt in hac re munificus, vt tantum non audite prodigus poſſe videatur. Nam non contentus pro centenis numis, ſex vel octo præter ſortem dare, quod multum eſſet, inuertit rerum ordinem, & pro vno centum, quodque hunc numerum excedit, & vltra quem apud veteres numerus non erat, centum millia: addo quod pro portento antiquis habebatur, centena millia: imò amplius quid, & priſcis inauditum myrionum myriades adnumerat.

Rides, dicit quiſpiam, & nos lactare tuo more ſuauiter incipis. Profectò non rideo: & ſi riderem, ridendo dicere verum ſoleo. Si lacto interdum, Doctorem meum ſequor, qui Corinthiis ſuis ſcribens, ait idcircò lactis hauſtu alendos, non

Digitized by Google

ſolido alimento: id eſt, Chriſtianæ religionis prima initia, ac rudimenta per cor- 1. *Cor.* 3. 2. poreas quaſdam ſimilitudines, ac ſymbola tradenda, quod ad maſticandam, molliendamque eſcam firmitate virili, ac robore non eſſent præditi: imbecilles nimirum ac mundana ſapientes, quibus fruſtra perfectiora doctrinæ Chriſtianæ capita abſque ſimilitudinibus vulgaribus explicantur: quæ non niſi à perfectioribus percipiuntur. Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.

Centuplum in Vſuris Dei. NOTÆ. Sed ſi non capitis, Chriſto credite, falli fallereq; neſcio dicenti: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Matthæi 19. 29. Hic centuplum licet accipere, numerum quidem finitum, ſed pro infinito ſumptum, qui æquiualeat, imò ſuperet omnes antea expreſſos: & ſane Lucas cap. 18. 30. non centuplum, ſed multò plura accepturum dicit. Idem autem Lucas & Marcus cap. 10. 30. addiderunt, *Nunc in tempore hoc, & in ſeculo futuro vitam æternam.* Quæ appendix, vt auctor eſt S. Hieronymus, Millenariis, antiquis hæreticis occaſionem præbuit ſuum confirmandi errorem, futuros poſt reſurrectionem mille annos, quibus iuſti pro ſingulis rebus, quas in hac vita reliquerunt, centenas eſſent accepturi: quos S. Hieronymus hunc in modum arguit. Non intelligitis, quod ſi in ceteris digna ſit repromiſſio, in vxoribus appareat turpitudo. Vt qui vnam pro Domino amiſerit, centum recipiat in futuro. Quamobrem idem Eccleſiæ Doctor, quem conſectatur V. Beda, exiſtimant eſſe ſenſum, fore, vt qui carnalia pro Saluatore dimiſerit, ſpiritualia recipiat, quæ comparatione ac merito ſui ita erunt, quaſi pro paruo numero centenarius numerus comparetur.

QVOD quidem ſatis eſſet ad rem noſtram confirmandam. Sed maius quid in illa videtur latere ſententia. Diſertè enim Marcus, poſtquam dixit, non ſolum centuplum in hoc ſeculo recepturum, declarat, quibus in rebus ſit accepturus: nimirum domos, fratres, ſorores, matres, filios, agros. An igitur centuplum vſurarium, hic exponendum eſt, quoniam omnia inter Chriſtianos communia facit caritas, ac religionis nexus? Dicuntur apud nos viri omnes fratres, fœminæ ſorores, bona omnia communia. Ita philoſophantur Origenes, Auctor imperfecti in Matthæum, Theophylactus, Euthymius. At quando vxores communes. Certè non iure Platonico: At quis & illa Chriſtianos ſincera dilectione, vt viros colligunt. An qui vſuras cum Deo exercet, centuplum accipiet, & domos, & fratres, & filios, non quod iſta recepturus ſit, ſed Chriſtum, qui ei inſtar eſt omnium, quique ſuis & pater & mater, & frater, & vxor, & liberi, & domus, & poſſeſſio eſſe debet. Quod ipſemet Dominus profitetur capite 12. *Ecce mater mea & fratres* *Matth.* 12. 49. 50. *mei: quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.*

Hoc gaudium veſtrum, fratres dilectiſſimi, hoc fœnus, hæc precioſa vſura. Chriſto fidite. Inhabitent alii deauratas domus, ſuperbiant tectis cœlo minantibus: ædes ædibus coniungant, vos paternam domum reliquiſtis, vili caſa ac tuguriolo contenti, etiam dum in aulis cōmoramini. Gaudete: centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Cingantur qui carni & ſanguini ſunt dediti, clientum turba, fratrum delectentur conſortio, ſororum blandimentis capiantur. Vos amicos, fratres, ſorores reliquiſtis. Nolite contriſtari, centuplum accipietis,

pietis, imo accepiſtis. Quot ſodales, tot minime fucatos amicos, quot ſocios, tot gratia conſtantes fratres: quot corporis curatores, tot ſolicitas valetudine adminiſtras, ſororibus longe ſolicitiores nacti eſtis: & vitam æternam poſſidebitis. Præterea in domo deficientur, tenebrarum filii, genitoris ſui conſpectu recreentur, ope ſubleuentur, opibus paſcantur, non vos moueat, exultate. E domo Patris & cognatione veſtra egreſſi eſtis, patrem reliquiſtis; exultate, centuplum accipietis. Accepiſtis quot ſuperiores, tot amore veſtri flagrantes Patres, quot inſtructores, tot genitores inueniſtis, & vitam æternam poſſidebitis materna in ſinu foueantur, delicati adoleſcentuli, mammas ſugant, quibus non eſt alia Ambroſia, genitricis è collo pendeant, qui altius non adſurgunt: Vos matrem reliquiſtis: Non turbetur cor veſtrum, centuplum accipietis, matris funguntur officio, quotquot vos in Chriſto pepererunt, & pariunt, Deipara, Religio, continentia, Chriſtus ipſe quotquot lacte diuino vos paſcunt: lætamini, vitam quoque æternam poſſidebitis. Vxores ducant, & tanquam vituli, aut coronati boues, ad macellum ſeculi curis, & carnis inquietudine mactandi ducantur, quibus volupe eſt carnalibus deliciis diffluere. Vos ſi ſponſas non habuiſtis, habere ſane potuiſtis, æque ac inſanientes aliquor, quippe glabri, & ante tempus nupturientes Mopſuli, reliquiſtis nihilominus ſponſas, non habendi voluntate, reuera Alexii, Calabitæ, Archangeli. Haud pœniteat glorioſiſſimæ fugæ tantum compedes non induiſtis. Centuplum accipietis, imo accepiſtis. Vna eſt dea ſapientia, fœcunditate vxorum inſtar decem millium, hanc in thorum aſciſcite, vt indiuiduam vitæ ſociam adſumite, & carnis deſideria non perficietis, neque vxorias cupedias deſiderabitis.

O qui poſſet dicere, quod vos dicere audio, poſt ſapientiſſimum Regem. *Hanc amaui, & exquiſiui, à iuuentute mea: & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum, formæ illius. Generoſitatem illius glorificat contubernium habens Dei, ſed & omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius.* Inſuper. *Vitam æternam poſſidebitis.* Agros quid memorem? reliquiſtis fortaſſe nonnulli agellum aliquem: nolite repetere: bonus illum & munificus creditor habet: Centuplum accipietis: imo accepiſtis. Quæ latifundia ad rerum vniuerſitatem? Mementote, nihil habentes, & omnia poſſidentes. Expectate parumper, & *vitam quoque æternam* vſuræ titulo *poſſidebitis.* *Sap. 8. 3. 4.*

Magna hæc eſt Dei in vſuris profuſio, & apud homines inaudita, quæ legibus etiam illis, quibus olim vſuræ aliquot permittebantur, *Immodica* diceretur. Siquidem cum iure ciuili communi peterentur vſuræ, concedi ſolebant, vel *quadrantes*: nimirum, tria pro centum, vel *trientes*, quattuor pro centum; vel *quincunces*, quinque pro centum: vel *ſemiſſes*, cum ſoluebatur dimidia pars centeſimæ, nempe ſex pro centum: vel *beſſes*, octo pro centum: ſcilicet duæ partes ex tribus partibus centeſimæ: tanquam ſumma autem vſura præſcribebatur *centeſima*; ſic vocabatur illa, quæ perſoluebatur ſingulis menſibus vnum pro centum: ita vt anno quolibet ſoluerentur pro centum duodecim. Et quoniam iſtiuſmodi vſura erat admodum grauis, non permittebatur niſi in pecunia traiectitia: hoc eſt, cum quis mutuabat mercatori traiecturo eam pecuniam per mare, periculo creditoris, ſi nauis pereat, L. Traiectitia. ff. de *vſuris*. & L. 1. Cod. *de nautico fœnore.* Reliquæ omnes *vſuræ* appellabantur à legibus *Immodicæ.*

Quæ vſura olim vſurpata.

Vſura immodica

Sed nunc canonibus ſunt caſtigata & abrogata.

Sed, qui omnia fecit in numero, pondere, & menſura; ſinguliſque rebus præſcripſit modum, cum de hominibus ditandis agitur, ruptis modorum repagulis omnia

mnia ſupra modum, & ſine modo agere velle videtur, ac non niſi *immodica* conari. Ideo grauis in vſuris dandis, nulla minutorum quorundam numerorum ratione habita, non quattuor, octo, duodecim pro centum: ſed centum pro vno, pro centum centena millia, & quod excurrit, liberaliter perſoluit: ob cauſſam ſuperius inſinuatam quia in manibus Dei res illi commiſſæ, creſcunt ſine termino, obulus vltra talentum. An non recte dictum à M. Leone, Deus *largiſſimus redditor vſurarum?*

Vſura vſurarum.

Ex eodem fonte aliud liberalitatis diuinæ genus in hac eadem re deducimus. Ad cuius intellectum ex legum veterum cognitione illud prætermittamus. Licet, vti modo eſt dictum, vſuræ legibus Imperatoriis permitterentur, prohibitas tamen iiſdem fuiſſe VSVRAS VSVRARVM. Explico. Mutuat tibi amicus centum, vt reddas illi centum cum vſura centeſima: hoc eſt, lucro duodecim numûm ad annum. Erat lege ciuili prohibitum, vt ſi centum ac lucrum duodecim non ſolueretur tempore in contractu præſcripto, ne exigeretur vſura in anno ſecundo ex illo lucro duodecim, ſed tantum ex centum, ſicut primo anno. Atque ita ſemper in aliis annis ſequentibus, nunquam licebat vſuram exigere ex lucro per Vſuras acceptio, ſed tantum ex ipſo capitali mutuato, vt conſtat ex L. *Placuit.* ff. *de Vſuris.* & L. *vt nullo.* Cod. de. vſuris. Non eſt tam teſtrictus Deus, qui vt noſtros theſauros immenſum augeat, Vſuras vſurarum ſoluit. Quod vt omnes percipiant, ponenda ſunt quædam ex Theologiæ ſcholis, quæ ego certiſſima iudico, quãdo de bonorum operum præmiis, & augmento gratiæ ac gloriæ, quod bonis operibus conſequimur, agitur.

Operibus bonis augetur gratia & gloria.

SIT igitur tertium genus bonorum, ex quibus Deus Vſuras ſolet ſoluere, quod Theologi virtutum nominant, quæ ab homine ſanctitate prædito, ſeu, vt in ſcholis dicimus, iuſtificato, ſtudioſe exerceri ſolent. His virtutum officiis varia reſpondent præmia, quæ ſunt tanquam merces, ac precium quoddam bonorum operum. Primum eſt augmentum, vel auerſio quædam gratiæ, caritatis ac virtutum; Secundum eſt incrementum gloriæ vel beatitudinis, & quæ inde conſequuntur, innumera. Exemplum demus obuium. Dum ex adoleſcentum numero quiſpiam ſpiritu diuino inſtigatus, ex amore Dei, ac proximi propter Deum dilecti, dat egenti, ſi non poteſt aliud, vel calicem aquæ frigidæ ad refocillationem: vel conſolatur pauperem, vel frequentat ſacramenta, vel orationi incumbit, vel temperantiæ, & religionis ſtudio, ieiunium ſuſcipit: has actiones, quas per vanam gloriam, vel æſtimationem ſui, aliosque minus probos fines, Dæmoni vel mundo mutuare poſſet, quia ex caritatis præſcripto, in Deum transfert, illique quicquid in iis boni, ac proprium tribuit: Deus, qua eſt liberalitate, præter ſortem actionum, quam adoleſcenti reſtituit (permittit enim vt illius ſint, ac dicantur, & ex iis fructum omnem capiat) vſuræ loco, tribuit illi primum gratiæ ac caritatis magnam acceſſionem: fit ſanctior, Deo gratior, & creſcit in eius amicitia.

Satisfactum videtur Vſuras expetentibus, nobis fortaſſe, ſed non illi, qui eas diſtribuit, Deo. Nam huic gratiæ augmento, quod vſuræ nomine datur, aliud incrementum gloriæ ac beatitudinis adiungit. Quod, cum non niſi ob auctam gloriam, caritatemque tribuatur, profecto *Vſura vſurarum* merito vocari poteſt.

Eiuſdem rei, omnibus tam fructuoſæ declarationem, non minus, vt reor, quam ſuperiorem, accommodatam accipite. Dum quis gratia diuina ornatus, Deum vel proximum Dei cauſſa, diligit, & ſtudioſe virtutum varias functiones exequitur: præ-

Digitized by Google

præterquam quod in diuina gratia creſcat, dat illi Deus maiorem eaſdem actiones perficiendi facultatem & promptitudinem, quam augmentum habitus vocamus, cuius vi virtuteque ſi alias eiuſdem rationis operationes exerceat: quod non niſi Vſurâ diuinæ gratiæ ſibi collatæ poteſt fieri, maiorem illi gratiam confert Deus: imo continuationi ipſi operationis, vt ego quidem exiſtimo, ſua reſpondet merces quod ſane eſt Vſuram vſurarum perſoluere.

Exempli cauſſa. Habes contubernalem vel vicinum tibi notum, quem cum animaduerteris multo tempore raro ad ſacramenta diuina accedere, deinde tibi refertur, à fide dignis, illum ad ea frequentanda ſæpius itare: audis poſtea frequentiſſime accurrere ad diuina illa myſteria, bene habet: cogita illi Deum adnumerare Vſuras vſurarum. Dum obſeruas ſocium tibi carum retroactis annis gulæ ac potationi deditum, tandem temperantiæ legibus ſe ſubdere: Sed tamen vacillare non raro, labi etiam interdum: pugnare nihilominus viriliter: & iteratis abſtinentiæ actibus de ſe glorioſam reportare victoriam, tum de die in diem proficere: de virtute in virtutem progreſſum facere: nunquam conſiſtere; perſuadeas tibi velim, Deum ad priores virtutum Vſuras alias addere, & Vſurarum vſuras effundere. Dum etiam in te experiris, quod olim tam graue videbatur, & acerbum, oculos, ne vanitates in plateis ac templo conſpicerent, continere: cogitationum turpium ac fœdarum ſentibus, ignem gehennæ iniicere, & piæ meditationis falce eas præcidere, & exſcindere; manus à ludictis, & ſceleratis, nefandiſque tactionibus retrahere, os à futilium inhoneſtorumque verborum profuſione cohibere: mentem in Deum figere: contemplationi diuinæ vacare: litteris ac pietati æque incumbere: nunc tibi eſſe tam facile, & iucundum, quodque magis admirandum, dum ſentis diuino illuſtratus lumine, ſordere tibi vana, deſipere terrena, arridere cœleſtia: nihil eſſe moleſtius peccatis, nihil amabilius virtute, Deum vſurarum Vſuras tibi admetiri perpende, ac gratias age.

QVANTA hæc eſt liberalitas? Cuilibet actui bono merces, tanquam ſors ipſa redditur, incrementum caritatis, velut vſura accedit: ſi multiplicentur actus vel continuentur, Vſura vſurarum ſoluitur: & hoc non ſemel, aut aliquoties, ſed ſemper dum iuſtus opus aliquod gratum Deo offert, contingit. Ergo, dicat Philoſophus, Vſuræ vſurarum apud Deum in infinitum creſcent. Ita eſt; neque hoc cenſeri debet abſurdum. Sed quomodo ſoluendo erit Vſurarius, cum ſine termino extenditur debitum. Hanc tu Deo curam permitte, cui eſt bonorum infinitus Oceanus: tuum eſt curare, vt ſi iuſtus ſis, iuſtificeris adhuc: id eſt, ſemper magis, magiſque in iuſtitia creſcas.

Porro longe diuerſo à dictis hactenus, modo; cum Vſura hominibus ſoluit, id eſt, vltra ſortem bonarum actionum peculium munificus Deus, dum beatitudinem iis adſignat. Nam vt eſt commune Theologorum effatum: Deus præmiat vel remunerat opera iuſtorum vltra condignum: Quamuis enim pronunciatum illud variorum ſit interpretationibus expoſitum, res tamen eſt omnino indubitata apud bene ſentientes, Deum in aliquo ſenſu conferre ſolutionem bonorum ſupra condignum, & ſortem debitam; ſaltem pluſquam mereatur dignitas operum, ſi conſideretur ſecundum ſe abſque gratia adoptionis, quam ſancti habent. Et ſane grauis inter propoſitiones à Pio V. Pontifice Maxim. contra Doctorem Louanienſem Michaëlem Baium damnata eſt illa ordine quintadecima: Opera bona non accipiunt maiorem mercedem, quam iuſto Dei iudicio mereantur accipere. *DEVS præmiat vltra condignum. NOTÆ.*

Veriſ-

Digitized by Google

Veriſſimum eſt illud Pauli ad Rom. 8. 18. Non ſunt condignæ paſſionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æter- *2. ad Corinth. 4. 17.* num gloriæ pondus operabitur in nobis, vt ſcribit idem Apoſtolus Epiſtola poſteriore ad Corinthios. 4.

Accidentia beatitudinis. Ad hanc Vſurarum ſolutionem pertinent omnia illa, quæ à Theologis accidentia Beatitudinis vocantur. Cum enim beatitudo ipſa ſit totalis ſors, qua nobis plene, quod debetur, ob mutuam pecuniam operaſque præſtitas perſolui poſſet: reliqua, quæ ſuperadduntur præter ſortem accedere cenſeri debent. Sunt autem illa multiplicia. Nam Beatitudo noſtra ſeu Felicitas, quæ regni cœlorum nomine *Viſio Dei.* exprimi ſolet vna Dei viſione beatifica continetur. Similes Deo erimus, cum videbimus eum ſicuti eſt, 1. Ioann. 3. reliqua extra Beatitudinis ſubſtantiam, cum D. Thoma eſſe arbitramur, quamuis aliqua magis, aliqua minus ad illam accedant. Deus igitur non contentus hanc ſortem nobis in ſolutionem dare adiungit alia.

Amor Dei. Ac primo, quidem amorem Dei clare viſi, qui tanti boni rationem habet, vt nonnulli ſummi nominis Theologi, illum eſſe ſortem principalem præ ipſa præ- *1. 2. Q. 3. 24.* uiſione exiſtiment. Verum Doctor Angelicus, eiuſque ſectatores, amorem ſiue dilectionem accidens eſſe Beatitudinis eſſentialis profitentur.

Delectatio. Secundo, delectationem ſeu voluptatem & ineffabile quoddam gaudium de Deo ſummo bono iam poſſeſſo, eiuſq; fruitione. Inebriantur enim Beati ab vber- *Pſal. 35.* tate domus tuæ Domine: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Audiet quilibet *Matth. 25.* ex electorum numero: Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. *Ioann. 16.* Omnibus dicetur, Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Torrente voluptatis tuæ potabis eos, Domine, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbis *Pſal 35.* lumen. Et hæc quidem duo dilectio & delectatio; vel amor & gaudium proxime accedunt ad ipſam Beatitudinis rationem: vel ex ipſa neceſſario conſequuntur, vt idcirco ipſum nomen non raro ſortiantur, vereque dictum ſit ab Auguſtino Lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 32. *Summa merces hæc eſt, vt Deo fruamur*, Et lib. 10. Confeſſionum cap. 21. *Omnes ipſum* gaudium *vitam beatam vocant*, eodemque libro cap. 23. *Beata vita eſt* gaudium *de veritate. Hoc eſt enim* gaudium *de Te, qui veritas es, Deus illuminatio mea. Hanc vitam beatam omnes volunt*. Et lib. 8. de ciuit. Dei cap. 9. *Nemo beatus eſt, qui eo quod amat non fruitur. Quiſquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque & ſummum bonum amat, quis eum beatum, niſi miſerrimus neget?*

Dotes animæ beatæ. His accedunt alia quattuor beatitudinis accidentia, quæ colligunt Theologi, ex rationibus quattuor quæ in conſecutione ſummi boni conſiderantur, & vocantur Dotes animæ beatæ.

Viſio. Prima eſt viſio clara diuinæ eſſentiæ, quatenus dicit ordinem ad fidem obſcuram cui ſuccedit: ſic enim peculiari gaudio afficit beatum, qui antea non niſi cognitionem obſcuram habuit.

Delectatio. *Secunda*, delectatio in ſummo bono adepto, non abſolute, vt delectatio eſt, ſic namque fluit immediate, vt loquuntur Theologi, ex viſione: Sed vt refertur ad amorem actualem vel habitualem, quo beati voluntas in hac vita ferebatur in ſummum bonum, vt illo aliquando frueretur.

Comprehenſio. *Tertia* eſt comprehenſio: non vt ſignificare ſolet cognitionem Dei tam perfectam, quam perfecte Deus eſt comprehenſibilis per intellectum. Sic enim Deus à nul-

à nullo intellectu creato comprehendi poteſt. Neque vt ſignificat aſſecutionem ſummi boni per viſionem ſic enim eſſentialiter eſt ipſa viſio beatifica, ac eſſentialis beatitudo: ſed quatenus reſpondet ſpei actuali, vel habituali, qua beatus dum in via eſſet tendebat in ſummum bonum, vt aliquando tandem illud per viſionem conſequeretur.

Sentit quod dico, qui amat & amicum habet, vt iuſtus, luminibus ſibi ſuis cariorem: ad quem peregre profectum feruentibus anhelat animi votis ac deſideriis: ad illum gemebundus mittit non ſine lacrimulis ſuſpiria. Videre videtur dum ſolitudinem petit, ſed non vides: occurrere ſibi illum fingit, dum in agro meditabundus obambulat, ſed ſpe fruſtratur. In amplexus aduenientis ruere ſe putat; ſed vmbram inanem cingit; illud noctu diuque ingeminat: *Sperantis deſideria.*

O mea lux & vita redi, tibi brachia pando:
Brachia iam nimia pene ſoluta prece.
Tempora ſignat amor, reditus mihi longior iſte
Iam fit odyſſea, durior Iliade.
Seu rutilat puro phœbus: ſeu Cynthia curru,
Tu mihi nocte metus, tu mihi luce dolor.
Nulla mihi requies neque ſol ſine nubibus ibit,
Dum ſol & noſtra cauſſa quietis abes.

Quod ſi repente conſpiciatur ſui copiam faciat: ſe contrectari permittat: arridendi, alloquendi, amplexandi nullum finem faciat, quod nam ibi gaudium? quæ delectatio? quæ ſuauitas? inexperto non dicenda, difficilis cogitatu, difficilior dictu.

Quarta Dos felicis animæ eſt Rectitudo voluntatis tanta, vt nequeat Beatus amplius peccare: optanta omnibus ſtabilitas. Sic oportebat hominem fieri, inquit Auguſtinus, vt & bene velle poſſet & male. Poſtea vero ſic erit, vt male velle non poſſit. Quomodo Deus noſter beneficia beneficiis, vſuras vſuris cumulat. Sed nondum ſatisfactum eſt in exhauſtæ liberalitati: quæ aliis multis in rebus vſuras nobis perſoluendi rationes inuenit. *Rectitudo voluntatis.*

Eſt autem poſt prædictas late patens vſurarum diuinarum materia, CORPVS, quod ſi Deo mutuo dare volueris, eius in ipſum transferre dominium, vt eo non niſi ceu inſtrumento Domini tui vtaris, illius honori corporis omnibus membris deſeruias: nunquam illa niſi ad ipſius voluntatis beneplacitum moueas: & illud ipſum multis partibus perfectius tibi ſuo tempore reddet: ac liberalitatis conſuetæ memor multiplices vſuras pro gratiſſimo mutui officio perſoluet. Hoc autem contingere ſacræ Theologiæ peritis nullum eſt dubium. Ex eius enim certiſſimis effatis conſtat, primo renaſcentis mundi die, corpus animæ iam olim beatæ, ſed conſortis ſocietatem expetenti redonandum: non quidem omnino tale quale nunc eſt, neque tamen etiam cœleſte & aëreum, vel, ſpirituale; ſed carne, ſanguine, oſſibuſque, ac omni perfectione naturali abſolutum. Et hanc quidem ſortem principalem nominare poſſis, quæ à Deo decretorio illo die tibi adnumerabitur. *Corpus reſurget ſpirituale quomodo?*

Sed Vſurarum conditionem induunt quattuor illa pulcherrima ornamenta, quæ à ſcholaſticis ita appellantur, & Beatorum corporibus ſunt à Deo contributa. Colligunt illa haud inepte ex iis D. Pauli primæ ad Corinthios Epiſtolæ capite 15. licet alia quoque ſuppetant ad eadem dona ſtabilienda è ſacris paginis teſtimonia. *Seminatur,* inquit, Apoſtolus, *in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate,* *Dotes corporum beatorum.*

tate, ſurget in gloria: Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute: Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. In qua ſententia *per incorruptionem*, intelligunt Doctores *impaßibilitatem*; per *gloriam*, *claritatem*: per *virtutem*, *agilitatem*: per *ſpirituale*, *ſubtilitatem*. Siquidem hæ ſunt dotes corporum beatorũ, *impaßibilitas*, *claritas*, *agilitas*, *ſubtilitas*. Quarum rationes ac diſcrimina quo pacto colligantur docebit te Theologorum Magiſter, & ſubtilius diſputant illius diſcipuli, nos vſuræ diuinæ magnitudinem perpendimus.

S. Thom. ſupplem. q. 82. & ſeqq.

Subtilitas corporis.

Non ſatis eſt Deo iuſtis corpora reddere: reddet eadem per adiunctam dotem ſubtilia: non quia vertentur in ſpiritum, vt quidam hæretici voluerunt, quos refellit Auguſtinus Lib. 13. de Trinitate cap. 22. neque per raritatem inſtar aeris, aut venti, quod finxit Eutychius teſte Gregorio: erunt enim palpabilia, vt corpus Domini poſt reſurrectionem. Sed per hoc quod erunt perfectiſſimè, & completiſſimè ſubiecta animę rationali, atq; adeò ſpiritui: ſubtilia namq; corpora eſſe, ac nominari ſolent, ſunt ea, quæ facilè ſubſtant variis formis, vt aer, aqua, ſimilia.

Greg. lib. 14. mor. 31.

Impaſſibilitas.

S. Tho. q. 81. art. 1.

Ioan. Damaſcen. lib. 2. de fide cap. 22.

Reddet eadem impaſſibilia. Nimirũ adeò illa perfectè erunt ſubiecta ſuæ formæ, ſiue animæ, vt nihil contrarium, ſeu alienum prædominetur huic ſubiectioni, quod poſſit illa ad formam extraneam diſponere aut attrahere. Excluder autem impaſſibilitas ſolam paſſionem corruptiuam, quam Ioannes Damaſcenus appellat motum præter naturam, quoniam trahit materiam ſubiecti ad formam alienam. Non excludet igitur paſſionem animalem, ſeu intentionalem per receptionem ſpecierum ſenſibilium intentionalium. Erit enim corporibus beatorum decentiſſimus, ac iucundiſſimus vſus potentiarum ſenſitiuarum: licet de guſtu nonnulli ambigant; ſed non eſt cur hoc ſenſu, felicitate donatos priuamus.

Agilitas.

S. Thom. qu. 84. art. 1.

Sap. 3.

Agibilia autem erunt eadem corpora, quatenus beneficio cuiuſdam qualitatis erunt animæ, vt motionis principi ſubdita. Itaque velociſſimè ad nutum in omnem partem ſe transferent: current, & non laborabunt: ambulabunt & non deficient. Iſaiæ cap. 40.

Sotus in 4. diſt. 49 q. 4. art. 7.

Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent, inquit Sapiens. Et quidem ſi penetratiuè ſunt intra cœlum empyreum, penetratiuè quoque quam celerrimè intra illud ipſum mouentur: vel motu progreſſiuo: vel ſurſum ac deorſum, & quaqua verſus pro libito.

Luc. 24.

Denique clara erunt Beatorum corpora noua lucis qualitate, quæ multò magis quam lux vlla à nobis vnquam viſa aut videnda ſplendorem inducet: qui oculis Sanctorum videri poterit, ſed non niſi quatenus colluſtrata fierit collibitum. Cuius rei exemplũ habemus in Chriſto, qui cum placuit, euanuit ex oculis pręſentium.

Tres Aureolæ. Laureolæ.

Martyres.

Aliam vſuratum materiam ſi requiris, cõſidera triplex quoddam bonum multis proprium, quod ſi Deo offerant, immane quoddam ſupra ſortem accipient. Quodnam illud? Vita, virginitas, eruditio. His enim præter beatitudinem, quæ iuſtis omnibus obuenit, reſpondebunt tres Aureolæ, ſeu Laureolæ, quibus donabuntur, ſiue qui vitam per martyrium: ſiue caſtitatem per votum: ſiue eruditionem in aliorum inſtitutione Deo dedicauerunt. Quia enim inter Beatos triplicis generis homines propter ſingulare victoriæ genus, qui de ſingulari quilibet hoſte ſuo, memorabili certaminis genere retulerunt, ſingularis quoque præmii genere decorabuntur, Aureolas, ſiue Laureolas iis deferri tanquam præclaris luctatoribus dicunt ſcholaſtici. Et primum quidem locum in hoc cenſu obtinent *Martyres*, magni vtique vſuratii, qui de mundo ac eius tyrannide, dum vitam expoſuere

ſuam,

Digitized by Google

ſuam,glorioſè triumpharunt. *Vincenti*, inquit Chriſtus, *dabo manna abſconditum: & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* *Apocal.* Sequuntur *Virgines*, quæ de carne ſua victoriam reportarunt: ideò illis ſingulare præmium ac decus debetur. *Virgines.* *Dabo eis in domo mea*, ait Dominus per Iſaiam, *& in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.* *Iſa.56.*

Tertiam in hac ſerie vſurariorum claſſem conſtituunt *Doctores*, qui ſuo in genere bellicoſiſſimi Diabolum vincere dicuntur, quando non ipſi tantum eum ſuperare, ſed alios etiam, iam ante in illius caſſes coniectos, ad libertatem adducere conantur. *Doctores.* Quod decus præcipua quadam ratione ad Legum, & SS. Theologiæ eximios Magiſtros ſpectare videtur. Verum rectè admonet Doctor Angelicus, Aureola iſta danda minimè eſt propter Doctoris titulum & dignitatem ſiue auctoritatem, ſed propter officium ipſum, quo quis in republica, vel Eccleſia docet alios, quæ ſunt ſalutaria. *Corona enim*, inquit S. Thomas, *non debetur habitui, ſed pugnæ actuali*, iuxta illud ſecundæ ad Timotheum ſecundo capite. *Non coronabitur*, niſi *qui legitime certauerit*. Quamobrem quod habetur Danielis 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt: intelligi debet de his, qui docti fuerunt, cum vtilitate aliorum, per actuale miniſterium & officium docendi in Eccleſia.* *S.Thom. qu. 96. art.7.* Sicut patet ex iis quæ ſubiunguntur. *Et qui ad iuſtitiam erudierint.* Attendite, Academici, & literis ac pietati operam date: ſtudete adoleſcentes mihi cari, cathedræ vos expectant: ſudandum eſt, ſed animos ſumite. *Daniel.12.* *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudierunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

NOTÆ

DE VSVRA.

DE Vſura agunt Theologi, Iuriſperiti, Philologi, è quibus fundamenta Commentationis deſumpſimus. S. Thomas 22. quæſt. 78. ibidemque Caietanus, & alii eius Interpretes. Gregorius de Valentia. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 23. Ioannes Salas opuſculo de quinque Contractibus. Leonardus Leſſius Lib. 2. de iuſtitia cap. 20. S. Antonius parte ſecunda tit. 1. ca. 6. vſque ad 11 Scholaſtici communiter in Quar. diſtinctione 15. vbi Gabriel quæſt. 11. Maior quæſt. 29. Dominicus Sotus Lib. 6. de iuſtitia. quæſt. 1. Medina de rebus reſtituendis ex vſura per quæſtiones aliquot. Conradus de Contractibus Tractatu ſecundo per quæſtiones 37. Adrianus in Quartum Titulo de Reſtitutione. Summiſtæ. *Verbo*, Vſura. Nauarrus cap. 17. & Commentario de vſuris ſuper Caput, ſi fœneraueris, 14. q. 3. Ludou. Molina Tom. 2. de iuſtit. Tract. 2. à diſp. 303. Ioannes Azor Tom. 3. lib. 5. Iuriſconſulti Cod. *de Vſuris*. L. *Adhæc*: & Leg. *Ad eos*. Canoniſtæ in Decreto D. 47. & 14. quæſt. 3. & 4. in Decretalibus & in 6. Couarruuias libr. 3. Variar. cap. 1. Villaguta Lib. de Vſuris. Ludouicus Lopez. *Inſtructorio Confeſſariorum parte ſecunda.*

§. VSVRA.] Sumitur hoc nomen aliquando latiſſimè pro vſu rei cuiuſcunque. Sic dicitur lucis ac vitæ vſura. atque hæc eſt *prima* acceptio. *Secundo*, accipitur pro fructu ex vſu rerum proueniente vltra ipſam rem. Verbi cauſſà. Fructus, qui percipitur ex ſemine terræ mandato vltra ipſum ſemen dicitur vſura ſeminis, id eſt, fructus. *Tertio* pro queſtu vel lucro, quod è mutuo percipitur, idque dupliciter. *Primo* latè pro lucro, quod è mutuo vltra ſortem nobis creſcit: at non ex ipſa vi mutui, ſed aliundè, nimirum, ratione lucri ceſſantis, aut damni exurgentis: aut etiam ratione periculi, cui mutuum exponitur: aut ratione laboris, ac impenſarum, quæ

probabiliter timentur futuræ in mutuo recupetando : aut ratione alterius contra-
ctus in mutuo admixti. *Secundo* ſtrictè, pro lucro quod accipitur ex mutuo ob ipſum
mutuum. Hoc lucrum vocant Græci τόκον, quaſi ſit pecunia quidam partus, à τίκτω,
id eſt, pario: hinc τοκίζειν eſt vſuram exercere. Hebraicè appellatur vſura נשך Ne-
ſek, quaſi morſus, quod mordeatur ſubſtantia mutuatarii, nam extrahitur aliquid
vltra ſortem. Vſitata vox Latinis eſt Fœnus, quaſi pecuniæ fœtus, partus, ac fru-
ctus.

§. Carolvs Molinævs.] Eſt in indice librorum prohibitorum : poſtea
ſub nomine Caballini idem Venetiis eſt editus ſuppreſſo nomine typographi an-
no 1576. & deinde Lugduni & alibi detractis nonnullis erroribus.

Hæretici noſtri temporis Caluino auctore ad lucrum ex fœneratione faciendum
inuitantur: ſcribit in Reſponſis de Vſuris, Vſuram nullo ſcripturæ loco omninò
prohiberi. Quo fretus axiomate non nemo in Delphinatu reformatæ Caluiniſticæ
Miniſter, cuidam non obſcuri nominis viro, interroganti, faſne eſſet non facta
prius vſurarum reſtitutione ad cœnam accedere? fas eſſe reſpondit: nec vſuram vl-
la ratione ad conſcientiam pertinere, ſed ad politiam externam ſolummodo. Lege
Ludouicum Richeomum in Idololatria Huguenotica. Lib. 5. cap. 21.

§. Vsvræ materia Eleemosyna.] Plurima ſunt ad hunc titu-
lum ſacræ Scripturæ & Patrum Doctorumq; teſtimonia. Pſalmo 36. 26. de iuſto
ac miſericordiæ operibus dedito. *Tota die miſeretur & commodat.* Vertunt aliqui:
Fœneratur. quod valet Græcum δανείζει. Aquila, δωρεῖται, καὶ δανείζει: *donat & fœne-
rat.* Quo loco Auguſtinus. *Da modica accipe magna: da temporalia, accipe æterna: da ter-
ram, accipe cœlum.*

Diſcrimen autem inter Iuſtum & Impium in hoc vſurario contractu præmiſit
Pſalmiſta verſu 21. *Mutuabitur peccator, & non ſoluet: Iuſtus autem miſeretur & tribuet.*
Impiorum ſumma eſt crudelitas, & auaritia: nihil dant pauperibus, hinc iuſto Dei
iudicio ad illas rediguntur anguſtias, vt mutuo accipere cogantur: quod tamen
poſtea non ſoluunt, nunquam autem ipſi mutuant, vel aliis quidquam impertiun-
tur. Conſule eo Pſalmi loco Lorinum, qui varia ad hanc rem congerit.

Exempla admiratione digna ſunt. Celebratur maximè Euagrii Philoſophi, qui
ab Epiſcopo quodam Alexandriæ conuerſus ad fidem ex Paganiſmo, cum audiſſet
centuplum dari pro Eleemoſyna libras 60. dedit Epiſcopo diſtribuendas pauperi-
bus, accepta ab Epiſcopo ſyngrapha, quod pro vna centum in illo ſeculo à Chriſto
eſſet recepturus: iuſſitque moriens filiis, vt ſyngrapham Epiſcopi manui morientis
inſererent. Quo facto die tertia apparuit Epiſcopo Philoſophus in ſomnis, dicens,
vade ad ſepulchrum meum, & recipe chirographum tuum: nam debitum commu-
ne recepi: imò centuplum à Chriſto per te promiſſum. Diluculo Epiſcopus con-
uocato Clero perrexit ad ſepulchrum: Philoſophum ſedentem, & manum cum
litteris protendentem inuenit. Pontifex accepit litteras, eaſque Philoſopho recum-
bente, publicè perlegit: Ita autem erant ſcriptæ. Euagrius Philoſophus Epiſco-
po ſuo: Nolo, te, Pater ignorare, quod pecuniam omnem quam tibi adhuc vi-
uens in corpore, dedi, centuplicatam, ſicut mihi promiſeras, recepi. Quamobrem
nulla debiti ratione mihi amplius adſtringeris. Ita Hugo Athenianus libro de Ani-
marum regreſſu ab Inferis cap. 15. in Bibliotheca SS. Patrum Tom. 9. Non tamen
hic quiſpiam collybiſticas ſchedas fingat, de quibus apud Bonzios vſitatis in Iapo-
nia Horatius Turſellinus in Vita S. Franciſci Xauer.

Ad

Digitized by Google

Ad Ioannem Eleemoſynarium euntem ad Eccleſiam acceſſit quidam nobilis, cui fures,quas habebat,facultates diripuerant, ſicque erat ad extremam redactus paupertatem. Cuius miſertus, quæ tam breui tempore acciderat inopia, iuſſit ei dari quindecim libras auri. Ille autem, cui mandatum erat, vt daret, partim quidem cedens inobedientiæ,partim autem ſuggeſtioni eorum,qui adminiſtrabāt res Eccleſiæ, tanquam non eſſent multa reliqua, quaſi neſciret Ioannes Epiſcopus, quid in ærario eſſet, quinque tantum egenti obtulit. B.autem Ioanni ex Eccleſia egredienti mulier quædam vidua diues admodum tradidit illi chartam in qua ſcriptum erat donum quingentatum librarum. Quam cum legiſſet, intellexit ex ea, quæ in ipſo habitabat gratia, id, quod non fuerat factum, prout iuſſerat, nimirum diminutionem quindecim librarum auri. Cum ergo eos, qui id fecerant, accerſiuiſſet, examen inſtituit. Illi autem mendacio rem tegere conabantur: quare vocauit eum qui pecuniam acceperat, & cum reſciuiſſet eum accepiſſe ſolum quinque libras, oſtendens iis chartam mulieris: A vobis, inquit, Dominus eſt exacturus alias mille.Si enim vos quindecim libras,vt à nobis ſtatutum fuerat,ei,qui rogarat, præbuiſſetis, mille & quingentas Deo præbuiſſet mulier.

Vt autem factis fides fiat, eius, quod vobis eſt incredibile: accerſite ait hanc piam mulierem. Cum ea autem acceſſiſſet, & aurum promiſſum attuliſſet, Dic mihi inquit Patriarcha: an tantum pecuniæ ſtatuiſſes Deo offerre ab initio? Illa cum ſenſiſſet Patriarcham non latere id, quod ſeorſum factum fuerat,magno metu correpta vniuerſum arcanum enunciauit, dicens: Reuera, mille & quingentas libras tibi datas: paucis autem poſt diebus cum eam euoluiſſem,inueni mille, neſcio quo modo deletas ſua ſponte. Hinc iudicaui Deo omnino non placere, vt plures quingentis libris offerrem. Hæc illis, quæ audierunt, magnum metum iniecerunt: & accedentes ſimul ad pedes magni Ioannis petiuerunt vt ſibi remitteretur peccatum inobedientiæ. Viduæ autem Chriſtum amanti Ioannes imprecatur à Deo multam benedictionem, miſit vt abiret in pace. Simeon Metaphraſtes in vita Ioan. Eleemoſy. Til. Bredenbach,lib. 6. Collation.cap.10. Catechiſmus hiſtoriæ: cap. 7. Tit. 3. Exemp. 3.

Occurrunt aliquando in via S. Germano Epiſcopo Antiſiodotēſi in Gallia pauperes eleemoſynam poſtulantes. Conſulit ille Diaconum,quantum eſſet in ærario: tres tantum aureos reſpondet: quos ſtatim iuſſit Epiſcopus erogare. Ad hæc Diaconus: vnde victuri hodie ſumus. Reſpondet epiſcopus: paſcet Deus pauperes ſuos. Tu quod habes, præſta pauperibus. Diaconus quaſi prouidus, duos erogat: reſeruat vnum: dumque agitur iter inceptum, veniunt poſt eos equites concitatiſſimo curſu à Leporio ſpectabili viro miſſi, qui ducentorum ſolidorum munus obtulerunt. Deinde conuerſus ad diaconum, ait, accipe, quæ traduntur, & intellige te fraudem feciſſe pauperibus. Si totum quod dedi indigentibus contuliſſes, remunerator noſter trecentos hodie reddidiſſet. Surius Tom. 4. in vita. S. Germani, Iulii 31. lib. 2. cap. 2.

Centuplum datur B. Germano pro eleemoſyna.

S. Marcellus Archimandrita monaſterii τῶν ἀκοιμήτων,id eſt,non dormientium, iuſſit æconomo ſuo dare tribus Epiſcopis,à captiuitate redeuntibus quicquid auri habebat. Ille ex decem aureis nouem dedit, vno retento,volens fungi officio prouidi œconomi. Venit paullo poſt ad Marcellum quidam donans eum nouem talentis: Quibus acceptis ait ad oeconomum Abbas: Ecce ô auare, quis ſit exitus tuæ parſimoniæ: fecit vt vno talento minus acceperimus, decem vtique accepturi,

Pro nouem aureis nouem talenta.

ſi decem aureos dediſſes. Hæc eſt menſura bona conferta, coagitata, ſuper effluens, quam Chriſtus promiſit. Aloyſius Lipoman. Tom. 5. ex Simeone Metaphraſte, Surius 29. Decemb.

Rependitur cum fœnore ſextuplum.

Cum in Samio Inſula eſſemus narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria Mater Domini Pauli candidati, dicens: Cum eſſem in ciuitate Niſibe, erat ibi Chriſtiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes: habebant tamen quinquaginta numiſmata. Die vero quadam ait vir vxori ſuæ. Demus hæc numiſmata fœneratori, vt aliquod ſolatium ex iis capiamus: ea autem ſigillatim conſumimus, & deficiunt. Reſpondens autem bona mulier. Si placet, inquit, fœnerari, veni, demus illa ſub fœnore Deo Chriſtianorum. Dixit ei vir eius. Et vbi eſt Deus Chriſtianorum, vt demus ei? Ait illa, Ego illum tibi oſtendam. Si autem huic dederis illa, non ſolum non illa perdes, ſed & Vſuras tibi perſoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: Eamus oſtende illum mihi, & demus ei. Illa vero aſſumens, virum ſuum duxit in ſanctam eccleſiam. Habet autem eccleſia illa quinque magnas ianuas. Cum ergo induxiſſet illum in eccleſiæ porticum, oſtendit ei pauperes, dicens: iſtis ſi præbueris, Deus Chriſtianorum ipſe accipit. Iſti enim omnes ſui ſunt. Mox itaque coniunx ethnicus cum gaudio cœpit erogare numiſmata pauperibus, reuerſique ſunt in domum ſuam. Cum vero poſt menſes tres neceſſitate ſumptuum anguſtiarentur, ait vir vxori ſuæ: ſoror, nihil, vt video, daturus eſt nobis Deus Chriſtianorum ex debito illo, & nunc anguſtiamur, inopia. Reſpondit mulier. Profecto dabit. Vade vbi illa dediſti & exhibebit illa tibi cum omni alacritate. Quo audito, ille currens in Sanctam Eccleſiam, venienſque in locum, vbi erogauerat numiſmata pauperibus, ac circumiens totam Eccleſiam, neminem vidit, qui ſibi debitum redderet, niſi ſolos pauperes denuo ſedentes. Cum ergo cogitaret apud ſemetipſum, cui diceret aliquid, vel à quo exigeret, aſpexit ante pedes ſuos numiſma in marmore, ex iis vnum, quæ in pauperes erogarat, inclinanſque ſe & accipiens illud abiit in domum ſuam, & ait coniugi ſuæ. Ecce profectus ſum in Eccleſiam, & crede mihi mulier, quod Deum Chriſtianorum non vidi, vt dixiſti, nulluſque mihi aliquid dedit, niſi quod hoc numiſma ibi poſitum vidi, vbi ego prius illud erogaueram.

Tunc ait ad illum mulier illa mirabilis: ipſe eſt, qui hoc tibi inuiſibiliter præſtitit. Ille enim inuiſibili poteſtate manus ſuæ diſponit hunc mundum. Sed vade, Domine mi, eme nobis aliquid, vt comedamus hodie, rurſuſque prouidebit ille nobis. Abiit ille, ac emit ſibi panem, & vinum, & piſcem, & veniens domum dedit vxori ſuæ. Quæ accipiens piſcem cœpit ipſum purgare, exenteranſque illum, inuenit in viſceribus eius lapidem valde mirabilem ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem: non tamen ſciebat, quid eſſet. Seruatum autem oſtendit reuerrenti viro dicens: Ecce hunc lapidem in piſce reperi. Videns autem & ipſe miratus eſt pulchritudinem illius, ignorabat tamen quid eſſet. Cum autem comediſſet, ait vxori, da mihi lapidem, vt vadam & vendam illum, ſi quid fortaſſe precii de illo accipere contingat. Tulit itaque lapidem & abiit ad trapezitam, inuenitque illum iam clauſa officina egredientem, ad veſperam enim iam diei erat, & ait illi, vis emere hunc lapidem? ille autem conſiderans lapidem, dixit: quiduis vt tibi pro illo ſoluam? ait illi, da quicquid vis. Ad quem ipſe, accipe quinque numiſmata. Putans autem venditor, quia illuderet ſibi, dicit ei. Et tantum vis pro illo perſoluere. Exiſtimans trapezita, quod loqueretur ironice: ait: accipe ergo pro eo decem

cem numiſmata. Venditor iterum irrideri ſe arbitratus, tacuit. Dicit illi trapezita, viginti numiſmata accipe. Ille tacebat, nihil reſpondens. Cum vero ad triginta, quadraginta, quinquaginta numiſmata emptor aſcenderet & ſe daturum iuramento adfirmaret, cœpit ille amplius lapidem æſtimare: paullatim vero emptor aſcendens, vſque ad trecenta numiſmata peruenit, deditque illa vendenti. Ipſe igitur dato lapide, acceptaque pecunia venit ad vxorem ſuam gaudens. Quæ cum vidiſſet illum exultantem, dixit, quanti illum vendidiſti: putabat autem quod illum quinque aut decem minutis vendidiſſet. Tum ille trecenta numiſmata proferens, dedit illa vxori ſuæ, dicens, tanti ſe illum vendidiſſe.

Illa ſummam diuinæ clementiæ bonitatem admirans dixit ei: Ecce Deus Chriſtianorum qualis eſt? quam bonus? quam gratus? quam diues? Vides quia non ſolum quinquaginta numiſmata tibi reddidit, quæ tu illi mutuaſti, ſed paucis diebus ipſa tibi ſextuplicata reſtituit? Agnoſce igitur, quia non eſt Deus alius neq; in terra, neque in cœlo niſi ipſe ſolus. Vir miraculo admonitus cum experimento didiciſſet ipſe veritatem effectus eſt repente Chriſtianus; & glorificauit DEVM ſaluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum cum Patre & Spiritu Sancto, plurimas referens gratias prudentiſſimæ vxori, per quam vera Dei notitia ipſi in veritate eſt conceſſa. Pratum ſpirituale cap. 185. Plura exempla habet Catechiſmus Hiſtorialis Antonii Dauroultii cap. 7. Titulo 4.

§. Vſuraria negotiatio à Patribus laudata.] Patrum de ea ſunt plurimæ ſententiæ: aliquas dedimus in contextu, alias hic ſubnectimus.

S. Baſilius in Pſalmum 14. Quando pauperi daturus es mutuum in Domini gratiam nihil inde ſperans, idem ipſum & donum & fœnus eſt. Donum quidem, quod à paupere non ſperes te recepturum. Fœnus, ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui pauca quidem per pauperem cum acceperit: maxima pro ipſis retribuit. Qui enim pauperis miſeretur, Deo fœnerat. Si quis in ciuitate diues tibi pro aliquo ſpondeat, fideiuſſionem illius accipis, Deum vero non admittis tam multa ſuper ſoluturum ſe pauperum cauſſa pollicentem?

S. Ambroſius lib. de Tobia. cap. 16. Si fœneratorum vos delectat, & vſurarum vocabulum docebo, quomodo boni fœneratores eſſe poſſitis, quomodo bonas quæratis Vſuras, dicit Salomon: Fœnerat Domino, qui miſeretur pauperis. Secundum autem datum eius retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum eſt. Ecce irreprehenſibilis fœnerator. Ecce vſura laudabilis. Nolite ergo iam inuidentem veſtris commodis me æſtimare. Putatis, quod hominem ſubtraham vobis debitorem? Deum prouideo, Chriſtum ſurrogo: illum demonſtro, qui vos fraudare non poſſit. Fœnerare ergo Domino pecuniam veſtram, in manu pauperis. Ille conſtringitur & tenetur: ille ſcribit, quicquid egenus acceperit. Euangelium eius cautio eſt. Quid dubitatis dare?

S. Chryſoſtomus Homil. 35. in priorem ad Corinthios. Sicut radix in pingui plantata ſolo, nobis ſingulis annis tempeſtiuos adfert fructus. Sic pecunia in manibus pauperum plantata, non ſolum in ſingulos annos, ſed in ſingulos dies, ſpirituales fructus adfert; fiduciam ſcilicet in Chriſtum, peccatorum abſceſſum conſcientiam bonam, lætitiam ſpiritualem: ſpem iucundam, aliaque bona, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.

Idem Homil. 7. in Epiſt. ad Roman: his qui dolent non ſtatim ſibi reddi à Deo eleemoſynarum mercedem, reſpondet, fœneratores libentius pecunias ſuas fœnori

Digitized by Google

nori dare his, qui non cito reddunt, quia ſciunt ex mora temporis fœnora creſcere: ita ſane maior erit miſericordiæ merces, ſi poſt mortem reddatur.

Quamobrem non das Deo qui tibi plura daturus eſt? Fortaſſe ob id quod multo poſt tempore dat. At qui debitum longo poſt tempore redditum opes tibi magnas auget: nam fœnus maius eſt. Etenim in fœneratiriis pecuniis idipſum vſuuenire videmus, vt fœneratores libentius his expenſum ferant, qui quod acceperint mutuo multo poſt tempore ſoluturi ſunt. Nam qui protinus reſoluit, is fœnoris rationes interrumpit. Qui autem in ſoluendo ſerus eſt, is quæſtum maiorem efficit. Itane vero obæratis hominibus moram non ægre ferimus, ſed & modis omnibus illa maior vt ſit excogitamus: obærando autem Deo ſic nos puſillanimes gerimus, vt hoc nomine cunctemur, atque tergiuerſemur?

Ex eo quod eleemoſyna ſit vſuræ materia, colligit ingenioſe Petrus Chryſologus, non faciendam cum oſtentatione ad illud Matth. 6. *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra.* Deus ſic monendo culpat non loca ſed vota: non opera ſed ſenſum, ſtudium, ſed datorem. Sibi dari vult, quod pauperi datur. Vnde homo, ſi Deo fœneras, teſtes homines non requiras: fideles arbitros non requirit, qui debita diffamat. Vrit verecundia debitorem. Da ergo ſecreto, vt quod dederis, non ſit oneris; ſed honoris.

S. Chryſoſtomus Homil. 2. de Anna, ad illud primi Regum primo: *Adduxit eum ad domum Domini in Silo.* Tantum hæc negotiatione lucrum fecit, quantum facere fas eſt, quæ cum Deo habuerit commercium. Nam capite ſequenti dicitur: viſitauit Dominus Annam & concepit, & peperit tres filios, & duas filias, & magnificatus eſt puer Samuel apud Dominum. Talis eſt negotiatio, commerciumque quod cum Deo geritur. Non ille quantulumcunque ſortis partem; ſed multis partibus conduplicatam reddit. Hæc eò commemoro, non vt laudemus tantum, ſed vt & æmulemur huius mulieris fidem.

Sic enim facientes centuplum accipiemus, & vitam æternam.] Hæc propriè ad contractum commodati ſpectant, de quo ſuo loco, ſed ad eleemoſynam & vſuram refert Didacus Lopez in Menſa ſpiritualium ciborum pro concionatoribus, Titulo, Eleemoſyna, Numero 15.

S. Baſilius in Homilia in Diteſcentes. Quemadmodum frumentum in terram cadens, lucrum proiicienti parit: ſic & panis in eſurientem proiectus multam in poſterum tibi reddet vtilitatem.

S. Chryſoſtomus Homil. 16. in poſteriorem ad Corinth. ex vſurarum conditione probat, non eſſe deſiderandum magnopere vt hic Deus pro temporalibus bonis eleemoſynæ temporalia retribuat. Hic inquit:

O homo pro eleemoſyna vicem rependi poſtulas, noli id facere, ſine eleemoſynam eſſe eleemoſynam, & non negotiationem. Contigit tamen multis vt in hac quoque receperint vita. Verum qui ita receperunt, non idcirco fuerunt ſuperiores iis, quibus vices hic relatæ non fuerunt: Quin potius nonnulli ex illis, vt imbecilliores, quia futuris non admodum alliciebantur, hic receperunt. At tu cum pecuniam fœnori das, ſortem tuam longo poſt tẽpore cupis: & fortaſſe ne recipere quidẽ, vt ex mora ipſa fœnus tibi augeatur. Hic contra ſtatim exigis: idq; cum non hic ſed illic perpetuo futurus ſis. Nõ hic iudicium ſubiturus, ſed illic cauſſam dicturus.

Plures Patrum ſententias exſcribunt Iann. Buſæus in Panario, Titulo eleemoſyna. Didacus Lopez in menſa ſpiritual. ciborum pro concionatoribus eodem verbo.

bo. Franc. Labata in apparato concionator. eodem verbo. Et in locis communibus, qui & ipſe de ſuo adiungit nonnulla. Vnum alterumue excerpo. Poſuerunt Apoſtoli in manibus Chriſti quinque panes hordeaceos. Ioan. 6. & duos piſces. Et multiplicati ſunt adeo panes & piſces, vt licet eſſent viri inuitati, quaſi quinque millia, omnes comederint, & impleti fuerint, ac ſuperauerint duodecim cophini fragmentorum. Vt nos hinc diſceremus, quod qui eleemoſynam tribuit, non amittit, quod dat, ſed multiplicat. Eleemoſynam enim dare nihil aliud eſt, quam tradere bona noſtra in manus Chriſti vbi multiplicentur & augeantur. Quod quidem maxime in futura vita fiet: tunc enim incrementum eleemoſynæ maximum videbimus.

Sæpenumero videmus fœneratores quantumuis ſint auari, ac nummorum cupidi, pecunias ſuas aliis tradere. Sciunt enim, cum fœnori illas dant, nō tam eas dare, quam accipere, atque augere: ac ſeipſi locupletare, intendunt. Sed quid aliud *Prov 15.* eſſe putaris elargitionem eleemoſynæ quam fœnerationem. Ex ſententia enim Salomonis: Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem reddet ei. Sed quid eſt, fœneratur Domino? Reſpondet ibi Hieronymus: Erogat modica temporalia, vt ab eo accipiat ampliora æterna. Cuius ſententiæ veritatem probat Dominus, cum ſe eleemoſynam facientibus dicturum pronunciat: Quamdiu feci- *Matt.25.* ſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Si igitur fœnerator propter vile lucrum, cuius cauſſa æternæ damnationi adſtringitur, pecunias ſuas aliis in vſuram tradit: cur vos non datis fœnori pecunias veſtras Deo, à quo & lucrum certum eſt: neque tamen damnationem, ſed æternam animis ſalutem, ac felicitatem comparabitis?

An veremini ne Deus fidem fallat, & pecuniam eleemoſynæ titulo illi creditam cum Vſura non reſtituat? Audite Chryſoſtomum Homilia 19. ſuper poſteriorem ad Corinth. præclare diſſerentem. Si homo, qui reſpicit, non deſpicit, ſed habet gratiam, multo magis Chriſtus. Qui enim dat, cum nihil acceperit, quomodo, cum acceperit, non dabit? Date igitur, & accipite. Date egenis eleemoſynam, & à Deo gratiam, immortalemque gloriam accipietis. Franciſc. Labeta locis communibus Titulo, eleemoſyna. num. 2.

§. Centvplvm in vſuris Dei.] Solet Deus centupla largitione obruere potius, quam decorare largitorem ſuum. Imitare quiſquis es: ni reſponderit votis Deus, dic me mentiri. Verum quid verbis opus? Audi ipſum Deum vltraneum prouocatorem, & ſponſorem. Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Credis? ſequere. Non credis? negotiatori bonæ fidei credis, & cambiali illius ſchedulæ, Deo non credis? ſed ſunt remotæ diuinæ ſponſiones, & vitæ non huius. Falleris, audi loquentem, Accipiet centies tantum: nunc in tempore hoc & in ſeculo futuro vitam æternam. Repeto: credis? ſequere. Nam quod hoc fœnus? ſi ſpondeat homo viginti, ſi triginta, in ſingulos aureos, centum, ſupra ſortem, arripis vtraque manu: nec dubitas de euentu, ſi fide ille ſit integra. Si ſpondet Deus non viginti, non triginta, ſed in ſingulos aureos centum, hæres, trepidas, non credis. Nam, ſi credetes, negligeres lucrum? Et decem millibus centum millia mercari nolles? nolles tantillo cœlum? Cum ergo habeamus hic Deum ſponſorem, qui mentiri, qui fallere neſciat, & habeamus hominem, qui inuitantem, pollicentem non ſequatur Deum, habemus incredulum, habemus addubitantem de Dei ſponſione, ſequeretur enim ſi crederet, ſi nullo pulſaretur dubio, nec permitteret hæc

Digitized by Google

lucra, aut perire ſibi, aut alio demigrare. Quod dum facit, certum mihi non credere & labaſcere apud eum fidem promiſſionis diuinæ. Carolus Scribanius in Antverpia Titulo, *liberalitas.*

In beatitudine retribuenda vſura.

§. Porro Deus præmiat vltra condignum.] Certè in beatitudine nobis adſignanda vſuram agnoſcit Auguſtinus, cuius in Pſalmum 33. hæc *ſunt verba*: Quid ergo, inquis, facio, vt ſim vtilis Fœnerator? Attende, quid facit fœnerator. Minus vult dare certè, & plus accipere. Hoc fac, & tu. Da modica, accipe magna. Vide, quàm latè creſcat fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna, da terram, accipe cœlum. Et cui dabo? fortè dicis; ipſe Dominus procedit, quem fœneres, qui tibi inhibeat, ne Fœnerator ſis. Audi ſcripturam, quomodo fœneres Dominum. Fœnerat, inquit, Dominum, qui miſeretur pauperis. Non eget tui Dominus: ſed habes alium, qui à te egeat, Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper quod tibi retribuat. Ecce Deus de ſcriptura ſua dicit. Da, ſecurus eſto, reddam. Quomodo ſolent dicere fideiuſſores? quid dicunt? Ego reddo: ego accipio. Putamusne, & hoc dicit Deus. Ego accipio, mihi das? Planè, ſi Deus Chriſtus, quod non dubitatur: ipſe dixit, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. Iterum. Cum vni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Eia auare fœnerator, vide quid dediſti: vide quid accepturus es. Si dediſſes paucam pecuniam, & ille cui dederas pro parua pecunia tua daret tibi magnam villam, incomparabiliter amplius valentem, quam tu pecuniam dederas: quantas gratias ageres, quanta lætitia tolleteris. Audi, quam

Matth. 25. poſſeſſionem det, quem fœneraſti: Venite benedicti Patris mei. Quid? quod dediſtis regnum? Abſit: terrena dediſtis, quæ ſi non dediſſetis, in terra putreſcerent, ſed percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Gemina planè, vt eiuſdem ſpiritus tubas agnoſcas, habet S. Chryſoſtomus Homil. 24. & 53. ad populum Antiochenum, dignus qui legatur, & pectoribus inſculpatur.

Sed ô incredulitas filiorum hominum? Promittit homo mendax decem pro centum, & ſortem integram mutuanti ſe repreſentaturum, & creditur ei. Promittit, qui mentiri non poteſt Deus danti Eleemoſynam theſaurum in cœlo, imo centum pro vno: imò, vitam æternam ſe redditurum: & trepidat auarus homo: ac mauult theſaurum abſcondere, vbi ærugo conſumit, quàm in cœlo reponere, vbi fur non appropiat. Robertus Bellarminus, opuſculo de Aſcenſione mentis in Deum, gradu tertio.

Qui pauperi dat pecunias, Deo fœneratur. Nulla præter hanc licitè exercetur vſura. Grandis vſura. Vnum dare vt centum accipias. Aliis fœneratoribus quattuor onera ſubeunda ſunt. Primum moleſtia conficiendi Tabulas vt conſtet ratio dati & accepti. Secundum infamis inter homines opinio. Tertium, cruciatus conſcientiæ. Quartum neceſſitas reſtituẽdi. Contra Fœnerator ſpiritualis, & myſticus, nec rationum cura oneratur: Sed dicit cum Paulo. Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare: magnam verò laudem apud homines Deumque conſequitur: conſcientia magna à quiete, & gaudio fruitur. Denique Deum habet debitorem, Carolus Regius lib. 10. de Oratore Chriſtiano, cap. 7. vbi de incitamentis ad Eleemoſynam dandam multa pro concionatoribus.

Qvod autem habet Sapiens Prouer. 19. 17. fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei. In Hebræo eſt: mutuatur domino, qui miſereſcit tenuis, & retributionem ſuam reddet ei. Eſt autem in originali vox מלוה *Malueh*, à radice לוה *lauah*, quæ ſignificat mutuo dare, deuincire, vel obſtringere ſibi ali-

bi aliquem vel fœnori dare. Chaldæus. *Qui quærit fœnerari Deo, miſeretur pauperis, & retributiq bona reddetur ei.* Accurate hunc locum exponit Quirinus Salazar, & ſenſum eſſe inquit: Qui pauperi largitur, Deo ipſi mutuo dat, tandem aliquando cum vſuris ab illo ſortem recuperaturus.

Chryſoſtomus in Pſalmum 38. Cur non dixit, qui miſeretur pauperi dat Deo. Nouit ſcriptura auaritiam noſtram: intellexit appetitum noſtrum inſatiabilem, qui ſibi maiora ad habendum proponit, redundantiam, ac plus ſemper quærere, ob eamq; cauſſam non dixit. Qui miſeretur pauperi, dat Deo, vt ne ſimplicem largitionem, & retributionem ſortis exiſtimes: ſed, fœneratur Deo: vt auarus & lucri cupidus, audito vſurarum nomine, ſeipſum miſericordiæ dedat. Mox autē ſubiungit: Deū nobis non cupiditatem abſcindere, ſed à caducis ad æterna transferre voluiſſe.

Porro, vt quis dicatur fœnerari Deo, qui tribuit Eleemoſynam, ſupponendum eſt Eleemoſynam non eſſe donum ſed mutuum, Hoc autem docet S. Baſilius Homilia in Pſal. 41. vbi perpendens ſententiam illam Lucæ 6. Mutuum date nihil inde ſperantes: Eleemoſynæ illam accommodat hunc in modum. *Eleemoſyna non eſt donum; ſed mutuum.*

Quale eſt hoc mutuum, cui non eſt ſpes reddendi coniuncta? Intellige dicti efficacem vim: & legislatoris humanitatē admirateris. Quando pauperi das in Domini gratiam, idem ipſum & donum & fœnus eſt. Donum quidem, quod à paupere non ſperes te recepturum. Mutuum verò, ſiue fœnus, ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui parua quidem per pauperem cum acceperit, magna pro illo retribuet.

Eadem eſt D. Gregorii contemplatio: qui aſſerit, Eleemoſynam pauperi datam, non eſſe donum, ſed mutuum, ſi Deum ſpectes: quoniam etiamſi pauperis intuitu, donum dici poſſit, quatenus illud recipit: Mutuum tamen eſt, quia Deus non ſortem tantum, ſed multò maiorem ac locupletiorem ſummam reſtituit.

Plura alia requiruntur vt Eleemoſyna propriè dicatur fœnus, quę exequitur Salazar: & diximus in Artifice Symbolico Littera F. verbo *Fænerator.*

Ad hanc vſurariā negociationem pertinet TEMPVS, quod hominibus Deo tribuit, vt eo benè vtendo, lucrentur Matth. 13. Lucæ. 19. Qui habet, dabitur ei & abundabit; qui autem nō habet, & quod habet, auferetur ab eo. Quoniam Deus plus temporis dabit ei, qui illud benè impendit. & in lucrū ſuum conuertit: pigro tempus quod in manibus habet, quia non vtitur, Deus auferet. Sic impii ad dimidium dierum non perueniunt. Vide Pet. Beſſeum in Heraclito Chriſtiano par. 1. pag. 148.

AD vſuras quoq; ſpectant calamitates, ærumnæ, perſecutiones, quæ Dei amicis ab optimo parente ad maiora merita & expiationem culparum immittuntur. Neque enim fruſtra dictum ab vſurarū perſolutore. Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam. Cum perſecutionibus, ait: Quia reuera non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. Quod enim in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. *Rom.* 8. 18. 2. *ad Corinth.* 41. 7.

Cum de fœnere, ac fœneratoribus ago, & illud in mentem venit, quod narrat Palladius. Serapionem Sidonium, ex antiquis illis eremi cultoribus vnum, dicere ſolitum, ſe in trium fœneratorum manus incidiſſe: nempe deſiderium pecunia-

 rum,

rum, deſiderium voluptatum, voracitatem ventris. Et quidem duobus primis ita ſe tandem ſatisfeciſſe, vt ſibi deinceps nunquam amplius moleſti fuerint: tertio autem ſe nunquã ſatisfacere potuiſſe. Si enim, inquiebat, tres dies, aut quattuor prætercam, in quibus debitum tributum ventri non ſoluo, ſtatim fœnerator iraſcitur, mortem comminatur. In horum fœneratorum manus omnes incidimus. Sed eſuriales dies ac quadrageſimale ieiunium præcipuè hoc nobis boni præſtat, quod media ex parte ab iſto fœnore reddendo nos abſoluit: vt feſtiuè commentatur Cardinalis Bellarminus Concione 22.

Tandem pulchra eſt illa S. Paulini ſententia, qua monet, vt libenter pecuniam noſtram in pauperes profundamus, & velut telonio aſſidẽtes, æs noſtrum ad menſam demus, ingentes vſuras inde expectantes. Excitemus ergo nos, inquit, ab inertiæ ſomno, & velut negligentiæ torporem excutiamus, & auaritiæ vincula rumpamus. Conſule ipſa veritatis oracula, & reſpondebit tibi Propheta. Qui miſeretur pauperis, Deum fœnerat. Cœleſtis igitur Trapezitæ hæc menſa eſt, theſaurum vitæ ſtruens, & ad margaritam negociandam Dei fœnus exercens. Qui enim fœneratur pauperes Domini, præſtolatur à Domino Deo retributionem mercedis æternæ. Paulinus Epiſtola 32.

Legis in his ſæpè, *fœnerat*, & *fœneratur*. Ad Grammaticam ſpectat, quod notat ſummus Theologus Auguſtinus in Pſalmum 36. ad verſum 21. *Mutuabitur peccator, & non ſoluet. Iuſtus autem miſeretur & tribuet.* Et verſu 26. *Miſeretur & commodat*: quod ipſe legit, *fœneratur*; Fœneratorem latinè eſſe, & qui dat mutuum, & qui accipit: & planius dici, *fœnerat*, quam *fœneratur*.

Collige ex his diſcrimen inter Deum & hominem fœneratorem accipientem mutuum. Homo ſi accipiat mutuum, & ſortem reddere recuſat, & vſuras dare renuit. Deus vtrumque properanter offert, ac multiplicat. Hominis in hac re indolem explicat graphicè Eccleſiaſticus capite 29. in quo diſſeritur de conferendo in proximum beneficio per mutuum, donationem, fideiuſſionem.

Multi quaſi inuentionem æſtimauerunt, *Fœnus* (id eſt, rem inuentam: ita vt de eo reddendo non cogitetur ab iis, quemadmodum homines agitare non ſolent, de re inuenta, maximè tali in loco vt videatur habere pro derelicta, eiuſque, qui illam inuenerit) *& præſtiterunt moleſtiam his qui ſibi adiuuerunt*, (dum repetere debitum coguntur) *donec accipiant, oſculantur manus dantis*: (blandiuntur, prenſant, venerantur, penè adorant) *Et in promiſſionibus* (quod præſcripto tempore reddent omninò: quod futuri ſint grati: quod agnituri gratiam) *humiliant vocem ſuam. Et in tempore redditionis poſtulabit tempus* (differri ac protrahi) *& loquetur, verba tædii ac murmurationum*, (ἀκηδίας, *acediæ*, pigritiæ, triſtitiæ: nauſeabundus reſpondebit, imo murmurabit, mutuatorem incuſando, vt nimis rigidum) *& tempus cauſſabitur* (αἰτιάσεται, *accuſabit*,) Fortaſſe & Deum ipſum blaſphemabit, vt auctorem ſterilitatis, aut infortunii, quod, vt cauſſam protexit ſolutionis dilatę) *ſi autem potuerit reddere, aduerſabitur* (tergiuerſando, negando debitum: aut ſimile quid adferendo in medium) *ſolidi*, (integri debiti) *vix reddet dimidium, & computabit illud* (ſummæ integræ partem dimidiatam) *quaſi inuentionem*: (tanquam ſi mutuator ponere debeat in lucro, tanquam fortuito quid repererit: & habere gratiam debitori, quod vel illam portionem ſit dignatus reſtituere) *ſin autem fraudabit illum pecunia ſua* (ſi ſoluẽdo non fuerit, quod pecuniam non habeat) *& poſſidebit illum inimicus gratis*, (nimirum habebit pro inimico vetérem amicum & benefactorem, nulla illius culpa. Quod autem deterrimum

Ritu veteri, 3. Reg. 19. 18. Iob. 31. 27. Plin. lib. 12. Apul. 2. de aſino. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 3.

num ac ſummæ ingratitudinis eſt) *conuitia & maledicta reddet illi, & pro honore, & beneficio reddet illi contumeliam. Multi non cauſſa nequitia non fœnerati ſunt* (multi abſtinuerunt à mutuo dando non quod illiberales eſſent, aut immiſericordes) *ſed quod fraudari gratis timuerunt*) quod nollent nulla ſua culpa, imò cum damno beneficium collocare. Monet poſtea Eccleſiaſticus, ne quis idcircò à mutuo dando reuocetur: & ſi qui ſint, qui tempore præſcripto reddere non poſſint, iis ob egeſtatem indulgeatur.

Agnouerunt & reprehenderunt eaſdem illiberalis animi fraudes profani. Plautus in Trinummo.

Si quis mutuum dederit, fit pro proprio perditum. Cum iam repetas, inimicum amicum beneficio inuenis tuo. Idem in captiuis Actu ſecundo, ſcena 2.

Nam fere maxima pars morem hunc hominum habet, quod ſibi volunt, dum id impetrant, boni ſunt: ſed id vbi iam penes ſe habent.

Ex bonis peſſimi, ac fraudulentiſſimi ſunt.

Hoc eſt quod ſcripſit Phalaris Epiſtola 63. ad Timœos. Debitorem improbum imitari mores camalæontis, qui pro tempore colores mutat. Laudat cum beneficium eſt accepturus: cum reddendum eſt, aſpicit vt tyrannum & impium eum, qui repetit.

Deteſtabatur iſtiuſmodi fraudulentum Rabbi Simeon, qui, vt eſt in libro Putheauoth, quærenti R. Iochanna: Quæ via foret mala, à qua eſſet abſtinendum: reſpondit, ab eo, qui mutuo accipit & non reſtituit. Qui enim mutuo accipit ab homine, perinde ac ſi à Deo accepiſſet, ſe gerere debere.

De Vſura, quam Deus præmiando, iuſtos liberaliſſime adnumerat eſt præclara illa ſententia S. Ambroſii lib. 5. de Abraham cap. 3. Non eſt ſerus ad remunerandum Dominus, & cito promittit, & multa largitur: ne infirmos animos ob dilationem mercedis ſubeat pœnitentia, contempſiſſe præſentia. Itaque velut quadam Vſuraria largitate compenſat, vt vberiora reſtituat ei, quia captus non fuerat oblatione præſentium. Ita contigit Abrahæ, cui dictum: Ego protector tuus, & merces tua magnanimis. Gen. 15.

COMMENTATIO XXXIV.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA Deum ex Contractu fœneratitio trapezitarum.

Dominica VII. poſt Pentecoſt.

In qua diſceptatur, quaſnam pecunias homo in bonis ſuis habeat, vt illas exponere poſſit menſariis, ac fœnus expetere. Simulque oſtenditur, quod cum Deus eſt Mutuator, homo debeat eſſe Vſurarius.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matthæi 7. 20.
Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam: & ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam? Lucæ 19. 23.

DEVS MVTVATOR.
HOMO VSVRARIVS.

VSVRAM huius lucis, qua ſummi numinis beneficio omnes perfruimur, ego DEVM primo rite veneratus Auditoribus meis diuturnam hodie voueo,

Digitized by Google

atque exopto: alterius vero haud paullo illuſtrioris, quia ſereniſſimi cœlites beantur, vſuram nunquam minuendam minuendam audeo ſpondere, ſi, quam Deus eſt ſeuerus in vſuris pecuniæ à ſe mutuo datis exigendis: tam vos fueritis liberales in repræſentandis. Sed hui (dicet aliquis) DEVM ne vſurarium mutuatorem aut fœneratorem facies? inuiſum & infame etiam mortalibus nomen. De nomine contendere non lubet. Quamuis ſi inſtitueretur contentio, quid metuerem? Cum Chriſtus ipſe ſe fœneratori comparet, Lucæ 7. 41. *Duo debitores erant cuidam fœneratori.* Clara eſt illa Auguſtini Confeſſio, nec Deo dedecoroſa, eius ſenſu: nam ad Deum conuerſus, ita eum laudari poſſe opinatus eſt: *nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam auarus, & exigis Vſuras.* At rem ipſam inſpiciamus, ſicque nominis quoque conſtabit ratio.

Auguſtin lib 1. confeſ. c 4.

Vt enim nupera commentatione demonſtratum reliquimus: Deum qua eſt effuſa in homines largitate, ob varia in ipſum bona à mortalibus ſponte, quaſi mutuo translata vſuras multiplices rependere, ita vt huic de vſuris inter Deum & homines conuentioni finem imponamus: hodie diſputandum ſupereſt, quam exacte à nobis viciſſim multorum bonorum vſuras expoſcat. Quod ex hodierni potiſſimum Euangelii decretis deſumendum arbitror. In eo Chriſtus ex fructibus cognoſcendum arborem docet: neque dicentem; Domine, Domine, ſed facientem voluntatem Patris in regnum ingreſſurum. Fructus autem quid aliud deſignat, quam *Vſuram*? Siquidem *Vſura*, cum aliquando pro vſu cuiuſque rei ſumatur. Quomodo vitæ vſuram dicimus, interdum pro quæſtu, ſiue lucro, quod ex mutuo recipitur vltra ſortem. Sic non raro pro fructu ex vſu rei proueniente, vltra ipſam rem à probatis auctoribus vſurpatur. Quo pacto, fructus, qui percipitur ex ſemine telluri mandato, vltra ipſum ſemen, vſura ſeminis, id eſt, fructus vocatur.

Fructus. Vſura. Lucrum.

Talentorum diſtributio.

PORRO, Deum bona nobis tradita cum vſura repetere, ex vna alteraue conſideratione eliciendum eſt. Principem hic locum habeat illa myſteriis grauida parabola, quæ deſcribitur Matthæi 25. & Lucæ 19. eſt enim eadem, vt eruditis placet. In ea homo nobilis peregre proficiſcens, quo haud dubie Chriſtus deſignatur, cuius merito bona omnia ad vitam æternam neceſſaria adminiſtrantur: vocatis ſeruis, ſiue illi ſint Eccleſiæ paſtores, Doctoreſue, vt Origenes Tractatu in Matthæum 33. Chryſoſtomus, Hieronymus, Beda, Euthymius, Theophylactus in commentariis, Ambroſius in caput 19. Lucæ, Cæſarius Homil. 22. Iuſtinus Dialogo cum Tryphone interpretantur. Siue homines nullo diſcrimine. Siue Chriſtiani ſignate, vt Anaſtaſius Quæſtione 84. ac Theophilus Antiochenus exiſtimant. Dedit ſingulis diuerſa talenta, ſeu minas, ſeu bona ſua: vni plus, alteri minus: vnicuique ſecundum propriam virtutem: hoc eſt, vel ſecundum maiorem minoremque gratiam, ad prædicandum Euangelium, quod Doctores reſpicit: vel ſecundum gratiam, quæ fructus producere poteſt, quod omnes ſpectat.

Digreſſo Domino, qui quinque talenta acceperat, operatus eſt in eis, & lucratus alia quinque, qui duo ſimiliter qui vnum, abſcondit pecuniam, & vel inuoluit ſudario, vel fodit in terram. Rediens domum herus collaudatis prioribus ob ſedulam negociationem: huic, qui in ſui excuſationem adferebat ſeueritatem Patrisfamilias, ſuumque timorem præpoſterum, dicens, ſcio: quia homo durus es: metis vbi non ſeminaſti: & congregas vbi non ſparſiſti, ideo timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra. Ecce habes, quod tuum eſt: Dominus indignabundus reſpondit: De ore tuo te iudico ſerue nequam, male, & piger. Sciebas, quia meto,

vbi

vbi non ſeminaui, & congrego, vbi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis: & ego veniens recepiſſem vtique; quod meum eſt cum Vſura.

Addit Dominus triſte, ac ferale pigro Epiphonema, Tollite ab eo talentum & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Tandem: inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium. Nimirum arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

SED, quinam illi ſunt Nummularii, menſariorum artem in Eccleſia Dei factitantes, quibus pecunia tradenda eſt, vt eum vſuris repetatur. Si credimus Origeni, Hieronymo, Bedæ, Euthymio, Nummulariorum nomine ſignificantur Euangelii præcones. Hi Chriſti dictum ſic interpretantur. Oportuit te verbum Dei, quod tibi commiſſum fuerat cum aliis quoque Eccleſiæ Doctoribus communicare, qui idem alios docere poſſent: qua quidem communicatione fuiſſet multiplicatum. Quemadmodum Apoſtolus ad Timotheum ſcribit epiſtola poſteriore. *Quæ audiſti à me per multos teſtes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* — *Nummularii Euangelici qui? Euangelii præcones.* — *2. ad Timoth. 2. 2.*

Alii, quorum non eſt contemnenda auctoritas, Nummularios, populum eſſe dicunt, & omnes, qui Euangelium audire poſſunt, quibus, dum verbum Dei explicatur, magis & magis creſcit. Qui ſenſus & Chryſoſtomi, Hilarii, & auctoris operis imperfecti in Matthæum. Nonnulli Nummularios, omnes homines eſſe volunt, quibus dona Dei, tanquam pecunia Nummulariis committitur, ne ocio a iaceat: ſed fructum aliquem ſeu fœtum, producat. Quod equidem Saluatoris menti videtur maxime accommodatum, præſertim ſi ad Chriſtianos reſtringatur. — *Populus.* — *Omnes homines.*

CELEBRATVR enim illa Magiſtri Chriſti ſententia: *Eſtote boni Trapezitæ, ſeu probati Nummularii.* Quam recitat Clemens Alexandrinus libro ſecundo Conſtitutionum cap. 40. D. Hieronymus Epiſtola 152. S. Damaſcenus libro ſecundo de fide cap. 18. Caſſianus collatione prima cap. 20. Chryſoſtomus oratione, cur actus Apoſtolici non legantur in Pentecoſte. Quamuis Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. Hiſtoriæ cap. 7. referat, vt Apoſtolorum dictum. Nec vos moueat; quod pronunciatum illud in ſacro diuinæ ſcripturæ codice non reperiatur. Multa enim à grauiſſimis Patribus agnoſcuntur, vt à Chriſto dicta quæ ſcripturis diuinis minime ſunt expreſſa: quæ Apoſtoli eorumue coætanei ad poſteritatem tranſmiſerunt: ſed hic ſigillatim recenſere non attinet. — *Boni trapezitæ.* — NOTÆ. — NOTÆ.

Quod ſi homines ſunt Nummularii & trapezitæ: Deus nundinationem pecuniariam cum iis exercere cenſendus eſt, & vſuras exigere ab iiſdem, quibus pecuniam ſuam tradidit. *Non noſtra*, inquit Ambroſius, *ſed ſua pecuniæ quæret vſuram.* Sed quamnam pecuniam, quæ talenta, quas minas dedit ex quibus vſuras poſtulat? Multiplex eſt huiuſmodi pecunia, at ego ad quinque capita illum reuoco, tot enim modis talentum Euangelicum explicari poſſe animaduerto. — *Prima vſurarum materia, natura.* — *Lib. 8. in Luc. cap. 19.*

Primum caput continet imagine naturæ ſignatum denarium: & eſt ipſa natura humana eiuſque appendices variæ. *Secundum* in diuini eloquii officina formatam monetam: Verbum Dei & quæ illi adiuncta. *Tertium*, quæ Græci dicunt χαρίσματα, vt totidem numiſmata. *Quartum διακονίας*, quæ ſunt ſupererogationis æs. *Quintum ἐνεργήματα*, quæ ſunt gratiæ nummi. Singula percurramus.

PLACET

Placet ergo primo Mediolanenſis Antiſtitis antea laudati interpretatio, qui per talenta nummulariis concredita rationem naturalem intelligit, quam qui excolit gnauiter, is vſurã ex tradita ſibi pecunia perſoluere cẽſetur. Eſt homo quilibet ad imaginem & ſimilitudinem Dei cõditus Signatum habet ſuper ſe lumen quoddam naturale, quo veritates multas poteſt agnoſcere. Continet honeſtatis ac virtutum variarum ſemina, primigenii quidem peccati dumeto obruta magnam partem: quæ tamen, niſi homo ſibi deſit, fructum aliquem ex ſe poſſunt progignere. Eſt enim eius facultatis homo, vt etiam antequam fide diuina illuſtretur, opus aliquod bonum morale queat efficere, ideoq; naturalem rationem tanquam agrum excolere. Quod ſi fecerit, communibus Dei auxiliis, quæ nemini denegari ſolent, diligenter, ſoleſterque vſus, vſuram, quam Deus exigit, perſoluet: & ab eodem, quâ eſt liberalitate ac munificentia, nullo adſtrictus credito, nullo debito obligatus, miſericordiam ac gratiam vberiorem conſequetur. An hoc ſenſu fortaſſe exponi poteſt, illud omnium ore protritum, ſed à paucis intellectum Theologorum quorundam effatum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*. De quo in ſcholaſticorum exedris magna contentione vltro citroque certatur. Sed nobis iſthæc hoc loco ſubtilius examinare non eſt integrum. Tantum documentum ex hoc Theologiæ enunciato moribus commodum colligamus.

Naturam omnes bonam accepimus à ſummo bono, non inanimatam, & vitæ expertem melioris, vt lapides, metalla, gemmæ: non inſenſibilem, vt herbæ, plantæ, frutices, arbores: non brutam, ac ratione carentem, vt piſces, aues, pecora. Sed intelligentem, ratiocinantem, prouidentem, ſapientem, libere volentem, ac nolentem. Intelligentem cum angelis: ſentientem cum animalibus: viuentem cum plantis: conſiſtentem cum metallis: mutabilem cum cœlorum orbibus. Deus bone; qualem pecuniam: ſummi regis ſignatam imagine, factam ad diuinitatis ſimilitudinem. Hanc ad menſam dare oportet, & vſuras inde Deo perſoluere. Quod fiet à nobis, ſi, vt vitæ expertia ſuopte impetu ad centrum, ita nos ad nobis deſtinatum locum, qui non eſt alius, quam Dei ſinus, tendamus. Creati ſumus ad te: non quieſcemus niſi in te. Si, vt plantæ, & arbores, bonis fructibus abundemus: vt animantia, poſſeſſorem noſtrum agnoſcamus: vt angeli, Deum contemplemur, & amemus.

Anima, corpus, vtriusq; potentiæ.

Ad hanc vſurarum materiam ſpectant plurima, quæ homini natura competunt, ſiue in anima, ſiue corpori inſint. In anima habet intellectum agentem, poſſibilem, ſpeculatiuum, practicum: illique adnexam memoriam, ſynderesim, conſcientiam. Tum voluntatem, eique annatam libertatem, hinc liberum arbitrium. In corpore inprimis hærent ſenſus quinque exteriores. Neque enim ſine myſterio dictum arbitratur Ambroſius: *Tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta*: tot enim ſenſus ſunt externi: viſus, auditus, guſtus, tactus, odoratus. His adiunge potentias vegetatiuas tres: Generatiuam, Augmentatiuam, Nutritiuam. Senſus interiores D. Thomæ calculo & aliorum in peripatetica ſchola celebrium, quattuor: Senſus communis: Imaginatiua, ſeu Phantaſia, Æſtimatiua, quæ in homine, Cogitatiua, Memoria, quæ in eodem Reminiſcentia.

S. Tho. 1. P. Q. 78. artic. 4. Auer. 3. de anima. Com. 6.

Vſura ex potentiis humanis.

Ab his omnibus, tanquam totidem talentis Deus vſuram ſibi debitam expectat & niſi dederis, audies: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ſerue nequam, & piger.* Quid, quæſo, expectat? Ab intellectu, vt ille non humanarum tantum rerum, ſed & diuinarum excultus cognitione, in ſupremi Numinis contemplatione, &

non

non niſi rerum honeſtarum contemplatione conquieſcat. Harum notiones, facultate illa, quæ poſſibilis dicitur ſuſcipiat. Agente formet, & exprimat: ſpeculatiuo inhæreat, practicè ad opus impellat, ac dirigat. Syndereſi, illa prima ad operandum effata. Honeſtum eſt faciendum: à malo abſtinendum: Nihil committendum turpe: Ab omni improbitate fugiendum, ſemper verſet. Conſcientia vt optimo pædagogo potentias omnes manuducat: illi ſemper in via conſentiat: nunquam fugare conetur, aut opprimere.

A voluntate vſura.

A voluntate vſuram poſtulat, vt illa omni ornata virtutum cultu, non, niſi in honeſta, rationeque conſentanea amore feratur, odio in diſſentanea: Deum diligat, proximis benè velit: ſectetur continentiam, laſciuiam abominetur: humilitatem amplectatur, ſuperbiam reſpuat: peccatum omne à ſe, vt quid maximè abominandum reiiciat. In iraſcibili, ſit deteſtatio vitiorum. In concupiſcibili, deſiderium virtutum. A ſenſibus externis: vt oculus nihil videat, quod cogitatum obſit. Aures nihil vſurpent, quod menti officiat. Tactus nihil contingat, quod ſenſualitatem protitet. Guſtus nihil recipiat, quod immodicæ voluptati lenocinetur. Odoratus nihil hauriat, quo virtutum fragrantia opprimatur. Ab internis ſenſibus: vt expellat ſenſus, communis, quicquid minus à ſordibus voluptatis eſt defœcatum. Imaginatiua turpitudinis phantaſmata. Cogitatiua inutilium, futiliumque rerum ſpecies. Memoria fœdas rerum prætentatum imagines.

Indoles naturalis propenſio. Inclinatio. Aptitudo. Genius. Accidentia quinti prædicabilis.

Hæc eadem vſurarum Deo perſoluendarum materia complectitur bonorum illa genera, ſiue intrinſecorum ſiue exteriorum, quæ liberaliter homini, à Deo ſunt tributa, vt in iis negocietur. Magis autem quam de quibus hactenus eſt actum ſunt extranea: Naturæ tamen conueniunt. Accidentia quinti prædicabilis Dialecticus vocaret. Sanitatem, pulchritudinem, nobilitatem, diuitias, ingenii ſubtilitatem: actimoniam iudicii: tenacitatem memoriæ: dexteritatem facultatum actuoſarum: Habilitates varias naturæ limitibus conſcriptas: à quibus genius cuiuſque denominatur. Videntur enim nonnulli apti nati ad philoſophandum, perorandum, cantandum, varia inſtrumentorum muſicorum genera pulſandum. Qui dum ex aluo materna ſecum apportaſſe videri poſſunt, pingendi, dimetiendi, numerandi aptitudinem, ad quæ alii diuerſi genii homines ſunt inhabiles, ac trunci. Aliqui vix in lucem effuſi mechanicorum tractandorum ſingularem cum indole induſtriam præ ſe ferunt. Acum, ſubulam, palam, pectinem, ſagenam, retia, forcipem, nouaculam in ipſis cunis verſaſſe illos putes: iam tunc ſartores, ſutores, pictores, textores, piſcatores, chirurgos, venatores, penè antequam homines. Sunt quos non fieri, ſed naſci diceres milites, architectos, fabros: ita à teneris arma, perpendicula, fabrilia ſunt in ore, & amoribus. Cum quibuſdam ex vtero prodit regendi, imperandi, coërcendi quædam dexteritas, ſuperiores, Principes, Reges nati antequam facti. Omitterem adferre, niſi ad diuinam erga res humanas curam, & vniuerſalem prouidentiam commendandam ſpectaret.

Aliquibus natura inſitum videri & ingeneratum ad vilia ac fœda quædam, humanis tamen neceſſitatibus opportuna officia, deſiderium, cum eoq; promptitudinem peculiarem, quæ, niſi adeſſet, indeteſtandis ſordibus tota volutaretur humana ſocietas. Niſi enim Herculi volupe fuiſſet Augiæ repurgare ſtabulum, & multis aliis prompte Cloacinæ ſe conſecrare, iam vrbes in bouilia, & ſordium cameras verſæ eſſent.

Vſura facul.

Ex omnibus hiſce naturæ bonis & facultatibus, vult ſibi Deus vſuras perſolui.

Digitized by Google

tatum naturalium.

Nam præterquam, quod eorum ratione gratiarum actionem poſtulet; præſcribit etiam ſingula vt ita exerceantur, vt nihil iis contra honorem ſupremi legiſlatoris fiat: pulchritudine, ſanitate, robore, ſimilibusque omnes ad honeſtas operationes exequendas vtantur. Potentias, & habilitates corporis & animæ ad vitæ conſeruationem, ſalutem propriam & alienam: nullius iniuriam, reipublicæ vtilitatem impendant. Hæc enim vſura eſt illis impoſita.

Natura omnis homini vſuraria.

Ad quam lubenter ac liberaliter perſoluendam vt hominem vel alliceret vel compelleret Deus, totam illi naturam vſurariam eſſe voluit: & res omnes creatas homini fœnus pendere maximum, vt ipſe minimum Deo fideliter exhibeat. Intuere, amabo te, mecum cœlum, terram, reliqua vtriuſque ambitu cincta. Tot arbuſta non vno fœnore parientia. Tot flores, non vna ſucci vſura liberales. Tot herbulas non vno medicinæ lucro prodigas. Tot fortuita alimenta terræ, tanto ciborum ſuggeſtu, non ad ſatietatem modo, ſed delitias mulplici quæſtu enaſcentia. Iam animalia terrea, aquana, aërea, quaſi omne Elementum vſuras ſeminum ſibi commiſſorum homini perſoluit. Fontes deinde, ac flumina, & paſcua anhela rigantia: & ſterileſcentes campos pingui rore fœcundantia & piſcium non centurias, ſed myriadas euomentia. Percurre maria, infernè vim penè infinitam alimentorum, imo theſaurorum fouentia: ſupernè quaſi dorſo non naues ſed ſyluas cæduas deuehentia, nimirum creditæ ſibi fœnus pecuniæ. Adde aquarum medicatarum, calentium, frigidarum, ſulphurearum, deinde auri, argenti, æris, plumbi, ferri, totque alius generis metallorum venas. Quæ omnia, & tot alia, quæ ſilentio præterimus, cui fructum vſuramque niſi vni homini profundunt. Cui hyemes, & æſtates, verna & autumna cum ſuis vicibus reuoluuntur? aut cui alteri, quicquid naſcitur, fœneratur? Cui arboribus inoculantur fructus, diſponuntur folia, protuberant germina, erumpunt floſculi, profluunt ſucci? & cui rurſus arbores veſtiuntur poſt ſpolia? cui ſudant balſama? & cui,

Pampineo grauidus autumnus
Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris?

Cui alteri ſemina corrupta & diſſoluta ſurgunt, fœnore interitum compenſantia? Cui ſepultum ſine veſte granum, nudum, ſolitarium ſurgit ariſta munitum, fundatum ſpica, erectum culmo, copia fœneratum. Omnia denique quocunque te contuleris, quocunque oculos circumtuleris, nonne vides homini vſuram perſoluentia? Nonne meritò nos hæc ipſa ad vſuras de naturæ bonis perſoluendas exſtimulent?

Pecuniam quis abſcondat?

Sunt tamen non pauci pigro illi ſimiles, qui pecuniam in terra ſe abſcondiſſe dicebat. Quod facit, interprete Ambroſio, qui rationem, quæ ad imaginem & ſimilitudinem Dei data eſt nobis ſtudio voluptatis obruit, & tanquam in fouea carnis abſcondit. Clarius, ex noſtro gloſſemate: Quæ ſuperius tam varia naturæ dona recenſita ſunt, pecuniæ rationem habent: ideoque ad virtutis menſam exponenda fuerant ac lucrum faciendum modo à nobis demonſtrato. Sed plurimi totã hanc capitalem ſummam ignorantiæ & deſidiæ ſudariolo inuolutam, in terra ſenſualitatis ſuæ, eam peccati aſſiduitate, tanquam pala fodientes, voluptatis cœno immergunt. Intellectum non niſi in vanis, ludicriſque, & carni & ſanguini opportunis excogitandis occupant. Conſcientiam grauiſſimè de crimine accuſantem, ad bona arctiſſimè obligantem, veriſſimè de malitia teſtificantem in meraco ſpumantis pateræ lacu, tanquam lutoſa cloaca, ſuffocant. Synderesis crepitantem flam-

flammam, quæ vel in Caino ſcintillare non deſiit, iniecto vanitatum plurimo cinere, non ſopire ſolum, ſed & extinguere nituntur. Voluntate in voluptatis fimo: tanquam ſus in luto volutantur. Cupiditatis œſtro in obſcœnitatem omnem procurrunt. Ira furibundi honeſtatis omnia repagula perrumpunt. Oculis vanitatem, auribus detractionem, ſuſurrationes, mendacia, impuritatem, ſcurrilitates: Tactu mollitiem: Guſtu libidinis paſtum: Naribus orci nidorem; aut olidam ſalacis lupæ animam, tanquam muſcum, & Zibetum hauriunt. Tum verò has, elegantes ſanè tam variarum rerum formas ad ſenſuum interiorem officinam transmiſſas memoria conſeruant: Cogitatiuæ fouent, imaginatiua copulant: toti fœditalibus ac ſpurcitiæ immerſi. Hoc mihi velle videbatur Ambroſius, cum explicabat, pigrum pecuniam ad vſuram non dediſſe, idem eſſe, quod rationem ſtudio voluptatis obruiſſe, & tanquam in fouea carnis abſcondiſſe. Sed audiet quicunque talis eſt, Inutilem ſeruum eiicite, in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Atque hæc quidem erat prima ſumma pecuniaria, quam Deus Trapezitis ad vſuram dari voluit.

SECVNDAM ſuggerunt graues ex antiquitate Patres, qui talentum, quod nummulariis offerendum eſt, ipſum Euangelium, vel verbum Dei, quod Doctoribus exponendum, atque annunciandum committitur intelligunt. *Secunda vſurarum materia verbum Dei.*

Sic Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone, Origenes Tractatu in Matthæum 25. Hilarius Canone 27. in Matthæ. Chryſoſtomus & Theophylactus Matthæi 25. Placet interpretatio. Eſt profecto magna inter Dei verbum ac pecuniam ſeu talentum ſimilitudo. Illa inprimis, quod vt pecunia diuerſam ſortitur denominationem, prout diuerſimodè exponitur, & ad diuerſa refertur: ita & verbum Dei. Si pecunia pro traiectu detur, dicitur naulum: ſi pro captiui corporis redemptura dependatur, vocatur Lytrum: ſi læta nuncianti offeratur, nuncupatur Euangelium.

Eadem ſi in ſacrum vſum conferatur, audit donarium: ſi ab exercitus Imperatore militi donetur, donatiuum: ſi obſtetrici, mœotrum: ſi hiſtrionibus, lucar: Conductionis locationiſque præmium, eſt merces: Magiſtro pro Inſtitutione, minerual.

Haud ſecus verbum Dei, ſi conſideretur, & ex minimo creſcit in maximum, vocatur granum ſinapis Matth. 13. 31. Lucæ 13. 19. ſi vtrorum in ſe precia continens, Margarita. Matth. 13. 46. Si eius dignitatem iucunditate iunctam ſpectes, Regnum cœlorum Matthæi 13. 45. Si dilatationem Fermentum. Matthæi 13. 33. Si nutriendi virtutem, panis. Ioan. 6. Si refocillandi, aqua vitæ. Ioan. 4. 10. Si recreandi, cœna, Lucæ 14. 16. Si fauſtum, iucundumque quod eo continetur, nuncium, ac ſacrificium, dicitur, vt pecunia, Euangelium. Si, vt verborum omnium ſermonumque medullam quandam in vnum collectam habet, talentum. Matthæi 25. quod ceterorum omnium nummûm breue fuit quoddam, quantitate; magnum valore compendium. Talentum enim primum & maximum apud omnes nationes pondus fuiſſe inuenio, Hebræis notiſſimum, à quibus *Kikar* vocatur, id eſt torta, ſeu maſſa quod rudi pondere eſſet, neque percuſſa aliqua imagine, magis pondus aut nummorum ſumma. Sed quibuſnam hoc talentum verbi Dei committendum eſt nummulariis? *Verbi diuini varia ſymbola.* *Ioan. Maldonatus cap 1. praefat. in Euangel.* *Ioan. Mariana de ponder. & menſur.* *Ionn. Viſalpanda lib. de pond.*

Duplices hic nominare poſſum nummularios. Alios quidem qui verbum Dei propo- *Trapezita officium.*

proponunt: alios qui accipiunt. Illi ſunt Doctores Eccleſiæ: iſti Auditores. Illorum officium eſt per quam ſimile officio Trapezitarum, quod accommodatè admodum ad rem noſtram, ac fuſè explicat Ioannes Caſſianus collatione prima capite 20. vbi de diſcernendis cogitationibus ad ſimulitudinem periti Trapezitæ diſputat.

Probat aurum. *Spurium reiicit.* *a. remittitur.* *Diſcernit inter dubia.* *Pondus attendere.*

EFFICIAMVR ait, ſecundum præceptum Domini, probabiles Trapezitæ: quorum ſumma peritia eſt, ac diſciplina, probare, quodnam ſit aurum puriſſimum: &, vt vulgo dicitur, obryzum: quodue ſit ignis purgatione minus excoctum. Æreo quoque, vilique denario, ſi precioſum numiſma ſub fulgentis colore auri imitetur, prudentiſſima diſcretione non falli. Et non ſolum numiſmata tyrannorum vultum exprimentia, ſapienter agnoſcere: ſed etiam illa, quæ ſunt veri quidem Regis imagine, ſed non legitimè figurata, peritia ſagaciore diſcernere. Deinde nequid illis à legitimo pondere diminutum ſit, cenſuræ trutina diligenter exquirere.

Sunt itaque quattuor Trapezitæ munera. *Primum*, vt aurum purum putum, & ab igne excoctum diſcernat. *Secundum*, vt ærea aliqua adulterina numiſmata, ab aureis & genuinis ſegreget ac reiiciat. *Tertium*, vt imagines nummorum internoſcat: & quid inter tyranni ac regis legitimi ſignum, interſit: quæque forma probi numiſmatis ſit, non ignoret. *Quartum*, vt exactè de pondere, ſoliditate, magnitudine, ſimilibuſque monetæ qualitatibus diiudicet.

Quattuor munera Doctoris Euangelici.

Quæ omnia myſticos Nummularios debere ſpiritualiter obſeruare, Euangelicus ſermo ſub Trapezitæ demonſtrat exemplo. *Primum*, vt quicquid auditoribus proponere viſum fuerit, vtrumnam ſi diuino illo, & cœleſti Spiritus ſancti igne purgatum, an ad Iudaicam ſuperſtitionem pertinens, ſeu de ſecularis Philoſophiæ tumore deſcendens, in ſuperficie tantum præferat pietatem diligentiſſimè perſcrutentur. Decipimur enim ſæpenumero recti ſpecie. Non decipiemur autem facilè, ſi illud Apoſtolicum impleuerimus: Nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Quo in genere illi grauiter decepti ſunt, qui Doctoris titulo ac auctoritate clari, nitore ſermonis à ſectariis, falſis nimirum Prophetis prolati, ex quibuſdam ſunt malè philoſophantium dogmatibus illecti. Quæ prima fronte piis quibuſdam ſenſibus ac religioni conſonis, legentes & audientes, velut auri fulgore fallentia, quos ſemel ſuperficiei illexerant, velut numiſmatibus æreis falſiſq; deceptos perpetuo nudos, ac miſeros reddiderunt, vel ad hæreticos errores, ac præſumptiones tumidas pertrahentes vel ad vanitatem ſecularem incitantes.

Decipi ignaros probati metalli. *Ioan.14.*

Regula aurea Achan.

Quod etiam Achan in libro Ieſu Naue legimus fuiſſe profeſſum, qui de caſtris allophylorum regulam auream concupiſcens, atque furatus anathemate percuti, atque æterna meruit morte damnari.

Interpretatio examinanda.

Secundo, ſollicitè nos explorare conueniet, ne auro puriſſimo ſcripturarum prauæ interpretatio coaptata metalli precioſitate nos fallat. In quo etiam Domino Saluatori calidiſſimus Diabolus velut homini ſimplici tentauit imponere: dum ea quæ generaliter ſunt ſuper omnium iuſtorum intelligenda perſonis maleuola interpretatione corrumpens, ſpecialiter huic qui Angelorum cuſtodia non egebat, conatur aptare, dicens: Quia Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidé pedem tuum. Precioſa ſcil. eloquia ſcripturarũ callida aſſumptione conuertens, & ad cõtrarium, noxiumq; ſenſum detorquens: vt imaginem tyrannici vultus ſub colore auri fallentis nobis obiiciat.

Tertio.

Fraus in ſigno notanda. Parachara-gmis.

Tertio. Simili aſtutia parachara ximis nos conatur illudere: aliqua ſuggerens proponenda, quæ quia de legitima virtutum non procedunt moneta, ſub prætextu pietatis ducunt ad vitia, & ad noxia pertrahunt.

Verborũ pondus, leuitas, integritas trutinanda.

Quarta obſeruatio huius probabilis Trapezitæ, quam de inquiſitione ponderis eſſe diximus, taliter à nobis implebitur. Si quicquid dicendum cogitatio nobis ſuggerit, omni ſcrupulo retractantes, atque in noſtri pectoris trutina collocantes æquilibratione iuſtiſſima perpendamus: An plenum ſit honeſtate communi: an Dei timore ſit graue: an integrum ſenſu: an humana oſtentatione; an aliqua nouitatis præſumptione ſit leue. Si meriti eius pondus inanis imminuerit, vel arroſerit gloria. Et ſic ea protinus ad examen publicum trutinantes: id eſt ad Prophetarum & Apoſtolorum teſtimonia conferentes; vel tanquam imperfecta & damnoſa, nec illorum ponderi conſonantia omni conatu refutanda ſunt: vel tanquam integra atque perfecta, illiſque collibrantia auditoribus, tanquam fidelibus Nummulariis tradenda.

Auditores verbi diuini nummularii.

Et hi ſunt illi Nummularii à quibus Deus pecuniam ſuam cum vſura repetet: eaque triplici, fidei, voluntatis, operis. Hic eſt fructus: hoc fœnus, quod pecunia Dei fidelibus Trapezitis tradita producit. Oportet enim auditorem verbi Dei *credere, velle, operari.* Hæc tria pro mille millibus vſuræ titulo Deus poſtulat. Quanta hæc liberalitas. Siquidem vt proxime demonſtrabamus, ille pro vno millionum myriadas reddit: à nobis pro infinitis talentis tria tantum repoſcit: *Credere, velle, operari.* Non eſt ſatis, *caræ capita,* venire ad concionem, audire Eccleſiaſten, applaudere, nouos quoſdam vel antiquos, & abſoletos dicendi modos obſeruare & referre, oratoris ſacri geſtus, nutus, leporem, vehementiam, & ſimilia adnotare ad imitandum, & exprimere. Non eſt hic finis, non eſt fructus ſacrarum commentationum. Hæc & his gemina à mimis & hiſtrionibus melius docerentur, quam ab iis, quibus ſobrie quædam, vt à Chriſto, parabolarum emblemata in hoc genere vſurpanda ſunt.

Fructus concionum.

Quis ergo fructus ille, quo probatus Nummularius ab ære diruto eſt internoſcendus? Dicam clariſſime. Si, quæ audit, credat: velit deinde exequi, dum poterit: tandemque operetur in tempore. Credere primo oportet Euangelicis diuini verbi præconibus, ſi legitimi ſint, vocatione, officio, fide, moribus commendati. Quod ſi fieret ſerio, & credulitate ad vſum relata, ſequeretur haud dubie, voluntatis adfectus: tandemque manuum operatio. Nec putandum, fas eſſe dubitare, an vera ſint, quæ à legitimis, ac ſinceris diuinæ voluntatis interpretibus populo è ſuperiore loco proponuntur. Me ſane miſeret ſæpe conditionis noſtræ. Nam cum haud ſine letifera noxia in re graui vllum falſum, vel mores pertinens dogma, tanquam verum auditoribus noſtris efferre, aut proponere poſſimus: ita tamen audimus à pleriſque, ac ſi liberum eſſet de dictorum veritate in vtramque partem arbitratu priuato ſtatuere. Grauis error, & oratoribus ſacris, ſi finem ſpectent ſuum: ſed multo magis auditoribus pernicioſus, apud quos fixum eſſe deberet, omnia ipſorum in gratiam, matura præmiſſa deliberatione, & meditatione longa, è ſacro pulpite promi: ideoque ſi reciproca valet obligatio, vt concionatorem, ad vera dicendum: ita auditorem ad credendum, quæ dicuntur vera eſſe lex adſtringit.

Qui credit, voluntatem mouet. Lucæ 19.

Hac perſuaſione ſemel firmiter concepta, quantus illico ſequeretur ardor in voluntate, tum in facultatibus operandi promptitudo, & vſurarum profuſio? Accommodato ad hanc rem Beda: *Qui verbi pecuniam à Doctore percipit, eiuſque credendo,*

Digitized by Google

neceſſe eſt eam cum vſuris ſoluat operando: vt quod auditu didicit, exequatur & actu. Ne multum diu agemus: audiſtis paullo ante. Attendite vobis à falſis Prophetis. Quinam ſunt illi? Primo, hæretici: tum quilibet ſeductores blandi, malorum duces, lenones, meretriculæ, voluptas ipſa blandiſſima æque domina, ac inſidioſiſſima venefica, praui ſocii, ab his cauendum: fugienda horum ſocietas: familiaritas abrumpenda: conſortium damnandum. Auditis & creditis: bene habet, & niſi credereris, quoniam verbum Dei eſt, de hæreſi vos ſuſpectos habetet Apoſtolicus inquiſitor. At non eſt hoc ſatis, vſuram huius talenti vberiorem Deus poſtulat ab vnoquoque. Nimirum vt ſtatuas firmiter cauere: & dum periculum eſt, tempeſtiue defugias. Vt ſi te lactauerint peccatores, non adquieſcas eis, prohibens pedem tuum à ſemitis eorum. Prouerbiorum primo. 10. Vt diſcedas ab iniquo, & deficient mala abs te. Eccleſ. 7. 2. Vt ſubtrahas te ab omni fratre ambulante inordinate, vt monet Apoſtolus ſecundæ ad Theſſalonic. tertio. 6. vt actu ipſo doceas te credere, quod qui tetigerit picem, inquinabitur ab eo, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam: quod eſt Eccleſ. 13. 1. *Credíſne* modicum fermentum totam maſſam corrumpere? ſecundæ ad Corinth. 5. 7. Non eſſe participationem iuſtitiæ cum iniquitate: ſocietatem lucis ad tenebras, conuentionem Chriſti ad Belial? Secundæ ad Theſſalonicenſes tertio. 6. Qui cum ſapientibus graditur, ſapientem fore: amicum ſtultorum ſimilem effici. Prouerbiorum 13. 20. Credere te factis proba.

Arbor non faciens fructum. Audiſti: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: id eſt, vt ſimpliciſſime dicam: homo, qui ſymbolice eſt arbor, niſi multiplici bonorum operum fœtu abundet, æternis gehennæ ignibus addicetur. Nemo ſibi blandiatur. Non poteſtis non credere à veritate pronunciatum: Sed fidei conſentanea opera adiungenda ſunt, vt fœnus, quod Deo debetur, perſoluatis. Præcepta diuina perfecte ſeruanda ſunt: ne latum quidem vnguem ab iis recedendum. Diuini Numinis reuerentia nunquam vel verbulo temeranda: multo minus blaſphemia: parentibus ac ſuperioribus obſequendum: nulli iniuria inferenda: omnes honore præueniendi. Non à malis tantum actibus, manus: ſed & à cogitatibus mens reuocanda, ac continẽda. Bonum dicunt eſſe Philoſophi ac Theologi, quod eſt integrum, ac perfectum: cui nihil, quod ad talem naturam pertinet, deſit, quare bonum fructum non fert, cui vel minima deeſt, in officiis alioqui non malis, conditio: quæ deeſt ſemper, cum quis alium in obſeruandis Dei mandatis, quam Deum ipſum ſibi finem præfigit.

QVOTIES decantandum eſt, publice, priuatim: in templis: in gymnaſiis. Neque fornicarios, neque fures, neque auaros, neque ebrioſos, neque maledicos regnum Dei poſſeſſuros. Primæ ad Corinth. 6. 10. Manifeſta eſſe opera carnis, fornicationem, immunditiam, diſſenſiones, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ qui agunt, regnum Dei non conſequentur, ad Galat. 5. 21. Quis credidit auditui noſtro? ſi quis eſt, qui ſpeculatiue credidit: quis operibus ſe credere practice oſtendit? Quis vitæ emendatione ſeria, pœnitentiæ officiis, virtutum ceterarum functionibus Deo vſuram perſoluit? manet tamen fixa veritatis ſententia: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. A fructibus cognoſcetis eam: à moribus, non à floribus: à pomis, non à foliis: à fructibus, non à frondibus: A moribus, non ab elegantia, pulchritudine, dexteritate. A moribus non vrbanis, ſed Chriſtianis: non ciuilibus, ſed cœleſtibus: non ſecularibus,

laribus, ſed religioſis, licet in ſecularibus. A bonis moribus, non à fœdis amoribus.

Talentorum nomine ſignificatur gratia.

Iam vero non eſt negligendus ille magnorum Patrum ſenſus, qui talenti nomine Gratiam ſignificatam exiſtimant: eam vero maxime, quæ hominibus ad aliorum ſalutem procurandam gratis, & liberaliter à Deo conceditur. De qua agens Paulus Apoſtolus priore ad Corinthios 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, inquit, idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt: idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Quo quidem loco tria numerat Apoſtolus, quæ diuerſa conſtituunt capita rerum, ex quibus vſuras DEVS poſtulat: nimirum, *Gratias*, Græcis *χαρίσματα*. Eſt autem *χάρισμον* donum gratuitum. *Miniſtrationes* Græce *διακονίας miniſteria. Operationes*, Græce *ἐνεργήματα*.

χαρίσματα dona gratuita.

2. Corinth. 6. 1.

Sit igitur tertium genus rerum è quibus vſuræ pendendæ, GRATIA, quæ gratuito homini offertur: & gratis data dici ſolet: adde & gratum facientem: iuſtificationem: vocationem: auxilia ad bonum operandum. Ex his enim omnibus monet ſerio Paulus vt Corinthii Deo vſuras fideliter numerent. Adiuuantes, inquit, exhortamur, ne in vanum Gratiam Dei recipiatis *Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν. Adiuuantes vos*, hoc eſt, veſtram vtilitatem, ac ſalutem procurantes, opem vobis ferentes, vosque ad optima quæque excitantes, monemus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: hoc eſt, vt talentum vobis traditum, ſudariolo inuolutum, non abſcondatis, vt pecuniam à Patrefamilias vobis commiſſam, bene ad menſam collocetis: vt ita vitam veſtram inſtituatis, vt vocationis diuinæ ratio poſtulat: & vobis tam liberaliter cœlitus oblata beneficia. Gratiam autem in vacuum accipit Chryſoſtomo auctore, qui rurſus priſtinis vitiis inquinatur. *Neque enim, ait, magnum vllum ad ſalutem adiumentum, nobis adfert gratia, ſi impure ac ſcelerate viuamus, quin potius detrimentum accerſit, vehementiuſque nos in peccatum premit: vt qui poſt eiuſmodi cognitionem, ac beneficium ad priora vitia nos ipſos referamus.*

Quid ſit gratiam DEI in vacuum recipere.

Gratiam Dei, inquit Primaſius, in vacuum recipit, *qui cum Dei gratia non laborat: nec adiungit ſtudium ſuum, vt poßit Dei præcepta, ipſo adiutore implere.* Syriacus Paraphraſtes explicate admodum: Obſecramus vos, ne inanis fiat in vobis gratia Dei, quam recepiſtis. In vacuum profecto gratiam Dei recipit, qui otio deſidiaque in rebus ad pietatem, & vitæ emendationem pertinentibus langueſcit, & antecedentis temporis ſcelera repetit. Fideliter vſuras perſoluit, qui dicere poteſt cum Paulo, *Gratia Dei ſum, quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit.* Ideo hortatur alicubi: *Ne quis deſit gratia Dei.* Et Timotheum: *Noli negligere gratiam, Dei quæ in te eſt.* Et rurſus. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei.*

Cap. 15. 10.
cap. 12. 15.
Tim. 1. 4. 14.
Tim. 1. 6.

Diaconia miniſtrationes.

1. Cor. 12. 2. 8.

QVARTVM caput vſurarum ſunt *Διακονίαι*, *miniſtrationes*: hoc eſt varia eccleſiaſtici miniſterii functiones. Quales ſunt, officia Paſtorum, Doctorum, Apoſtolorum, ſimilium, de quibus paulus in priore ad Corinthios duodecimo capite. *Quoſdam quidem poſuit DEVS in Eccleſia: primum* Apoſtolos: *ſecundo*, Prophetas: *tertio, Doctores: deinde, virtutes: exinde, gratias curationum: opitulationes: gubernationes: genera linguarum: Interpretationes ſermonum.* Hæc enim officia diuerſis talentis ſignificari non malus auctor docet. Et Chryſoſtomus de his agens: *Eſt*, ait, *miniſterium, donum, ſed cum labore, ſudoreque permixtum: quandoquidem non eſt in terra defodiendum talentum: Sed nauiter, ac ſtrenue laborandum.* Donat quidem Deus huic officium Epiſcopi, alteri Sacerdotis: illi Doctoris: ſed ita vt inde fœnus ſibi perſolui velit.

Quin-

ἐνεργήματα. *Operationes.*

Quintum denique genus rerum vnde vſuræ expetuntur ſunt ἐνεργήματα: quæ vox non tam ſignificat *operationes*, quam vim quandam & efficaciam, qua Deus agit in nobis. Sunt igitur, quæ Apoſtolus vocat ἐνεργήματα, facultates quædam actuoſæ, quas Deus mira quadam vi, ſiue ad priuatam cuiuſque, ſiue ad publicam Eccleſiæ vtilitatem donat. Quare eo vocabulo non ſolum Gratiæ gratis datæ: ſed alia quamplurima ſalutem propriam ſpectantia comprehenduntur: & cum fœnore Deo ſuo tempore reddenda ſunt. Hic mihi campus aperitur, qui ſi decurrendus eſſet, non horas, non dies, ſed annos poſtularem: tantum in illo eſt æquoris: tot miniſtrationum itinera, quæ Deo duce, vita comite, linguæ vel ſtyli pala aliquando complanata percurremus. Nunc ſat habeam dicere, vſuras pendere debes ex omnibus illis donis, quæ pleno ex te ſinu profudit *DEVS*, vel potius totis immiſit Oceani oſtiis: quæ ſi ſtudio laboreque diuinę gratiæ non cooperando negligas, audies tandem triſtiſſimum tibi luctuoſiſſimumque carmen: oportuit pecuniam meam committere nummulariis, & ego veniens recepiſſem vtique, quod meum eſt cum vſura: nunc inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, ac ſtridor dentium.

NOTÆ

DE VSVRA.

§. DEvs Vſuras exigit.] S. Chryſoſtomus Homilia 41. in Geneſ. In pecuniis prohibuit Dominus, ne quis vſuram acciperet, quia vterque magno damno afficitur. Debitor inopia atteritur: creditor peccata accumulat. In ſpiritualibus autem repetiturum ſe promittit vſuras, quia diuerſo modo ſe habent ſpiritualis vſura, & ſenſibilis. Illic enim is, à quo requiritur, in inopiam defertur: hic à quo exigitur, quanto maiorem vſuram adferet, tanto largiore fruetur remuneratione.

Ex hoc diſcrimine colligas, cur qui ſpirituales vſuras adamat, illas pecuniarias abominetur: & ab iis populum ſe exempturum ſpondeat. Pſalmo 71. *Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum & honorabile nomen eorum coram illo.* Hieronymus legit: *ab Vſura.* Tertullianus: ex vſura & iniuſtitia. Alii aliter apud Lorinum. Multa habet de hoc loco Martinus Roa lib. 1. ſingularium cap. 7. Vbi docet hoc in Chriſtum proprie conuenire. Nam Regum Iſrael longe alia fuit conditio, tantum enim abfuit, vt illi populum ab vſuris liberarint, vt etiam onerarint. Lib. 1. Reg. 18. Ius Regum deſcribitur, quos tantum abeſt, vt largituros eſſe quidpiam Dominus dixerit: vt etiam ablaturos quæcunq; haberet pretioſa maturrime commonuerit.

Nomen autem hic idem valere putat, quod ſyngrapham, ſiue Tabulas, quarum nomine, vique exigi pecunia ac vſura ſoleat, ita vt *Honorabile nomen coram Deo ſit*, Chriſtus ipſe, à quo denominantur Chriſtiani, & ius ac poteſtatem petendi, & exigendi à Patre, quæ velint, nomine Chriſti habent, vt eſt Ioann. 15. 16. & Pater hoc quaſi diploma regium exoſculetur, capiti imponat, honore proſequatur, quatenus exaudit & annuit poſtularis. In qua interpretatione acumen agnoſcit Lorinus: obeſſe tamen illi putat nonnihil, quod is, coram quo honorabile nomen fore dicitur, videatur Rex eo Pſalmo deſcriptus, ac proinde Chriſtus. Deinde, quia notio illa numinis pro ſyngrapha, tabuliſque debitorum non congruit vocabulo Græco ὄνομα, vel Hebræo שם *ſcem.*

§. Devs Vſurarius fœnerator.] Hæc nomina ſymbolice accipiuntur, ſicut & parabolæ in quibus de arte fœnerandi & ſimilibus. Prudenter Carolus Regius

Lit.

Digitized by Google

Lib. 5. de Oratore Chriſtiano. cap. 8. ex Chryſoſtomo monet, in parabolis ſpectandum quid præcipuè intendat Chriſtus. Præter hæc multa adduci ad explendum ſenſum & ornatum, vt probamus in *Theologia Symbolica.* Ex iis autem argumenta ſecundum litteralem ſenſum duci non debent, alioquin, inquit, fœnerari, ac furari liceret, vt ſignificatur in parabola villici & talentorum, quæ fœnori tradita ſunt.

§. Boni Trapezitæ.] Trapezita idem, quod Menſarius, Δανειστὴς ἀπὸ τοῦ δανείζειν, quod eſt mutuum dare.

Plautus, *Morigerus eſt mihi Daniſta, qui de me argentum non petit.* Vide in Artifice Symbolico. *Titulo*, Fœnerator.

S. Hieronymus Epiſtola 152. ad Minerium & Alexandrum hæc verba Saluatoris eſſe dicit: *Eſtote probati Nummularii.* vt ſi quis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus moneta publica, reprobetur. Qui autem Chriſti faciem præfert lumine in cordis noſtri marſupium recondatur. S. Damaſcenus Libr 4. de Fide, cap. 18. Illud nobis curæ ſit, vt probi Nummularii ſimus: purum nimirum, ac verum aurum aggerentes, adulterinum autem repudiantes. Quibus rectè vtitur Franciſcus Suarez. lib. 1. contra Regem Angliæ Iacobum ad probandum Regulam examinandi ſacram Scripturam an legitima ſit vel non, haud eſſe priuatum ſpiritum.

§. Chriſti dicta.] Multa referuntur quæ non habentur in Bibliis. S. Ignatius Epiſtola ad Smyrnenſes: Et Gregorius Nazianzenus de moderanda diſputatione, referunt illud. *Ecce homo & opus coram facie eius.* Iuſtinus Dialogo cum Tryphone iſtud: *In quibus te reperiam*: vel, *qualem te inuenero, in iis aut talem te iudicabo.*

Clemens libr. 7. Regonum. *Oportet venire bona: beatus autem per quem veniunt*; ſimiliter, *neceſſe eſt venire mala, va autem, per quem veniunt.*

Clemens lib. 2. Conſtitution. cap. 47. hoc etiam ponit. *Si oblique in me inceditis, & ego item in vos obliquè incedam. Væ habentibus, & in hypocriſi accipientibus.* Vel, *iis, qui ſibi opitulari valent, & ab aliis accipere volunt, vterque reddet rationem in die iudicii.*

Hieronymus in cap. 5. ad Epheſios addit aliud: *Nunquam læti ſitis, niſi cum fratrem veſtrum videritis in caritate.*

Alia citant idem Hieronymus Dialog. 3. contra Pelag. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. Origenes non vno loco, ſed ex Euangelio ſecundum Nazaræos & aliis libris apocryphis, id eſt, non ſacris, & canonicis libris. Dubitari autem non debet quin à Chriſto dicta ſit ſententia, licet in Euangelio non habeatur, quam citat Paulus Apoſtolus, Actuum 20. 35. Oportet meminiſſe verbi Domini Ieſu (quoniam ipſe dixit) Beatus eſt magis dare, quam accipere.

S. Auguſtinus in Pſalmum 77. docet non rarò quidpiam dictum, factumve ſcripturam tradere, quod in ea tamen non reperiatur reipſa quam commemorat. Quem Canonem illuſtrat Martinus Cantepratenſis. Lib. 5. Hypotypoſeon exemplis aliquot ad quæ ſpectat quod narratur Ioannes docuiſſe diſcipulos orare Lucæ 2. 1. Petro traditum Euangelium circumciſionis. Paulo præputii, ad Galatas 2. 7. Chriſtum apparuiſſe Iacobo, & plus quam quingentis fratribus. 1. Corinth. 15. 6. 7.

Obſeruat etiam Franciſcus Toletus in cap. 12. Lucæ Annotat. 98. ſcripturam interdum referre nonnulla, vt antè dicta, quæ non ſunt ſcripta. Vt cum ſeipſe intelligens Chriſtus ait Lucæ 11. 49.

Kkk Propterea

Digitized by Google

Propterea & ſapientia Dei dixit. Cum de Chriſto Martha dicebat, Magiſter adeſt, & vocat te. Ioan. 11. 29. Quando Chriſtus rurſum Ioannis 11. 40. Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei.

Denique conſtat, multa Chriſtum & docuiſſe, & feciſſe, quæ Euangeliorum voluminibus non continentur. Quocirca dum Lucas Actuum 1, 1. ſcribit ſe in Euangelio ſuo ſermonem feciſſe *de omnibus*, quæ cœpit Ieſus facere & docere, non de omnibus ſimpliciter intelligendum eſt, vt Lorinus obſeruat, ſed de ſummis capitibus, vel omnibus, quæ ſanctus Spiritus ſcribenda ſuggeſſerat; vel omnibus quæ ſufficerent Euangelicæ prædicationi, & captui auditorum. Quomodo Chriſtus omnia quæ audiuerat à Patre nota fecerat Apoſtolis, Ioan. 15. 15. & tamen multa ſuperorant, quæ non poterant in præſentia portare. Ioann. 6.12. Et Paulus Actu. 20. 27. Se non ſubterfugiſſe, quo minus annunciaret Epheſiis omne conſilium Dei. Alioqui ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſe mundus, capere poſſet eos, qui ſcribendi ſunt, libros Ioannis Vltimo. 25.

§. TRAPEZITÆ officium.] Caſſianus Col. 1. cap. 22. longam diſſertationem tandem breuiter concludit. Erit ergo hoc quadripartito quo diximus modo neceſſaria nobis iſta diſcretio. *Primo*, vt materia nos auri veri, fucatiue non lateat. *Secundo*, vt has eaſdem cogitationes, quæ mentiuntur opera pietatis, tanquam adulterina numiſmata, & paracharaxima reprobemus: vt pore quæ falſam imaginem Regis non legitime ſignata contineant. Vel illa, quæ in auro precioſiſſimo ſcripturarum vitioſo & hæretico ſenſu, non veri regis, ſed tyranni præſe unt vultum, ſimiliter diſcernentes, refutare poſſimus. Siue illa quorum pondus ac precium ærugo vanitatis arrodens ex agro ſe morum adæquari non ſinit, vt numiſmata leuia, atque damnoſa minuſque penſantia recuſemus.

§. Gratia gratis data.] Per talentũ gratiam gratis datam accipit Anaſtaſius Q. 84.

§. Diaconiæ.] Ita talentum exponit auctor imperfecti Homil. 53. In curia Romana nonnulla ſunt officia ac munera fructuoſa, quę à Romanis Pontificibus venduntur: nec id illi maieſtati dedecoroſum, aut ſordidum eſſe putatur. Omnia officia quæ Deus ſuis conferre ſolet, ſunt fructuoſiſſima: vt non mirum ſit, Deum dum illa alicui adſignat paciſci de fructu aliquo ex iis decerpendo.

Alia & longe diuerſa vſurandi ratio ab hactenus explicata cernitur in peccatis, à qua Chriſtus ſuos liberauit, Pſalmo 71.14. *Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum*. Hoc enim verſiculo, interpretes pene omnes, qui myſticum etiam ſenſum in pretio habent, per duo illa mala, *vſura, & iniquitatis* intelligi volunt omnia peccata, quæ Diabolus verus calumniator ſuggerit, & ſubminiſtrat: & propter quę, qui illa committunt, eidem, tanquam fœneratori debitores atque obnoxii ſiunt.

Quomodo ſit ratio fœnoris in peccato, eleganter oſtendit Ambroſius Lib. de Tobia cap. 4. & 9. & lib. 5 de Sacramentis. cap. 4. Item quo pacto Diabolus ſit fœnerator. Et quomodo Chriſtus chyrographum abſtulerit. Vocat autem magnum ac memorabile beneficium liberari ab vſuris, quia inferunt ſeruitutem. Addit: primam vſuram contractam in primorum peccato parentum, quod ad poſteros eſt transfuſum. Similia habet Auctor Hypognoſticon Lib. 5. cap. 1. qui ſcribit Euam mutuaſſe à Diabolo peccatum: Adamum verò conſenſu feciſſe cautionem: vſuram poteſtati creuiſſe; & vſuræ huius chirographum etiamnum in infantibus eſſe maligniſſimas paſſiones.

D. Chryſoſtomus Homilia 5. ad Neophytos ingenioſe ac facundè, vt ſemper ſolet,

Digitized by Google

let, demonſtrat, quomodo Adam initium induxerit debiti: nos autem fœnus auxerimus poſterioribus peccatis.

S. Auguſtinus in Pſalmum 71. Peccata, quæ apud Matthæum cap. 6. 12. Vocantur *debita*, idcircò vſuras vocari vult, quia plus mali inuenitur in ſuppliciis, quam commiſſum eſt in peccatis. Adfert ad hoc exemplum homicidæ, cuius perit & corpus & anima in gehennam, cum alterius tantum corpus peremerit. Idem explicans Caſſiodorus, ſcribit, in peccato verſantibus vſuram creſcere malorum, quia quod in temporali conuerſatione delinquunt, in æterna calamitate recipiunt.

S. Thomas in 4. Diſtinct. 45. Q. 2. Art. 2. declarat Auguſtini ſententiam non de exceſſu pœnæ in intenſione, & grauitate, quaſi puniat Deus ſupra condignum: nam potius citra: Sed ſecundum durationem. Sicut è contrario meritis temporalibus redditur vſuraria largitione præmium æternum.

De vſuris diſſerendi ampliſſimam dant materiam auctores ſuperiore commentatione in notis nominati. Præter quos Hugo Cardinalis in Pſalmum 71. vbi multiplicem Vſura malignitatem exprimit hoc verſu, quo continentur omnia, contra quæ per vſuram peccatur.

Lex, natura, Deus, homo, virtus, tempora, vita. Idem ad ſymbolicam ac myſticam accommodate diſtinguit vſuras, ſiue fœnora, quæ dantur Deo: de quibus Lucæ 19. 23. Matthæi 25. 27.

Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam & ego veniens cum vſuris vtiq; exegiſſem illam. Oportuit te committere meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura.

Et in vſuras quæ dantur mundo, & proximo. Eccleſiaſtici 29. t. 2. Qui facit miſericordiam fœneratur proximo ſuo, & qui prævalet manu, mandata ſeruat. Fœnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius, & iterum redde proximo in tempore ſuo.

In vſuras, quę dantur Diabolo, Pſalm. 108. 6. conſtitue ſuper eum peccatorem, & Diabolus ſtet à dextris eius verſ. 11. ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius. Et vſuras, quæ penduntur conuiuanti. Eccleſiæ 20. 16. Hodie fœneratur quis & cras expetit. Odibilis eſt homo huiuſmodi.

Quæ benefacienti Lucæ 6. 34. Si mutuum dederitis his à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis. Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.

Quæ pauperi Prouerb. 19. 17. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.

Quæ fœneranti Leuitici 25. 36. 37. *A fratre non accipias vſuras, non amplius quam dediſti. Pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram, & frugum ſuperabundantiam non exiges.* An autem & quomodo licuerit Iudæis vſuras exigere ab externis diſputant Theologi. Permiſſionem fuiſſe conuenit, rei alioquin malæ.

Pſalmo 36. 21. *Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur & tribuet.* Diſcrimen hoc ponitur inter iuſtum & impium in donatione vel redditione vſuraria. Cum enim munera naturæ, gratiæ & verbũ Dei mutuo à Deo dentur: peccator ingratus, vel ſibimet ea adſcribens, male: benè iuſtus iis vtitur, ſicque Domino reſtituit cum vſura. Ad hunc modum interpretantur permulti Patres Latini, vt Ambroſius, qui id exemplo illuſtrat Pauli & Chriſti, qui Deo adſcribebant,

Digitized by Google

quæ habebant, eaque in alios cum fructu erogabant. Præterea S. Hieronymus, Auguſtinus, Caſſiodorus, Ruffinus. De Græcis Origenes, Euſebius, Cyrillus.

Alii Tropologicè exponunt, dum dicunt, peccatori Diabolum mutuari, & non reddere: nec Diabolum ſibi velle reddi, quando ipſum non pœnitet de peccato. Sed voluptatem quam ei Diabolus in eo ſuggerit, retinet atque conſeruat. De qua Tropologia ad mores vtili legendus Hugo Cardinalis, & Alexander de Alexan. qui eadem planè habet. Petrus etiam Cantor Pariſienſis, Philippus Greue Cancellarius Pariſienſis, & Michael Aiguanus, qui circumfertur, titulo Auctoris Incogniti.

Caueat quiſquis à Deo mutuum accepit, ne ſit perfidus, nec moram nectat, dum capitale repetitur ac vſura. Legendus Ambroſius Lib. de Tobia cap. 21. Vbi perſuadere conatur, ne facilè mutuum capiamus: & ſi ceperimus, caueamus rependere moleſtiam: ne cum fraudauerimus, cui debemus vſuram, poſtea in tempore neceſſitatis noſtræ, non inueniamus creditorem. Debere, verecundum eſt, non reddere verecundius. Si diuites ſumus, non eſt opus mutuo. Si pauperes, conſideranda eſt ſoluendi difficultas. Pœnas expectet à Deo, qui in ſoluendo mutuo eſt perfidus. Apud Ægyptios dabantur creditori ipſa defunctorum parentum corpora: ſumma autem illos, qui non redimebant, ſequebatur infamia. Auctor Diodotus Lib. 1. cap. 8.

Athenienſes diuitibus, quibus erant ære obſtricti, arabant ſextantem fructuum penſitantes: aut corporis nexu duci à creditoribus poterant, aut liberos diſtrahere compellebantur, aut vrbem deſerere. Sed Solon Rempublicam, compoſuit ciuium controuerſias, lata lege, *τῆς σεισαχθείας*: id eſt, abolitionis tabularum, & excuſſionis onerum. Ex Laërtio & Plutarcho in Solone & Cæſare.

Lege 12. Tabularum ſecabatur, partiebaturque corpus illius, qui ob pecuniam debitam adiudicatus, addictusq; pluribus eſſet, ſicut nunc bona vænum diſtrahuntur. Quam Legem meritò vituperat Phauorinus apud Gellium Lib. 20. cap. 1.

Vetus Hebræorum Lex debitorem, qui ſoluendo non erat, tradebat ſeruituti cum filiis & vxore: Ex Prou. 22. 7. Lib. 4. Reg. cap. 4. 1. Matth. 18. 25. Carceri etiam includi ſolitum debitorem habetur ex Parabola Matth. 18. 30.

§. Auditores verbi Dei, Nummularii.] S. Ambroſius Lib. 5. de fide ad Gratianum ca. 1. Vos Auditores mei eſtis fœneratores, vſuræ, non pecuniæ, ſed verbi vſuræ. Vos agricolæ, ædificatores, aurum, argentum, lapides precioſos ſuperædificantes. Eloquium enim Dei argentum, igne examinatum. Vos facite diuitem fœneratorem, agricolam fructuoſum, architectum peritum.

Lucianus, Dialogo, *Vitarum auctio*, Chryſippum Stoicum inducit dicentem: ſolum ſapientem fœnus exercere debere. Quandoquidem illius proprium eſt ſyllogiſmo concludere. Vſuras autem colligere, ac fœnus computare, atque ſyllogiſmis colligere parum differre videntur. Quemadmodum hoc ſoli ſtudioſo competit, ita & illud. Nec decet illum fœnus ſimpliciter, quemadmodum & alii ſolent accipere: ſed alterius quoque fœnoris fœnus, vſurarum vſura. Niſi fortè ignores, fœnus aliud eſſe primum, aliud ſecundum, velut quandam illius progeniem. Vides autem & ſyllogiſmum quendam vulgò iactari. Si primum fœnus acceperit, accipiat etiam ſecundum. Verum primum accepit, ergo accipiet & ſecundum.

Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum ad finem docet Trapezitæ Chriſtiani officium exerceri per Dialecticam. Meritò, inquit, ſcriptura quoque tales nos

eſſe

eſſe volens Dialecticos, ſic hortatur. Efficiamini autem probi Trapezitæ: alia quidem reprobantes: quod autem bonum eſt tenentes. Hæc enim reuera dialectica eſt, prudentia prædita, vi diuidendi ea, quæ percipiuntur intelligentia, aut facultas, quæ verſetur in rerum generibus diuidendis, deſcendens, vſque ad ea, quæ ſunt maxime ſpecialia, prębens vnum quoque eorum intuendum, quale ſit: quocirca ea ſola veluti manu ducit ad ſapientiam. Præter auctores nominatos conſule Berchorium. Tit. Vſura: Polyanthea Langii, Symbolicum Artificem, Tit. Fœnerator.

COMMENTATIO XXXV.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA Deum ex Contractu Venditi, & Empti.

Dominica VIII. poſt Pentecoſt.

In qua declaratur, quando, quomodo, quoties homo ſit venundatus. Quantum ſit peccati debitum. Æ quo id perſolui poſſit.

Quantum debes Domino meo? Lucæ 16. 5.

HOMO DEBITOR.
DEVS CREDITOR.

MTitius Aureus, ciuis Vtopienſis, mercatoris opulentiſſimi adminiſter, & ipſe mercator, rem tum domini, tum propriam, partim minus fideliter, ac prudenter, partim nimis ignaue, proximis nundinis vernis in Francofurdienſi mercatu adminiſtrauit. Hinc factum, vt plurimum æris alieni ſumpſerit. & vt plures creditores, quibus ſoluendo non erit, quam debitores, à quibus aliquid expectet, inueniat. Itaque rationes ſuas, & dati, atque accepti tabulas inſpiciens, videt ſibi auctumnalibus nundinis foro cedendum, niſi mature proſpiciat ſibi: & vel ab amicis ſubueniatur, vel tantum numorum, ſiue mutuo, gratis, ſiue cum vſura accipiat, vt creditoribus poſſit ſatisfacere. *Mercatoris infidelitas & negligentia.*

Anxius igitur cum nunc hunc, nunc illum familiariter ſibi notum adiiſſet &, præter verba abſtuliſſet nihil: ſciret autem peculium, pecunia, non dictis augeri, me etiam compellare ſtatuit; quem, neſcio quo narratore, nouam plane artem, ab omnibus debitis, momento vno ſe expediendi, ex profeſſo amicis traditurum inaudierat. Me ergo conueniens, inflammato vultu, & tremebundus, vt febri æſtuare ſuſpicarer, & medico opus habere, ſalute data & reddita, non abſque dextræ, Germano more, porrectu, licet contagium vererer ab attactu, ita exorſus eſt.

Mi Pater, quam te dudum, licet à fama ſolummodo notum, conuentum optaui: tuo in auxilio ſpes meas vniuerſas ſitas teſtor, ad te vt ad ſacram aram confugi, ſi opem tuleris, ex deploratiſſimo, feliciſſimum reddideris. Sane equidem, quo me vertam, neſcio, ita hoc miſerum pectus excoquunt ærumnales curæ. Tu meis fer opem ærumnis, bone Pater: Tu pauſam, pacemque tribue, & mentem ſerena. Me miſerum cui cor guttatim contabeſcit, quaſi in aquam indideris ſalem. Si iuueris Pater, quod potes vtique, quicquid eſt vitæ, quamuis eſſet longiſſimæ ad vſque terminos vltimi ſpiritus erit profecto vadatum tibi.

Ego hominem dire quiritantem, & nunc cœlum ardentibus oculis, nunc ter-

Digitized by Google

tam irretortis inſpicientem, nunc pectus, modo femur ferientem, intuitus, vel calentis Syrii vel Bacchi, violentia, concuſſo cerebro minus recte habere exiſtimans, & caput leuiter demulcens, venarumque tentans pulſum, compedes inquirebam animo, quibus, ſi furere porro pergeret, conſtringi poſſet. Bono, inquiebam, ſis animo, effunde in amicum ſinum, quæ te circumſtant calamitates, dic ſodes, ne time, forte an mihi in manu ſunt præſentiſſima, quibus ſalutem adferam, remedia.

Ille poſt variam pilei in manu rotationem, & prolixa paganicæ vrbanitatis officia, tandem cum gemitu & ploratu. Hominum, ait, ſum, omnium, quos terra tulit, miſerrimus. Heu mea fortuna, vt omnia in me conglomeras mala. Hei nihil ſpei eſt mihi reliquum, niſi vt hinc recta abeam, & me litteram faciam longiſſimam. Hactenus, Pater, mercaturam exercui, optima fide, & ſucceſſu minime pœnitendo: nunc neſcio quo fato, inuerſa fortunæ rota, rationes meas pecuniarias, conturbatas reperio, & plus alieni, quam proprii continere. Niſi aliorum conſiliis & auxiliis adiuuer, actum eſt, ſimul cum re, forenſi fide dilapidata, decoquere cogar, & proximis nundinis, quæ ſuperſunt, creditoribus relinquere, ac ſine re, ſine ſpe, ſine lare familiari, ære dirutus omnino, egeſtate ambuſtus, ex terra hac profugere. Hinc:

Refugere oculi, corpus macie extabuit,
Lacrymæ peredêre humore ex angues genas.
Situ pectoreque horrida barba putet
Pectus illuuie eſt ſcabrum.

Te autem vnicum ſpei pene decollatæ columen appello: in tuis eſt manibus depoſitum ſibi reddere. Te namque Artem artium profiteri velle intellexi, cuius vi admiranda tantum cuilibet pecuniæ ſuppetat, vt quamcunq; tandem magnam debitorum, licet immenſam ſummam, poſſit obruere.

Hanc quæſo te, Pater, antequam illam vulgare incipias, docere me non dedigneris: rem mihi apprime vtilem, amicis autem illis tuis, litteras promebat commendatitias multorum mihi cariſſimorum feceris. Id ego, te, mi Pater, per quicquid tibi ſacrum, ſanctumque, per quicquid tibi religioſum, & intemeratum obſecro & obteſtor. Si te, ſi opera, ſi conſilio bono iuueris, tuus ero: æternum tuus Pater. Spondeo, voueo, lubens, volenſque nullum diem fore, quo te non colam. Tibi vni, palmas vtraſque, non Mercurio amplius, non Pluto, non Deo lucrio, tibi vni tendam.

Hæc ſi aliquantiſper, hominis, vt videbatur minime mali, ſed inſigniter ſimplicis, aut ſtupidi, mihi blandientis, ac fere in collum ruentis puerilitate; atque illorum amicorum, qui profeſſionis meæ ignari eſſe non poterant, vel aſtuto vel feſtiuo ingenio delectatus.

Quoniam tamen mihi ſuſpicari pronum erat, illos, vt erant, viri prudentes ac probi, mercatoris in animæ negocio, quam in pecuniaria negociatione negligentioris ſaluti conſultum velle: ideoque hac occaſione per commoda, ad me, vt ſalutis illi viam commonſtrarem, eum ablegaſſe: & diuinitus mihi, hominis Catechizandi, & in Chriſtianis præceptionibus inſtituendi, deque anima illius bene merendi oportunitas, oblata videbatur, non negligendum ratus: euulſi prius ex animo plebeia illa, & plane inſcita opinione, de arte ac debita forenſia perſoluenda, quam Agyrtæ iactare ſolent: multiſque aliis vltro citroque dictis, quæ hic

re-

recenſere ſuperuacaneum eſſet, ita mihi aſſidere iuſſum, de alijs maioris momenti debitis inducendis inſtruere ingreſſus ſum. Quæ autem tunc priuatim diſputauimus, ea publice vobis hodie explicata auide arripite, & aliam Euangelij declarationem non deſiderabitis.

Debitoris titulus.

O homo! ſumus Deo obnoxij pluribus ſane titulis, quam vllus vnquam mercator, ſiue mancipium, alteri vel maiori, vel pari fuerit adſtrictus. Miſſum facio illos tibi notiſſimos contractuum tum nominatorum emptionis, venditionis, locationis, conductionis, donationis, promiſſionis, ſocietatis, & tot aliorum, tum innominatorum, mitto alios Domini, Patroni, Auocati, mitto vſurarum, tam datarum, quam promiſſarum quæ omnia ad tuum forum ſpectant; & de quibus niſi lecti, ac ſoporis, quam templi ac concionis ſtudioſior fuiſſes, iam me aliquot menſibus differentem audire haud fuiſſet difficile, ſicque tuam erga Deum obligationem intelligere ac penſare. Sed qui negligentiam præteritam caſtigare poſſumus; facere, vt non fuerit, haud valemus: præſenti tamen diligentia eandem emendare, compenſareque, & poſſumus & debemus. Quod fiet ſi vel hunc titulum, qui te Deo penitus obſtringit, diligenter perpenderis.

Homo debitor.

Eſt autem Creditoris & Debitoris, *Tu es Debitor*, Deus eſt *creditor*. Sed vnde *debitoris & creditoris* obligatio? Breuiter, duobus è capitibus. Ex actione iuſta & iniuſta. Quam pa[illegible] em Euangelium ſuggerit, in quo duplex genus debitorum inuenio. Alterum eorum, qui diuiti debebant ex negotiatione fortaſſe inter illos inita empti, venditi, conducti, locati, vel ſimili. Ex his vnus debebat centum cados olei, fortaſſe quia à diuite conuentione facta, tantum frumenti acceperat. Huic ad ſe vocato, villicus iniquitatis dixerat. *Quantum debes Domino meo*, reſponſo accepto de centum cadis, iuſſit expungi dimidium, & ſcribi quinquaginta. Alter debebat centum coros tritici, fortaſſe quia vinum à diuite coëmerat. Hic ab eodem villico audit: Accipe litteras tuas & ſcribe octoginta: dictum, factum.

Aliud genus debitorum eſt illorum, qui ex iniuſta actione Domino debent. In horum numero eſt villicus diffamatus, quod heri bona diſſipaſſet; qui diffidens de reddenda villicationis ratione ab officio eſt amotus.

Homo DEI debitor, ex actione honeſta.

Vtroq; modo homo eſt Dei debitor. Primo, ex actione licita & honeſta. Ita debet Deo operas, quia ab illo conductus eſt in vineam. Debet corpus & animam, tanquam diuinitatis domicilium, quia illud Deo locauit. Debet vitam, quia ab eo eſt emptus. Debet ſe totum, quia dominii iure ad ipſum pertinet. Debet fidelitatem, quia in ius ſocietatis illius eſt admiſſus. Debet gratitudinem, quia beneficum expertus. Debet præceptorum omnium obſeruationem, quia mandatum ab illo accepit, & mandatorem legitimum agnoſcit. Debet dare omnia, quia accepit vt det. Debet facere imperata, quia Deus dedit, vt faciat. Debet bonorum ſuorum vſuras, quia ita conuentum eſt. Sed de his debitis, de quibus proprijs locis ex condicto eſt actum, dicere ſuperſedeo.

Ex actione iniuſta.
Peccata debita.

Secundo igitur debet homo ex iniuſtitia aliqua commiſſa, & ſic conſtituitur debitor, vti villicus iniquitatis. Ex quo facile colligas, quæ ſint debita, quibus homo debitor conſtituitur. Sunt enim vt vno verbo dicam, peccata. Ita nos cœleſtis Magiſter docuit: qui cum ſuis orandi formulam præſcribit, ſextam petitionem ita concipiendam mandauit: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vbi clariſſimum eſt, *delicta* appellari *debita*, quia Deo nos conſtituunt *Debitores*, *Peccatum*, inquit recte, haud malus Euangeliorum explanator Euthymius, *Matth. 6.*

obnoxium

Tertul. lib. de Orat. cap.7.

obnoxium reddit hominem, ſicut æs alienum. Et diſertiſſime Tertullianus. *Debitum in ſcripturis, delicti figura eſt, quod perinde iudicio debeatur, vt ab eo exigatur, nec euadat iuſtitiam exactionis, niſi donetur exactio. Sicut illi ſeruo* Matth. 18. *Dominus debitum dimiſit.*

Lib. de Tobia cap.4.

Eleganter S. Ambroſius. *Graue vocabulum* Debitorum. Debitores *quoque criminoſi appellantur.* Debita, peccata *dicuntur. Sic enim iſti, ſicut & illi de capite decernunt. Culpæ tamen habent nomen ſuum, vt factorum diuerſitatē.* Debita, *quamuis diuerſæ quantitatis, vnum habent nomen, vnum onus, vnum periculum.* Eam ob cauſſam phraſi Chaldaica, חיבים *peccatores, debitores* vocantur. Lucæ 13. 4. *Putatis, qui & ipſi* debitores *fuerint, præter omnes homines habitantes in Ieruſalem*: id eſt, non magis quam alii peccatores erant, vt exponit ibi Maldonatus. Eodem ſenſu Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 4. de Deo: *Reddis* debita, *nulli debens: donas* debita, *nihil perdens.* Et Eccleſia in hymno confeſſoris non Pontificis.

Proinde te piiſſime,
Precamur omnes ſupplices,
Vt huius almi gratia,
Nobis remittas debita.

Homil. 42.

Sed omnesne homines ſunt debitores hoc genere? Omnes plane, qui in peccatis concepti & nati. Nam leuiſſima etiam illa, quæ à facilitate condonationis, venialia paſſim audiunt, Debiti rationem habent. Hæc Patrum grauiſſimorum eſt ſententia: qui idcirco Pelagianis hanc Orationis Dominicæ partem obiiciunt. Et Auguſtinus orationem hanc à Chriſto compoſitam interpretans. Quis, ait, *viuit hic in carne, & non habet* debita? *Quis eſt homo ſic viuens, vt ei non ſit iſta oratio neceſſaria? Hoc Chriſtus docuit orare ſuos diſcipulos, arietes illos magnos,* primos Apoſtolos ſuos, arietes noſtros. *Si ergo pro peccatis ſuis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere.*

Auguſt. lib. 11. cont. epiſt. Parmen.

Et Lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniam, cap. 10. *Dimitte nobis debita noſtra, de iis dicitur peccatis, quæ quotidiè de ſeculi amariſſimis fluctibus humanæ vitæ infirmitas contrahit. Quibus curandis adhibentur medicamenta Eleemoſynarum, ieiuniorum & orationum.*

Lib. 3. contra duas Epiſt. Pelag.
Lib. 3. de pec. mer. & remiſſ.

Idem alibi: *Quid ſanctius Apoſtolis? & tamen præcepit eis Dominus in oratione dicere:* Dimitte nobis debita noſtra. Verùm quoniam Te, parua, vel nulla venialium debitorum cura coquit, qui mortalium pondere opprimeris, age videamus, quam magna ſit hæc debitorum ſumma.

Magni debitores.

Magnos in ſacra profanaque hiſtoria *debitores* reperio, ad quos tu comparatus, ſi externa ſpectes, & pecuniarias obligationes, vix in debitorum te tribu conſtitues. In hoc Euangelio Lucæ 16. duo exprimuntur, quorum alter debebat centum cados olei. Græcè *κάδος* Hebraicè כד *Cad,* quæ vocula tribus linguis ſeruata terminatione cuilibet propria eſt communis.

Cadus.

Exemplaria nonnulla habent *βάτους.* Eſt autem *Batus*, Hebræorum menſura. Syrus mutuato à Græcis nomine legit מתרם *mathraciam*, id eſt, *metretas*, quod poſtea repetit: *Scribe, quinquaginta metretas.* Criticus Batavus reprehendit Latinum interpretem, quod verterit *Cados.* Sed eundem defendit Georgius Agricola, & omnes Catholici ſcriptores.

Eraſmus.

Quale vas cadus.
Iudic. 7. 16.
3. Reg. 17. 12. 14. 16. & 18. 34.

Cadus autem Hebræis vas erat ad omnia liquida portanda habile, vt ex multis locis, Libri Iudicum & Regum conſtat. Eandem fuiſſe menſuram, cum Amphora Græcorum ex Thalmudicis traditionibus docent aliqui. Agricola, *Batum, Cadum, μετρητήν,* & *κεράμιον,* docet eſſe amphoram Atticam, & eandem eſſe menſuram.

Coros tritici.

Alter debebat centum *coros* Tritici. Syrus interpres vocat כורין *Curin.* Hebræum כור *Cor,* aridorum menſura erat, continens ſata triginta, quæ ab interprete Latino

tino modii vertuntur. Leuit. 28.16. Iſaiæ 5. 10. Fuiſſe decem medimnorum, ſcribit Ioſephus Lib.15. Antiquitat. cap. 12. Quæ expenduntur à doctis menſurarum antiquarum examinatoribus recentioribus, Ioanne Baptiſta Vilalpando, Ioanne Mariana, Ludouico Alcaſar, Hiſpanis.

Debitor centum denariorum.

Alii, duo debitores recenſentur Matth. 18. vbi narratur parabola de homine Rege rationem ponente cum ſeruis ſuis, quorum vnus conſeruo debebat centum denarios, hoc eſt, vt numerant Gallicæ monetæ gnari, circiter octo aureos Gallicos. Erat enim denarius aureus & argenteus: argenteus ſex obolos Atticos valebat: id eſt, quinque Gallicos ſolidos, aut regale vnum Hiſpanicum.

Debitum ſex millionum.

Seruus autem Regi debebat decem millia talenta. Quod ſi talentum accipies cum Hebræis ad ſexcentos aureos nummos, decem millia talentorum, ſummam conficient, ſexagies centum millium aureorum: ingens debitum.

Inter humana prodigia ponit Plinius æs alienum Milonis qui Clodium occidit, ſeſtertium ſeptingenties.

Carol. Scriban. Antuerpia Tit. Pecuniaria negociatio.

Cæſar dictator poſt ſubactam orbem auri milliones ſex debuit, neſcio an tantum debeat, certè exigere dicitur modo, nihil minus ab inuictiſſimo Poloniæ Rege Sigiſmundo rebellium Sarmatarum exercitus. Tantundem debuerunt ante haud multos annos mercatores duo Belgæ, quibus tamen longè plura debuit Rex Philippus. Quantum verò idem Magnus Rex debuit mercatori illi, qui vix ſolidis diebus viginti ſupra ſeptingenta aureorum millia numerauit vt in militaria erogarentur ſtipendia: deinde menſe vno auri millionem vnum dedit: poſtea iterum, vix elapſis tribus menſibus auri milliones duos addidit, & ſuper hæc aureorum ſeptingenta millia in cumulum coniecit?

Quantum tu debes amice? Multum Pater: horreſco referens, & vereor, ne rupto Banco, decidã proximis nundinis. Titio Argyrio debeo DCC. Caio Panurgo DCCXC. Mille Siſennæ frumẽtario mercatori: duo millia Mangoni equario: non pauciora M. Bibulo Cauponi. Hæccine te angunt miſer, aiebam ego, quæ omnia, & longè plura, denis millibus expediri poſſunt, & ſummam non attendis, quam maiori ac ſeueriori creditori debes? trabem habes in oculo, & de feſtuca laboras? vulneribus, vlceribuſque es obſitus, & vnius tantum te papulæ cura tangit? de capite agitur, & tu pedis vltimum digitum obligas?

Magnum debitum peccatorum.

Sed quænam illa ſumma, quæris, dictis omnibus longe maior quam Deo debes: peccatorum ſcilicet. Nam ſi vel vnum mortale circumfers, vltra decem millia talenta & milliones centum debes. Quid ſi plura in cumulum peccata coaceruaſti? Sed ne me populariter, aut vanè & vafrè loqui exiſtimes, rationes ad exactam, ſeueramque ſacræ Theologiæ normam examinemus. In qua ſi in vlla ſcientia ſeuerè, ac ſcrupulariter, de rerum ponderibus ac menſuris pronunciatur.

Peccati infinitas.

Theologi ergo plerique, dum de debiti magnitudine quod in peccato vel vno lethifero conſiſtit, quæritur; reſpondere ſolent, poſt plurimam, moroſamque in omnem partem diſquiſitionem, non eſſe pondus, menſuram, aut numerum, cuius expreſſione in illius notitiam perueniri detur, cum fini ei ad infinitum nulla ſit proportio: Peccatum autem ſit infinitum, ſi offenſæ aut iniuriæ rationem, ac prode debiti grauitatem ſpectes.

Eſt enim peccatum contra Deum, qui infinitus eſt, atque idcirco hominem auertit à bono infinito. In ratione ergo auerſionis habet nonnullam infinitatem. Et quis ignorat, offenſam, atque iniuriam omnem creſcere ex dignitate

perſonæ illius contra quam committitur. Maior enim eſt iniuria, quæ infertur Principi, quam Aulico: maior, quæ Regi, quam quæ Principi: maxima, quæ ſupremo capiti. Peccatum autem eſt contra Deum, in quo eſt infinita quædam dignitas, ac excellentia, cui creata nulla æquari poteſt.

Adhæc, peccatum quodcunque contra Deum tantam habet rationem mali, vt pro nullo finito bono poſſit committi, quod malitiam quandam finita omni maiorem arguit: nam finitum nullum bonum illi præferri poteſt. Tandem, quando aliquid finitum, fieri poteſt, vt id, quod eſt minus, tantum creſcat, vt æquale fiat alteri, quod erat maius. Non poteſt autem contingere, vt iniuria contra perſonam creatam tantum creſcat, vt æqualis fiat iniuria contra Deum. quare infinitatem quandam habere hanc iniuriam neceſſe eſt.

Malitia peccati.
Anſelm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 21.

Eapropter Theologicè planè, S. Anſelmus Libr. 1. *Cur Deus homo*, oſtendens quanti ponderis ſit malitia peccati, inquit eſſe ſuper omne quod eſt Deus, eo quod nec pro aliqua re mundi, nec pro omnibus ſimul, peccatum ſit committendum.

Ioan. Medina C. de pœn. tr. 3. qua eſt de ſatisfact. Q. 1.

Aliam rationem ſuggerit non ignobilis auctor, qui ita philoſophatur: Offenſa & peccatum mortale contra Deum eſt talis naturæ, vt ſi poſſibile eſſet, deſtrueret ipſum Deum, eo quod eſſet cauſa triſtitiæ in Deo, quæ triſtitia eſſet infinita, & proinde Dei deſtructiua: & quia peccans mortaliter conſtituit alium finem vltimum præter Deum.

Peccati infinita obiectiua.

Non me fugit ſubtiliter & argutè diſputari poſſe. An reuera peccatum non ſolum ex parte obiecti extrinſeci nimirum Dei contra quem committitur: verumetiam intrinſecam aliquam infinitatem habeat, ſed nobis hoc loco, non licet eſſe tam argutis, vbi ad mores emendandos rationes multiplicantur. Illud ſatis conſtat apud omnes, *in Debito peccati* illud eſſe pondus ac grauitatem, vt nullum illi *Debitum*, quod ad creaturam referatur, comparari poſſit: ideoque aliquam habere infinitatem, vt loquitur S. Thomas 3. p. q. 1. eo quod ſit contra Deum. Quæ verba

S. Thom. 3. p. qu. 1. art. 2.

cum exponit Cardinal. Caietanus: Quanquam inquit peccatum non ſit ſimpliciter infinitum: tamen in ſuo genere: nempe mali infinitum eſt: ſicut linea quæ non clauditur punctis, licet non ſit infinita ſimpliciter, eſt tamen infinita in ſuo genere, nempe in genere longitudinis.

Debitoris miſera conditio.

Hac conſtituta ratione *Debiti*, quod diuinum voco, quia Deum reſpicit, conficitur, Te, omneſque debitores alios, eius ſolutionem, vel ſatisfactionem debere. Quomodo autem ſatisfacies? Nam Debiti infiniti infinita debet reſpondere ſatisfactio. Hic intelligis, reor, ſi ſuo iure, quamuis non ſummo agere vellet Deus Creditor, Te, omnium qui ſunt, Debitorum fore miſerrimum; ſiquidem iuberet te venundari & filios & omnia quæ habes, ac reddere, quæ debes. Hoc enim ius quondam erat creditorum in debitores apud Hebræos. Vendicabantur enim debitores à creditoribus tanquam ſerui.

Debitores ſerui, obærati, nexi.
Hebræi.

Apud alias quoque gentes, debitores tanquam ſerui, captiui, ac vincti tradebantur creditoribus. Hinc obæratos vocabant Romani, nexu vinctos; ære, libraque nexos: quod videlicet necterentur, & creditoribus traderentur. Sic in parabola Euangelica iuſſit Dominus ſeruum venundari & filios & omnia quæ habebat.

Ægyptii Diod. lib. 1. cap. 8.
Athenienſes.

Apud Ægyptios autem creditori dabantur quoq; parentum defunctorum corpora: ſumma autem illos, qui non redimerent, ſequebatur infamia, ac ſepultura carebant. In Athenienſium republica qui erant ære obſtricti diuitibus, vel araban

bant ſextantem fructuum penſitantes, vel corporis nexu duci à creditoribus poterant: vel liberos diſtrahere compellebantur: vel vrbem deſerere. Solon tamen nonnihil mitigauit lata lege, τῆς σεισαχθείας: id eſt, abolitionis tabularum, & excuſſionis onerum. *Plutarchus in Solo.*

Carcere includi ſolere debitorem ſatis liquet ex Euangelio. Lege autem 12. Tabular. ſecabatur corpus, & partirim diſtrahebatur, illius, qui ob pecuniam debitam adiudicatus addictuſque pluribus erat: Sicut nunc bona vænum diſtrahuntur.

Quam crudelitatem reprehendit ac damnat apud Gellium Phauorinus. Sed eſt magis miſera illius conditio, qui Deo tam multa debet, illum enim manent certo certius compedes, ergaſtulum, laniena, flammæ perennes, & quæcunque gehennæ nomine continentur ſupplicia. *Gell. lib. 20. cap. 1.*

Hæc nimirum tu non metuis, quem tanta ſollicitudo de pauculis homini debitis penè ad deſperationem adigit. Quam peruerſe rerum momenta perpendis miſer! Adde, Deum, qui non in corpus modo, ſed in animam quoque: nam ſpirituum eſt Dominus, plenum habet dominium, vtrumque nectere poſſe, & ſuis debitoribus ſoluere: ſicque tradere tortoribus. Quod tibi fiet haud dubiè, niſi reâ debito illo diuino, ſolutione, ſiue ſatisfactione oblata liberaueris.

Sed quis modus, dices, ſatisfactionis infinitæ præſentandi? Nullus ſanè fuiſſet, niſi ipſe creditor villici iniquitatis miſertus, Filio ipſe ſuo, ſibi in omnibus æquali, perſoluendi neceſſitatem impoſuiſſet. Ille in mundum tanquam mercatum venit, debitorum noſtrorum ſyngraphis onuſtus, ſe pro debitore venditans, & Actionibus Theandricis infiniti precii ſecundum omnem iuſtitiæ vigorem, non ſufficienter ſolum; ſed & abundanter Patri in iuſtitiæ bilance debitum noſtrum, & ſatisfactionem ſuam appendit: ac in longiſſima crucis menſa nummos quotquot debebat humana ſocietas, ad obulum vſque adnumerauit. Et vt nunquam repeti poſſet, obligationis ſyngrapham, clauis trabalibus pertudit, ſicque characteres omnes eraſit, & à Patre apocham ſatisfactionis recepit. *Chriſti ſatiſfactio infinita.*

Donans vobis omnia delicta, inquit Paulus Apoſtolus, *delens, quod aduerſus nos erat, chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus, & poteſtates traduxit, confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* *Ad Coloſ. 2. 14.*

Non glorietur amplius gentilitas, quæ Hadrianum hactenus produxit tam liberalem, vt ingentem auri ſummam, quæ à priuatis fiſco debebatur, in vrbe, prouinciiſque remiſerit, ſyngraphis etiam in foro Traiani concrematis, ne vnquam ea ſumma repeti poſſet. Magis prædicanda & multo maior eſt Chriſti aſſertoris noſtri largitio. *Hadrian. liberalitas. Pontanus cap. 19. de liberal.*

Cui & illa cedit Q. Conſidius, qui Catilinæ furore ita conſternata Republica, vt ne à locupletibus quidem debitæ pecuniæ, propter tumultum, precijs poſſeſſionum diminutis ſolui creditoribus poſſent, cum ipſe centies atque quinquagies ſeſtertium ſummam in fœnore haberet, neque de ſorte quenquam, debitorum ſuorum, neque de vſura à ſuis appellari paſſus eſt: quantumque in ipſo fuit, amaritudinem publicæ confuſionum, priuata tranquillitate mitigauit, opportunè mirificeque teſtatus, ſe nummorum ſuorum non ciuilis ſanguinis eſſe fœneratorem. Sed quid hæc ad Chriſti profuſionem, qui nihil exigens à debitoribus, illorum in ſe debita tranſtulit, eaque liberaliſſime exſoluit. *Q. Conſidius. Valer. Max. lib. 4. cap. 3.*

Digitized by Google

Debita noſtra quæ aliorum.

S. Aug. lib. 3. d. doctr. Chriſtian. cap. 31. in Pſal. 21. expoſ. 2. libr. de grat. V. T. c. 6. Damaſc. lib. 6. cap. 25. lib. 4. cap. 20. Scholaſt. in 3. diſt. 12. S. Thom 3. p. Q. 15. ar. 1. Ælianus lib. 14. Va iar. hiſtor.

Neceſſitas Incarnationis.

Atque ob eam cauſam, quemadmodum noſtra vocamus debita, quæ ſunt aliorum, ſi promiſimus ea nos ſoluturos: ita Chriſtus ſua vocat delicta, quæ hominum erant, quia & voluntate propria, & Patris præcepto recepit ſe pro iis ſatisfacturum Pſal. 21. 2. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.*

Maius hoc eſt, quam quod tantoperè commendarunt Corinthii in Theocle & Thraſonide, ac Mitylenii in Praxide, qui, cum in ampliſſimis opibus verſarentur, & viderent ciues ſuos pecunia laborantes, non tantum ipſis remiſerunt, ſed hortatores etiam aliis fuerunt, vt paupertatis onus egentibus releuarent. Remiſerunt quidem debitum, ſed in ſe illud non receperunt, quod fecit Chriſtus, quia alius perſoluendi non erat modus.

Ita populariter, & ad tuum captum, Amice, qui non niſi humana præcipere aſſueuiſti, explicare oportuit, quod incredibili ſubtilitate in Theologicis exedris diſceptatur, eſtque Chriſtianæ Religionis fundamentum: & ideò doctis æquè ac rudibus ſæpius inculcandum; cur ad humani generis Redemptionem neceſſarium fuerit verbum diuinum, Dei filium ad nos deſcendere, humanaque carne conueſtiri, quod eſt incarnari.

Facilis & expedita Reſponſio eſt. Humana ſocietas debitum contraxerat, infinitum, cui neq; vllus hominum, neq; vniuerſitas tota ſoluendo erat. Nam purus homo, qui non ſit DEVS-Homo, vt Chriſtus, neque pro ſuo peccato vel vnico, neque pro alterius, poteſt ſatisfactionem, quæ infinita eſſe deberet creditori exhibere.

Peccatum, inquit Doctor Angelicus, vbi de hac ipſa re diſputat, contra Deum commiſſum, quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ Maieſtatis: tanto enim offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille, in quem delinquitur. Vnde oportuit ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpote Dei & hominis exiſtens. Qui mori pro ſe non habet; nunquid pro alio fruſtra debet? Non quidem peccator ſufficit ſoluere mortis debitum pro altero peccatore, cum quiſque moriatur pro ſe. Itaque ille quærendus fuit & rogandus, qui pro ſe mori non debebat, qualis fuit Chriſtus.

S. Bernard. ad Mil. Imp. c. 2.

Qui, vt eleganter dicit Bernhardus: *Si corporaliter non pateretur, debitum non ſoluiſſet: ſi non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuiſſet. Nunc autem ſi mortis meritum eſt peccatum, & peccati debitum mors: Chriſto remittente peccatum, & moriente pro peccatoribus: profecto iam nullum eſt meritum, & ſolutum eſt debitum.*

Quanta hinc ſecuritas? *Nam qua ratione iterum exigetur à nobis, quod pro nobis ille iam ſoluit? Qui peccati meritum tulit, ſuam nobis donando iuſtitiam. Ipſe mortis debitum ſoluit, & reddidit vitam.*

Quod quomodo factum ſit, commento ingenioſo exornat Leo Pontifex Oratione 2. In Natiuitatem; Verax, inquit, miſericordia Dei, cum ad reparandum genus humanum, ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus Diaboli, non virtute vteretur potentiæ, ſed ratione iuſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immerito ſibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat; quos à mandato Dei ſpontaneos in obſequium, ſuæ voluntatis allexerat. Non itaque iuſte amitteret originalem dedititii generis ſeruitutem niſi de eo, quod ſubegerat, vinceretur.

Victus eſt: quomodo? Improbus prædo, & auarus exactor in eum, qui nihil ipſius habebat, auſus eſt, inſurgere: ac ſic, dum vitiatæ originis præiudicium, generale

rale perſequitur, Chyrographum, quo nitebatur excedit, ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Soluitur itaque læthiferæ pactionis maleſuada conſcriptio, & per iniuſtitiam plus petendi, totius debiti ſumma vacuatur. Fortis ille vinculis nectitur ſuis, & omne commentum maligni in caput illius retorquetur. Quanta filii Dei in te miſerum benignitas, cuius beneficio à tanto debitorum onere es ſubleuatus.

MVLTVM me recreas, Pater, aiebat ille meus auditor, & grates habeo, quod abſque meis impendiis debito me omnium maximo exolutum pronuncies. Itaque non opus poſthac de debitorum ſolutione me eſſe ſollicitum, licet fragilitate inſtigatus, aliquando labar vel etiam ex malitia grauiora committam delicta, ſatisfactum eſt. Quid ego multum torquear, vel angar animo? *Chriſti ſatisfactioni noſtra iungenda.*

O rerum ignare, non cœleſtium tantum, ſed & forenſium! ſi quis hodie tibi eam nummorum ſummam contraderet, quæ ad debitorum ſolutionem eſſet ſatis, vel, fidem obligaret ſuam, ſi à creditoribus in ius rapereris: aut cum creditoribus ageret, vt ſyngrapha ſua, modo à te exhiberetur, contenti eſſe vellent: non ſatisfeciſſe pro te diceretur? Nunquam tamen tu à debitis liberateris, niſi vel numerata per te pecunia, vel exhibita ſyngrapha.

Humanis diuina comparemus. CHRISTVS tot laboribus ac ærumnis: potiſſimum vero precioſiſſimo ſanguine ſuo DEVM creditorem tibi placatum reddidit: deinde infinitum illum meritorum theſaurum in manu tibi tradidit: vt quotieſcunque debita contraxeris, ex illo ſumpto ære, creditori ſatisfacias, & illi inde, quod debes, adnumeres. Quod ni feceris, nexus in compedibus manebis. Adnumeratio autem hæc fit ſeptem quibuſdam ad hoc deſtinatis inſtrumentis, quæ ſunt vaſa capaciſſima: videlicet, ſeptem Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramentis. Sed potiſſimum duobus, Baptiſmo ac pœnitentia: aliiſque ad ea ſpectantibus pietate plenis operibus: ſine quibus poſtquam in debita poſt baptiſmum inciderit, de ſatisfactione Chriſti tibi fruſtra adblandiris.

Hoc eſt, quod duabus voculis Theologice exprimitur *ſufficienter*, & *efficaciter*. Chriſtus pro omnium debitis *ſufficienter* ſatisfecit. Vt autem ſit efficax, applicatione per bona opera, & adnumeratione ſacramentorum contingit. Et nihilominus Deus gratis nobis remittere debita, recte dicitur: Tum quia fundamentum remiſſionis eſt gratia Dei, Chriſti paſſio, ac meritum: Tum quia gratis fidem donat Deus, & pœnitentiæ adfectum inſpirat gratis. Tum quia gratis nos ad amicitiam ſuam recipit. Tum quia gratis culpam ac reatum mortis æternæ condonat: Tum quia gratis inſtillat illam gratiam, qua ad opera pietatis excitamur, & quibus Deo pro pœna debita ſatisfacimus. Itaque Deus in vna eademque re, & iuſtitiam oſtendit, Filii maximam ſatisfactionem poſtulando: & miſericordiam exhibet mancipii minimam acceptando. *Satisfactio ſufficiens.*

Iam vero, niſi plane peregrinus eſſes in iis, in quibus nullus non Chriſtianus deberet eſſe domeſticus, facile colligeres, ad quid ex debitoris titulo obligareris: nimirum ad debiti ſolutionem: id eſt, peccatorum abolitionem, quæ non fit niſi ſatisfactionis Chriſti applicatione: Applicatur autem ſatisfactio per pœnitentiam internam, & externam. Interna eſt dolor ſerius de peccatis, Theologi contritionem vocant. Externa conſtat operibus laborioſis. Debes ergo Deo pœnitentiam, debes dolorem, debebis ieiunia, debes orationem, debes lacrymas, debes cineris *Deo debemus pœnam & pœnitentiam.*

inſperſionem, debes humicubationem, debes ſaccum, debes cilitium, debes flagella, debes corporis ceteras afflictationes, animam debes.

Quomodo Deo ſatisfaciendum. Daniel. 4.24. 1. Cor. 9.24. Luc. 11. Ioelis 11. Matt. 3.

Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis. O homo, *conſilium meum placeat tibi, & peccata tua Eleemoſynis redime. Caſtiga corpus tuum, & in ſeruitutem redige. Non recedas à templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte. Delinquenti Dominus nequaquam parcit: aut enim ipſe homo in ſe hoc pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Conuertere ad Dominum in toto corde tuo, in ieiunio & in fletu & in planctu, & ſcinde cor tuum, & non veſtimentum tuum.* Fac, ſi ſapis, *fructus dignos pœnitentiæ.*

Greg. hom. 11. in Euang.

Fructum dignum pœnitentiæ facere, inquit Druthmarus in cap. 3. Matthæi. *eſt præterita mala fletibus punire, & bona è contrario agere, & male commiſſa eleemoſynis redimere. Aliud eſt fructum pœnitentiæ,* ſcribit Gregorius, *facere: aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim de dignis pœnitentiæ fructibus, loquamur: Sciendum eſt, quod quiſquis illicita non commiſit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur: ſicque opera pietatis faciat: vt tamen ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſis, quod grauius eſt, in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe.*

Deo quam primum ſatisfaciendum. Greg. lib. 6. in cap. 11. lib. 1. Reg.

Itaque, ſi me audis, Amice, vt hanc debitorum præponderantem ſarcinam, & te opprimentem abiicias: id eſt, Deo ſatisfacias quam primum, teque pœnitentiæ officiis dedas, quam maxime potes ſerio curabis. Pœnitentia autem Magni Papæ ſenſu mentis conuerſionem, oris confeſſionem, & peccati vindictam poſtulat. His debitorum erga Deum ſyngrapha deletur.

Liber creditoris.

Vt enim habent creditores librum, in quem nomina debitorum, & quicquid ipſis, perſoluendum eſt, accurate referunt: vnde nomen accipitur, aliquando pro debitore: & nomina facere, pro debita accumulare: ita Deum creditorem noſtrum libros rationum habere cogitandum eſt, in quem debitorum nomina referantur. Quid mirum? cum & liber vitæ reperiatur, in quo creditores Dei ſcripti ſunt. Hoc illa ſacræ ſcripturæ indicant: *Ecce ſcriptum eſt coram me, non tacebo; ſed reddam & retribuam.* Eſaiæ 65. *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Deut. 31. Notandum hoc fine vocabulum iſtud. 1. Reg. 15. *Recenſui quæcunque fecit Amalech:* i. e. librũ debitorum omnem pervolui, vt ſingula, quæ commiſit expenderem.

Sanguine Chriſti delentur debita.

Hæc autem nomina ampliſſimis diuinæ cognitionis litteris ſcripta nonniſi filii Dei ſanguine, & pœnitentia propria debentur. Quod vt fieret tam ſollicite precabatur magnus rex Dauid, poſtquam magna illa nomina adulterii & homicidii contraxiſſet. *Miſerere mei Deus, dele iniquitatem meam. Et ne reminiſcaris Domine, delicta mea.* Deleta enim in hoc libro debita, etiam è memoria eraſiſſe cenſetur, & non meminiſſe, quæ gratia & pœnitentia penitus ablata ſunt.

Alia phraſi ſed eodem intellectu tegi coram Deo peccata dicuntur. Pſalmo 31. id eſt, ſanguine filii Dei tanquam atro humore obrui, ſicque auferri.

Nam Deo nihil tegi aut occultum eſſe poteſt, quod in rationum libro perſeuerat. Hoc igitur tibi conandum, vt primo quoque tempore hanc ſcripturam deleas. Faciam, dicebat ille, ô Pater, & ſpondeo, dexteram meam apprehendens & exoſculans: faciam omnino, ſi in proximis nundinis auctumnalibus quis ſit rerum mearum ſtatus perſpexero. nunc vſque adeo premor, vt ad alia deriuandi cogitationes nullum mihi ſit ocium. Hominibus primo debita pecuniaria perſoluam, tum Deo integre ſatisfacere curabo.

Vix me continui, qui indignabundus excuſſo pedum puluere, hominẽ ſine vale-

dictione

Digitized by Google

dictione deſeruerim, meque ocius è conſpectu proripuerim, collecto tamen ſpiritu,& vultu ad ſeueritatem cōpoſito; Heus,heus,dixi,quis es tu? Itane Deum homini poſtponis? diuina humanis debita poſthabes? magis pecuniam, quam Dei gratiam æſtimas? prius homini, poſtea Deo? per quam regulam?

Siſte parumper,te huius improbitatis cognitorem,& iudicē adſciſco: Quantum debes mercatori frumentario? mille. quis ſolutionis præfixus eſt terminus? Meſſis tempus. Quantum debes oenopolæ, quingentos: quem poſuit ſoluendi limitem? vindemiam. Quantum Argyrio? Septingentos. Quando numerandos? in nundinis. Cui ex his prius ſolutionem debitorum offerre cogeris? Illi, inquit, cuius vicinior eſt dicta ſolutioni dies. Bene habet, dicebam, ex ore tuo te iudico homo profane. Deo debes & hominibus: horum ſolutio nondum te vrgeat,quia dictus dies nondum aduenit. Deus nunc ſatisfactionem poſtulat,quia hoc debiti diuini ratio exigit: & tu illud mihi occinis,prius homini,poſtea Deo? Audi, & tecum defer. Quicunque Deum peccato mortali offendit, tenetur quamprimum illi ſatisfacere, & in gratiam redire: ni faciat, & in hac vita temporalibus conſcientiæ aſſiduo mordentis, & in altera æternis gehennæ vrentis cruciatibus, torquebitur.

NOTÆ.

DE DEBITO, ET DEBITORIBVS.

DEBITVM ὀφείλημα. ὀφείλω. Debeo, obligatus ſum. Quo verbo communis *Debitum.* actio comprehenditur, vt ſentit Vlpianus, ſiue ciuilis ſit, ſiue honoraria, ſiue fidei commiſſi perſecutio.

DEBITOR, ὀφειλέτης, vt Modeſtinus inquit, is proprie dicitur, à quo inuito ex- *Debitor.* igi pecunia poteſt. Debitum, id quod debetur. Debitio, ipſe actus. Cicero: per *Debitio.* quam diſſimilis eſt, pecuniæ debitio & gratiæ: Nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id, quod reddit: qui autem debet, æs retinet alienum. Gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, eo ipſo quod habet, refert.

CREDITOR Χρήςης Δανειςὴς, cui aliquid ex quacunque cauſſa debetur. Caius *Creditor.* IC. de verbor. ſignif. Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, ſed omnes, quibus ex aliqua cauſa debetur; ſicut ex empto, vel locato, vel alio contractu, debetur. Horat. Serm. 2.

Integer eſt mentis Damaſippi creditor? eſto.

Debitor in Euangelio vocatur Villicus, quod nomen, cuius adminiſtratoris fuerit diximus in Artifice Symbolico. Idem eſt cum œconomo actore, diſpenſatore, procuratore, rerum domeſticarum curatore, Syrus Magiſtrum domus nominat.

Quis ſit Villicus, ſymbolice ibidem dictum eſt. Hic pro quolibet homine accipimus, qui rem Domini curat: quam ſi contra voluntatem illius impendit, diſſipare iudicatur, & ſit Debitor. Quæ autem ſunt bona illa Domini? Quicquid habent homines. Vita imprimis, & quæ illam circumſtant, aut quomodolibet ſunt annexa; omnia enim à Deo habemus, ac proinde illi debemus.

Vita data eſt, vtenda data eſt, ſine fœnore nobis
Mutua, nec certa perſoluenda die.

Itaque

Itaque quicquid homo poſſidet, alienum eſt, & ratio reddenda de quolibet. Quo plus habet, plurium è debitorem conſideret, nec pluribus inhiabit.

Seneca Epiſtola 15. Subinde quam multa ſis conſequutus, recordare. Cum aſpexeris, quot te antecedant, cogita quot ſequantur. Si vis gratus eſſe aduerſus Deos, & aduerſus vitam tuam, cogita quam multos anteceſſeris. Quid tibi cum ceteris? Te ipſe anteceſſiſti. Finem conſtitue, quem tranſire ne poſſis quidem, ſi velis. Diſcedent aliquando iſta inſidioſa bona, & ſperantibus meliora, quam adſequutis. Si quid in iis eſſet ſolidi, aliquando implerent. Nunc haurientium ſitim concitant, & inuitant ſpecioſi apparatus. Quod futuri temporis incerta ſors voluit, quare potius à fortuna impetrem vt det, quam à me ne petam? Quare autem petam, oblitus fragilitatis humanæ? Congeram? in quid? laborem? Ecce hic vltimus dies. Vt non ſit prope ab vltimo eſt.

Homo alienus ratio de ſe exigitur. Hæc ille, vt cupiditatem coërceat: ego vt alienum eſſe oſtendam quod habet homo, vel accipit, ac proinde omnium debitorem: illi reddendum, quicquid poſſidet à quo accepit. Imo homo ipſe alienus eſt, & ſui ipſius reſpectu debitor.

Auguſtinus armentarium compellans. Reddite igitur quod vouiſtis, quia vos ipſi eſtis, & ei vos redditis à quo eſtis: reddite, obſecro, neque enim quod redditis, reddendo minuitur; ſed potius ſeruabitur, & augebitur. Benignus enim exactor eſt, non egenus, & qui non creſcit ex redditis; ſed in ſe creſcere facit redditores. Huic enim quod non redditur, perditur: quod autem redditur, reddenti additur. Imo vero in eo, cui redditur, ipſe reddens ſeruatur. Id ipſum quippe erit redditum & redditor: quia idipſum erat debitum & debitor. Deo namque ſeipſum debet homo: eique reddendus eſt, vt beatus ſit, à quo accepit, vt ſit.

Debitor. Redemptori. Bernhardus ſermone de quadruplici debito. Primo CHRISTO IESV debes omnem vitam tuam. Quia ipſe vitam ſuam poſuit pro vita tua: & cruciatos amaros ſuſtinuit, ne perpetuos tu ſuſtineres.

Iuſtificatori. Sed numquid huic ſoli debitor ſum, cui vix parum aliquid retribuere poſſum? Exigunt à me præterita peccata mea futuram vitam meam, vt faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Glorificatori. Quid ſi Tertium debitorem tibi oſtendam, qui non minus acriter, quam veraciter vendicat eam ſibi? puto quod & tu poſſidere deſideras ciuitatem de qua dicitur, Glorioſa dicta ſunt, de te ciuitas Dei. Nonne ad hanc emendam totum te, & quæcunque & vndecunque contrahere poteris, dare oportebit?

Creatori. Quid dicas, ſi & Quartum debitorem in medium adduxero? qui ſibi etiam iure primatus ſui ſuperiores tres cedere velit? Ecce vnus eſt, qui fecit cœlum & terram: & Creator tuus eſt, tu creatura. Tu ſeruus, ille Dominus: Ille figulus, tu figmentum. totum ergo quod es, illi debes, è quo totum habes. Expone ergo mihi, cui horum quattuor, proponas reddere, quod debes, cùm vnuſquiſque tam internus, quam externus exactor ſit, vt te poſſit ſingulariter ſuffocare. Eia Domine, vim patior, reſponde pro me, In manus tuas commendo minutum meum. Tu perſolue omnibus: tu ab omnibus libera: quia tu es Deus & non homo: & quod hominibus impoſſibile eſt, poſſibile eſt tibi. Hæc eſt fortaſſe fratres, illa vera veſtra quadrageſima, non exterior ſed interior, quæ non corticem ſacramenti, ſed adipem frumenti contineat. Si enim vnicuique iſtorum quattuor, & pro ſe, & per ſe omnem Decalogi perfectionem debetis: profecto decem quater ducta quadrageſimam

ſimam veſtram faciunt, quam cuſtodire vos oporteat omnibus diebus vitæ veſtræ. Et ipſe qui vos congregauit in loco iſto, vitam veſtram conſeruet in opere ſancto, vt cum ipſe apparuerit vita veſtra & vos appareatis cum ipſo in gloria.

Alio loco tres nominat creditores, quibus plurimum debemus, Sermone 2. De Reſurrect. Apoſtolus ait, ſobriè, iuſtè, & piè viuamus. Hæc tria ſunt conuerſ. tioni noſtræ maximè neceſſaria: quoniam primum debemus nobis: ſecundum proximo: tertium Deo. Nam qui fornicatur, in ſuum corpus peccat, magno illud priuans honore, & pauendo addicens, pudendoque dedecori, tollens membrũ Chriſti, & faciens membrum meretricis. Ego autem non ab ea tantum, quæ tam abominabilis eſt: ſed ab omni voluptate carnis continendum dico. Ante omnia igitur perfectam hanc continentiam quære, quam tibi ipſi debes. Nemo enim tibi propinquior eſt.

Tria debita. Ad Titum 2. *Homo debet ſibi caſtitatem.*

Dehinc, adde miſericordiam, quam debes proximo, qui cum eo ſaluandus es. Deinde patientiam, quam debes Deo, quia ab eo ſaluandus es. Omnes enim, qui piè viuere volunt in Chriſto, perſequutionem patientur. 2. ad Tim. 3. Et per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Actuu. 14.

Proximo miſericordiam. Deo patientiam.

Idem alibi alio modo creditores exprimit & ſoluendi debiti modum ſic declarat. Nullum conſilium melius arbitror, quam ſi exemplo tuo fratrem docere ſtudeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri, prouocans eum ad meliora, & conſulens ei non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Ores deuotè pro eo: non diſſimules redarguere culpas eius. Si talem te fratri auxiliarium, & conſiliarium exhibeas reddis ei, quod debes: nec habet, vnde cauſſetur.

S. Bernhard. Sermon. 3. de aduen. Fratri debet exemplum.

Porro ſi cui forte prælatus es, huic ſine dubio teneris Debitor ſollicitudinis amplioris. Exigit à te & ipſe cuſtodiam, & diſciplinam. Cuſtodiam quidem vt poſſit cauere peccatum. Diſciplinam verò, vt quod minus cauit, minimè maneat impunitum.

Prælatus debet ſubdito ſolicitudinem.

Quod etſi nemini fratrum præeſſe videris, habes tamen ſub te cui cuſtodiam hanc & diſciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod ſine dubio regendum accepit ſpiritus tuus. Debes ei cuſtodiam, vt non regnet in eo peccatum: nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes & diſciplinam, vt dignos faciat pœnitentiæ fructus, caſtigatum & ſubditum ſeruituti. Longè tamen grauiori, & periculoſiori debito tenentur adſtricti, qui pro multis animabus redditurі ſunt rationem.

S. Gregorius. Deputemus intelligentiam datam, quaſi pecuniam mutuatam. Quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitores amplius tenemur in opere.

Grego. in moral.

Idem. Sic ſub auctoritate ſuperbia: & humanus timor ſub humilitate ſe palliant: vt ſæpè nec ille valeat conſiderare, quid Deo, nec iſte quid debeat proximo.

Paulus Apoſtolus debitorem ſe profitetur omnibus hominibus ad Rom. 1. 14. *Græcis & Barbaris, Sapientibus & Inſipientibus Debitor ſum.* Quibus quattuor generibus mortalium omnes intelligit, vt ibi obſeruat Iuſtinianus. S. autem Ambroſius *Debitorem*, inquit, *horum ſe dicit, quos memorat, quia ad hoc miſſus eſt, vt omnibus prædicaret.* Itaque quilibet Debitor eſt eius quod ipſius munus exigit.

Ex eodem Pauli dicto collige eſſe debitum aliquod doctrinæ, ſeu inſtitutionis: cui debito pro varietate perſonarum perſoluendo, non quiuis pius fidelis: ſed ſapiens & doctus eſt idoneus. Chriſtoph. Gillius Tom. 1. Tract. cap. 2.

Idem Apoſtolus Roman. 8. 12. Cum dixiſſet, mortalia corpora viuificanda pro-

pter inhabitantem ſpiritum : id eſt, vt interpretatur Chryſoſtomus, perſeuerantem & permanentem vſque ad finem : infert. Ergo fratres, *Debitores ſumus non carni*:hoc eſt,nequaquam debemus carni obtemperare,ſed potius ſpiritui obſequi. Addit enim,vt ſecundum carnem viuamus.

Diaboli debitores.
Ambro. lib. 5. de ſacra. c. 4.

Quidam non cõtenti tot debitis & creditoribus quibus ſunt obſtricti, Diabolo etiam ſe obligant,& illum conſtituunt ſuum creditorem. Audi Ambroſium : Debitum quid eſt, niſi peccatum ? Ergo etſi non acciperes alieni fœnoris pecuniam, non egeres. Et ideo peccatum tibi imputatur. Habuiſti pecuniam cum qua diues naſceris. Diues eras ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus : perdidiſti quod habebas:hoc eſt humilitatem,dum arrogãtiam deſideras vindicare. Perdidiſti pecuniam,ſicut Adam nudus factus es. Accepiſti à Diabolo debitum,quod non erat neceſſarium, Et ideò qui eras liber in Chriſto, Debitor factus es Diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus, ſed eam Dominus crucifixit, & ſuo cruore deleuit. Abſtulit debitum tuum : reddidit libertatem.

Debitum ſoluendæ pœnæ.

Eſt adeò coniunctum peccato debitum ſoluendæ pœnæ, vt non defuerint, qui contendebant,peccatum nihil aliud eſſe, *quam ſoluendæ pœnæ debitum.*

Sed hic error eſt, aliorum multorum origo. Debitum enim eſt effectus conſequens. Et poteſt quis debitum pro alio ſoluere velle, licet eius in ſe peccatum non recipiat. Lege Auguſtinum in Enchiridio cap. 41. quæſt. in Numer. q. 12. lib. 2. contra Maxim. cap. 2.

Seuere exacta debita.

Seueriſſimè autem olim agebatur contra debitores : maximè ſi fraus interueniſſet, vt in villico Euangelico. Vetus Hebræorum Lex Debitorem addicebat ſeruituti,cum filiis ac vxore. Prouerb. 22. 7. Lib. 4. Reg. 4. 1. Atque adeo debitores erant velut mancipia creditorum. Quia vero maxima erat creditorum in illa gente erga eiuſdem fidei homines & fratres inhumanitas, ſæpè reprehenduntur in ſacra Scriptura.

Crudelitas creditorum reprehenſa.

Iſaiæ 58. 6. *Diſſolue colligationes impietatis*, hoc eſt, ſolue obligationes ac vincula, quæ creditores impii debitoribus iniiciunt ex pignoribus ac fœnore contractis. Aut eximie miſeros debitores nexu tibi deuinctos,impiis ac iniquis obligationum vinculis. Educ de carcere eos, qui tibi ſoluendo non ſunt. *Solue Faſciculos deprimentes*: id eſt,ſeruitia,operas,iugum moleſtiarum ac vſurarum pauperum capitibus velut mancipiorum impoſitum. *Dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos* : nempe ingenti ære alieno oppreſſos, libera à ſeruitute : illos etiam, qui non ſunt ſoluendo, non conſtringas diutius,nec detineas in carcere.

Exactorum etiam crudelitas caſtigatur Exod. 22. 25. 26. 27. Et Chriſtus immiſericordem exactorem redarguit.

Immanitas in creditoribus notata Iob. 22. 6.

Hanc creditoris immanitatem putatur Eliphaz obiicere Iobo, viro mitiſſimo, cap. 22. 6. *Abſtuliſti pignus fratrum tuorum ſine cauſſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus.* Hebræa habent : *In pignus accepiſti fratres tuos in vanum* : id eſt : non ſolum illorum bona, quaſi tibi obnoxia,ac debita,iniecta manu, & quod dicunt, executione facta, tibi aſſeruiſti : ſed illos ipſos per vim,ac tyrannidem comprehenſos tenens ſuffocabas, quo ad vſque redderent vniuerſum debitum. Hoc in foro dicitur, pignorari iniecta manu,vel comprehenſione corporis,vt obſeruat Budæus,in forenſibus ſuis.

Accipere autem in pignus debitores,eſt, illos vendicare, tanquam ſeruos & mancipia. Conſule Ioan. Pineda in Iobum.

Plutarchus Comment. De vitando ære alieno : Doryus Athenas mittebat Da-

tin

Digitized by Google

tin & Attaphernem catenas & vincula manibus geſtantes ad vinciendum captiuos. Ita immaniſſimi creditores ſyngrapharum & tabularum tanquam compedum plena vaſa reipublicæ importantes circum vrbes ambulant.

Idem. Nos dum contentos eſſe noſtris rebus pudet, dandis pignoribus, contractibusq́; ſubeundis in ſeruitutem noſmet damus: nempe creditoribus: de quibus ſubiungit: Hi miſeris debitoribus, de foro, locum flagitioſorum pœnis deſtinatum redegerunt, vulturum inſtar eos edentes, & laniantes, &

Altius inſerto tundentes viſcera noſtro.

Crudele profectò fuit, ac barbarum, quod ad creditorum libidinem, poſt vincula & catenas membra debitorum dilaniarentur, vt Gellius commemorat lib. 20. c. 1. ex Lege 12. Tabularum, in quibus iſta legebantur: Æris confeſſi, rebusq́; iure iudicatis, triginta dies iuſti ſunto: poſt deinde manus iniectio eſto: in ius ducito: ſecum ducito, vincito, aut nortico, aut compedibus, quindecim pondo, aut ſi volet, maiore vincito. Deinde verò: Tertius nundinis parteis ſecanto. Si plus, minuſve ſecuerunt, ſine fraude eſto.

Addit Gellius: Nihil profectò immitius, nihil immanius, niſi (vt reipſa apparet) eo conſilio tanta immanitas pœnę denunciata eſt, ne ad eam vnquam deueniretur.

Apud Romanos, nexus vel nexum erat genus obligationis, cum corpus debitoris, vt pignus capi poterat obligationis iure atque conditione. De oppignoratione autem debitorum, & fœneratorum immanitate legendus Liuius lib. 2. & 8. Var. lib. 6. de Ling. Cicero in Topic. De abalienatione, Mancipio & Nexu. Budæ, in Pandect. Tit, De in diem adiect. Quinctil. lib. 7. cap. 4. & ca. 8. Gell. lib. 20. cap. 1. Macrob. lib. 1. cap. 16. Cæl. lib. 12. cap. 20. & 21. Solon Salominius primus σεισάχθειαν inuexit apud Athenienſes: id eſt, corporum poſſeſſionumq́; redemptionem ἀπὸ τοῦ ἀποσείσθαι τὸ βάρος τῶν δανείων ab excutiendo onere æris alieni. Plurimi enim propter inopiam nectebãtur à fœneratoribus. Solon igitur cum ſeptem ſibi talenta ex matrimonii ſui iure deberentur, ea debitoribus remiſit, & reliquos ciues ſuos ad idem faciendum prouocauit. Quo initio vſus ad cæteras quoq; leges condendas viam ſibi fecit. Laertius in vita Diod. Sicul. Lib. 1. cap. 3. Apud Ægyptios ſolutio ex bonis debitoris ſolum fiebat, corpus non poterat addici creditori. Quam legem Solon ad Athenienſes videtur tranſtuliſſe, decernens, ne ob vſuras ciuium corpora necterentur. Haud iniuria queruntur quidam de nonnullis Græciæ Legumlatoribus, qui arma, aut aratrum, aut aliud quiduis operi neceſſarium prohibebant ob fœnus addici creditori: corpora verò quæ his vtuntur, tradi permittebant.

Euangelicus exactor durus & immitis, ac ſeruilis ingenii, reperiens vnũ de conſeruis, qui debebat illi denarios centum, tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde, quod debes: & miſit eum in carcerem donec redderet debitum. Ob quod iratus Dominus, qui illi omne debitum remiſerat, tradidit illum viciſſim tortoribus quoadusque redderet vniuerſum debitum. Erant autem etiam apud profanos ſolennia ac concepta verba. Redde, quod debes. Plutarch. Comment. de ære alieno. Nihil turpius, nihil moleſtius, quam audire hanc vocem: ſolue, quod debes. *Matth. 18.*

Villicus cum diſſipaſſet bona Domini, motus fuit officio. Non poteris amplius villicare dixit Paterfamilias, Tollit Deus à bonorum diſſipatoribus, ea quibus ſunt abuſi: atque ita ſatisfit Deo, qui nullum alioqui damnum patitur.

Fuêre multi in condonandis debitis liberales. Iulianus Imperator inter reliquos plurimis ciuitatibus debita longa diuturnitate contracta condonauit: quin etiã ſua

Mmm 2 illis

Digitized by Google

illis vectigalia reſtituit. Pontan. De liberal. Cauit Phocylides, ne improbi viri debitor quis ſit, ne vbi dederit ille moleſtus ſit intempeſtiue. Suidas ver. ἀκαιτεῖν. De debitore & creditore diſſerit præclare Robertus Bellarminus concione 45. in Dominica 21. poſt Pentecoſt. Aliqua decerpo. Regnum cœlorum Eccleſia eſt, in quo regno, cum rex aliquando rationem ponere vellet cum ſeruis ſuis: hoc eſt, intelligere ac videre, qui creditores qui debitores regiorum theſaurorum eſſent, oblatus eſt ei vnus qui debebat decem millia talenta: quę quidem pecunia ſi ad noſtram reuocetur efficit ſexagies centena millia coronatorum, vt Budæus adnotauit.

Verum ad rem noſtram nihil aliud debitum decem millium talentorum ſignificare videtur, quam crimen vniuerſę legis violatę. Deus enim admirabile quoddam negociationis genus cum ſeruis ſuis exercet. Proponit enim decem præcepta omni ſtudio, omni cura, omni diligentia ac ſolicitudine cuſtodienda. Et quicunque totis viribus laborauerit, vt ea cuſtodiat, ei Deus Debitor eſſe dignatur decem millium talentorum: ita pro ſingulis præceptis mille talenta, hoc eſt, gloriam infinitam ac ſempiternam recipiet. Quicunque autem ea contempſerit, fregerit, violauerit: is contra Deo mille talenta: hoc eſt, pœnam ac ſupplicium æternũ pro ſingulis pręceptis violatis debebit. Iſte igitur, qui decem millium talentorum debitor erat, homines impios ac ſceleratos deſignat. Tunc autem eiuſmodi homines Deo offerre dicuntur, cum conſcientia ſtimulante, & gratia Dei præueniente res ſuas geſtas diſcutere apud ſe ipſos incipiunt, & incredibilis ſummę debitores ſe eſſe cognoſcunt.

Cum autem non haberet vnde redderet.] Cum omnes hominis vires, omnes opes, omnes facultates nullo modo tam grandi debito pares eſſe poſſunt: præterquam enim quod nihil noſtrum habemus: Quid enim habes, quod non accepiſti? Illud ipſum, quod habemus, finitum & terminatum eſt, atque exiguum: æris autem alieni magnitudo, & lethalium criminum grauitas finem ac terminum nullum habet. Quocirca veriſſimè peccator non habet vnde reddat. Iuſſit itaque illum Dominus venundari, Datus eſt in poteſtatem Dæmonis, Auguſtin. 13. De Trin. cap. 12. *Quidam Iuſtitia Dei in poteſtatem Diaboli traditus eſt. Modus autem ipſe quo traditus eſt non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri iuſſerit: ſed quod tantum permiſerit, iuſtè tamen.* Itaque quia ſoluendo non erat homo, Deus peccata illius & inobedientia exacerbatus iuſtè illum deſeruit, & in poteſtatem Diaboli venire permiſit.

1. Cor. 4.

Nec illum ſolum, ſed vxorem quoque & filios. Euſebius Emiſſenus per vxorem, animam, per filios, ſenſus interpretatur. Theophylacto vxor eſt caro: Filii ſignificant opera. Vt enim vxor imbecillior eſt, ac imbecillior viro, ac propterea ſubiecta eſſe debet: ita caro menti atque animo, qui viri locũ obtinet, ſubiici, & ab eo regi ac gubernari debet. Item vt Eua virũ ad peccãdum adduxit: ita caro eſt, quæ animo turpes ac illicitas cogitiones ſuggerit, & eum ſæpenumero ad peccandũ inclinat.

Illorum coniugum filii ſunt opera, actus nimirum voluntarii, & verè liberi. Hęc omnia vir, vxor, filii: animus, caro, & opera in Diaboli ditionem veniunt cum homines peccant.

Debitor ergo licet ſummam integram ſe ſoluere non poſſe videret: tamen triſte nomen ſeruitutis exhorreſcens, continuo abiecit ſe ad pedes Domini, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Verum hic oritur duplex quæſtio.

Prima. Quomodo oret, ne ſeruituti addicatur, cum eſſet iam ſeruus. ſtatim enim dum quis peccat Diaboli ſeruus efficitur.

Duplex venditio.

Reſpondet Bellarminus. Duplicem eſſe venditionem. Vnam eſſe abſolutam,

tam, ſecundum quam id quod venditur, ſine vlla ſpe redemptionis venditur. Alteram non abſolutam, quæ tunc fit cum venditor ſibi retinet redimendi poteſtatem. Primo genere continetur venditio eorum omnium, qui teterrimis gehennæ carceribus addicti ſunt. Illi enim ſoli ſunt, qui ſine vlla ſpe redemptionis in Diaboli poteſtatem peruenerunt. Secundo genere venditionis venditi ſunt omnes peccatores, qui hic in terris commorantur, nec enim ſpem redemptionis ante amittunt, quam vitæ curriculum ſibi à Domino conſtitutum confecerunt.

Peccator viuus redimibilis, mortuus non.

Secunda. Vnde ſperaret debitor ſe tantum æs alienum poſſe diſſoluere? Quodlibet enim crimen lethale tam grande eſt debitum, vt omnium mortalium facultatem exſuperet. Nempe: magnum illum amicum totius generis humani cogitabat. Ille enim cum eſſet Dominus noſter, frater noſter fieri voluit, & marſupium pleniſſimum habet, & nulli fratrum ſuorum ad æs alienum diſſoluendum pecuniam negare ſolet. Nam & in hunc vſum infinitas illas diuitias comparauit, vt fratribus ſuis, ipſius opem implorantibus, adiumento eſſe poſſit. Ait igitur debitor, Domini ſui ac fratris primogeniti liberalitate fretus: Patientiam habe in me, donec cum Aduocato generis mei filio tuo, & fratre & Domino meo in gratiam redeam, atque ab eo petam pecuniam, ac tunc omnia reddam tibi.

Per Chriſtum omne æs alienum diſſoluitur.

Nam ſi culpa mea, offenſio eſt infinita, & meritum Domini mei ſatisfactio eſt infinita: tunc miſertus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. At enim, ſi Chriſtus pro debitore ſuo æs alienum diſſoluit, cur miſertus dicitur creditor, & ſic debitum dimiſiſſe? Nimirum: dum homini peccata remittũtur, & ſanctificatur, interuenit miſericordia & iuſtitia. Iuſtitia reſpectu Chriſti, qui gratiam, pacem, ſalutẽ nobis proprii ſanguinis effuſione promeruit. Miſericordia reſpectu hominum: quibus non propter præcedentia merita, quę nulla erant: ſed propter ſuã maximam benignitatem ac liberalitatem Deus merita Chriſti largitur, & per ea gratiam ac iuſtitiam donat. Hoc ſignificant illa Pauli ad Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quę eſt in Chriſto Ieſu. Quibus oſtendit, reconciliationem noſtram Chriſto debitam, nobis indebitam: Chriſti iuſtitiam nobis gratiam eſſe.

Extollit hanc eandem liberalitatem Chriſti pro nobis tantum perſoluentis *debitum* Martin. Delrius lectione ſacra I. De paſſione. Ad munus mediationis acceſſit redemptionis: nam qui mediator erat redemptorem ſimul ſe exhibuit. Fors aliquos inuenies, qui pro aliquo precibus intercedunt: longe pauciores, qui parati ſint fideiubere: haud ſcio, an vllos, qui & pœnam luere nummoſq; aliena gratia profundere ament: nam vt corpore luant pro aliis, quis ſperet.

Lectio ſacra Mar. Delrii de debito peccati.

Eramus inuiſi Deo, & debitores æris grauiſſimi, quod quia ſoluere non poteramus. (Nam erat infinitum, quia Maieſtas infinita iniuria atroci fuerat laceſſita) ideo mancipārat nos Deus Commentarienſi ſimul & carnifici teterrimo nectendos, vexandoſque, donec vltimum quadrantem redderemus. Nos quidem decoxeramus & foro ceſſeramus: ſed debitũ perſonale ob crimen contractũ anima corporeq; luendũ manebat. Quid ageremus? Soluere non poteramus: nec hominum quiſquam, nec Angelorum, tam grande nomen poterat diſpungere, nec idonea creatura reperiebatur ad fideiubendum pro nobis. Etiam locupletes amicum ſincerum æſtimant, qui in cauſſa ciuili pro alio vadimonium obit: amiciorem, qui in criminali lite, iudicio ſiſti repromittit: amiciſſimum, qui id faceret, certus, ſe luiturum: & noxam ſponſioni præſto futuram.

CHRISTVS IESVS non in negocio pecuniario, ſed capitali fideiuſſit: Non enim

Chriſtus Fideiuſſor.

enim corruptibilibus auro & argento redempti ſumus, ſed eius precioſo ſanguine 1.Pet.1.18.Spopondit pro nobis,non ſpe vlla ſe conueniendum duntaxat,excuſſo prius principali;ſed certus primo ſe loco excutiendum inſtar præcipui debitoris. Fideiuſſit certus ſicere: certus inſuper, ſe non poſſe rei reconuentione damnum acceptum recuperare.

Præs. Quis non diligat prædem huiuſmodi, quis non contentus,ex promiſſione luelam addidit: Ille, quæ non rapuit, exſoluit: ille peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.Spopondit, ac luit ſponſionem.Satisfecit,non pro originali tantum, & patrio delicto, ſed pro peculiaribus & propriis cuiuſque, quæ vocamus actualia.Satisfecit pro culpa, & pro pœnæ culpæ debito.Satisfecit non modo ad culpæ commiſſæ æqualitatem: Sed plane ſuperabundanter, menſuram tribuens coagitatam, & ſupereffluentem:ſupereffluentem, non diuina ſolum acceptatione; ſed etiam ex proprio, & vero paſſionum, tolerantiæque valore: nam eius perpeſſio

Rom.5.20. non erat operatio puri hominis, ſed perſonæ Dei. Sic, ſic:vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.

At ſi CHRISTVS tam abunde ſatisfecit, ad quid ſumus ſolliciti? ad quid opera bona, indulgentiæ, ſacramenta? Adimit hunc ſcrupulum egregie Delrius ex iuris communibus principiis, in quibus ſi verſati eſſent, qui tantopere ſcientiam ſuam venditant ſcioli Nouatores, non tumultuarentur tam pueriliter.

Sufficienter ſatisfacere. Scitis aliud eſſe (ita loquuntur ſcholæ)ſufficienter, aliud,efficaciter ſatisfacere. Sufficiens eſt ſarmentorum faſciculus ſuccendere totam ſyluam,non tamen ad hoc efficax eſt vis flammæ, niſi ad materiam adproximet, appliceturque. Quid ſi homini, quem æs grauat alienum, dicerem: En tibi in hac arca mille, quos debes, aurei: ſume,cum lubebit;tuo creditori numera,nonne vero dicerer pro illo debitum ſoluiſſe? Sane, quia permiſi, vt de meo numeraret. Si tamen ille tam inconſultus foret, vt beneficentia mea non vtatur: nunquam dicar, debitum illud efficaciter ſoluiſſe. Quantum in me fuit, ſolui, & ſic debitum potentia ſolutum fuit, actu manet inſolutum: quia noluit debitor actu ſoluere, quod per me factum, vt poſſet.

Plane ſimilis eſt iſta Quæſtio, de ſolutione Domini, & redemptione noſtra. Ob peccatum eramus venundati, & traditi in tyrannidem exactoris. Non quidem vt eſſe DEI, quoad dominium deſineremus (ſemper ille Dominus manſit:) ſed vt amiſſo filiorum & amicorum Dei nomine,ac regni cœlorum poſſeſſione nobis abiudicata,donec mulcta Patri æterno ratione criminis debita penderetur. Tam diu nos ſæuus ille carnifex premere, & morientes in malam illam manſionem ſecum abſtrahere poſſet, vbi ſtridor dentium, & æterni cum cruciatu eiulatus.

Cum ſic nexi eſſemus, venit Dei filius in hunc mundum, & ſe pro nobis ſatisfacturum pollicetur: quodque pollicitus non refugit,non pigritatur ſoluere. Obtulit enim Patri æterno qui creditor erat, ſeptem luſtrorum grauiſſimos labores, & mortem denique acerbiſſimam. In ſinu & theſauris Eccleſiæ hanc ſolutionem, hanc redemptionem, huius inquam lytri nummos, vt ſic loquar, aſſeruandos depoſuit: vt quotieſcunque neceſſarium foret (quando vero, aut cui non eſt neceſſarium?) toties, & quantum neceſſarium foret, ex hoc theſauro inexhauſto, tibi, ô Chriſtiane, permiſit.

Satisfactionem iſtam Pater acceptauit: nec (ſuppoſito decreto, & acceptationis promiſſione, potuit non acceptare, quia crudelis,aut iniuſtus eſſe non poterat.

Ve-

Digitized by Google

Veruntamen in hac acceptatione & ſolutione duo ſunt ex parte Dei conſideranda. *Primo* Deum propter hanc ſatisfactionem ſemper eſſe paratiſſimum dare peccatoribus cuncta præſidia, quibus indigent, vt à peccati reatu queant liberari, & diuinæ gratiæ reſtitui, pœnam peccatis debitam euadere, & aditum ad æternam beatitudinem recuperare. Hoc cunctis hominibus iam Christus actu & efficaciter obtinuit.

Hoc enim eſt, quod Apoſtolus ſcribit ad Coloſſ. 2. 14. à *Chriſto deletum Chyrographum contrarium nobis, & ablatum de medio, & affixum cruci.* Sic enim affigens clauis diſcidit, ſanguine ſuo obliterauit decretum: quod erat programma inimicitiæ Dei & hominum, & poteſtatis Diaboli in hominem. Decreto iſto obſoleto, nunc Deus paratus eſt, quamuis fœdos peccatores in gratiam recipere: nec, ſi velint, in gratiam redire, poteſt Diabolus arcere: Sed redeuntes cogitur neruo & carcere liberare. Inde fit vt de facto tam multos quotidie DEVS in gratiam recipiat. *Chirographum quodammodo deletum.*

Nihilominus (quod *ſecundum*) nec Chriſtus voluit, nec Pater vult cuiquam hanc reconciliationem contingere, aut paſſionis precium prodeſſe, niſi illis, qui ex parte ſua conarentur cooperari. Ad quod ipſum etiam DEVS ſemper paratus eſt gratia excitante, & concomitante, niſi obſtaculum ponat homo adiuuare. *Quibus proſit precium ſanguinis Chriſti.*

Porro ne homo in ancipiti hæreret, qualiſnam iſta cooperatio eſſe deberet, ipſemet Chriſtus media inſtituit, quibus illi ad ſalutem homo propriam cooperaretur, fidem, baptiſmum, pœnitentiam, caritatem: & vno verbo dicam, Chriſti Ieſu imitationem. Salutis enim æternæ cauſſa factus omnibus, ſed ſibi obtemperantibus Hebræor. 5. 9. Scitum illud B. Auguſtini: Qui te creauit ſine te, non te redimet ſine te. Et illud Domini: Vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matth. 19. 17.

Manus ergo nobis extra illum fidei ſinum extendendæ ad opus, & pecunia ex theſauro promenda, quam Patri æterno pro lytro adnumeremus. Quo tibi pecunia, ſi non ſoluas creditori? nexus manebis. quo tibi mantile ad detergendum, & aquimanile ad abluendum ſi non vteris? ſordidus manebis. *Cooperandum Chriſto in ſatisfactione.*

Plurimum facit ad debitorum ſuorum remiſſionem obtinendam, proximis debita remittere, quod Iſidorus clarius exemplo ingenioſe conficto declarat exponens illud Matth. 6. ſi non remiſeritis hominibus peccata ſua, nec Pater veſter remittet peccata veſtra. Hæc res, inquit, ſi attentius cogitaretur, optare quiſque deberet habere aliquos quorum offenſiones eſſent remittendæ. Quod hac ſimilitudine poteſt intelligi. Fingamus liberaliſſimum quempiam regem, aut principem, qui multos habeat, qui ſibi plurimum debeant, qui etiam cupiens æs alienum, quod aliis debetur in tota ciuitate, diſſolui legem promulget: vt quicunque ſuis debitoribus dimitteret, quamquam exiguum ſit, quod debeant, fore, vt rex maxima quæque debita illis remittat. Quicunque vero neminem habet, qui ſibi debeat, eum oportere, quicquid debet regi, ad teruncium perſoluere. *Iſid. clarius orat. 53. in Matt.*

In hoc rerum ſtatu quiſquis debitorem nullum haberet, & multa regi deberet, multo deteriori quam ceteri eſſet conditione, optaretque habere aliquos qui ſibi quidpiam deberent. At hæc eſt lex cæleſtis Patris, qui etiam, cupiens habere occaſionem ignoſcendi, permittit offenſiones inter homines accidere, vt omnes habeamus debitores aliquos, quibus remittendum ſit, vt poſſit ipſe nobis maxima remittere debita, quæ illi debemus.

Multum etiã conferunt ad debitorum, quibus Deo obſtricti ſumus ſolutionem eleemoſynæ in pauperum ſubſidium collatę. Quod ſignificauit Dominus facto vil-

lici iniquitatis. Hic enim debitoribus remittit aſtute partem debiti, vt illos ſibi amicos paret, damno quidem Domini, ſed beneficio ſuo. Laudat conſilium, non fraudem, operum trutinator, vt nobis inſinuet, omnia tentanda, vt ab ære alieno nos expediamus. Deus ſi videat noſtra nos in egenos transfundere, vt ipſi, quorum eſt regnum cœlorum, recipiant nos in ſuas manſiones, laudabit prudentiſſime factum, & nobis debita noſtra facile remittet. Si vis vt Deus tibi condonet, quæ debes multa & magna, pauperibus ſuperflua tranſcribe. quid facilius? quid æquius?

Auguſtinus lib. 2. Qq. Euangelicar. Quæſt. 34. In villico, quem Dominus eiiciebat de villicatione, & laudauit eum, quod in futurum ſibi proſpexerit, non omnia debemus ad imitandum ſumere. Non enim aut Domino noſtra facienda eſt in aliquo fraus, vt de ipſo fraude eleemoſynas faciamus: aut eos à quibus recipi volumus, in tabernacula æterna, tanquam debitores Dei, & Domini noſtri, fas eſt intelligi, cum iuſti & ſancti ſignificentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui neceſſitatibus ſuis terrena bona communicauerint. De quibus etiam dicit, quod ſi quis illorum alicui calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam.

Sed etiam è contrario dicuntur illæ ſimilitudines, vt intelligamus, ſi laudari potuit ille à Domino, qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino Deo, qui ſecundum eius præceptum illa opera faciunt. Sicut etiam de iudice iniquitatis, qui interpellabatur à vidua comparationem duxit ad iudicem Deum, cui nulla ex parte iudex iniquus conferendus eſt. Itaque eleemoſyna conducit ad remiſſionem debitorum, quia pauperes reconciliant homines miſericordes Deo, qui idcirco remittit ſibi debita.

Athanaſius Quæſt. 86. ad Antiochum. Si quis fidelis ab infideli mutuo accipiat pecunias, quas alio conuertat, an poſſit hoc apud Deum excuſare?

Reſpondet. Cum Dominus dicat: Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari: quia hoc de Græco, (id eſt, ethnico) Cæſare dictum, diſcimus, quod illaudabile ſit, defraudate. Quod ſi in pauperes inſumptæ ſint iſtiuſmodi pecuniæ, poſſunt pauperum preces reconciare dicenti: Facite vobis amicos ex Mammona iniuſto.

Si vero in priuatos quoſdam vſus impenſæ ſunt, conſtat quod de duobus criminibus agantur rei: id eſt, voluptatis & furti. Non ſuadet quidem Athanaſius, vt ex fraudatis nummis fiant eleemoſynæ: ſed ſi iſtæ factæ ſunt videtur ſuadere legitimis dominis, ne id ægre ferant: fore enim vt vel hac ratione, iis proſit, quod in pauperes erogatur.

Eleemoſynis debita ſolui, quibus ad pœnas tenemur, etiam poſt dimiſſa peccata conſtat ex illo Danielis 4. Conſilium meum ô rex placeat tibi, peccata tua eleemoſynis redime. Et Eccleſ. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Eſt eleemoſyna perſimilis illi oleo, quod ſuis precibus à Deo impetrauit viduæ Elias: cui etiam dixit. Vade & vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem & filii tui viuite de reliquo: ſimul debita ſoluit, eodemque tempore apud Deum lucra comparat. Lege Carolum Regium Lib. 10. de orat. Chriſt. cap. 6. vbi plura in hanc rem.

Coſmus Mediceus, qui fuit magnorum Ducum Hetruriæ primus, multa expendebat, vt opem adferret egentibus. Cuidam igitur ex familiaribus, eum nimis liberalem appellanti, reſpondit ſe in libro initarum cum Deo rationum dati & acce-

cepti

Digitized by Google

cepti nunquam potuiſſe eo peruenire, vt quæ deberet Deo, ſolueret. Nam quo plus dabat, etiam eo plura recipiebat, ſemperque inueniret ſe debitorem: Deum verò creditorem. Magnifica planè oratio, & digna ſummo Principe, quam videbatur ex S. Nazianzeno didiciſſe: qui, Nunquam, inquit, Dei liberalitatem & beneficentiam vinces, quamuis omnium tuarum facultatum iacturam feceris: quamuis te etiam facultatibus adieceris. Nam hoc quoque ipſum accipere eſt, Deum nobis aliquid donare. Multa his ſimilia habet Carolus Regius Lib. 10. cap. 8.

Nazianzen. 2. Orat. de amor. pauper.

Porro ſolutio debitorum illorum ſpiritualium non contingit vno modo, ſed ſecundum debitorum diuerſitatem. Debitum peccatorum mortalium, quamuis infinitorum, ſi tot eſſe poſſent, ſimul neceſſario remittitur, quia vnum peccatū mortale, ſine altero condonari nequit. Eodemque temporis momento gratia fit debitæ pœnæ æternæ. At debitum peccatorum venialium per partes ſolui poteſt: ſicut etiam debitum pœnæ temporalis remiſſo, quoad culpam, peccato.

Solutio debiti diuerſa.

Exemplum huius rei præclarum refert Climacus apud quem Ioannes Opanii Sabbaites Antiochus dictus, magnarum virtutum vir de ſeipſo in aliena perſona narrat. Quidam in Aſiæ monaſterio, cuidam monacho leni & manſueto in diſciplinam eſt traditus. Sed iuuenis cum videret ſe à ſuo Magiſtro parum ſeuerè tractari, imò coli & honorari, id quod multis diſcipulis præſens attulit exitium, rem eiuſmodi ſapienter & ſolerter excogitat. Diſcedendi veniam ab illo petit, quod ſeniori videbat non fore moleſtum, quia habebat alium, qui neceſſaria ſubminiſtraret.

Ioannes Oppanii Sabbaites.

Profectus igitur ille à Magiſtro cum litteris commendatitiis ad quoddam Ponti Cœnobium venit ibi manſurus. Prima nocte ab ingreſſu per ſomnum videt quoſdam à ſe rationes exigere. Tandem poſt horrificum illud examen, debere ſe reperit centum auri libras. Experrectus, pertractans ſecum, id quod per nocturnam ſpeciem viderat, probè intellexit, quorſum eæ rationes pertinerent.

Debitum Monachi.

Decem millia Philippaeorum.

Ergo ſeipſum allocutus, infelix, inquit Antioche (nam hoc ſibi nomen adſciuerat) ingenti ære alieno oppreſſi ſumus: multaque nomina nobis, & debita ſunt perſoluenda. Inde per triennium, inquit, in cœnobio me omnibus ſubieci: omnibus quicquid iuberent, ſine diſcrimine parui, cum me velut ignotum & peregrinum multis iniuriis affligerent, cum præter me peregrinus eſſet nemo. Poſt triennium rurſum in ſomnis aſpicio decem duntaxat auri libras ex rationibus ſublatas ac deletas. Excitatus, haud ignoraui, quid ſibi vellet ſomnium. Miſer, inquam Antioche, toto triennio, non niſi decem libras de centenis perſoluiſti: ecquando totum æs ac debitum perſolues. Itaque pro fatuo ac demente me geſſi, ſic tamen vt interim nihil de miniſterii officio prætermitterem. Quare, cum me pro ridiculo & ludibrio haberent, meamque cernerent ad omnia alacritatem, moleſtiſſima quæque & abiectiſſima, grauiſſimaque monaſterii onera impoſuerant, quæ ego patienter exantlaui.

Mille Philippaos.

Ita inſanam ſe finxit Iſidora in Tabenenſiotarum cœnobio.

In hoc vitæ inſtituto cum totos tredecim annos poſuiſſem, vidi rurſum eos, qui primum à me rationes exegerant, totam ſyngrapham debiti deletam oſtendentes. Narrat idem exemplum Matth. Raderus in Viridarii Par. 1. Peccator damnatus debitor eſt pœnæ: ſed nunquam plane ſatisfacit. Cum enim vt hoſtis apud Deum non ſit in gratia, ſolutio eius non eſt digna quæ acceptetur, quando nec ipſe homo eſt acceptus. Sed nec debitorum perſoluit quicquam talis cum nihil faciat, ſed ſolum patiatur eas, quibus inuitus plectitur, pœnas. Ab exemplo res magis patebit.

Damnatus nihil debitorum perſoluit.

Debet quis vicino mille Philippæos, quos ab illo accepit, domum ſuam cenſui perpetuo ſubiiciens, penſum quotannis ſoluturus. Intra viginti annos totidem Philippæos perſoluit Viemo, quot ab eo accepit. Num ergo ab omni debito iam liber, nil reſtat ſoluendum. Totum omnino pecuniæ caput; quod tam integre ſoluendum remanet, ac ſi nihil vnquam fuiſſet exſolutum. Ea enim talium conuentionum lex eſt, vt numeratæ pecuniæ caput ſemper integrum permaneat, & ſi reditus annuus ſemper perſoluatur. Sic prorſum damnati, quicquid demum pœnarum perſoluant, ære tamen alieno nunquam exeunt, æterni debitores, perpetui Dei tributarii. Iſaias vaticinatur: & erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum, quaſi ſcintilla, & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit, qui extinguat. *Eſaia 1.*

Suet. cap. 7. Tiberium Cæſarem olim narrat Suetonius in recognoſcendis cuſtodiis cuidam pœnæ maturitatem, & debiti remiſſionem precanti reſpondiſſe; Nōdum tecum in gratiam redii. Chriſtus iuſtiſſimus. Iudex non tyrannus, non Tiberius eſt, ſed etſi damnatus quiſpiam poſt mille annos in flammis exactos, debiti condonationem rogaret, idem illi reſponderetur. Nondum tecum in gratiam redii. Roget hoc idem poſt mille annos, idem audiet: Nondum tecum in gratiam redii. Roget hoc poſt centum millia annorum, non aliud reſpondebitur. Roget iterum poſt aliquot milliones annorum, idem audiet. Nondum tecum in gratiam redii, ac proinde nunquam debiti condonationem obtinebit. Hieremias Drexelius opuſc. De æternit. conſiderat. 2.

Turpe eſt homini, tempore conſtituto debitum non ſoluere, cum Athenienſes olim ſacrificia inſtituiſſent, peterentque à ciuibus, vt vnuſquiſque aliquid de ſuo ad complenda ſacrificia adderet: Phocion Athenienſis efflagitatori reſpondiſſe dicitur: Puderet, ſi vobis adderem: At huic (debitorem digito oſtendens,) cui debeo iure, nihil redderem. Sunt nimirum qui putant rem ſe Deo gratam facere, ſi ad cultum idolorum multos conferant nummos. Sed Phocion ſentiebat Deo gratius eſſe, ſi ſatisfaciat iis, quibus debes. Plutarchus in Apoph. Græcor. Philoſophus quidam Pythagoricus, cum à calceatore ſibi emiſſet phecaſſia, (eſt autem calceamenti id genus) non habuit pecuniam, qua ſolueret in promptu. Verum cum paullo poſt rediret ad tabernam, vt ſolueret, ſutorem audit iam iam obiiſſe: gratulabundus igitur Philoſophus de lucro, pecuniam domum retulit. Poſtea cum ſe colligeret, videt ſe male feciſſe, arrepta igitur pecunia: ait: Tibi viuit calceator, aliis mortuus eſt: & accedens eius Tabernam, nummos in illam proiecit, ne videretur homini etiam defuncto denegare id, quod æquo debebat iure. Eraſm. Lib. 6. Apoph. ex Senec. lib. 7. de benef.

Lycurgus dicebat, aſſiduum eſſe, dignumque cui debitum credas, non ſi opibus, ſed ſi fide moribuſque præſtet. Maxi. Serm. 1. de virtut.

Perſæ aiebant duo eſſe peccata inter homines turpia, quorum primum eſt, debitorem eſſe: alterum mentiri. Coniunxerunt hæc duo, ideo nimirum, quod vnum raro ſit ſine altero: qui enim ære alieno obſtricti ſunt, pollicentur ſe indies facturos, nec tamen præſtant, quod promiſſum ſemel atque iterum. Herodot.

Defuncto quodam equite Romano compertum eſt illum habuiſſe tantum æris alieni, vt ſummam ducenties nummum excederet, idque dum viueret, celauerat. Cum igitur res illius auctioni ſubiicerentur, vt ex pecunia creditoribus ſatisfieret, Auguſtus iuſſit ſibi emi culcitram illius cubicularem: ac mirantibus hoc præceptum.

Digitized by Google

ptum. Habenda eſt, inquit ad ſomnum mihi conciliandum illa culcitra, in qua ille tanto ære alieno obſtrictus ſomnum capere potuerit. Nam Auguſtus ob ingentes curas ſæpe maximam noctis partem ducebat inſomnem. Macrobius Lib. 2. Saturnal. cap. 4.

Pedem & manum ſi computruerit, nos reſecare certum eſt, & quidem data mercede: ita domum ac famulitium abiiciendum eſſe monebat, vir prudens, vt ab ære alieno liberi ſiamus. Plutarch. moral.

Idem Cholerici, qui purgati nolunt tempori, collecta indies maiore bile, poſtea grauiter diſcruciantur: ſi qui ſinunt debita augeri, ac fœnus accreſcere, grauiter à capite laborant.

Idem. Vt equus ſemel accepto freno ſeſſorem alium poſt alium fert: ſic qui ſemel inciderit in æs alienum, nunquam explicatur.

Prouerbium eſt tritum, ſed ſatis certum. Felix, qui nihil debet. Pacata enim mente, velut iugi conuicio fruitur, nec eſt, qui vrgeat eum creditor. Quare conſulendum eſt debitoribus, vt diligentem adhibeant in ſoluendis debitis curam: ne æs alienum, quantum fieri poteſt contrahant. Nam ſtulti illi ſunt, qui non metientes redditus ſuos plura expendunt, quam debeant, & credito viuunt. Carol. Regius Lib. 10. de Orat. Chriſt.

Ευδαίμων ὁ μηδὲν ὀφείλων. Felix qui nihil debet.

Stultus eſt debitor, qui gaudens pecunias accipit, & tempus, quo reddere debeat, non attendit. Comicus.

Λαβὼν ἀπόδος ἄνθρωπε, καὶ λήψῃ πάλιν. Reddas, quod eſt datum, vt iterum detur tibi.

Sapientiæ 1. 4. *In maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Quod Latinus vertit, *ſubdito*. Græcè eſt *καταχρέῳ* obærato. Eſt autem *κατάχρεος* ære obſtrictus alieno, quod cum ſoluere non poſſit, vel opera ipſe ſua creditoribus cogitur ſatisfacere, vel ſolum vertere. Qui facit peccatum ait *Ioan. 8. 38.*
Dominus noſter, ſeruus eſt peccati, ac proinde Diaboli, qui auctor eſt peccati, propter debita, quæ non alia ſunt, quam ipſa peccata. Itaque ſubditum ſignificat obnoxium, deuinctum, adſtrictum, pronum, propenſum: vt ſignificetur procliuitas ad peccandum, vel ex habitibus vitioſis, vel ex fomite, qui vocatur peccatum, Roman. 6. 14.

Corporis debitum, inquit Sapientem explicans Cantacuzenus, peccati debitum propterea vocat, quod graue ſit & terreſtre, atque deorſum vergat, translato ab iis vocabulo, qui ære alieno obruti, à ſexcentis creditoribus opprimuntur.

David noſter Chriſtus factus eſt princeps eorum, qui ſunt in anguſtia conſtituti & oppreſſi ære alieno, & amaro animo. 1. Reg 22. 2.

Obæratorum nomen ſumitur aliquando pro exulibus ſpontaneis, qui ſe, quod ſoluendo non ſint, ſubducunt à creditorum oculis, à iudiciis Magiſtratuum. Quo pacto Cæſar lib. 1. Comm. ſcribit obæratorum ſe magnum numerum conduxiſſe.

Nomen accipitur pro debitore, Colum. Lib. 1. cap. 7. vel optima nomina non appellando fieri mala: fœnerator Alfius dixiſſe veriſſimè fertur: hoc eſt, etiamſi optimi ſint debitores, ſi tamen diutius debitum exigere diſtuleris, negligentia tandem eos fieri non ſoluendo. Cicero in Epiſt. Ego ſum conſecutus vt bonum nomen exiſtimer.

Neque infrequens eſt, vt *Nomen* idem ſit quod *Debitum*. Cic. ad Attic. Lib. 16. Nomina mea per Deos expedi. Lib. 6. Salaminios autem adduxi, vt totum nomen Scaptio vellent ſoluere.

Quin & creditori tribuitur. Cic. pro Quinct. Cum æris alieni aliquantum eſſet relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curare oporteret. Ad hanc rem pertinet ſignificatio, qua nomen teſte Budæo, pro capitibus, vel, vt hodie loquimur, articulis rationis argentariæ ſumitur, in quibus deſcripta ſunt debitorum nomina, quibus pecuniæ expenſæ feruntur. Cic. lib. 3. in Verr. ſatis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare, ſi quibus pecuniam credebas, iis expenſum non ferres, neque in tuas tabulas vllum nomen referres, cum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent. Quid proderat tibi expenſum illi non tuliſſe?

Ex Chriſti theſauro accipimus, vt mereri poſſimus aliquid coram Deo, & peccatorum debita exſoluamus. Meritò mirari poſſumus & dicere: ô rem miram! non habet homo pecuniam, qua debitum ſoluat, ab eo accipit, cui debet. Ex alieno æs ſoluit alienum. Et addo: ſeruus ait Domino: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: Dominus ait ſeruo. Pœnitentiam habe in te, & omnia remittam tibi. Carol. Regius Lib. 6. de orat. Chriſtia. cap. 22. S. Bonauentura in 3. Diſtinct. 12. Q. 1. vbi diſputat. An congruum fuerit Dei Filium adſumere humanam naturam de maſſa perditionis, ita argumentatur. Debitum parentum imputatur proli. Sed Mediator eſſe debuit abſque omni debito, vt eius ſolutio omninò acceptaretur à Deo, vt dicit Anſelmus Lib. 2. Cur Deus homo. cap. 23. Ergo non debuit eſſe de genere Adæ.

Reſpondet: Debitum parentum imputatur proli, cum proles ſuccedit parentibus in hæreditatem, & quoniam Chriſtus à parentibus concupiſcentiam non hæreditauit, per quam homo obligatus eſt pœnæ: hinc eſt, quod nullius pœnæ fuit debitor, ſed liberalis, & voluntarius perſolutor.

Idem Seraphicus D. in Confeſſionali cap. 2. agens de interrogationibus faciendis in Confeſſione auriculari explicat ſpiritualiter illud Deuter. 24. *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam tibi debet, non ingredieris domum eius*: id eſt, in cor, vel conſcientiam eius, *vt pignus auferas: ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit, ſi verò dicat, quod non: taceat ſacerdos*, Cauere enim debet, ne lupum excitet dormientem: ne videlicet peccata noua in hominis animo repræſentet.

Paulus Rom. 15. 27. loquens de Eleemoſynis, quæ dabantur Iudæis pauperibus à Gentilibus conuerſis, debitores ſunt, inquit, eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis. Qui dicunt, carebo domo, carebo ſ mulitio, ne debeam, perinde faciunt, ac ſi Hydropicus Medico: Ego gracilis fiam, ac inanis: nam nihil refert, quam gracilis ſit, modò ſanus. Plutarchus Moral.

Plinius: Polypus, qui quid brachiis attigerit, ſuctu tenet & attrahit: ita difficilimum eſt euellere è manibus quorundam ſi quid nacti fuerint.

Latiſſimè patet DEBITI obligatio, adeò, vt ad actiones omnes bonas, malaſque extendatur: neque ex vllius alterius neglectu tot in mundo facinora homine indigna committi videmus. Quare, ſi homines ſibi perſuaderi ſinerent, vt huic viri obligationi de reddendo debito ſatisfacerent, nulla alia ad peccati fibras penitus extirpandas runcinâ opus eſſet. In quo enim conſiſtere putatis actionum humanarum malitiam, à qua prauæ, & peccata cognominantur?

Certè,

Certè, ſi commiſſionis peccatum ſpectemus, malitia illius, qua actio formaliter conſtituitur mala homini & peccatum, non eſt forma aliqua realis, vel qualitas entitati ſuperaddita, vt minus cautè ex Catholicis docuêre quidam aliquando. Neque relatio diſconuenientiæ, ſeu oppoſitionis cum natura rationali, quæ fuit aliorum opinio: ſed eſt ſolum negatio quædam ſeu carentia perfectionis DEBITÆ.

Caiet. 1. 2. qu. 71. art. 5. & q. 18. ar. 1. Vaſquez. 1. 2. Diſp. 95. c. 9. & 10.

Quare eo peccat homo, quia *debitam perfectionem* functionibus ſuis non adiungit.

Omiſſionis quoque peccatum nihil eſt aliud, quam voluntaria actus debiti carentia: Quocirca ſi homo titulo debitoris ſatisfaceret, nihil ab illo vltra exigi poſſet.

S. Bernhard. Serm. de verbis Domini, debitores ſumus præcipuè quinque corporis, cordi, fratri, ſanctis mortuis.

Ariſtoteles 2. Rhetoric. agens de affectibus: verecundiam vel pudorem dicit eſſe commotionem, aut ægritudinem, natam ex his malis, quæ ignominiam ſeu dedecus videntur inurere. Mala autem quæ verecundiam gignunt, varia explicat, vt ignominiam, timiditatem, v. g. in militia clypeum abiicere aut fugere: iniuſtitiam, vt non reddere depoſitum, & debitum, incontinentiam, infamiam, impudicitiam.

DEBITA viduæ tardius ſolueris à SS. Andrea & Gregorio grauiter flagellatur. In monaſterio, quod Elicius Scauri dicitur, quodque beatus Gregorius infra Romanæ vrbis mœnia condidit, puer quidam à parentibus vt Deo deinceps militaret, oblatus eſt. Qui poſtmodum dum iam adoleſceret egreſſus de monaſterio, ad ſeculum rediit, vxoremque ſibi nuptiali fœdere copulauit. Deinde cum iam ad iuuenilem veniſſet ætatem, diuina ſententia repente percuſſus eſt in gutture, cœpitque mortis languoris ingraueſcente moleſtia appropinquare. Tandem male fugitiuus, vt ad monaſterium deportaretur expetiit, ibique pœnitudinem de ſuis grauitatibus, habitumque monachatum accepit. Cumque vxoreius cum nonnullis aliis lecto iacentis inſiſteret cœpit ille grauiter gemere, vlulatus emittere, & tanquam phreneſin pateretur, inordinata vociferatione garrire. Percontantibus autem eis, cur non ille quieſceret? nonne, inquit, videtis B. Andream Apoſtolum, ſanctumque Gregorium, acerrimis me ſuis verberibus immaniter flagellantes? Vlulare itaque rurſus, ac flebiles voces emittere paululum reſpirabat, atque dicebat: Modo me verberauerunt propterea, quia monaſterium dimiſi, vxoremque duxi. Interim poſt fletus & rugitus ad momentum quieſcere aiebat: modo me caſtigauerunt, quia pauperibus mendicantibus maxime Scotigenis non modo nihil dedi, ſed eos etiam, quod flagitioſum eſt, irriſi.

Debita non ſoluens flagellatur.

Rurſus ingeminare ſtridores & gemitus, aſſerebat, quoniam ſex nummos à vidua quadam paupercula mutuo accepi & reddere nolui, & quot pedum paſſibus illa laborauit, dum eos ad me veniendo requireret, tunc ego nunc ictus à ſanctorum manibus portabo, dum me pariter verberarent. Vt ſciatis autem, quia non mentior, perendie hora ſexta de hoc ſeculo migraturus ſum. Erat porro tunc ſexta feria.

Nocte vero qua Dominicus illuceſcebat dies, qui dicitur in ramis palmarum, de lecto cunctis mirantibus non ſegniter exiliens, ſcapulare atque cilicium quæ iuxta ſe erant, repente arripuit, moxque eccleſiam B. Andreæ attonitus ac feſtinus intrauit, vbi ſtrato compoſitus his, qui ad erant, fratribus ait: Ecce ſanctorum ver-

beribus flagellatus ita de corpore egredior purificatus, ſicut de fonte baptiſmatis mundus exiui.

Intermiſſ irum ergo ſacroſancta ſolennia Dominica, vix paſſione perlecta, hora qua prædixerat, Deo ſpiritum reddidit.

Nudato autem ad lauandum ex more cadauere, ſic vibices & ſtigmata in eius membris vndique videbantur, ac ſi corpus eius materialibus fuiſſet alliſum verberibus. Petrus Damianus.

Aliud accipite de eo, qui non ſoluens fabro ferrario, quod debebat, graui pœna purgatorii fuit mulctatus. Habet illud Cantiprantanus Lib. 2. cap. 53. Narrantem fratrem ordinis Prædicatorum his verbis audiui. Pater ait, meus contra commilitonem ſuum virum diuitem & polentem inimicitias exercens, fabrum habuit in vicinio, qui equos ſuos & eorum qui ſecum erant, multo tempore ſufferebat. Poſt hoc faber cecidit in languorem, & expenſas per obliuionem vel incuriam nullus fabro ſoluit. Mortuus eſt autem poſt annos fere triginta pater meus, & apparuit manifeſte per diem cuidam fideliſſimo ſeruo ſuo, gerens in manibus flammantia ferramenta equorum, dicens: Dic vxori meæ, vt ſoluat tale homini tale debitum, quo ſic vexor. Poſt hoc non multi dies effluxerant, & ecce ſeruus ille cum amariſſimis lacrymis venit ad me, & quid vidiſſet, expoſuit. Collachrymatis ſeruo ambo ad matrem ingredimur. Audit illa, quid actū ſit, addit & lacrymas. Acceſſit fabrum diutina tabe prope conſumptum, quærit ſi Pater meus ei in aliquo moriens tenebatur. Tunc ille cum lacrymis ſuſpirans dixit: Heu chariſſima Domina, imo etiam in vna marcha, ſed affectus longo tædio monendi poſtmodum incidi in magnum languorem, & ſic ſilui vſque modo. Nec mora mater ſoluit pauperi integrum debitum, & mox ſoluto iſto, cum aliis multis debitis, vt mihi illa ſecrete narrauit, & Pater meus in hunc modum apparuit. Videbatur ei videre illum, in balneo à ſummo capitis vſque ad ima pedum, quaſi veſte longa totaliter inuolutum. Cui ille dixit. Apprehende funem, & ſoluas me. Mox illa initium funis arripiens, paulatim ligatum exſoluit, & ſtatim illius ſolutioni congratulans, & gratias agens, ſic inquit, prius fueram obligatus in pœna, quoad vſque ſolueres quo tenebar.

Eleganter & ingenioſe diſſerit de debitore villico S. Petr. Chryſologus ſer. 125. Redde rationem, iam enim non poteris villicare. Rationem petit, non vt exigat, ſed relaxet: petit vt petatur: petit hic, ne petat ibi, petit in ſeculo, ne petant in iudicio: petit cito, ne pœnarum tempus tempus ſatisfactionis excludat.

Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Quare? quia venit finis vitæ, tempus mortis: iam te apparitio ſuperna conſtringit, iam iudicium vocat. Feſtina ergo ne tempus ſatisfactionis perdas, qui tempus operis perdidiſti. Redde rationem: hoc eſt, dicere, compone rationem, cōpone tua, ne reddas mea, compones autem ſi iam deſines diſſipare. Priora debita ſuſcepi ego, cum te ſuſcepi, ſolui ego, cum te abſolui. Ego cognitor pro te, cognitori audiendus adſtiti, iudicium intraui iudex: rei mei reus factus ſum: à pœnalibus ſuſcepi pœnas, à damnatis ſententiam, non refugi, mortis perditor, mortem excepi, penetraui inferos, deſtructor inferni, vt te per iſta non modo ſubducerem tuæ pœnæ: ſed & meæ conſortem facerem, dignitatis. Age ergo vt te quem tempus tuæ villicationis excluſit perpetuitas meæ donationis includat.

Peccata veluti pecuniam Diabolus homini fœneratur, pro fœnore miſer æter-

nas

nas pœnas perſoluit. Ab iis vſuris liberat nos Chriſtus Pſalmo. 71. Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum. Quæ ſunt iſtæ vſuræ, inquit ibi Auguſtinus, niſi peccata, quæ etiam DEBITA nominantur? De Libris rationum, in quibus peccata ſcribuntur, frequens eſt mentio apud eos, qui exempla referunt eorum, qui hinc diſceſſerunt, oppugnati grauiter à Dæmonibus iſtiuſmodi libros explicantibus.

Nullus tam durus creditor, tam acerbus exactor quam venter & gula. Omnibus creditoribus, præterquam ventri poteſt ſatisfieri. Lege Carolum Regium de Orat. Chriſtia. Lib. 7. cap. 18.

COMMENTATIO XXXVI.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA Deum, ex Contractu nundinario Emptionis.

Dominica IX. poſt Pentecoſt.

In qua explicatur, An, & quatenus cœlum ſit venale. Quo ære poſſit coëmi, & à quibus. Quot nominibus homini iuſto, tanquam Mercatori debeatur? Denique. Sitne in hoc contractu Deus Debitor: Homo, Creditor, quamque id certum?

Ingreſſus in templum, cæpit eijcere vendentes in illo, & ementes. Luca 19. 45.

DEVS DEBITOR.
HOMO CREDITOR.

EXTVRBAVIT hodiè CHRISTVS è templo ſordidam Mercatorum turbam, tanquam paternæ domus profanatricem. Nimirum, nondum didicerat profanum Iudæorum vulgus, illam emendi vendendique negociationem, quam Chriſtus ipſe Mercator ditiſſimus, ſuos è cathedra docuit: qua templa ipſa ſanctificari certum habeo. Eam ego vobis hodiè tradam, ſi ex ore murmuratricem illam loquacitatem, ex oculis gyrouagam curioſitatem: ex mente turbatrices vanarum cogitationum copias profligaueritis. Attendite. *Mercatores. NOTÆ.*

QVÆSTVOSISSIMAM & ad opes breuiſſimo tempore augendas perquam compendioſam mercaturæ tractationem, quotidiana exempla demonſtrant iis in vrbibus, in quibus orbe toto aduectarum mercium precia in Mercurialium ſunt manibus. Qui ſi vel ſemel, quæ in humanis ludere ſolet, ſors arriſerit, repentè immenſos penè theſaurorum aceruos accumulant; vt auri milliones, haud rarius, quam olim Craſſi, Claudiique H-S. DC. vel MML. aur, vt Græci Talenta 10. numerent.

Hac arte Tyri Regem mirum in modum locupletatum Ezechiel Propheta narrat. In multitudine, inquit ſapientiæ tuæ, & in negociatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem. *Tyri Rex Mercator. Ezech. 28. 5. Apocalyp. 18. 23.*

Nec ſine cauſſa Ioannes Euangeliſta conuerſo ad Babylonem ſermone illud pronun-

pronunciauit, mercatores tui erant Principes terræ. Quod de Romanis, ac de Principibus & Regibus qui lucri gratia Romam merces mittebant, & pretioſa quæque poteſt intelligi: imò de Imperatoribus Romanis, qui & ipſi lucro ac quæſtui erant dediti, nec rarò negociabantur.

Franc. Ribera Apocal.

Mercatura quadam ignobilis.

Duo tamen ſunt in mercatura, quæ, quo minus ab omnibus iis, qui bonorum ſuorum multiplicationi enixè ſtudent, exerceatur, impediunt.

Alterum, quod minus videbatur ingenua ac liberalis, & homine nobili loco, atque ad res magnas nato indigna.

Quod non de omni mercatu. ę genere intelligendum, ſed de eo quod inſtitores, nummularii, circitores ſcrutarii, & eius ſortis alii in minutis quibuſque reculis exercent, vt dictum alias.

Mercatura periculoſa.

Alterum, quod mercatura plurimis ſit expoſita periculis: nec difficilius momento temporis ex diuite pauperem, & ex Crœſo Irum, quam ex egeno opulentum faciat, tum alias ob cauſſas, tum hanc potiſſimum, quod cum mercatura inter debitores, creditoreſque exerceatur, vix multis è millibus vnum reperias, cui poſſis tuto fidere, certe neminem, qui mentiri, qui deficere, qui fallere non poſſit. Quæ duo quam longiſſime abſunt ab eo negotiandi genere, quod ab homine cum Deo, vel è conuerſo peragitur: eſt enim & honeſtiſſimum ac plane regium, imo diuinum, à quo nimirum Deus ipſe non abhorret, & nullis obnoxium periculis, cum Deum ipſum debitorem reſpiciat, cuius tam eſt integra & inuiolabilis fides, vt cœlum terraque haud paulo facilius, quam illa poſſit labaſcere.

Quare mirum omnino eſt, quod non omnes, qui rationibus ſuis quam optime conſultum volunt, hanc mercaturam propenſiſſimis ſtudiis colant, & mercibus ſuis Deo diuenditis illum debitoris titulo ſibi obligare conentur.

Fortaſſe miraris, quod Deo, quem haud ita pridem creditorem, vti & hominem tot nominibus debitorem fecimus, tam repente, ordine conuerſo debitoris nomen, obligationemque adſcribamus.

Mirari deſines, ſi quonam commercii genere, homini creditoris, Deo debitoris titulus acceſſerit, perſpicies, eoque ad fructuoſiſſimam cum Deo mercaturam exercendam animabaris.

Cœlum proponitur hominibus venale.

NOTÆ.

Itaque illud ponatur imprimis tanquam dogma Catholicum, Chriſtum in Eccleſia, velut in ampliſſimo foro regnum cœlorum hominibus venale propoſuiſſe, facta ſingulis illud emendi poteſtate. Quod cum ex ordine noſtro viri graues & eruditi, qui Coloniæ ad Rhenum ſedem habent, palam docuiſſent, eo quod ex Chriſti doctrina meritis condignis, tanquam æquali precio cœlum comparandum exiſtimarent, ægerrime id tulit Kemnitius, notum & infame, ob errores propugnatos nomen: & acriter ſane, pro ſuo in hæreſin ſtudio, ac Ieſuitarum odio: frigide tamen ob veræ Theologiæ inſcitiam impugnauit eo fine, vt dignitatem noſtrorum meritorum è medio tolleret: ac proinde veram, & perfectam rationem meriti operibus fidelium ac iuſtorum hominum denegaret, totamque vitæ æternæ remunerationem in verbum, & ſolam promiſſionem Dei referret. Sed Ieſuitarum Colonienſium, vt tunc loquebantur quidam: id eſt, veritatis patrocinium ſuſcepit ſummus ea tempeſtate Theologus Iacobus Payua; qui Lib. 6. Orthodoxarum explicationum ſententiam illam ſolidè defendit, & putidam nouitii Prædicantis calumniam Theologica ſpongia deterſit.

Iac. Payua lib. 6. §. Quod ad dign.

Emitur meritis reg. cœl.

Siquidem Regnum cœlorum Chriſtianis venale proponi, non nos primi docuimus:

cuimus; ſed antiquiſſimi Patrum, tota approbante iam olim Eccleſia aſſeruerunt.

Clare Alexandrinus Clemens in Parænetico. *Ne pigeat laborare, ſi velitis precioſiſsimam ſalutem* EMERE, *pro theſauro, caritate, & fide vita, quod quidem eſt iuſtum precium.* Baſilius Homilia quam ſcripſit ad Prouerbiorum exordium. *Qui viam Euangelicam incedimus,* MERCATORES *ſumus, pro opera mandatorum, nobis poſſeſsionem cœleſtium comparantes.* Idem orat. ad diuites: *opera oſtende, & exige retributionem*, nempe per modum emptoris, rem mercede comparatam ſibi tradi poſtulantis.

Auguſtinus ſermone 22. De verbis Apoſtoli ſic ait: *Auaritia te ad Indos miſit ad deportandum aurum; ego tibi ante oſtium* Chriſtum *poſui, à quo* emeres *regnum cœlorum.* Et in Pſalmum 63. *Venale eſt regnum cœlorum, dicis illi, quantum valet?* Precium *ipſius labor eſt.* Clariſſima ſunt illa S. Chryſoſtomi & populariter dicta Homilia 9. De pœnitentia. *Precium non appono, ne obiicias inopiam: quanti potes, tanti* emes. *Habes denarium?* Eme *cœlum. Non habes denarium? de calicem aquæ* [illegible]. Et paucis interiectis: Mercatura, negotiatioq; *cœlum eſt, atque ipſi pigritamus. Da panem, & accipe paradiſum. Parua da, & magna ſuſcipe, da corruptilia, & incorruptibilia accipe.*

Idem Homil. 12. In Matthæum. *Pro paucis iugeribus exiguis habitaculis, non modo aurum, ſed & proprium quoque ſanguinem frequenter impendimus: vt vere cælum nobis* emamus *ipſum, neque hæc quidem, quæ noſtris vſibus ſupererant, erogamus. Et hoc cum exiguo illud precio* emere poſſimus, *& in perpetuum poſsidere ſi ſemel* emerimus. Similia habet in homil. 73. in Matthæ. & Homil. 36. ad populum Antioche: Tum etiam Nazianzenus orat. in ſacrum Baptiſma, quæ eſt 40.

Cœlorum regnum per contractum Emptionis habetur.

Itaque certum ſit, regnum cœlorum, & deſtinatam bonis omnibus beatitudinem, non ita gratis homini concedi, [illegible] non intercedat emptionis & venditionis aliqua ratio. Eſt quippe fidelis qu[illegible]t ſimilis illi negociatori quærenti bonas margaritas, qui inuenta vna precioſa, dedit omnia ſua, & comparauit eam. Comparat ergo eam homo perſoluto precio. Quare quam diu illam non accipit, Deus, qui vendidit debitorem ſe hominis agnoſcit. Sed cum non quidlibet cuiuslibet rei poſſit eſſe precium, neque cuilibet Deus debitoris titulo obligari, requiruntur tum ex parte hominis emptoris, quam ex parte venditoris nonnulla, vt inter Deum ac hominem contractus iſte firmetur, quo Deus debitor conſtituatur.

Prima conditio meriti vitæ æternæ, vt homo ſit iuſtus.

Principio, vt Deus homini, tanquam creditori debeat regnum cœlorum, ſeu felicitatem æternam, neceſſarium eſt, vt homo diuinæ gratiæ dono ſit iuſtus, eiuſque amicitiam nullo peccato mortali læſerit, à quo non ſit perfecte digna expiatione purgatus. Demonſtrant id Do. Scholaſtici in ſecundum librum Magiſtri ſententiarum Diſtinct. 24. Et præclare S. Thomas 1. 2. Quæſt. 114. Art. 2. vbi agens de *merito*, quod eſt in hac emptione *precium*, oſtendit hominem non poſſe mereri vitam æternam, quam diu peccato mortali eſt obnoxius. Cum enim, inquit, peccatum ſit quedam offenſa Dei excludens à vita æterna, nullus in ſtatu peccati exiſtens poteſt mereri vitam æternam, niſi prius Deo reconcilietur dimiſſo peccato, quod fit per gratiam. Peccatori enim non debetur vita, ſed mors, ſecundum illud ad Roman. 6. Stipendium peccati mors. Inimicus Dei dignus eſt, vt excludatur à regno cœlorum. Ergo regnum illi deberi nequaquam poteſt. Vita æterna, ſiue regnum cœlorum nō ſolum habet rationem mercium, quæ emuntur: ſed etiam Regii patrimonii ac hereditatis. Receptum autem eſt apud omnes, vt hereditas, non inimicis, ſed amicis: imo, nonniſi filiis debetur. Non igitur qui ſeruus eſt pec-

NOTÆ.

Digitized by Google

cati, vitam æternam vllis meritis, tanquam precio emere poteſt: quia hæreditas non eſt ſeruis vllo precio venalis: ſicut neque eſſe poteſt, mancipiorum merces, quamuis mille annis ſeruirent: ſed eſt portio filiorum. *Si ſumus filii Dei*, inquit Paulus, & *heredes*. Ad Roman. 8. 17. Primo oportet eſſe filium antequam hereditas hæc debeatur. Heredes erimus, ſi ſimus filii: nam coniunctio copulatiua pro illatiua ponitur. ad Galat. 4. 7. *Si filius & heres per Chriſtum. Iuſti hereditabunt terram*, Pſal. 36. 29. quam illam? terram viuentium. *Saluos nos facit Dominus per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus, ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Ad Tit. 3. 5. Similia leguntur ad Epheſios 1. ad Coloſſ. 3. Ad Hebræ. 1. & prima Petri atque alibi non raro, vbi vita æterna vocatur Hereditas, quæ nonniſi filiis obuenire debet.

Adeo nemo emit, niſi iuſtus & Filius. Ex quo colligas *Primo*, diſcrimen ingens inter hanc Emptionem, & illam, quæ ab hominibus celebratur. Nam apud homines nulla amicitiæ vel inimicitiæ habetur ratio, quando ob iuſtum precium aliquid venditur: apud Deum id penſatur maxime, apud quem nullus niſi amicus, imo filius per adoptionis gratiam, iuſtum poteſt offerre precium. *Secundò*, quanta ſit vel vnius mortalis peccati malitia, quo fit, vt omnis de felicitate æterna, emenda ſpes præcidatur: nam quicquid agat, qui vel vno lethifero crimine vrgetur, quicquid egerit, nunquam Deum vitæ æternæ debitorem conſtituet, imo, quæ iuſta ad eum diem ad obtinendum cœlorum regnum fuere precia, peccato monetam regiam adulterante, eſſe deſinunt. Siquidem ſtatim, atque homo offendit mortaliter Deum, amittit omnia bona merita. Ezechielis 18. 26. *Cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis; in iniuſtitia, quam operatus eſt, morietur* Iacobi 2. 10. *Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.*

Prius reſpicit Deus, ad emptorem, poſtea ad precium: prius ad hominem, deinde ad opera. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Geneſis 4. 4. Quod ideò

S. Gregor. libr. 22. Moral. cap. 11. dictum notat S. Gregorius, quia Deus non habet gratum offerentem propter munera, ſed munera propter offerentẽ: debetq; ab omni malitia eſſe purgatus, qui cupit, vt ſua munera Deo placeant. Quid eſt, *reſpexit*, inquit Chryſoſtomus, i. e. approbauit, laudauit mentẽ, coronauit voluntatem: & quaſi quis dicat, facto contentus fuit, quia recta intentione, & ſincera mente Abel obtulerat. Reſpexit hoc Deus prius quam dona, & hæc ipſa propter offerentem grata habuit. Et hæc eſt prima conditio, vt quis Deum debitorem faciat.

Secunda conditio precium. *Secunda* vero eſt, vt iuſtum precium adnumeret. Habet autem rationem iuſti ac æqualis precii, opus hominis, aliquot ornatum prærogatiuis. Inter quas pri-

Opus bonum. mum locum obtinet bonitas. Debet namque opus eſſe bonum, vt ſit precium, ac meritum vitæ æternæ. Id nimis quam certum eſt. Siquidem malis operibus infer-

Lib. de grat. & Lib. arb. cap. 6. nus emitur, non cœlum. *Quæ mala ſunt*, inquit, verè Auguſtinus, *non coronat Deus*. Deinde, vt fiat in Dei obſequium. Cuius illa poteſt dari, haud incongrua ratio. Quo-

In Dei obſequium. niam opus bonum hominis Deo cari non minus eſt precium relatum ad merces expoſitas, quam meritum, quod mercedem reſpicit, ab aliquo tribuendam. Nemo autem mercedem accipit, qui in obſequium alterius non operatur.

Itaque etiamſi optima quæque ex genere ſuo opera effeceris, fidei, pietatis, miſericordiæ: quamuis ieiunaueris, facultates in pauperes diſtribueris, corpus flagellis cecideris, longiſſimas peregrinationes ſuſceperis, nudus per aſperrimum frigus pertuleris, ignorantes docueris, morbidos ſanaueris, mortuos ad vitam reduxeris:

xeris: imò, ipſe mortem ſuſtinueris: niſi tamen hæc in Dei gratiam facta fuerint, fruſtra felicitatem æternam ſperabis. Si ad popularem auram captandam, hominibus placendum, appetitionibus propriis indulgendum, voluntati alienæ, ſed non diuinæ obſequendum præſtiteris, tibi exitium, non ſalutem coëmes.

Præterea: haud coactum debet eſſe virtutis officium, quo cœlum emitur. Libere oportet hoc bonorum operum precium perſoluere. Rerum ratione carentium eſt bona multa ſeu facere, ſeu profundere, at ſine iudicio, ſine voluntate, libertateque: atque idcirco cœleſtes merces emere non dicuntur, nec poſſunt. Cœlum, terra, aër, aqua, ignis & quæ in iis ſunt tam multa ad Dei conditoris gloriam condita, ſol, luna, montes, valles, horti, iumenta, quam multa præſtant commoda? quantopere ſummæ illius Maieſtati gloriæ ancillantur? non tamen cœlum idcirco vel emunt, vel merentur, quia libere minime agunt, nec poſſunt aliud facere, quam faciant. *Liberum.*

Adde his, iuſto precio dato, deberi id, quod emitur. Debitum autem non conſurgit, niſi ex eo, quod emptor det quidpiam de ſuo: nam ſi rem non ſuam, ſed alienam offerret, nihil illi deberetur. Quid autem propriè noſtrum eſt, ſi quid eſt noſtrum, niſi quod pro arbitrio poſſumus facere, vel omittere: iſta enim in noſtra ſunt poteſtate: atque horum dicimur habere dominium.

Denique mala opera ſi libere non fiant, pœnam nullam merentur. Igitur nec bona præmium, libere in facta fuerint. Itaque ſi cogaris ad concionem, confeſſionem ſodalitatis partheniæ exercitamenta, ſacram communionem, ieiunium, tanquam ſeruum pecus, non facturus niſi adigereris, apage: moleſtiam eandem cum emptoribus ſubibis, nunquam cœleſtes felicitatis æternæ merces accipies.

Emptoris perſonam in hoc commerciorum genere non ſuſtinet, niſi *qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus; facere malum & non fecit*, Eccleſiaſtici 31. 10. *Ideò enim* vt ibidem dicitur, *ſtabilita ſunt bona eius in Domino, & Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. Si volens hoc ago*, inquit Paulus, *mercedem habeo. Si autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt*. 1. Corinth. 9. 17. *Hilarem datorem diligit Deus*, 2. ad Corinth. 9. 8.

Adhæc, vt bonum opus ſit iuſtum precium, oportet vt ex caritate, & gratia procedat: Caritati enim potiſſimum beatitudo cœleſtis promittitur. Ioan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum*. 1. ad Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis. qui diligunt illum*. 1. ad Corinth. 13. 3. Si diſtribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. 2. ad Timoth. 4. 8. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum eius. Clariſſimum eſt etiam teſtimonium Iacobi in Epiſt. cap. 1. 12. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. *Opus ex gratia & caritate proueniens.*

Tametſi verò non deſint docti, grauesq; Theologi, qui putent, ſatis eſſe, ad hoc vt quis cenſeatur emere vitam æternam, opera talia exhibere, quæ ex habitu ſolum caritatis oriantur; plurimorum tamen eſt illa, ratione ac auctoritate ſtabilita opinio: neceſſe eſſe, vt bonum opus, vel tunc cum fit, actu imperetur à caritate Chriſtiana, ac in Deum vt finem ſupernaturalem & vltimum referatur: vel certe naſca-

tur ex actu imperato à caritate, & in Deum antea relato: quod eſt virtute, quamuis non actu, in Deum referri, vt in ſcholis loquimur.

Solui debet precium in ſoro militantis Eccleſia.

At enim, vbinam hi bonorum operum numi perſoluendi ſunt? Expedita reſponſio eſt: In foro militantis Eccleſiæ: hoc eſt, antequam ex hac vita iuſtus migrauerit. Nam ceſſat poſt hanc vitam omnis inter Deum & hominem emptio ac venditio. Finiuntur morte mortalium nundinæ. mercatus iſte non niſi interea celebratur. Ecce nunc tempus acceptabile, inquit Apoſtolus, ecce nunc dies ſalutis 2. ad Corinth. 6.2. Tempus breue eſt, 1. ad Corinth. 7. 29. Itaque dum tempus habemus operemur bonum. ad Galat. 6. 10.

Opera bona ſignata gratia malleo.

Atque hæc quidem requiruntur ad emptionis contractum firmandum, ſi emptorem ſpectes: quorum præcipuum eſt, vt operum bonorum nummi Imperatoris ſupremi imagine gratiæ malleo ſint ſignati: ſic enim & in fidei officina cuſi cenſentur, & ſupernaturalem illum, quo cœleſtes ſpectant merces habere notant, quod oppido neceſſarium eſt, vt præclarè diſſerit S. Leo Serm. 7. de Quadrag. vbi explicans fructum miſericordiæ, ait, illam eſſe adeo vtilem, vt laude non ſit fraudanda, ſi ob naturæ communionem etiam exerceatur: ſed quoniam tunc ex fidei fonte non procedit, ad præmia æterna non peruenit: nimirum illi cœlorum regnum tunc ex iuſtitia vi contractus emptionis non debetur.

Seſſ. 6. cap. 8.

Idemque docent Concilii Tridentini Patres, dum decernunt: Hominem per fidem iuſtificari, quia fides radix eſt omnis iuſtificationis: id eſt, non tantum primæ illius iuſtificationis, quando homo ex iniuſto fit iuſtus, ſed etiam quandocunque magis in iuſtitia creſcit: tunc enim etiam operationes elici debent, vel ex proximo motiuo ſupernaturali, vel ſaltem imperari ex ſimili fine remoto: quod eſt ex fide, tanquam fonte dimanare.

Ad meritum V. Æ. requiritur Dei promiſſio

Iam vero ex parte Dei, vt illi titulus Debitoris conuenire poſſit deſideratur promiſſio illius gratuita vel pactum liberale. Quod indicarunt Patres in Concilio Senonenſi, vbi ſanciunt, opera noſtra digna eſſe vita æterna non ob ipſorum operum dignitatem, ſed quia Deus gratis vitam æternam pollicitus eſt.

Idem pene leges in Concilio Moguntino, condente methodum doctrinæ Chriſtianæ cap. 8. & magis expreſſe in Tridentino Seſſ. 6. c. vlt, vbi aſſeritur: tantam eſſe bonitatem diuinam, vt velit eſſe noſtra merita quæ ſunt ipſius dona: Quod multo ante docuit Cæleſtinus Papa in Epiſtola ſua ad Epiſcopos Galliæ. Et habetur apud S. Chryſoſtomum Homil. de Adamo & Eua. Quibus ſignificatur, præter illam liberalitatem, qua conferuntur hominibus gratiæ auxilia, qua bene operari poſſunt, & operantur, eſſe aliam quandam qua vult, vt opera noſtra bona ſunt precium regni cœleſtis, ſeu merita ad illud præmium.

Deus debitor ex promiſſione.

NOTÆ.

Quod fuſe & eleganter declarat S. Auguſtinus cuius ſunt illa inter cætera ſermon. 16. de verbis Apoſtoli. Debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit, promittendo nobis. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quæ dedi tibi: & aliter dicimus Deo, debes mihi, quæ promiſiſti mihi. Tu nihil dediſti, & tamen exigis: bonitas enim eius, qui promiſit, dabit, ne in maliciam fides conuertatur, qui enim fallit, malus eſt. Quid igitur nos Deo poſſumus dicere? An, redde mihi, quæ dedi tibi? Quid dedimus nos Deo, cum totum quod ſumus, & quod habemus donum, ab illo habeamus, dicente præſertim Apoſtolo. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Illo igitur modo tantum, poſſumus exigere à Domino noſtro, vt dicamus ei, Redde, quod promiſiſti, quia fecimus, quod iuſſiſti:

Digitized by Google

ſiſti: & hoc ipſum, quod fecimus, tu feciſti, quia nos laborantes iuuiſti. Nemo ergo dicat, ideo me vocauit Deus, quia colui eum, quomodo enim coluiſſes eum, ſi ab eo vocatus non fuiſſes. Si propterea te vocauit Deus quia coluiſti eum. Ergo tu prius dediſti Deo, & Deus retribuit tibi. Nonne iſtam tibi vocem adimit Apoſtolus, dicens: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Requiritur igitur imprimis Dei promiſſio, vt ipſe debitoris titulo hominibus obligetur. Quod etiam operum conditio ſatis indicat, ſi illorum valor & dignitas penſitetur: vt enim exiſtimare ſe dicit S. Paulus: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, *Rom. 8. 18.* quæ reuelabitur in nobis. Quod enim in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. *2. ad Cor. 4.* Quæ hoc ſaltem ſignificant, opera ipſa ex ſe, & natura ſua, niſi aliunde quidpiam accedat, non eſſe iuſtum regni cœleſtis precium. Quo ſpectat illud S. Athanaſii in vita D. Antonii. Nec vniuerſo orbi renunciantes dignum aliquid habitaculis poſſumus compenſare cœleſtibus. Et grauis illa ſententia Euſebii Emiſſeni Homilia 3. ad Monachos: Totis licet animæ & corporis laboribus deſudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cœleſtibus bonis compenſare & offerre valebimus.

Auguſtini quoque vera eſt ratiocinatio. Quanto labore digna eſt requies, quæ non habet finem? ſi verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies *Auguſtin. in Pſal. 93.* æterno labore rectè emitur. Verum hoc eſt, ſed noli timere, miſericors eſt Deus. Tandem rectè quilibet cum Bernardo exclamet: Quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Itaque cum opera noſtra ſecundum ſe conſiderata ſint leuia, vilia, temporalia, neceſſarium eſt, vt aliunde habeant eam dignitatem, quæ ad cœlum emendum deſideratur. Habent verò illam à Deo, & cuius gratia, hæc pondus addit, & monetæ valorem ad merces proportionatum & æquiualentem tribuit.

Sic enim docent Theologi, in iuſtorum meritis eſſe æqualitatem veluti precii, quoniam eſt æqualitas dignitatis ſecundum quam attenditur iuſtitia remunerationis.

Verum enimuerò, quantumuis amicorum Dei opera digna eſſent, niſi Deus vellet pro illis regnum cœlorum appendere, ac proinde niſi liberè pactionem iniret, nec regnum illud venale diceretur, nec commutatio aut emptio intercederet. Ad hanc enim præter precii maximè æqualis valorem ab emente repræſentandi, requiritur etiam ex parte vendentis voluntas, & conſenſus; alioqui ſine contractus minimè conſtaret.

Quomodo exponendum putant nonnulli dictum illud Chryſoſtomi Homil. 9. *Quomodo cœlum non ſit venale.* de Pœnitent. *Habes denarium? Eme cœlum. Non, quod ſit venale,* (nempe cœlum) *ſed quia* Deus *miſericors eſt.* Quaſi dixerit. Niſi Deus libera ſua voluntate vellet contrahere, non proponeretur venale. Vel, non exiſtimes, venale proponi, vt alia temporalia, quæ precio pecuniario emuntur, alius eſt hic emendi modus, aliud exigitur precium, non quidem, non numorum, ſed meritorum. Cum enim dixiſſet, Habes denarium? eme cœlum. Ne ignarus myſterii opinaretur, pecunia cœlum æſtimari, ſubdit, non quod ſit venale, nimirum pecuniario precio: ſed, quia Deus miſericors eſt, tum donando homini gratiam, vt mereatur illud, tum promittendo liberè pro meritis, cum tamen negare illud abſque iniuria poſſet.

His adde, quo promiſſionis diuinæ neceſſitas planè in hoc genere demonſtratur. Vt aliquis ſit, ac dicatur debitor, neceſſarium eſt, vt teneatur dare, quod eſt *Debitor tenetur dare, quod debet.*

 debitum.

Digitized by Google

debitum, neque liberum illi maneat, dare aut non dare pro beneplacito. Deus autem, niſi promiſſio accedat, noſtris operibus nihil dare tenetur. Siquidem hominis bona opera ac ſupernaturalia, non ſunt tam hominis, quam Dei inſpirantis, adiuuantis ac cooperantis. Nihil homo dare poteſt, quod non acceperit: quodque non ſit pluribus nominibus Dei potius, quam hominis. Quomodo igitur nobis debitoris titulo obligabitur? quid dare tenebitur? ſemper illud obiicere poterit: Quid habes, quod non accepiſti? Quis antea dedit mihi, vt reddam ei? Omnia quæ ſub cœlo ſunt, mea ſunt: Cum feceritis omnia hæc, dicite; ſerui inutiles ſumus. *Quid prior dedit illi, & retribuetur ei. Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, inquit Apoſtolus.

Iob. 41. 2. Luc. 17. Rom. 11. 35.

Ab ipſo certe, tanquam ab auctore: & per ipſum, tanquam conſeruatorem, ac cuſtodem, omnia & perdurant: ad ipſum, tanquam ad extremum referuntur omnia. Poſtquam omnia fecerimus, ac dederimus, dicere poſſumus. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* damus, quæ noſtra ſunt, quia à libertate noſtra prouenientia, quæ Dei, quia ab eius gratia.

Lib. 1. Paralip. cap. vlt. 14.

Bonum opus Dei est & noſtrum.

Venuſte S. Gregorius Lib. 33. Moralium, cap. 20. Bonum, quod agimus, & Dei eſt & noſtrum: Dei per præuenientem gratiam: noſtrum, per obſequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non eſt, vnde ei gratias in æternum agimus? Rurſum: ſi noſtrum non eſt, vnde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immeritò gratias agimus: ſcimus, quod eius munere, præuenimur: & rurſum, quia non immeritò gratias agimus, ſcimus, quod eius munere præuenimur: Et rurſum quia non immeritò retributionem quærimus, ſcimus, quod ſubſequente libero arbitrio bona eligimus, quæ ageremus. Et paulo ante dixerat. Nemo ergo meritis Deum præuenit, vt tenere eum, quaſi DEBITOREM poſſit: ſed miro modo æquus omnibus conditor, & quoſdam prælegit, & quoſdam in ſuis prauis moribus derelinquit.

Si ergo opera tantummodo reſpicias, quantumuis optima, quæ Deo offers, nunquam tamen illum tanquam debitorem præmii cœleſtis, conuenire poteris, quia nunquam ita obligari tibi poterit, vt dare teneatur. At ſi promiſſio acceſſerit: quia Deus verax eſt: & non eſt, quaſi homo, vt mentiatur: & cum ſit omnipotens, mori nequit, falli non poteſt, mentiri non poteſt: ac quod ait Apoſtolus, negare ſeipſum non poteſt.

Ioan. 3. Num. 23.

Nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens: ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi inique agere, non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus, qui eſſet omnipotens. Idcirco ex veracitate, & fidelitate ſua tenetur ad dandum id, quod eſt pollicitus, tanquam debitum: quod eſt, debitorem eſſe.

August. lib 1. de ymb. ad Catechum. cap. 1.

An poſſit non dare Deus, quod promiſit.

NOTÆ.

Neque tamen totam rationem precii ita in promiſſionem referimus, quaſi opus bonum ad illud nihil, aut parum conferat. Imò bona iuſtorum opera, tum ratione honeſtatis, ac difficultatis ſuæ, tum promiſſionis diuinę pretium cõplete conſtituere cenſemus. Habet enim opus bonum aliquã ad felicitatem, tanquã ad merces pretioſiſſimas proportionem: non tamen tenetur cœleſtis Mercator illud acceptare ad venditionẽ, niſi conuentio, pactumq́; interceſſerit. Poſt pactum ſumus ſecuri: nec vlla ratione timemus, ne non detur, quod promiſſum eſt.

Nam, quod quidam, licet magni nominis Theologus ſcripſit ſuperiori ſeculo: ita Deum eſſe nobis debitorem æternæ vitæ, ac remunerationis, vt nihilominus poſſit negare mercedem promiſſam, nõ quidem ſtante promiſſione, ſeu in ſenſu compoſito,

Andr. Vega quæſt. 5. de Iuſtificat.

Digitized by Google

poſito, vt in ſcholis loquimur: Sic enim ſeipſum negaret, quod eſt impoſſibile: ſed quia poſſet reuocare promiſſionem: id eſt, facere, vt non promiſerit. Quoniam exiſtimat in Deo potentiam eſſe ad præteritum. Id ergo ſane non intelligo: Sed abſurdum eſſe ac perperam pronunciatum arbitror. Nam vt omittamus: fictitiam eſſe illam poteſtatem ad præteritum: ex quo ſequitur, facere non poſſe, vt quod promiſit, non promiſerit. Certe ſtante promiſſione, facere multo minus nequit, vt non compleat, quod promiſit. Quæ omnium eſt etiam barbarorum de Dei fidelitate exiſtimatio. Bifariam igitur iuſti eſſe debent ſecuri de ſua remuneratione. Quod ſi penes Deum quoquo modo eſſet, vt promiſſio facta redderetur infecta: vacillaret de reddendo debito ſecuritas. Siquidem poſſet Deus ſaltem promiſſionem præteritam reuocare, ita vt non fuiſſet.

Deus an debitor ſibi, an iuſtis / *NOTÆ.*

Porro licet Doctorum ſit conſenſus, Deum ex verbo, ac promiſſione ſua factum eſſe debitorem æternæ remunerationis: non tamen omnes æque admittunt, illum eſſe debitorem homini à ſe condito: Sed Deum dici debere debitorem conſtitutum ſibi, vel ſuæ promiſſioni autumant nonnulli. Quibus plurimum fauet S. Thomas, qui prima ſecundæ Quæſt. 114. Art. 1. cum obiectionem formaſſet huiuſmodi. Quicunque apud aliquem aliquid meretur, conſtituit eum ſibi debitorem. Debitum enim eſt, vt aliquis merenti mercedem rependat. Sed Deus nulli eſt debitor. vnde dicitur ad Roman. 10. Quis prior dedit ei, & retribuetur ei. Ergo nullus à Deo poteſt aliquid mereri. Reſpondet. Quia actio noſtra non habet rationem meriti, niſi ex præſuppoſitione diuinæ ordinationis: non ſequi, quod Deus ſimpliciter efficiatur debitor nobis, ſed ſibi ipſi, in quantum debitum eſt, vt ſua ordinatio impleatur. Per ordinationem autem vel intelligit promiſſionem vel donationem gratiæ quam ipſe confert ad hunc finem, vt homo digne vitam æternam mereatur. Huic ſententiæ ſubſcribit Caietanus.

Deus nulli mortalium debitor. / *Rom. 6. 23.* / *Aug. Epiſt. 105.*

Imo Origenes, & Chryſoſtomus, dum perpendunt illud Pauli ad Roman. 6. *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*: & inquirunt: cur non dixerit; iuſtitiæ ſtipendium vita æterna, vt ipſa conſecutionis ratio poſtulare videbatur, quemadmodum monet Auguſtinus: ita enim ſua vtrique ſeruituti, aut militiæ merces reſponderet: cauſſam dant, quia Deus nulli mortalium quicquam debere poteſt. Quod etiam habent Theodoretus, ac Theophilactus: quibus conſentit S. Hieronymus lib. ſecundo commentariorum in Ezechielem.

Deus nec ſibi debitor, nec aliis.

Non deſunt autem etiam, qui ſubtilius Titulos hos debitoris & creditoris examinantes ſeuere pronunciant: Deum neque ſibi neque hominibus debitorem eſſe. Non quidem ſibi: quoniam debitum proprie dicitur ad alterum. Non hominibus: quia debitum eſt obligatio quædam ad alterum. Obligatio vero videtur ſemper reſpicere, vt ſuperiorem eum cui aliquis obligatur. Cum igitur Deus ſuperiorem non poſſit agnoſcere: ipſe eſſentialiter ſuprema Maieſtas, nemini obligari poterit. Addunt Deum fideliſſime redditurum vitam æternam, tum etiam gloriam eſſe meritis debitam: à nullo tamen deberi.

A quo meritis debeatur præmium.

Eodemque modo philoſophantur de meritis Chriſti, vt illis quidem præmium debeatur, non tamen illud Deus debeat. His ita opinandi anſam dediſſe S. Thomam negare non poſſum. Nam Prima-ſecundæ Quæſt. 111. Artic. 1. ad 2. docet: ſiue debitum ſit aliquid ſecundum naturam; quemadmodum membra debentur corpori humano: ſiue ſit debitum meritis, Deum nulli creaturæ eſſe Debitorem: eo quod non ſit inferior creatura, nec ad illum, vt ad finem referri poſſit. Sed potius

tius

Digitized by Google

ſtius dicendum eſſe: debitum aliquid creaturæ eſſe; quatenus ipſa creatura ſubiici debet Deo, vt in ea diuina ordinatio impleatur. Eodem ſpectare videtur ſuauis illa Auguſtini ſententia, quam habet lib. 1. Confeſſion. cap. 4. vbi de Deo & cum Deo ita loquitur. Nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam auarus, & exigis vſuras: & ſupererogatur tibi, vt debeas: & quis habet quicquam, non tuum. Reddis debita, nulli debens: donas debita nihil perdens.

Deus iuſtis debitor. Ego tamen cum huius æui viris doctiſſimis non video, cur negare ſit neceſſe, Deum verbo ſuo conſtitui iuſtis debitorem. Quod multi è Scholaſticis aperte fatentur S. Bonauentura in 2. Diſtinct. 27. art. 2. Quæſt. 3. Richardus ead. diſtinct. Art. 2. Quæſt. 3. ad 3. Andreas Vega Quæſt 5. de iuſtif. ad confir. tertii argum. Decanus Louanienſis Tapper. Artic. 2. §. vltima difficultas: Aliique non pauci ſecuti grauiſſimos Patres, qui hanc loquendi formulam non refugiunt. Quam illud eſt manifeſtum S. Chryſoſtomi Homil. 3. in Matthæum. *Vt ſe* Deus *tibi* Debitorem fateatur, *non ſolum pro operibus, ſed etiam pro hac gratia, humilique ſententia.* Conſentit S. Cyprianus, qui ſermone de eleemoſyna extremo, loquens de eo, qui bene operatur: Deum, inquit, *computat debitorem:* ſibi haud dubie. Eleganter, vt ſolet, Petrus Chryſologus, & per verborum quoſdam luſus. *Dicis, eſto, quod debeat: quo exigente, reſtituet? ſeipſo, quia non poteſt ille mentiri. Idem ipſe eſt, & executor, & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profuſus eſt in largiendo, crede homo, Deo. Quod tibi Deus dedit: maiora reddere vult, cum vult debere largitor.* Et Baſilius oratione ad diuites: *opera oſtende, & exige retributionem.* Homo autem fidenter exigit niſi à ſuo debitore. Eo ſpectat S. Ambroſius ſermone ſeptimo in Pſalmum 118. ad illum verſum: *Memor eſto verbi tui, vbi ſcribit. Vult* Deus *conueniri, vt ſiquis propoſita ſecutus virtutibus præmia bene certauerit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat.* Clarius S. Paulinus Epiſtola ad Victricium: *Tuarum tibi præmia ſe debere virtutum iuſtus index agnoſcet.* Nec minus clare S. Fulgentius in prologo librorum ad Monimum. *Nam & ſeipſum* inquit, *ſua largitate dignatus eſt facere debitorem.* Nec alia mens Bernardi, ſi illam capio, ſermone in id ſapientiæ: *Sapientia vincit malitiam:* In cuſtodiendis illis retributio multa. *Plane multa: quia cuſtodientibus ea debetur vita æterna.* A quo? A Deo dubio procul, quibus? cuſtodientibus.

Chryſoſt. ſerm. 25.

Auguſtinus Deum debitorem agnoſcit. Nec Auguſtini ad hunc titulum firmandum obſcuræ ſunt ſententiæ. Tractatu tertio in Ioannem, ad verſum: *De plenitudine eius omnes accepimus,* ita diſſerit. *Audi Paulum flagitantem debitum, qui primo in debitam ſuſceperat gratiam:* Ego autem iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. *Iam debitum flagitat: iam debitum exigit. Nam vide verba ſequentia.* Quam mihi reddet Dominus in illa die iuſtus iudex: vt autem ſuſciperet gratiam, miſericordem Patrem opus habebat: vt præmium gratiæ, iuſtum iudicem. Itaque, cum Auguſtinus pronunciet, Paulum flagitare debitum à Deo iuſto iudice: & debitum hoc eſſe coronam iuſtitiæ ſibi repoſitam; profecto Auguſtini ſenſu, dicendum eſt, Paulo iuſtam coronam fuiſſe debitam, ſicut & repoſitam. Cum autem à Deo fuerit repoſita: fateatur oportet à Deo quoque fuiſſe debitam. Ex quo manifeſte efficitur Deum eius fuiſſe debitorem.

Deus promiſſor. Ergo debitor. Idem S. Pater ſermone 151. de tempore ſic loquitur: *Laudemus, fratres, Dominum: quia eius fidelia promiſſa retinemus, nondum accepimus. Parum putatis, quia* Promiſſorem tenemus, *vt iam* Debitorem *exigamus?* Promiſſor Deus: Debitor Deus *factus eſt, bonitate*

nitate ſua non prærogatiua noſtra. Cui geminam ſententiam lego in Baſilio, commentario in Pſalmum 114. vbi: *Manet*, inquit, *ſempiterna requies, qui in hac vita legitime certauerint, non ob eorum merita factorum, ſed munificentiſſimi Dei gratia, in qua ſperauerunt*. Quo fere modo aduerſus merita iuſtorum, & debitum hoc Baſilii enunciatum allegari ſolet à ſectariis: cum tamen Græce ſic extet: *ἐν κατὰ ὀφείλημα ἔργων ἀποδεδομένα, ἀλλὰ κατὰ τοῦ μεγαλοδόρου θεοῦ*: quorum ſenſus eſt: Beatam vitam legitime certantibus reddendam, non iuxta meritum actionum: ſed potius iuxta Dei munificentiſſimi debitum. Sic enim *ἀπὸ τῦ κοινῦ* intelligendum eſt: vt doceat nulla eſſe liberi arbitrii merita, ſi gratiæ beneficium excludatur.

Idemque ſenſus latet in ſententia D. Auguſtini. Siquidem non promiſit Deus *Gratia fundamentum meriti.* vitam æternam operibus factis ex noſtra ſola virtute, ſed ex ſua gratia ac miſericordia, quibus ſi vellet, poſſet non promittere, atque ita ob omni obligatione liber ac ſolutus maneret. Quia tamen promiſit, ex ſententia Auguſtini, Deus debitor eſt, & cum nos, vt debitorem conuenimus, ac tenemus. Nemo autem tenetur ab alio vt debitor, niſi ab eo cui debet: nam teneri eſt alligatum ac obſtrictum eſſe: ſiue id voluntate eius qui ſe adſtrinxit factum ſit, ſiue alio modo. Siquidem qui ſe ſponte columnæ vinculis adſtrinxit, æque ligatus eſt, ac ille, quem alius alligauit.

Itaque cum iuſti teneant Deum debitorem: quem titulum verbo ac promiſſione ſua ſponte adſumpſit, cenſetur ipſe ſe quodammodo iuſtis alligaſſe, & vere mortalibus eſſe obſtrictus promiſſionis vinculo.

Quocirca, alio loco S. Auguſtinus docet, nos poſſe exigere, aut poſtulare De- *Conuenimus*
um, tanquam debitorem, ita vt ei dicamus: Redde quod promiſiſti, quia fecimus, *DEVM vt*
quod iuſſiſti. Nemo autem exigit ſibi ab alio tanquam à debitore id quod promi- *debitorem.*
ſit, niſi quia eum habet ſibi vt ſuum debitorem. Quod autem aliquando apud De- *Lib.1.Conf.*
um conteſtatur: *Reddis debita, nulli debens*: non idcirco id pronunciat, quod reuera *cap.4.*
verbo ſuo nulli ſit conſtitutus debitor: ſed quod mortalium nulli debeat ex eo, quod aliquid ab eo acceperit, ex propriis viribus ac virtute: aut quod, tametſi à iuſtis acceperit bona opera, in ſuum facta obſequium, nihilominus ex iis non conſtitueretur debitor, niſi ipſe ſponte vellet ſe facere debitorem voluntaria pollicitatione. Clariſſima ſunt Auguſtini verba in Pſalmum 83. ad illum verſum. *Miſericordiam & veritatem diligit Dominus. Ecce*, inquit, *videmus, quia tenet eum Paulus debitorem.* Item: *Debitorem Dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo. Non ei dicitur: Redde, quod accepiſti: ſed redde, quod promiſiſti.* Et in Pſalmum C. Deus *donando delicta, fecit ſe debitorem corona.*

Neque abhorret is loquendi modus à ſacrorum Conciliorum vſitatis formulis: *Ex conciliis*
imo mirifice conſentit, & aperte ex iis colligitur. Sane in Arauſicano ſecundo Ca- *titulus debitor*
none 18. ita præſcribitur: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur,* *ſtabilitur.*
præcedit, vt fiant.

Idem autem eſt, deberi mercedem bonis operibus, atque deberi iuſtis bene operantibus. Imo, cum debitum ſit ad alterum rationis compotem, potius ac magis proprie, merces dicetur debita propter opera, quam ipſis operibus. Omne autem, quod debetur, ab alio debetur. Itaque iuſtis bene operantibus debetur merces ab aliquo: non ab alio, quam à DEO bonorum remuneratore, quod eſt, eſſe debitorem.

Ratione eundem Titulum ſtabilire non eſt difficile. Nam niſi Deus vere homi- *Titulus debitor ſtabilitur ratione.*

Ppp nibus

nibus eſſet debitor, fruſtra promiſſiones iis factas iuramento confirm. ſſet. Siquidem iuramentum pactionibus & promiſſionibus adiunctum facit, vt arctiori nexu maneat is, qui pepigit, aut eſt pollicitus, adſtrictus, non ſibi, ſed alteri, cum quo egit: illi enim præſtatur, cui aliquid eſt addictum: vt is ob iuramenti ſanctitatem ſit ſecurior. Roborat autem Deus iuramento promiſſiones ſuas. Geneſis 22. Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi. Pſalmo 131. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum. Sapientiæ 12. Parentibus noſtris iuramenta & conuentiones dediſti bonarum promiſſionum. Itaque Deus promiſſione iuramenti ſanctitate firmata: id eſt, arctiſſimo vinculo conſtrictus iuſto tenetur, ac eſt Debitor.

Debitor non eſt inferior creditore. FALSVM autem exiſtimo, quod hic quidam oggerunt: Ad rationem debitoris ſpectare, vt natura ſua ſit inferior illo cui debet. Nonne enim Princeps ac Imperator debitorem ſe ex liberali promiſſione ſubditis ſuis facere poteſt? Repugnat quidem perfectioni diuinæ, vt ab alio conſtituatur debitor, ſic enim eſſet inferior: non tamen vt ſe alicui inferiori obliget, ac debitorem eſſe velit. Qui ſenſus fuit S. Thomæ, & quorundam aliorum melioris notæ Theologorum, dum negare videntur Deum eſſe creaturæ ſuæ debitorem. Habemus igitur venale eſſe ac dici poſſe regnum cœlorum, tum ratione dignitatis operum quibus emitur, tum ratione promiſſionis diuinæ. Debitum ergo eſt, quibus promiſſum, at nondum datum, cuius reſpectu iuſti homines ſunt creditores, debitor Deus.

Debitor ex iuſtitia. NOTÆ. DEBITOR, dico, tum ex aliquo iuſtitiæ genere, qualis inter Deum ac hominem eſſe poteſt: tum multo maxime ex fidelitate, quæ iuſtitia quædam eſt, cum ſit pars eius poteſtatiua. Quare infidelitas omnis recte iniuſtitia vocari poteſt. De qua Paulum Apoſtolum intelligo ad Hebræos 6. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri. Aliorum autem quorundam debitorum intuitu, debitoris nomen poteſt. ſſu.cre Deus, non quidem ex iuſtitia, aut fidelitate, ſed ex quadam congruitate, aut decentia.

Debiti diuiſio. Ad cuius intellectum, obſeruo: debitum vniuerſe, bifariam ſumi poſſe. *Primo*, proprie: quod ita conſtringit, & obligat debitorem, vt illud non ſoluere, ſit iniuſtitia, aut iniuria, vel infidelitas. Huiuſmodi debitum oritur, tum ex *Promiſſione*, tum ex *Contractu*, tum ex *Delicto*. qui ſunt tres debiti, vt loquuntur rigoroſi fontes. *Secundo* latiore quadam ſignificatione, pro eo, quod conueniens, decens, aut decorum eſt: & quod res ipſa quodammodo poſtulare videtur, ſiue quod ad ipſius perfectionem ſpectet, ſiue quod ſit conſectaneum. Sic dicimus, homini deberi manus, aut pedes, facultates animi, membra alia: quibus ſi careat, dicetur carere forma, aut partibus debitis. Hoc debitum vocatur decentiæ, vel honeſtatis: vnde iniuria non fit nec iniuſtitia committitur, ſi negetur: ſicut ſi non detur alterum, quod nunc paſſim debitum iuſtitiæ.

Debitum honeſtatis. POSTERIORI illo modo Deus cenſetur interdum debitor bonorum quorundam, quæ tamen ab eo iure exigi non poſſunt. Huiuſmodi ſunt temporalia quædam commoda, opes, honores, potentia, imperiū, ſexcenta alia. Conueniens enim videtur, vt qui bonis operibus, licet naturalibus tātum, aut moralibus dat operam, remunerationem quandam naturæ conſentaneam accipiat. Et ita ſanè docent Theologi. Quamuis bona temporalia ſecundum ſeſe conſiderata non cadant ſub meritum de condigno: id eſt, illorum non ſit Deus debitor ex iuſtitia, ac fidelitate, quicquid tandem homines, licet iuſtiſſimi, ac optimi faciant; niſi omnino neceſſaria

Digitized by Google

ceſſaria eſſent ad beatitudinem adipiſcendam. Sic enim contingere poſſet, vt tanquam iuſtitiæ debita exigerentur. Tamen eadem hæc bona meriti de congruo materiam conſtituere: præſertim, ſi non ſint impedimento futura ad felicitatem extremam. Poſſunt enim iſtiuſmodi bona à iuſtis & Deo gratis hominibus experi, illiſq; eſſe ad deſtinatum finem vtilia: proindeque congruum, ac conueniens eſt, Deum illa concedere.

S. Tho. 1. 2. Q. 114 Art 10.

Imò, non tantum iuſtis: ſed & peccatoribus ita Deus aliquando ſe exhibet ac ſi fuiſſet Debitor illorum bonorum. Ita docet S. Thomas, *a* Alenſis, *b* aliiq; Scholaſtici docti à Gregorio, *c* Hieronymo, *d* Auguſtino *e*: & & ſacræ Scripturæ ſententiis, ac exemplis eruditi. Nonne Chriſtus dicet de impiis felicitatem temporali donaris, *Receperunt mercedem ſuam?* Matthæi 6. 2. Obſtetrices Ægyptiæ ob neſcio quod humanitatis officium, munera temporalia accipiunt. Exodi, primo. Vt docet S. Gregorius Lib. 18. Moral. cap. 2. Nam ædificauit eis Dominus domos, id eſt, dedit liberos, familiam auxit, firmauitque. Ezechielis 29. DEVS remunerat Nabuchodonoſorem temporalibus rebus, quod operam ſibi locaſſet pugnando contra Tyrum. Leuitici 26. & Iſaiæ 1. aliiſque locis innumeris proponuntur bona temporalia vt merces operi debita. Sunt enim tenera opera bona moralia digna aliqua mercede, non quidem vitæ æternæ, aut alia ſupernaturali; itaque naturali, quæ in bonis iſtiuſmodi conſiſtit. Ex quo principio deducit Auguſtinus. Libro 5. de ciuitate cap. 12. ac 15. Romanis DEVM dediſſe imperium tam late patens in orbe habitato, propter illorum virtutem ac merita.

Opera bona peccatorū remunerantur.
a in 2. d. 27. Q. 1. Artic 4.
b 4. p. Q. 24. M. 4. Art 3.
c Hom. 40. in Euang. Lib. 5. mor. cap. 1.
d Ezec. 19 ad illud, ecce dedi Nabuchodonoſor.
e Lib. 5. de ciuit. cap. 12. Aug. Quaſt. 1. in Exod. & lib. de mandat. cap. 15.

MAGNA profecto hæc eſt hominis virtutum ſtudio dediti fiducia, ingens conſolatio; quod tanta ſit Domini noſtri munificentiſſimi liberalitas, ac magnificentia, quod nullum opus bonum ſine conuenienti præmio relinquat, atq; ſe debitorem eſſe profiteatur: ex iuſtitia, ac fidelitate quidē, ſi obſequia, quæ defert, fuerunt vitæ æternæ meritoria: qualia ſunt, actiones liberæ, in charitate, & ex caritate ac gratia prodeuntes. Ex decentia vero, ac congruitate quadam, vt loquuntur Theologi, ſi hunc condignitatis valorem non habuerint; & extra gratiam ab homine Deo inimico fuerint profectæ.

Ad remunerādum promptiſs. Deus.

SED non minoris terroris debet eſſe improbis, quod Deum habeant debitorem ex iuſtitia, delicti titulo ad puniēdum. Quam primum enim homo Dei legem præuaricatur, cōtrahitur debitum, cuius reſpectu, peccator eſt creditor: Deus debitor: qui non minus ad hoc, cum id iuſtitia poſtulat, quam ad ſuperiora perſoluenda eſt expeditus: Sed minus fortaſſe liberalis. Nam bonorum debita cum additamento expedit: malorum reſtricte: dempto ſemper aliquo, quod poſſet, ſi vellet ſummo iure agere infligere.

Deus Debitor ex delicto.

Punit enim Deus leuius, etiam damnatos, quam merentur: & iuſtis, copioſam & ſupereffluentem debitorum menſuram, tanquam ſibi peccatis creditoribus admetitur. Ad huius autem debiti, quod eſt ex delicto, rationem conſtituendam, aut complendam, nulla requiritur promiſſio: cum eo ipſo, quod quis peccat, ſubdatur Deo, vt is ex iuſtitiæ præſcripto pœnam illi irroget.

Difficile, ſed perquā accommodatum ad rem noſtram eſt illud ſapiētis pronunciatum Prou. 13. *Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat: qui autē timet præceptum, in pace verſabitur.* Miſſis n. variis expoſitionibus quas expēdit accurate Quirinus Salaz probatur mihi illa Ioan. de Pineda cōmentatio in Iobū vt ſenſus ſit: *Qui detrahit*

Peccatum debitum efficit. Prou. 13. 13.
Lib. 21. 19.

Digitized by Google

alicui rei: id eſt; quicunque de re illa, lege cauetur, aut demandatur, aliquid excipit, quo minus totam expleat: vno verbo; qui peccat, peccati, & ſoluendæ pœnæ reus efficitur: & conſtituitur ipſe vel debitor, vt DEO pœnam perſoluat: vel creditor, vt DEVS debitor illam infligat. Sicut, ex aduerſo: *qui timet præceptum*: qui veretur legem, & totam, nulla exceptione adimplet: ſeu, qui legis eſt obſeruator, ſecurus eſt in poſterum, & DEVM debitorem habet, à quo debitam mercedem recipiet.

Illa autem ſententiæ appendix: *In pace verſabitur*: quod ex Hebræo fonte vertere poſſis. Et timens præceptum, *ipſe compenſabitur*: Chaldæus; *penſabitur bona*: id eſt, quod, *accipiet*, *quod ipſi debetur*. Solutio enim debiti pacem conciliat. Quare apud Hebræos eadem vocula שלם *Salam* ſignificat, ſoluere debitum, & pacem habere, aut pacificum eſſe: poſtquam enim quis debitum ſoluit creditori, nihil eſt, quod illorum pacem ac concordiam turbare poſſit. Ita, quod ſeptuaginta Interpretes expreſſerunt Pſalmo 54.22. *Extendit manum ſuam in retribuendo*: Hieronymus ex Hebræo vertit: *Extendit manum ſuam ad pacifica*. Sermo autem eſt de impio, vel Saule: & ſenſus: malum rependit his quibus nihil mali reddere debebat. Ita quoque Iobi 21. *Deus ſeruauit filiis illis dolorem patris, & cum reddiderit, tunc ſciet*: hoc eſt, cum rependerit debitum ac commeritum ſupplicium impio, tum ſciet, nimirum Deo eſſe prouidentiam.

Huc etiam ſpectat iſtud ex nouo Teſtamento, *ſtipendia peccati mors*. Ad Rom. 6.23. Nimirum debetur peccato, vel peccati mors, ac quæ deinde conſequuntur. Mors, tanquam ſtipendium. A quo? à Deo, quem ſibi debitorem faciunt impii. Quamuis alii Dæmonem peccatorem velint debitorem. Eſt enim ipſe rex ſiue tyrannus ſuper omnes filios ſuperbiæ Iobi 41. Sub cuius nimirum ſignis militant omnes peccatores, idcirco mortem tanquam ſtipendium, peccatoribus, vt militibus ſuis perſoluit. Quod argumentum alibi copioſius pertractamus.

Fructus commentationis. Nunc fructum legamus, qui ab hac commentatione multiplex. Venale audiſti eſſe regnum cœlorum, emi poſſe à mercatore induſtrio: hunc hominis fidelis eſſe titulum. Si mercatores, quippe fidelis, qua Chriſtianus, ſcias tibi non eſſe ociandum, in hac regni cœleſtis mercatura. Mercatoris eſt impigre ad extremos vſque Indos, vltra Gangem & Nili oſtia excurrere, vt mercibus plenam onerariam in portum ſubducat. Nullibi is ſubſiſtit, niſi vtilitatis cauſſa. Vbique rem ſuam agit, nihil negligit, quo vnctiorem crumenam referat. Semper cura peruigili in negotiationem incumbit. Hæc illum vna cura coquit: dormienti, vigilanti, ſedenti, ambulanti, veſcenti, famenti iſthæc hæret cogitatio: quæ ægrum quoque vexat; & prope ad tumbam comitatur. Simili induſtria, humanum dico, ob infirmitatem veſtram in cœlorum regno coëmendo eſt verſandum.

Nulli pœnitentiæ, vigiliarum, inediæ, peregrinationis, aliarumque afflictationum corporis labores ſunt detrectandi, mane cogitationes omnes conferendæ: quomodo has merces aſſequar? interdiu hoc vnum omni conatu pertractandum. Veſperi huius negotiationis ratio ineunda, nullibi ocioſe ſubſiſtendum, vbi ſeſe harum comparandarum mercium non offert commoditas.

Mercatorem cenſeres ſtolidum, qui in Indiam proficiſcens ad aurum, gemmas, vel aromata coëmenda, in via per occurrentes inſulas ociaretur: aut in diuerſoriis, vel arridentibus è longa nauigatione nauſeabundis, pratorum amœnitati-

bus

bus tempus falleret, floſculos, & conchulas collegiſſe contentus. Anne tales aliqui? Plurimi, vt ſtultorum in omni genere ac gente copioſus eſt prouentus. His non cœlorum delitiæ, ſed terrarum quiſquiliæ ſunt in pretio ac venales.

Mercatorum prauum genus quadruplex.
Inſtitores terrei.

Horum autem alii, vt à cœleſtibus Mercatoribus diſtinguantur, ſunt Inſtitores terrei: alii Nundinatores aërei: alii Scrutarii aquani: alii Circitores tartarei. Inſtitores terreos voco, qui menſariorum artem factitant, auro, argento, nummis, vno verbo, diuitiis accumulandis intenti: diuites pecunia, pauperes virtutibus, auari, ſordidi, immiſericordes, annonæ flagellatores, egenorum, quos non paſcunt, cum poſſent, ac deberent, homicidæ: Euclioncs putidi, ſericati epulones. Hi terram tantum venalem, non cœlum propoſitum ſibi eſſe exiſtimant: ideò corpore, animo, factis, cogitatis, dictis terræ, cœnoq; immerſis, in telluris imo commorantur: de cœlo, ac cœleſtibus nulla iis cura, nulla cogitatio. Aurum, argentum, gemmas, id eſt, terræ excrementa, quæ vt ſtercora calcanda eſſent, ne ipſi calcarentur, vigilantes etiam ſomniant. Horum Proxenata eſt Plutus, peruigil theſaurorum, in terræ viſceribus abditorum cuſtos infernalis. Chriſtianis cœlum, non terra, venale proponitur.

Nundinatores aërei.

Nundinatores aërei ſunt ambitioſi, honorum, dignitatum, titulorum, ſimiliumque, quæ non niſi vanitatis ventulo aliunde aduehi ſolent emptores. Fumos autem ipſi vendunt, aſſentationum, adulationum, mendaciorum: vt fumos laudum, exiſtimationis, dignitatum emant. Innumeri ſunt in hac claſſe. Quot enim penſationibus, fictis, veriſque obſequiis, largitionibus, promiſſis, ſponſionibus, verborum illecebris, honorem aut dignitatem, qua ſiue digni, ſiue indigni adfectant, ambiunt, captant; ij Magiſtratuum faſces, Doctorum epomides, Prælatorum inſignia, Superiorum cathedras, Epiſcoporum infulas, & ſi quid eſt huiuſmodi ambitioſis optandum, non cœlum, mercari merito dicuntur: vanitatis nundinatores, an venatores aërei. Quorum mediator ad hæc curanda eſt, princeps poteſtatis aëris huius, quem mundum dicimus: nempe ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. *Eph. 2. 2.*

Sequuntur. Scrutarij carnei.
Lib. 6. Epiſt.

Scrutarii, quod eorum olim fuit nomen, qui ſcruta, id eſt vilia, ac friuola veteramenta, puparum delitias, ſcortea quælibet inſtrumenta, quæ ſcrutando inueniuntur, ſolandis apta pueris, vt Sidonius arbitratur, vendebant, emebantque.

Turnebus l. 5. Aduer. c. 13.

Ego in mundi foro ſcrutarios appello aqueos, aut carneos, qui carnis voluptatibus non virorum, ſed puerorum delectariunculis emendis occupantur: guloſos, ebrioſos, laſciuos, luxurioſos, denique voluptati qualicunque carnali deditos: qui pro pretioſis ſanitatis corporeæ, & ſalutis animæ nummis vitia voluptatis momentaneæ ſcruta tam auide, vt ſatiari non poſſe videantur, coëmunt: quibus tamen tandem exitium ſibi creari ignorare non poſſunt. Profectò *ſcruta*, quaſi *ſcorta*, vir doctus dici exiſtimat. Harum mercium pacarius ſequeſter eſt Aſmodæus, adiuncta ſibi carne aſtutiſſima, voluptatis incontreſſæ procreatrice, ac pellice.

Circitores tartarei.

His malitia ſuperant Circitores, vel circulatores tartarei, qui in templis, & de templi rebus, negociationem non in vno loco inſtituunt, beneficia Eccleſiaſtica, canonicatus, ſacerdotia, præbendas, & his ſimilia, tanquam quæſtuarii quidam inſtitores circumferunt, & poſt licitationem factam, plura offerentibus vendunt, quod ipſi paucioribus emerunt: nec beneficium vllum, niſi contractu Simoniaco interueniente, conciliatore Satana in alium transferunt: ſicque ſibi tartarum, dum

cœlum vendere videntur, emunt: vere Inſtitores Tartarei, è templo magis expellendi, quam columbarum venditores, quorum cathedras Chriſtus euertit. Matthæi 21. Per quos S. Hieronymus, eo loci, & S. Ambroſius, Eccleſiæ præſides intelligunt, qui dona Spiritus ſancti pecunia vendunt, quam interpretationem, veteres magno numero ſecuti ſunt. *Ambr. in 19. Luca.*

Quid ſi aliquis non pecunia modo, ſed & precio multo fœdiore hæc diſtraheret?

Cœleſtis mercator. Ab his proſcriptæ memoriæ mercatoribus, vt Chriſtianos diſtinguerem aiebam, cœlum iis venale proponi, ac cœleſtes nomino, ſicut venditor Deus, ac conciliator Chriſtus cœleſtes ſunt.

Fœlices nos, ſi ſortem noſtram agnoſcamus, & Deum nobis propitium ſemper habere conemur, qui tam ſtupenda hominibus benefaciendi voluntate, non vno nomine ſe nobis æternæ felicitatis debitorem conſtituit. Eſt enim non noſtris id exigentibus meritis, ſed eius id incredibili liberalitate, & promiſſionis verbo ſtatuente, nobis bene operantibus debitor regni cœlorum, titulo venditionis, tanquam mercator, quia illud venale iuſtis propoſuit, ceu mercatoribus induſtriis quærentibus margaritas: vt inuenta hac vna pretioſa, dent omnia, & comparent eam. *Deus venditor. Matth. 13. 45.*

Imperator. Debet idem, vt militibus Imperator: vel tanquam ſtipendium pugnantibus: vel, tanquam donatiuum & coronam viuentibus. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Stipendia delinquentiæ mors: Donatiuum autem Dei vita æterna, inquit Tertullianus. *Iacob 1. Lib. de reſurrect. carnis. c. 47.*

Pater. Debet vt filio Pater, velut hæreditatem adoptionis nomine. Eſt enim vita æterna hereditas. Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Si autem filii, & heredes. Rom. no. um 8 *Itaque iam non eſt ſeruus, iuſtus: ſed filius. Quod ſi filius, & heres per Deum.* Ad Galatas 3.

Pollicitator. Debet vt pollicitator iure promiſſionis. Valet enim illa exigendi formula, qua iuſtus Deum conuenire poteſt.

Redde, quod promiſiſti, quia fecimus, quod iuſſiſti. Et hoc tu feciſti, quia tu laborantes iuuiſti. Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Apoſtoli. *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. ad Timotheum, primo.*

Paterfamilias. Debet vt Paterfamilias ex conducto & locato, velut denarium diurnum vindemiatoribus, eius pacto & conuentione auctoratis. Nonne ex denario conueniſti cum illo? Audies. Tolle, quod tuum eſt. *Matth. 20.*

Herus. Debet, vt herus ſeruo fideliter laboranti ac bene merito, ceu mercedem annuam. Vocabit aliquando, & dicet: Euge ſerue bone & fidelis; quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

Matth. 25. 23. 1. Cor. 9. Debet, vt Agonotheta currentibus in ſtadio brauium. *Hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. Sic currite, vt comprehendatis.*

Mandator. Matth. 19. Debet vt mandator mandatario præmium. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Fœnerator. Matth. 19. Debet vt fœnerator ſummam capitalem cum vſuris. *Omnis, qui reliquerit domum vel patrem, vel matrem, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

Depoſitarius. 2. Timoth. 1. Index. Debet, vt depoſitarius depoſitum committenti. *Certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* Debet vt Iudex iuſtitiæ præmium. *Repoſita eſt mihi corona*

rona iuſtitia, quam reddet mihi iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & ijs qui diligunt ad- *2. ad Tim. 4.*
uentum eius.

Denique debet vt ſocius, ſodalibus ſocietate nundinatoria finita, tanquam ſortem principalem. *Socius.*

Se naſcens dedit ſocium.
Conueſcens in edulium.
Se moriens in pretium.
Se regnans dat in præmium.

Hæc eſt vita æterna quam omnibus precor, AMEN.

N O T Æ.

DEVS DEBITOR: HOMO CREditor.

§. MERCATORES.] De mercatura propria & allegorica notamus multa, ad commentationem De cõtractu emptionis. Mercatorem ſymbolicum exhibemus in Artifice *Symbolico*: ſeu locis noſtris communibus. De ſpirituali mercatura lege Vincentium Regium in Elucidatione Euangelii de Matthæi vocatione, titulo, *Spiritualis Mercatura.* Paulus ſe mercaturam agere cogitabat animarum cum Euangelium promulgaret. Hinc lucri nomen, & verbum lucrifacere libenter vſurpat. 1. Corinth. 9. 19. *Me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.* Vtitur lucrifaciendi vocabulo ſumpta metaphora à mercatoribus, quorum omnis induſtria & labor refertur ad lucrum. Apoſtolus vero eos in lucro ponebat, quos fidei præceptis imbutos Christo aggregabat. Vide ibi Benedictum Iuſtinianum.

§. COELVM VENALE.] Ex hoc loquendi modo, quod cœlum ſit venale, colligitur: opera iuſtorum eſſe condigne meritoria regni cœleſtis, ſeu beatitudinis. Nam, ſi non eſſet condignitatis æqualitas inter opera iuſtorum & mercedem, non recte diceretur cœlorum regnum venale.

Quod enim pro nullo aut minimo pretio datur, non tam vendi & emi dicitur, quam donari. Siquidem venditio ſuapte natura æqualitatem pretii poſtulat. Si ergo opera iuſtorum non eſſent digna tanto præmio, non diceretur cœlum iis emi.

§. CONDITIONES MERITI.] Vt homo emat à Deo cœlum, requiruntur quædam ex parte hominis ementis, quædam ex parte Dei vendentis.

Ex parte hominis. 1. Vt viuat tum vita naturali, tum ſupernaturali. 2. Vt ſit amicus & gratus Deo. 3. Vt iuſtum pretium offerat. Pretium ſunt opera, quæ eſſe debent. 1. bona. 2. fieri in Dei obſequium. 3. libera. 4. procedere ex caritate. 5. perſolui in foro peregrinantis Eccleſiæ. Ex parte Dei venditoris requiritur promiſſio. De quibus conditionibus actum ex inſtituto in commentationibus ſcholaſticis, titulo, *meritum*:

§. DEVS DEBITOR.] Eleganter Tertullianus lib. de Patientia. *Adeo ſatis idoneus Patientiæ ſequeſter eſt Deus. Si iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem?*

Liceret Chriſtum ſic introducere petentem eleemoſynam. Da mihi ex eo quod tibi dedi. quid enim attuliſti, quando veniſti? Omnia, quæ creaui, creatus hic inueniſti:

uenisti: nihil huc attulisti: nihil hinc tolles. de meo mihi quare non donas? Tu plenus es, & pauper inanis eſt. Primordia veſtra attendite: ambo nudi nati eſtis: multa hic inuenisti: numquid tecum aliquid attulisti? De meo, quæſo, da, & redde. Habuiſti me largitorem; facite *debitorem*: habeam te fœneratorem. Pauca mihi des, plura reddam: temporalia des, æterna reddam: teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero. Carolus Regius de Oratore Chriſtiano. Lib.8.cap.19.

§. *Opus bonum habet ad regnum cœlorum proportionem.*] In remuneratione regni cœleſtis attenditur iuſtitia Dei, non modo in eo, quod ipſe compleat promiſſum, ſed etiam in eo, quod tantum remuneret, quantum opera ipſa digne merentur.

Quamuis ergo titulus *Debitor*, & ratio ipſa debiti, qua Deus tenetur, oriatur ſolum ex verbo, tanquam ex cauſſa, non autem ex iuſtitia, ratione accepti, vt inter homines ſolet accidere: tamen ratio, ob quam cœlum dicitur venale, non eſt ſola pactio Deo vendere volentis; ſed etiam æqualitas dignitatis operum, quæ pro pretio æquali reputantur. Quamuis talis emptio non ſit in materia iuſtitiæ proprie dictæ particularis, quam agnoſcit Ariſtoteles: ſed ſolum in materia æqualitatis ſecundum dignitatem, ac merita, vt probamus in commentationibus ſcholaſticis, titulo, *Incarnatio.* Legendi ſcholaſtici in 2. Diſtinct.24. 27. 28. 29. Dominicus Sotus Lib.3. De natura & gratia ca.7. Franciſcus Romæus Libro, De libertate & neceſſitate operũ, vbi vult, Deum ſibi *debitorẽ eſſe veritate*. Ioann. Bunderus in compendio concertationũ, Titul. 6. Art.5. vbi etiam docet, ſi Deus nõ ſeruaret id quod promiſit, fore, vt nullam faceret iniuſtitiã aliis, ſed ſibi. Gabr. Vaſq.1. 2. diſp. 214. & 215.

An DEVS ſibi debitor.

In omnibus Dei operibus reperiri iuſtitiam & miſericordiam circa conditam creaturam quæ ſubeſt miſeriæ, ac requirit aliquid velut ſibi debitum ſecundum ordinem iuſtitiæ diuinæ, docet S. Thomas. Prima parte Q. 21. Art.4. Scholaſtici in 4. Diſtinct 46. ibi Scotus Q.4. Durand. Q.3 Paludanus Q.1. Art.3. Concl.3. Anſelmus in Proſologio cap.11. Caſſiodorus in Pſalmum C.

§. *DEBITOR* ex iuſtitia.] Debitum aliud eſt honeſtatis ex gratitudine vel decentia: aliud fidelitatis ex promiſſione: aliud iuſtitiæ, vel ex accepto, vel delicto. *DEVS* dicitur debitor ex debito fidelitatis, mixto iuſti eo modo, quo Chriſtus dicitur ſatisfeciſſe Patri ex iuſtitia. Quod quomodo ſit intelligendum diſputamus in Commentationibus ſcholaſticis, Titulo, *Incarnatio.*

§. *Stipendia peccati mors.*] Hoc integra commentatione illuſtramus in Platone Chriſtiano: ſeu ſymbolis Mortis, L.1. Comment. 33. Mors ſtipendium, obſonium, auctoramentum. Libro Secundo autem ſymbolo 1. oſtendimus, quo pacto Mors ſit *creditor*. Symbolo 2. Quomodo ſit *debitum*.

Præter nominatos lege Ioannem Crombecium Lib. 1. de ſtudio perfectionis cap.38. vbi diſputat: Quanta merces ſingulis iuſtorum operibus reddatur. Et libellum, qui inſcribitur *Alphabetum Chriſti*, Tit. Exercitium virtutis. Vbi de Emptione ac ſpirituali debito ſunt digna ſcitu.

LIBER

LIBER QVINTVS.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM,

EX CONTRACTV DEPOSITI: Fideiuſsionis; Aſſecurationis; Stipulationis; Commodati: Pignoris:

SEV

Ex titulis, & iure DEI

Depoſitoris: Depoſitarii: Fideiuſſoris: Stipulatoris: Aſſecuratoris: Commodatoris: Commodatarij: Oppignoratoris.

COMMENTATIO XXXVII.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM, ex Contractu Depoſiti. Dominica X. poſt Pentecoſt.

In quâ, Deum, vt Depoſitorem, Hominem, vt Depoſitarium exhibemus, & quam multiplex illi ſit commiſſum Depoſitum, ex ſacris profaniſque declaramus.

O Timothee Depoſitum cuſtodi. 1. Tim. 6. 20.

Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum, ſicut ceteri hominum. Lucæ 18. 11.

DEVS DEPOSITOR.
HOMO DEPOSITARIVS.

PECCATVR grauiter à quibuſdam contra Depoſiti fidem, cùm quæ à Deo, tanquam Depoſitore ſunt hominibus concredita, eorumquè fidei commiſſa, illi, ſiue vanitate ducti, vulgare non verentur: ſiue infidelitate corrupti, repoſcenti reddere renuunt: ſiue ignauia victi nullam in eius cuſtodia diligentiam adhibent: ſiue denique cupiditate acti, citra conſenſum Depoſitoris re ſibi commendata, pro libidine abutuntur.

Digitized by Google

De omnibus hiſce capitibus reum agere poſſem Euangelicum hunc Thraſonem, quem Chriſtus in ſcenam ab omnibus vobis ſpectandum inducit, & humili Publicano opponit: Eum ego dum diligentius contemplabar, ſubiiciebar animo concepta hiſtoria: & ſic pingendum rebar: hominem comatum ac benè pexum; veſtitu, quo opulenti ſolent, viſendum: vnico quidem poplite terræ innixum, intermedio tamen ſudariolo, chirotheca vel puluinari, vel ſi mauis, pileo, aut libro: vultu, qui pone nutus Domini opetitur: modo dextrorſum, ſiniſtrorſumque ſociis in auriculam aliquid inſuſurrantem: nunc ſubmiſſa voce muſſitantem aliquid: tum alta virtutes ſuas deprædicantem: mox aliena criminantem: Corde interim multas in partes diſtracto, & partim ad familiam, partim ad agros, partim ad arcam pecuniariam, partim ad horreum, cellamve, partim ad triclinium & culinam tranſmiſſo: tum barbam ſuauiter mulcentem, myſtacibus hinc inde leuiter diductis vel attenuatis: deinde oculis in omnes templi partes coniectis, nullo, nullaque, ne quidem auicula ingredi ſinentem, quam non prius notarit, & nutu, nictuque ſalutarit: præterea cogitationibus ad illicita liberrimè vagantem: ore ſolummodo ac labiis: non animo, in quo improba coquuntur, Deum honorantem. Profecto hoc non eſt orare, ſed porcos per templum paſcere. An non hic poſt tam magnificam, quæ ſecuta eſt virtutum ſuarum deprædicationem, bona ſibi à Deo concredita, & ignauè cuſtodiſſe, & vanè euulgaſſe, & infideliter ad ſui æſtimationem prodegiſſe & cupide abuſus eſſe conuincitur?

Qvod faciunt etiamnum quam plurimi, ob quorum arrogantiam ac infidelitatem Deus meritò ad iracundiam prouocatus graues de iniuſtis iſtiuſmodi depoſitariis pœnas exiget. Verùm; vt totum hoc obligationis genus, quo Deo titulo Depoſiti, aut Depoſitarii obſtricti ſunt mortales intelligatur: de Depoſiti iure ac rationibus, itemque de depoſitarii legibus accuratius eſt diſputandum.

Depoſitum vnde? Leg. 1. ff. Depoſiti. Definitio.

Depositvm, inquit Vlpianus, dictum eſt ex eo, quod ponitur: præpoſitione, *de*, augente ſignificationem, vt oſtendatur totum fidei eius commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet. Definitur, Depoſitum eſt id, quod alteri commendatur ad cuſtodiendum: idemque eſt, quod creditum alicui. Deponitur autem, vel, quod pignoris loco dimittitur, vel quod ſequeſtro à pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum, reddendumque, cum fuerit de iure diſcuſſum, traditur. *Deponens. Depoſitor. Depoſitarius.* Deponens vel depoſitor vocatur is, qui deponit. Depoſitarius, cuſtos depoſiti: vel ſuſceptor depoſitarum rerum: Συνθηκοφύλαξ.

Cvm itaque Deus magna quædam, & precioſa apud hominem depoſuerit, meritò, ille depoſitor; Homo autem depoſitarius vocari poteſt. Ac idcirco, quæ inter depoſitarium, & depoſitorem, eadem, & longe arctior Deum inter ac hominem intercedit obligatio. Quam in memoriam reuocat, tanquam rem magni momenti, ac conſideratione pleniſſimam Paulus Apoſtolus, extremis penè verbis prioris Epiſtolæ ad Timotheum, dum ſibi carum caput ita affatur.

O Timothee Depoſitum cuſtodi, vbi ſingula emphaſin habent: exclamatio: nominis proprii vſurpatio: litterarum vmbilicus: quaſi dicat: Multa hactenus præcepta tibi tradidi: commendaui imprimis fidei ac conſcientiæ puritatem, hæreſis fugam, bonorum operum exercitationem. Hortatus ſum ad obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. Docui, quid viris, quid mulieribus ad vitæ, morumque honeſtatem ſit proponendum: declaraui qualem te eſſe oporteat, irreprehenſibilem, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, docto-

rem;

Digitized by Google

tem: non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum: depinxi ſectariorum hypocriſim, ne fidei, morumque ſinceritatem prauis dogmatibus deprauari ſineres: monui, vt poſthabitis fabularum deliramentis non ſolum ad pietatem te ipſe exerceas, ſed & Chriſtianis omnibus, qui te norunt, virtutum exemplo prælucceas: ſuggeſſi, quo pacto erga vtrumque ſexum, & ætatem omnem te gerere debeas: definiui peccantes coram omnibus arguendos: nemini ſine examinatione præuia, ac meritorum diſcuſſione manus imponendas: ſeruis dominorum reuerentiam, dominis beneficentiæ commendationem proponendam: adiunxi ſectandam eſſe iuſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem, certandum bonum certamen fidei, apprehendendam vitam æternam.

Omnia dixiſſe videri poſſem, ſed vnum ad extremum reſeruaui in ora Epiſtolæ collocandum, tanquam præcedentium, ſiue medullam, ſiue ſignaculum: vnum porro eſt neceſſarium: vna omnium monitionum eſt anima; vnum obligationum ceterarum eſt vinculum, quod nectit reliquas & colligit, haud ſequus quam nouum, vetuſque à Chriſto in fine præſcriptum mandatum. Vnum tibi maximopere commendatum velim, *O Timothee, depoſitum cuſtodi.*

IDEM per vos liceat mihi vſurpare, precor: & poſt tot de vitiorum fuga, virtutum ſtudio, Dei cultu, proximorum amore, ſuperiorum obſeruantia, perfectionis deſiderio, religionis firmitate, ſuppliciorum acerbitate, peccatorum fœditate; poſt tot contractuum, & obligationum commentationes, vnicuique ingerere: ô Timothee! ô adoleſcens, depoſitum cuſtodi. Quodnam illud? dices: non vnum equidem, vt reor. Inſiſtamus maiorum veſtigiis.

QVORVM nonnulli, nomine depoſiti ſignificari volunt traditam à Paulo, & Timotheo commendatam fidei ſacræ doctrinam, quæ non ſequus ac depoſitum ab omni errorum labe pura ac intaminata cuſtodienda ſit. Metuebat ſolicitus *NOTÆ.*
de ſuorum ſalute Pater, ne hæreticorum calliditate, quorum, vt cancer ſermo ſerpit, vas fidei ſincerum, falſitate aliqua ſub veri ſpecie latente incruſtaretur, ſicque ab eo, quod tradiderat, falſorum Prophetarum aſtu, circumuentus populus deſciſceret: Ideò hortabatur, vt contra vaferrimorum ſectariorum aſtutiam, ſpreto nouarum rerum ſtudio, munitus Epiſcopus depoſitum ſanæ doctrinæ cuſtodiret.

Hanc ſuam ſolicitudinem Corinthiis aperuit data ad ipſos Epiſtola: in quâ; *2. Corinth.* 11.
Timeo, inquit, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit, ita corrumpantur ſenſus veſtri, 3.
& excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. Ita depoſiti nomen ſe accipere Apoſtolus indicat poſteriore ad eundem Timotheum Epiſtola: vbi, Formam, in- *2. ad Timoth.*
quit, habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide, & dilectione Ieſu Chri- 1. 4.
ſti. Bonum depoſitum cuſtodi, per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis. Quod enim formam dixerat ſanorum verborum, *ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων*: hoc eſt: exemplar ſalubrium ſermonum, deinde vocat, *παρακαταθήκην καλὴν*, *Depoſitum bonum*: intelligens doctrinam fidei caritate animatam: quod monet cuſtodiendum: id eſt, Chryſoſtomo, ac Ambroſio interpretibus, conſeruandam. Atque in eadem Epiſtola capite ſecundo ita ſcribit: Quæ à me audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere: hoc eſt: quod tibi commendaui depoſitum, aliis quoque idoneis trade, ac cum iis communica.

Digitized by Google

Tom. 2. Interprete Billio.

Eadem phraſi S. Gregorius Nazianzenus Oratione tertia ad Gregorium Nyſſenum appellat depoſitum, fidem Catholicam, beatæ ac principalis Trinitatis, in quam credimus, quam colimus & coram Deo atque hominibus confitemur: nihil timentes, neminem verentes, præclarum, inquit, illud ſanctorum Patrum, qui Chriſto naſcentique fidei propinquiores extiterunt, *Depoſitum*, confeſſionem illam nobis collactaneam, quam primam prolocuti ſumus, & cum qua vtinam poſtremo ex hac vita migremus, ſi nihil aliud hinc certe nobiſcum pietatem efferentes.

In fidei aſſertu nihil mutandum.

Qvod ſi doctrina Euangelica, ſeu fides eſt depoſitum, tenemur ea diligentia ac ſolicitudine cuſtodire illam, qua rem noſtræ curæ commiſſam conſeruamus: nihil de illa imminuentes, nihil addentes; quod eius ſimplicitatem, ſinceritatemque corrumpat: nec vllos ad alios vſus, quam ad quos eſt tradita, conuertentes. *Caue ne minuas* clamat Chryſoſtomus: *non enim tua, ſed aliena ſunt, quæ ſeruanda accepiſti; nihil imminuas.* Loquitur S. Pater Græciæ lumen, ac ſi in legibus ciuilibus non minus, quam in cœleſtibus verſatus eſſet.

S. Chryſoſt. Hom. 18. in 1. ad Timoth. cap. 6.

Depoſitum non eſt depoſitarii.

Ex iis enim conſtat depoſitum non eſſe depoſitarii, apud quem collocatur; ſed deponentis: & dominium, vſumque depoſiti penes deponentem manere. Sic enim diſtinguitur depoſitum ab aliis rebus, quæ traditione certis hominibus conſignantur. A mutuo, quia res data mutuo fit accipientis. A commodato, quia ad certum vſum datur, vt è re commodata, is qui accipit, certum commodum, ac vtilitatem capiat. A precario, quia res alteri conceditur ad vtendum ea, donec placuerit danti: A pignore quia etiamſi pignoris vſus non detur: at datur tamen pignus creditori cauſſa idoneæ ac legitimæ cautionis ob debitum. Depoſitum autem tantum ad cuſtodiendum datur: ideoque ad depoſitarium, nec dominium, nec vſus citra conſenſum eius, qui depoſuit transfertur. Docte ergo, & iuridice Chrysostomvs: Non tua, ſed aliena ſunt, quæ ſeruanda accepiſti. Ex quo colligit, nihil eſſe imminuendum.

Qvapropter inſcitiæ eſt extremæ, quæ tamen in Germania, Polonia, Bohemia, Hungaria, Belgio, Gallia, & ſuperiori ſeculo multos, & etiamnum hoc exulceratiſſimo non paucos dementauit: ex iis præſertim, qui in humano & politico iure, quam diuino, cœleſtique melius verſati, omnia temporalibus commodis metiuntur, Machiavelli athei, non Pauli diſcipuli. Hi reipublicæ pacem alienis à ſana doctrina enunciatis ſtabiliendam rati, exiſtimant, ad concordiam in Imperio, & regnis, inter diſſidentes diuerſarum in fidei rebus opinantium factionum Doctores ſanciendam, aliquid hæreticis concedendum eſſe: Catholicis, eum, in omnibus fidei, vt loquuntur decretis, vigorem minimè ſeruandum: diſſimulanda multa, permittenda nonnulla: adprobanda aduerſæ partis aliqua: detrahendum, adiungendum, miſcendum, permutandum, temperandum, donec tandem ex diuerſis, vnum fidei regalis, vel imperialis corpus, in quo belle omnia conueniant, conſtituatur. Sic inter principes diffidentiam, ciuilium bellorum originem: inter populos, diſſentionem mutuam: inter doctos, digladiationes acerbas: inter domeſticos impias cauillationes tolli poſſe: & vniuerſidem in Imperio concordiam nunquam mouendam ſtabiliri.

Vix me contineo, quin exclamem, ò tempora! ò inſcitiam cum ſingulari improbitate,

bitate, in Chriſtianis, vt haberi volunt, pectoribus coniunctam, minime ferendam? ô peruerſa, ac inuiſa ſuperis Pſeudopoliticorum conſiliabula! ô diſſimulationem atheorum abominandam! ô rerum publicarum peſtem humani, diuinique iuris turbatricem! Quid? quid? In fidei doctrinam, quam nos, vt ſacroſanctam, ore Chriſti pronunciatam, ab Euāgeliſtis ſcriptura Canonica conſignatam, ab Apoſtolis diſſeminatam, in Eccleſiæ Romanæ theſauris conſeruatam, à fortiſſimis Martyribus ſanguine purpuratam, à doctiſſimis Patribus puram, ſinceramque traditam accepimus permittere, vt mutetur aliquid? Ex eius dictis praue intellectis, peruerſe detortis, impie deraſis, & ſpurce commaculatis nouam doctrinam à tot annorum centuriis ignoratam condi quis ferat? monſtrum ex humanæ & equinæ formæ partibus efformabimus? ſoli lumen detrahere; impietatem religioni miſcere, mendacium veritati iungere, ſuperis inferos copulare, Chriſtum Lucifero reconciliare tentabimus? Apage? quæ hæc portentoſa inſcitia? Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis, inquiebat voluntatis diuinæ Interpres Deuteronomii 4. Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri huius: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Apocalypſis. 22. *Deut. 4. 2.* *Apoc. 22. 18.*

His non mouentur, qui non niſi iura humana ſapiunt, qui legibus Iuſtinianeis obrui volunt: quibus de Euangelicis Chriſti decretis parua eſt cura. Legibus ergo certemus, ſed ſobrie. O *Timothee depoſitum cuſtodi.* Eſt ergo fidei doctrina *depoſitum*, omnibus quidem Chriſtianis, ſed Epiſcopis potiſſimum traditum. Obligationes autem, quæ ex depoſito oriuntur, ſunt quinque præcipue.

Prima. Cogitur depoſitarius rem depoſitam reſtituere talem, qualem accepit: id eſt, non fractam, non diminutam, non detritam, vel corruptam: denique non factam modo aliquo deteriorem. *Leg. ſed mihi videtur.* §. *Si reddita. Digeſt. Commodati. Leg.* 1. §. *Si res depoſita. Digeſt Depoſiti.* Et tibi, homini plebeio, laico certe, permittatur à ſummi Regis depoſito, detrahere pro beneplacito, quæ videntur; adiungere, quæ corrumpant, miſcere, quæ deterant? egregium ſane Iuriſperitum! *Leges depoſiti.*

Secunda. Qui depoſitum ſuſcipit, cuſtodire, ac ſeruare illud debet ea fide, cura, ac diligentia, qua ſolet proprias res cuſtodire, ac ſeruare. Cap. *Bona fides*, de depoſito: & L. *Quod nerua.* Digeſt. *Depoſiti* & L. *Si vt certo. Digeſt. Commodati.* Nimirum, tu res tuas ad cuiuslibet libidinem adulterandas, inuertendas, corrumpendas, proſtituis? ne in principis quidem gratiam id faceres, & in pretioſiſſimis rebus à Deo tuæ fidei commiſſis, hoc tibi ius adſumis in lanionum, cerdonum, geuſiorum, viliſſimorum capitum, & ardelionum, qui primi rempublicam ſectarum ſuarum inductione turbarunt fauorem? magnum profecto te oportet eſſe Iuriſconſultum!

Tertia. Non poteſt vti depoſitarius re depoſita citra conſenſum expreſſum vel tacitum eius, qui depoſuit: alioqui, ſi vtatur, furti reus habetur. L. Si ſacculum. digeſt. depoſiti. L. Qui furtum. digeſt. De condictione furtiua. & Inſtitut. De obligation. quæ ex delicto naſcuntur. §. Furtum autem fit. *Vſus depoſiti citra conſenſum furtum.* *NOTÆ.*

Quarta. Debet abſque mora reddere depoſitarius repoſcenti. Cap. Bona fides, De depoſito, & leg. 1. §. *Eſt autem.* & §. penultimo *Digeſt. depoſiti.*

Quinta. Debet etiam reſtituere, quicquid damni, dolo, vel culpa ſua res depoſita

Digitized by Google

poſita paſſa fuerit. Et tu Deo ſeueriſſime inhibente, ne verbis ipſius quicquam adulterinum inſeratur: ne veritas falſitate corrumpatur: ne de ſuo depoſito quicquam in alienos vſus diſponatur, libere, hoc in falſorum Prophetarum, iſtud in Dei manifeſte aduerſariorum gratiam diſtribues: & dolo malo, culpaque latiſſima depoſitum ipſum totum vt reſtitui non poſſit perditum iri permittes. O te doctiſſimum conſultorem!

Qvorsvm hæc à me dici exiſtimatis Auditores mei, cum horum vos nondum cura tangat? vt cum ad maturam ætatem perueneritis, non permittatis vobis à lenocinantis meretriculæ hæreſis blandiſſimis illecebris palpum obtrudi. Nihil in re fidei aduerſariis concedendum hæreat fixum in animo. In conuerſatione, conſultationibus, conuentibus, & comitiis, illam verè viri Catholici mentem non diſſimuletis: ſatius eſſe, mundum perire vniuerſum, quam ſacræ fidei apicem in eius detrimentum auferri, vel commutari. Et hodie illam animi conſtantis deliberationem mecum concipiatis velim, quam æternam vobis opto: vrar, ſecer, dilanier, diſtrahar, diminuar in mille mille partes potius, quam, vt me approbante, vel conſentiente in fidei doctrinæ, vel vna ſyllaba, aut littera, imò iota auferatur, vel immutetur. Placuit mihi ſemper generoſitas Baſilii Magni, quem refert
Lib. 4. Hiſt. Eccle. cap. 19. Hiſt. tripar. cap. 36. lib. 7. Theodoretus ſic aliquando reſpondiſſe præfecto, qui iuſſu Valentii Imperatoris ad corrumpendam eius fidem venerat: Qui diuinis enutriti ſunt eloquiis corrumpere de diuinis dogmatibus, nec vnam ſyllabam patiuntur: ſed pro iis, ſi ita oporteat omnes mortis ſpecies complectuntur. Et hæc quidem de prima depoſiti ſignificatione.

Depoſitum populus fidelis. S. Thom. Lect. 4.
Secvndo. Itaque, alii depoſitum interpretantur gregem Timotheo Epiſcopo commiſſum. Quæ eſt expoſitio Thomæ Aquinatis, quem affectatur fidus eius commentator Thomas de Vio Caietanus. Hic de Epiſcoporum ac Prælatorum, vt iam vocamus, in ſuos cura agendum eſſet, ſpiſſum opus, & periculoſæ plenum aleæ, nec huius loci aut temporis. Sed cum memoria teneam, me in hac ipſa exedra probaſſe aliquando, quemlibet è vobis Epiſcopum ſano ſenſu dici poſſe: quilibet etiam gregem ſibi habeat eſt neceſſe, cui ipſe tanquam paſtor bonus præſideat oportet. Hunc depoſitum ſuum autumat.

Grex ille, vt alia omittam, ſunt quinque ſenſus; verè grex ſine paſtore, iudicio, ratione, diſcretione, niſi ab inſpectore ſagaci, ac induſtrio regatur, ac manuducatur. O Timothee depoſitum tuum cuſtodi. Illas oculorum aquilas contine, ne
Pſal. 118. 37. è cauea ſe proripiant. Auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Vt dicere poſſis
Iob. 31. 1. cum Patiente: pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de Virgi-
Eccl. 9. 3. ne. Ne reſpicias mulierem multiuolam, ne forte incidas in laqueos illius. Virgi-
Eccl. 9. 5. nem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem à muliere compta;
Eccl. 9. 7. & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Aurium, oris, narium, manuum armenta
Eccl. 9. 8. concludе, ne nimium euagentur. Portas illis claude, ne contra imperium erumpant; maxime, oculi, linguæ, manus, ſalaces hœdi. Linguam præſertim contine.
Pſal. 140. 3. Difficile eſt, fateor: ſed precare Deum: pone Domine cuſtodiam ori meo, & o-
Prouer. 17. 4. ſtium circumſtantiæ labiis meis. Malus obedit linguæ iniquæ, aſcendit Mors per
Ier. 9. 21. feneſtras. Manibus vincula inijce.

Hæc ſi vbique diligenter curanda ſunt, tum in templo maximè adhibenda eſt eo fine induſtria, ne ex domo Patris æterni facias haram ac ſpeluncam latronum, ſenſuum

ſenſuum gregibus male cuſtoditis, & per Eccleſiam Dei, porcellorum inſtar, vagantibus & grunnientibus: in quo merito accuſandus Phariſæus, quem ſuperius deſcripſimus. Iam alias Depoſiti ſignificationes excutiamus.

TERTIO igitur depoſiti nomine intelligi poteſt Gratia per ordinationem ſa- *Depoſitum, gratia ordinationis.*
cramentalem accepta, de qua iam antea monuerat Timotheum: Noli negligere
gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum *1. Timoth. 4.*
presbyterii; hoc eſt: Noli negligere gratiam illam, quæ tibi eſt data, quando à me *14.*
Epiſcopus es ordinatus iuxta reuelationem de te mihi factam. Eſt enim credi-
bile admodum Paulo reuelatum fuiſſe à Deo, ac mandatum, vt Timotheum *2. ad Timoth.*
initiaret. Eodem ſpectant illa Epiſtolæ poſterioris: Admoneo te, vt reſuſcites gra- *1.*
tiam, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum. Illa autem gratia & eſt iu-
ſtificationis forma, & facultas ad munia ſacra rite obeunda: denique, ſapientia
ad alios inſtruendos. Illam ergo gratiam monet cuſtodiendam, & conſeruandam
eſſe: non quidem, vt ocioſa maneat: nam ſapientia abſcondita & theſaurus inui- *Eccleſiaſt. 3.*
ſus, quæ vtilitas eſt vtriſque; ſed, vt eam diffluere, ac deperire non ſinat: vtatur tamen, Domino ſic ſtatuente. Quod non eſſe contra naturam depoſiti multi ex Legumperitis ſtatuunt, poteſt enim quis deponere gemmas, annulos, ſupellectilem, poteſtate facta, vt iis depoſitarius vtatur. Imò, ſi quis pecuniam, frumentum, oleum, ſimiliaque, quæ in pondere, numero, vel menſura conſiſtunt alicui committeret cum facultate vtendi depoſiti manetet ratio, quamuis aliquid ex mutuo miſceretur.

QVID ſi autem per depoſitum intelligamus ſecretum aliquod, quod mini- *Depoſitum ſecretum.*
me propalari Paulus volebat? ſunt enim quædam non omnibus aperienda: ſed Chriſti Domini ſequendum exemplum, qui aliqua toti populo: pleraque omnibus diſcipulis: nonnulla Apoſtolis tantum: alia tribus ſolum ſibi maxime familiaribus: paucula vni Petro committebat: quam plurima nemini manifeſtabat. Imò, ſecreti à patre ſibi traditi, tam fuit tenax, vt ſine vlla quidem mendacii ſuſpicione, non tamen ſine aliqua, per reſtitutionem, & reſurrectionem mentalem æquiuocationis ſpecie, potius dixerit, ſe neſcire, quod ignorare non poterat: quam vt occulta conſilia panderet: quia ad manifeſtandum aliis non ſciebat.

O Timothee depoſitum cuſtodi: Aperuit tibi aliquid amicus, quod vel corpus, *Secreti fides*
vel animam, vel fortunas concernit: ſerua illi ſecreti fidem: noli ſtatim cuilibet *ſeruanda.*
obuio effundere. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcanum: qui autē fidelis eſt, celat amici* *Prouerb. 11,*
commiſſum: id eſt, depoſitum, inquit Sapiens. In qua re grauiter ſæpè delinquunt garruli adoleſcentes, & in matura ætate viri (nam de mulieribus rimarum plenis eſt vulgi diuerbium) teſtes, rei, criminoſi ſodales, alii quam plurimi, cum tamen magna eſſe debeat ſecreti religio. De re tota ita Theologi ſtatuunt.

SECRETI varium eſt genus. Quoddam abſque vlla promiſſione obligatio- *Secretorum*
nem adiunctam habet occultandi. Quale eſt omne occultum, cuius detectio no- *genera.*
ceret animæ, corpori, famæ, honori, vel fortunis alterius. Aliud celare oportet, eo quod expreſſe aut tacitè facta ſit pollicitatio de taciturnitate. Tacite facere cenſeris cum id colligitur ex modo dicendi, ac audiendi ſecreto, quamuis promiſſio non exprimatur. Sunt ſecreta non pauca, quæ proferre non licet in publicum ex lege diuina poſitiua à Chriſto Domino præſcripta: vt ſunt illa, quæ confeſſione ſacramentali velantur: & ſub ſigillo iſto, quod eſt omnium maximum, proferuntur. Sed errant in hac re quam plurimi, qui dum vel ſponte quidpiam alteri reuelant,

Digitized by Google

reuelant, vel impelluntur ab aliquo, ſiue ille ſit ſacerdos, ſiue alius quilibet, inſuſurrare ſolent: dicam tibi, ſed ſub ſecreto, vel ſigillo confeſſionis: illumque cui id dicunt obligari exiſtimant, ſecreto ſacramentali. Puerilis perſuaſio. Sigillum, ſecretumue ſacramentale ac confeſſionis non oritur, niſi ex ſola confeſſione ſacramentali: quare, extra illam accipiens alterius ſecretum, non contrahit obligationem maiorem, quam ex aliis arcanis extra confeſſionem ſibi creditis.

PORRO, cum depoſita inter quæ ſecretum numeramus iure naturali cuſtodiri debeant, & quod arcanum eſſe debet, celari: quoniam illius detectio fit cum detrimento proximi, quod eſt contra caritatem, etiamſi nulla præceſſerit occultandi promiſſio, & quia, ſi quis promiſit, ſe non reuelaturum, ſi reueler facit contra fidem datam, quam iure naturali obligatur ſeruare; efficitur hinc, ſecreti detectionem ex obiecto, ac genere ſuo eſſe peccatum lethale, quoniam eſt contra caritatem proximi; poteſt tamen materiæ leuitate, vel imperfectione actus fieri veniale.

ITAQVE, ſi quis tibi fidens, vel conſilii captandi cauſſa, vel conſolationis hauriendæ gratia in auribus tuis, arcanum ſuum deponat, ô Timothee, depoſitum cuſtodi, noli, violaris naturæ legibus, fidem datam fallere. Noli eſſe Dalila; ſed nec Dalilæ committe ſecretum, ſi ſapis. Depoſitum alienum non cuſtodit, quæ ſuum prodigit. Talis eſt meretrix, quæ inueſtigare poteſt omnia & prodere. Nota fuit Romanis Præcia, ſcortum nobile, quæ, quicquid in ſenatu, totaque republica, quamuis occultiſſimum ageretur, reſciſcebat: ipſumque pene imperium nutu gubernabat, ſecretorum callida inueſtigatione, & eorundem vafra delatione. Idem expertus eſt Cicero in Fuluia. Idem alii in vxoribus, quamuis pudicitia claris, vt ſemper periculum ſit his ſecreti Depoſitum credere. Agnouit hoc Antiphon dicere ſolitus: Vnum hoc mulieri credo fore, vt cum mortua fuerit, non reuiuiſcat: in aliis omnibus, quam diu viuit, nihil ei credo. Vnius recordor, quæ hactenus parem non habuit ab arcani fide ſeruata commendatiſſimæ. Attica meretrix, inquit Tertullianus, carnifice iam fatigato, poſtremo linguam ſuam comeſtam in faciem tyranni ſæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri poſſet, ſi etiam victa voluiſſet.

Plutarch. in Lucullo.

Sal. in Cat.

Tertull. Apog. cap. vlt.

Hoc à te non requiro, quamuis exclamem; ô Timothee depoſitum cuſtodi! quod fieri poteſt lingua incolumi. Non prætermiſerim tamen, licere in male promiſſis fidem reſcindere, & ſecretum retegere. Imo, euenire poteſt, vt quis ad id reneatur, quamuis promiſſio ac iuramentum non manifeſtandi interfuiſſet. Obligationem hanc tunc agnoſcunt Theologi, quando ſecretum eſt in graue damnum reipublicæ, vel innocentis, aut cum id religio poſtulat. Sed hæc enuclearius declarare alterius eſt cathedræ.

S. Thom. 22. quæſt. 70. art. 1. ad 2. Nauarr. cap. 18. num. 54.

CETERVM, illud ad huius depoſiti ſpeciem eſt reuocandum, quod à te ſecrete factum propalare aliis non expedit, ne amiciſſimo quidem. Feciſti aliquod opus pium remotis arbitris: ieiunaſti fortaſſe ſæpius quam alii; dediſti eleemoſynam: caſtigaſti ſemel cum Paulo corpus tuum; baiulaſti cum Simone crucem Chriſti; facta per te ſunt aliqua, quæ admirationem gignunt, & miraculi fortaſſe habere vulgo poſſent ſpeciem aliquam. O Timothee, depoſitum cuſtodi; ſecretum tuum tibi, ſecretum tuum tibi. Quid opus, rogo te, gallicinium inſtituere, tuba canere? ad quid illa Phariſaica apud alios iactantia? Ieiuno bis in Sabbatho: decimas do omnium, quæ poſſideo: non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri. Sed ſunt aliqui, quibus iactabunda quædam garrulitas innata videtur, gallinis ſimiles,

Digitized by Google

miles, quibus vix ouum in fimeto excidit, & totam implent viciniam cacaratione, ne quem lateat dominam peperiſſe.

IAM vere diſplicere nemini debet, ſi depoſiti voce cor intelligamus: De quo tanquam depoſito ita præcipit Sapiens: Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. *Omni cuſtodia hoc depoſitum ſerua*: externa & interna: remota & proxima ponas illi murum & antemurale. Pretioſum ſane, ac multiplex depoſitum eſt cor. Quid non eo continetur? intellectus, voluntas, memoria, operationes variæ, ipſa denique anima. Nam hæc & plura alia cor in diuinis paginis ſignificat. Præcipue tamen voluntatem: in qua, quemadmodum in corde duos ſinus ſeu ventriculos ponit Hippocrates, in quibus ſpiritus vitales elaborantur, ſint duo ſinus bonorum omnium, caritas Dei, & caritas proximi: vel ſi mauis tres ponere cum primo: in voluntate habeas fidem, ſpem, caritatem, quæ vitæ ſpiritualis ſunt ſcaturigines.

V. Cor depoſitum. Prouerb. 4. 23.

Hip. lib. II. cap. 37.

O Timothee depoſitum cordis cuſtodi. Omni cuſtodia ſerua cor tuum: id eſt, vt exponit Epiſcopus Gandauenſis, ſumma & maxima cuſtodia: quemadmodum Eccleſiaſtici 25. dicitur, omnis plaga triſtitia cordis, id eſt, plagarum omnium maxima. Quicquid ſepimenti adhibere potes, hic vtaris, vt depoſitum hoc inuiolatum maneat: vt ſenſus ſit, quem Caietanus profert: nullum prætermittas cuſtodiæ genus, quod ad cordis depoſitum ſeruandum non vſurpes: Rodolphus interpres Prouerbiorum non contemnendus, legit: præ omni cuſtodia ſerua cor tuum: hoc eſt, vt ipſemet interpretatur, longe accuratius, quam aſſeruentur ea, quæ tutiſſime, & occultiſſime reponi ſolent: nimirum, quam magni precii depoſita. D. Bernardus ingenioſe per omnem cuſtodiam intelligit noctis excubias, ſeu vigilias, iuxta illud, *A cuſtodia matutina vſque ad noctem*: vt præcipiat Sapiens, per omnes excubias, ſeu noctis vigilias eſſe cordis depoſito ſeruando inuigilandum. Hoc ad omnes ſpectat.

Eccl. 25. 17.

Pſalm. 129. 6.

ILLVD vero adoleſcentibus peculiariter eſt accommodatum, vt depoſitum accipiatur, pro illibato virginitatis flore. Aureum depoſitum: quod cordi fuiſſe Paulo[illegible]is commendare, ex tot encomiis ab illo diuerſis in locis elegantiſſime expreſſis intelligimus. Huius ſane mentionem in eadem ad Timotheum Epiſtola fecerat his verbis: Teipſum caſtum cuſtodi. O Timothee depoſitum tuum cuſtodi, purum putum aurum. Floride Aldhelmus, cuius liber de laudibus virginitatis eſt Tom. 8. Bibliothecæ SS. Patrum]: Cum tres ſint ſtatus in Eccleſia, virginitas, cœlibatus, & coniugium, ex reuelatione Angelica didicimus, ſi meritorum ratio habenda ſit, eum inter has virtutes conſtituendum eſſe ordinem, vt ſit virginitas, aurum: cœlibatus, argentum: coniugium, æramentum: virginitas, diuitiæ: cœlibatus, mediocritas: coniugium, paupertas: virginitas, pax: cœlibatus, redemptio: coniugium, captiuitas: virginitas, ſol: cœlibatus, lucerna: coniugium, tenebræ: virginitas, Regina: cœlibatus, Dominus: iugalitas, ancilla. Hoc depoſitum Deus, & Agnus virginitatis amator nonniſi ſanctiſſimis Diuinitatis templis commendat.

Depoſitum virginitas.

TEMPLA ſunt Diuinitatis, in quibus hoc depoſitum collocatur. Ita moris fuit vbique gentium. Templis committebantur depoſita. Certe apud Hebræos aurum, argentumue, tam factum, quam infectum, in templo, nempe, loco tutiſſimo deponebantur. Secundo Machabæorum tertio, cum Heliodorus veniſſet Ieroſolymam narraſſetque indicium Regi factum de pecuniis innumerabilibus, quibus plenum eſſet ærarium, ſummus ſacerdos oſtendit depoſita eſſe hæc; atque

a Lib. 5. Epiſt. 20. Lib. 5. ad Attic. Epiſt. vlt.
b Herodia l. 1.
c Diodor. l. 48.
d Lib. 1. Annal.
e In Iulio.
f. In M. Antonio.
g Lib. 3. De Tabulis.
h In Xenopho.
i In Bacchido.

ideo, vt putabat, ſacroſancta. Idem apud Chriſtianos vſurparum reperio. Teſtimonium eſt clariſſimum. Cap. Grauis. Extra. De depoſito. Quod confirmatur ex Ambroſio Lib. 2. Officior. cap. 29. & Commentario in Pſalm. 40. Audiuimus etiam pueri, auorum æuo, cum bellici tumultus ingruerent, intuliſſe in templa maiores, quicquid potuerunt: nunc tamen, nihilo ibi tutiores, quam in agris ſumus, ex noui Euangelii præſcripto. Profanæ quoque antiquitatis gnari non ignorant, non pecunias modo, ſed pactiones etiam, fœdera, & teſtamenta in fanis fuiſſe depoſita, auctores *a* Cicero, *b* Herodianus *c* Diodorus, *d* Tacitus, *e* Suetonius, *f* Plutarchus, *g* Vlpianus, *h* Laërtius, *i* Plautus.

Tertull. L. De culto fœm. c. 1.
1. Cor. 6. 19.

Templvm autem Spiritusſancti, ideoque Dei, eſt caſtus adoleſcens: in quo ara, eſt cor: ſacerdos, intellectus: holocauſtum, voluntas: chorus, memoria: mens odæum, & ærarium, in quo Deus virginitatis depoſitum ſeruandum collocat, & additis minis commendat. Aedituam, atque Antiſtitam huius templi Tertullianus pudicitiam eſſe aſſerit. Cum, omnes, inquit, templum ſimus Dei illato in nos, & conſecrato Spiritu Sancto, huius templi æditua & antiſtes eſt pudicitia, quæ nihil immundum, nec profanum inferri ſinat, ne Deus ille, qui inhabitat inquinatam ſedem offenſus derelinquat. An, neſcitis, inquit, Paulus, quoniam membra veſtra templa ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? In hoc templo depoſitum habes ſuaueolentem florem. O Timothee depoſitum cuſtodi.

Lib. 2. Machab. cap. 3. 12.

Depositvm in Dei templo apud omnes nationes, ob loci venerationem, & ſanctitatem habebatur inuiolabile: imo, vt habet hiſtoria Machabæorum, decipi eos, qui credebant loco, & templo, quod per vniuerſum mundum honorabatur, pro ſui veneratione & ſanctitate omnino impoſſibile eſſe exiſtimabant. Talis depoſiti commentarores iniuria aliqua afficere nefas erat: idque impune à Deo non tolerabatur: & qui Dei zelum habebant, opponebant ſe acriter violatoribus.

Violatores depoſitorum puniti.

Mvlti graues triſteſque caſus adferri poſſunt in hoc genere. Plurima ſunt in hiſtoriis diuerſorum regnorum exempla Principum, quos ablata è templis d[illegible]ſita, Dei iudicio egêre præcipites. Omittantur à relegione Chriſtiana alieni [illegible] M. Craſſus, C. Pompeius, Antiochus, Heliodorus, Nabuchodonoſor. Non pauca Hiſpanorum annales ſuppeditant, in iis Viraca Regina Alphonſi 6. filia in limine templi, quod expilarat, depoſitorum theſauro ablato, occiſa eſt, ruptis viſceribus. Carolus Martellus regis Francorum Magiſter, Aſtiulphus Longobardorum Rex, Fridericus Imperator, & alii non pauci exitus ærumnoſos ſunt conſecuti ob depoſita theſauroſque templorum occupatos. Petro Aragoniæ Regi eo nomine 4. Teclam virginem alapam infregiſſe ſcribunt Hiſpani poſtridie morte conſecuta: ſic vindicata fuere iura Tarraconenſis Eccleſiæ, quæ ille violarat.

Nimirvm, quæ in templis locantur, Deum agnoſcunt depoſitorem, ac vindicem. Caue igitur, mi Adoleſcens, ſi rationibus tuis conſultum velis, ne depoſiti in te, vt Diuinitatis templo abſconditi corruptor habearis: noli illud attrectare, noli diminuere; noli deterere: haud impune cedet, ſi vel vncia depoſitorem fraudaueris. O Timothee depoſitum cuſtodi. Non permittas quemquam ærario appropinquare, vt depoſitum inde eripiat. Sit amicus, ſodalis, herus, princeps, denique rex: in faciem reſiſte: Regis æterni depoſitum te non proditurum pernega: inuito eripi non poterit. Si inſtent, vrgeant, vim adhibeant, tu contra audentior ito: vim vi

Lccc

Digitized by Google

licet repellere. Si ferrum ſtringant, apponant pugionem pectori, ſi iugulum acinace perant, licet contra pugnare & cum moderamine inculpatæ tutelæ, vitam prædoni caſtiraris ruæ eripere.

Vtinam ſeculum noſtrum plures proferret puros, ac caſtitate Virginali florentes Pelagios, vel vnum ſaltem, pauciores inuenirentur iuuentutis corruptores, & fortaſſe nullus precioſiſſimi Depoſiti peculator. Illius certamen, quoniam dignum eſt memoratu, & ad rem noſtram accommodatiſſimum, narrabo breuiter ex auctore fido, & eiuſdem gentis. Nam quæ Rhoswida virgo Saxonica carmine Heroico de eodem panxit, ob regionum interuallum non eſt tantæ fidei; vos innocentes animæ diligenter attendite, & mentibus veſtris imprimite, ſodalibuſque, quod accipitis narrate, atque ad tuendum precioſiſſimum depoſitum accendite. *Ioan. Mariana. Libr. 7. Hiſtor. cap. 10.*

Anno æui Chriſtiani nongenteſimo vigeſimo primo Cordubæ Rex Maurus ex Africa Chriſtianorum finibus vaſtatis, in Vaſcones, & Cantabros, Hiſpaniæ populi ſunt, penetrauit. Vaſconum & Regis Legionenſium copiis cum Mauris dimicatum eſt ad vallem Iuncariam: & pugnatum eſt ardore animorum ſingulari virtute non impari, dubia victoria: ſuperiores in aliquibus Mauri. hoc certe, quod capti in prælio Epiſcopi ſint, Dulcidius Salmanticenſis: Tudenſis Hermogius. Sed pacto pretio redempta eſt iis libertas. Dum aurum appenditur, obſides dati ſunt pro Hermogio, ſororis filius Pelagivs, adoleſcens, aut potius puer, quartum enim & decimum annum nondum exceſſerat. Hic venuſtate eximia, barbari Regis animum alioquin in libidinem procliuem vehementer inflammauit. augebatur aſpectu quotidiano impii, ac nefarii amoris flamma. Pelagius & ſuapte natura ad virtutem inclinatus, & in plena ſapientiæ ac ſanctitatis domo educatus, cum de turpitudine identidem appellaretur, repugnauit primum: deinde, cum precibus vinci non poſſet, & vis adhiberetur, attendite pueri & adoleſcentes, ac diſcite pugnare pro caſtitate, procaci Regi manus intendit, furentique æſtus impatientia, pugnos in faciem infregit. Animi conſtantia, & pudicitiæ cultus tunc quidem corpori exitium attulit: nam ferreis forcipibus laniatus, membratimque diſſectus Regis impii ac immanis iuſſu in Boetim fluuium iactatus eſt: Sed animæ æternam peperit, cum poſteritatis omnis honorifica deprædicatione, gloriam. Nam defuncto honores tanquam Martyri habiti, cultuſque decretus eſt: eo maiori dignus gloria quod quattuordecim non amplius annos natus erat, minus menſibus ſex, cum id virtutis & conſtantiæ ſpecimen edidit.

Magnanime Pelagi puerorum gemmula, decus adoleſcentum, dignum quod vbique commemoretur exhibuiſti Chriſtianæ fortitudinis ſpectaculum. Quam illud admirandum: videre adoleſcentulum vix pueritiæ terminos egreſſum, imberbem ac imbellem, armis corporis, ſed pudicitia ac caſtitate catafractum: caput ornatum fortitudinis galea, pectus firmatum conſtantiæ cingulo: manus armatum gladio ſpiritus, ſtantem ante trucem, barbarum, immanem, ſpirantem minas, ſaxa ſpuentem, & ignes, ni conſentiat, minitantem cataſtam, apponentem pectori recuſantis acinacem, ſed audere ſe tamen defendere, non lacrymis, vt pueri, non vlulatu, vt fœminæ, non clamoribus, vt timidi, non fuga, vt imbelles: ſed pugnis & repetitis ictibus, vt Heroës: inuolare in os Regis armati, arripere barbam, tenere mentum: ita ego concipio, & videre videor ac audire. Tune impie, ſcelerate, impure ſuffurare mihi, quod dare non potes? quod ſemel deperditum, eſt

irrecuperabile? Tu in depoſitum inuoles ſupremi Principis? tu bona diripias Imperatoris? tu ſponſam Chriſti audeas temerare? armis me defendere non poſſum. quod poſſum, facio: ne conſentire videar, verbero: pœnas dabis ſcelerate, quas imbellis repetere valeo: vapula ſcelerum caput: tum os pugnis tundere, crines vellere, calces iacere, ſic poſcente moderamine inculpatæ tutelæ ad caſtitatem illibatam tuendam.

Vive Pelagi, & flore vt in beatiſſimis illis agri cœleſtis pratis, ſic & in animis caſtæ iuuentutis, ad virtutis exemplum. Mirata eſt antiquitas Ioſephum, caſtitatis in Hebræa gente decus, quod pallium relinqueret in manu blandientis adulteræ, & fuga ſe è flammis eriperet. Maius quid auſus fuit Pelagius, Chriſti athleta, caſtitatis martyr: corporis ſpolium, vt vile pallium tyranno dimiſit: & non pedibus fortior videri voluit, quam manibus: pugnis cecidit, quem calcibus auertere non potuit.

Vive Pelagi, nouum adoleſcentiæ pudicæ ſidus. Vidit olim vallis therebinthiæ, pumilionem amari contra gigantem, murem inſurgere in elephantum, culicem procedere contra hominem armatum: Dauidem in Goliath, montem ſaxeum: riſit audaciam, putauitque temeritatem, quæ erat virtus diuinæ dexteræ. Sed armatus ſatis proceſſit Dauid, qui funda, & quinque ſaxulis, petream illam vaſtitatem incircumciſi deiecturus erat. Quid diceret, ſi videret puſionem inermem ſine funda ac lapide, ſine omni inſtrumentorum apparatu impetum facere, in ſæuiſſimum Regem omni armorum genere inſtructiſſimum, & manibus petere, quem enſe non poterat, vt depoſitum ſeruare illæſum.

Vive bellicoſiſſime puerorum Pelagi. Non tulit quondam Philiſtinorum acies vnius adſpectum Sampſonis: & mirata eſt vnum audere aduerſus mille. Sed non erat inermis Sampſon, quem maxilla aſini & mandibula pulli aſinarum armauerat, quibus deleuit mille viros, vt totidem muſcas. Fortior ſane Pelagius, quem non maxilla aſini, ſed pugnus pueri, quo, quid minus metuendum? animauit in Palatinorum integros exercitus, quorum Ducem ipſe ſolus aggreſſus, exungulauit, ceu leonem: edentauit, vt aptum: elinguauit, vt ſerpentem. Mirari deſinat poſteritas Dauides, Sampſones, Hercules, cum monſtrorum omnium in vno vnicum debellatorem habebat Pelagium.

Exemplum audiſtis in maſcula gente, audite in altero ſexu. Narrat Thomas Cantipratenſis, Cameracenſis Proepiſcopus, veniſſe ad ſe, cum Bruxellis ageret ſpecioſiſſimam virginem, & multis lachrymis eius miſericordiam implorâſſe. Miratus ille, quid rei eſſet, hortabatur, vt diceret, cuius rei gratia vſque adeo lacrymaretur: Virgo voce ſuſpiriis interrupta: miſellam me, inquiebat, qui ſacerdotem, ſed illo nomine indignum, verius furciferum, caſtitatis inuaſorem meæ, dum ad oſculum, & alia vetita raperet, auerſa manu impacta illi alapa, repuli tam acriter, vt cruorem è naribus emiſerit. Dum autem conſcientiæ conſulo, minitantur Clerici Romam mihi eundum eſſe, ad Apoſtolorum limina, ibique ream me de notoria Clerici percuſſione agendam, hoc fortaſſe modo ſcelus tantum expiari poſſe.

Cantiprat. L. 2. cap. 80.

Riſit doctiſſimus vir, & lacrymas iuſſit abſtergere, acceptoque ab illa iuramento, quod ſuæ vellet ſtare ſententiæ: audi, ait mulier, & conſilio vel præcepto meo pare. Mando tibi, vt quoties ſine ille idem presbyter, ſiue alius, violentas tibi manus inferre fuerit conatus ad baſiationem, vel alia dedecoroſa, illi non auerſa ſolum manu, ſed in pugnum contracta ita ſalutes, vt oculum etiam, ſi poſſis auferas: addere

Digitized by Google

addere potuiſſet, naſum euellas: adiunxit autem, nulli ordini parcas: non Vicarii, non Canonicis, non Prælaris ipſis, non nobilibus, non vllis aliis: licet enim caſtitatis depoſitum verbere, ac ferro, non minus, quam vitæ tueri. O maſculum pectus, cuius ſi conſilium ſequerentur plures in ſexu illo fragiliore, pauciores reperirentur quadruplatores, & concubinarii.

Sed væ tibi alienæ pudicitię inſidiator nefarie, virginum, vel adoleſcentum corruptor, peſtis iuuentutis ingenuæ. Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Si quis eo temeri- 1.Corinth. 3. tatis, atque impietatis progredi auſus fuerit, vt virginitatis, caſtitatiſque alienæ de- 17. poſitum deterendo, templum Dei violet, hunc Deus perdet, & exterminabit, Heliodori ab Angelis delumbati, & oſſifragium ſupplicio minime contentus. Depoſita in templis tanquam viduarum & pupillorum ſubſidia, quis audeat contrectare, qui ſumptas de Heliodoro ea cauſa pœnas animo reputarit. Et erit aliquis tanta confidentia, qui involare in Dei ipſiuſmet theſaurum, quem apud adoleſcentem depoſuit, inducat in animum? non ex templo in caput ſuum fulmen, fulgur, & ſulphureum ignem Gomorrhæ ruiturum perhorreſcat? Tu interim, firma & obdura animum mi adoleſcens, & nullis vllorum minis, illecebriſque, aut intentatis malis in hoc negocio credendum exiſtima. Æternam laudem illi tribuit ſumma vir eloquentia; & ſingulari ſanctitate Ambroſius, qui vt fidem depoſiti ſeruaret, Imperatoriis edictis reſiſtere auſus fuerit: non minor te manebit, ſi improborum cupiditatibus refragatus fortiter fueris.

SERVANDA eſt, inquit Magnus ille Doctor, filii depoſitis fides, adhibenda *Fides depoſiti.* diligentia. Egregiè hinc veſtrum eniteſcit miniſterium, ſi ſuſcepta impreſſio potentis, quam vel vidua, vel orphani tolerare non queant Eccleſiæ ſubſidio cohi- *Lib.2. officio. cap.29.* beatur. Si oſtendatis plus apud vos mandatum Domini, quam diuitis valere gratiam. *NOTÆ.* Meminiſtis ipſi, quoties aduerſus regales impetus pro viduarum, imò omnium depoſitis certamen ſubierimus. Commune mihi hoc vobiſcum. Recens exemplum Eccleſiæ Ticinenſis proferam, quæ viduæ depoſitum, quod ſuſceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo, qui ſibi illud Imperiali reſcripto vendicare cupiebat, Clerici non tenebant auctoritatem: honorati quoque & interceſſores dati, non poſſe præceptis Imperatoris obuiari ferebant.

Legebatur reſcripti forma; directio Magiſtri, officiorum ſtatuta, Agens in rebus imminebat. Quid plura? traditum erat. Tamen, communicato mecum conſilio, obſedit ſanctus Epiſcopus ea conclauia, ad quæ translatum illud depoſitum viduæ cognouerat. Quod vbi non potuit auferri, receptum ſub chirographo eſt. Poſtea iterum flagitabatur ſub chirographo. Præceptum Imperator iterauerat, vt ipſe, per ſemetipſum nos conueniret. Negatum eſt, & expoſita legis diuinæ auctoritate, & ſeriæ lectionis, & Heliodori periculo, vix tandem Imperator rationem accepit. Poſt etiam tentata fuerat obreptio, & præuenit S. Epiſcopus, vt redderet viduæ, quod acceperat. Fides interim ſalua eſt: oppreſſio non eſt formidini, quia iam res, non fides periclitatur.

TV in alio depoſiti genere haud paullò precioſioris Epiſcopum imitare; & tradere renue. Difficile id ſemper, & arduum eſt, inquis: fateor; at hæc eſt virtutis natura. conare: vinces, ac ſuperabis. Difficile eſt: at eo erit glorioſius, ſi peruincas. Vna ſalus hæc eſt: hoc eſt tibi peruincendum. Indurandus eſt animus. Quamlibet viam iumenta patiuntur, inquit Romanus ſapiens, quorum durata in aſpero vn-

gula eſt, nullum ſudorem reſpuunt manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur.

1. Tim. 1. 14. At viribus non eſt fidendum humanis. Magiſtrum audi: Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis. Non eſt adeo difficilis tanti boni cuſtodia, ſi non tuis, ſed diuinis innitaris viribus. Humanam induſtriam ſuperat depoſiti huius cuſtodia. Infeſta ſunt itinera latronibus: inſidiis viæ obſeptæ: denſiſſimæ vbique tenebræ. Inſtat Diabolus: inſidiatur caro: neſcis, qua hora, qua parte impetum hoſtis factutus ſit: nullibi es ſecurus: in luteo, fictilique vaſe depoſitum circumfers. Sed cuſtodies per Spiritum ſanctum inhabitantem. Aderit Diuinus Spiritus, inquit, Chryſoſtomus, niſi gratiam repellamus. Ille enim gratia ſua veluti domicilium in nobis conſtituit. Niſi autem Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam: & niſi Dominus cuſtodiuerit ciuitatem fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam. Diuinus itaque ſpiritus ſit tibi refugium, præſidiumque: hic murus ahenus eſto.

Pſal. 126.

HVIVS ſubſidio magnum Eccleſiæ ſydus DOMINICVS illibatam tot annis, & in tot periculis virginitatem cuſtodiuit. Alterius recentioris eſt illud encomium admiratione dignum. *Robertus Bellarminus, animi ſubmiſſione, quam purpura maior, nec pio minus, quam docto in hæreſes controuerſiarum calamo orbi notiſſimus: virtutum vt amator, ita cultor omnium.* QVAM A MATRE VIRGINEM CARNEM ACCEPERAT: *Quam à ſacro lauacro innocentiam Deo reddidit. Nullius ſibi vita omni mendacii conſcius.* Hunc depoſiti cœleſtis diligentiſſimum cuſtodem ætas noſtra vidit.

Dominica Calubina. Caſpar Scoppius Dedicat. ante Eccleſiaſticum.

SED ex alio quoq; ſexu DOMINICAM CALVBINAM virginem Caſtilionenſem, quem amator ſuus, quem & ipſa mutuò amabat, cum eoque in matrimonium conuenire auebat, quod poſthabita pudori libidine ſui copiam ſępius appellanti conſtanter negaſſet, amoris impatientia victus, occidit. Sed Caſtilionenſis Marchio, Franciſcus Gonzaga, frater Diui Aloyſii, qui huius quoque fortis depoſitum, moriens illibatum Deo reſtituit, non minus reipublicæ intereſſe iudicans tam raræ virtuti præmium, quam eius atrocitatis ſceleri pœnam perſolui, facinoroſi quidem diſtentum corpus, quaternis equis in diuerſa concitatis diſcerpendum dedit: virgini verò inſignem ſtatuam, ne pudicitiæ eius memoria moreretur, in celeberrimo ciuitatis loco cum Elogio poſuit. Tibi, ſi eiuſdem fortitudinis fueris, ſignum omni ære perrennius in altera vita non denegabitur.

QVAMOBREM, vt tandem colligam, ſiue depoſitum diuinum ſit fidei dogma; ſiue ſenſuum gr ex: ſiue ordinationis gratia: ſiue ſecretorum arcana: ſiue cordis theſaurus: ſiue virginalis caſtitas: ſiue quod extremo loco reſeruabam, innocentia baptiſmalis, ô Timothee depoſitum cuſtodi.

NOTÆ.

DE CONTRACTV DEPOSITI.

EST titulus 3. Depoſiti, vel contra, in Digeſt. lib. 16. in Cod. lib. 3. in Iure Canon. Lib. 3. Decretalium, titul. 16.

DEPONERE, præter alia ſignificat, committere, credere rem alicui, ſeruandam dare. Cic. lib. 3. Officior. Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum eſt: officium, non reddere. Et hoc eſt, quod Vlpianus ait, præpoſitionem, *De*, augere, quia tenera, cum aliquid apud alium deponitur, totum eius fidei, curæ, ac diligentiæ committitur, vt id cuſtodiat. Ab hac ſignificatione

Digitized by Google

catione ducitur in hoc Titulo nomen depoſitum. De depoſitione ſcholaſtica alibi diſputamus. Lege Middeldorpium.

§. Depositvm, Doctrina tradita.] Eleganter ac neruoſe Vincentius Lirinenſis libello aduerſus hæreſes. Dicit Paulus ô Timothee! Depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. O exclamatio iſta, & præſcientiæ pariter & caritatis. Præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quis eſt hodie Timotheus? niſi vel vniuerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus præpoſitorum, qui integram diuini cultus ſcientiam, vel habere ipſi debent, vel aliis infundere.

Qvid eſt Depoſitum cuſtodi? Cuſtodi, inquit, propter fures, propter inimicos: ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminauerat filius hominis in agro ſuo. Depoſitum, inquit, cuſtodi. Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt: non, quod à te inuentum. Quod accepiſti: non, quod excogitaſti. rem, non ingenii; ſed doctrinæ: non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis. rem, ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. *Matth. 13.*

Depoſitum, inquit, cuſtodi. Catholicæ fidei talentum inuiolatum, illibatumque conſerua. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat: hoc à te tradatur. Aurum accepiſti: aurum redde. Nolo mihi pro aliis alia ſubiicias. Nolo pro auro, aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas. Nolo auri ſpeciem, ſed naturam plane.

O Timothee, ô Sacerdos, ô Doctor, ſi te diuinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina: eſto ſpiritualis tabernaculi Beſeleel. precioſas diuini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter: adiice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didiciſti ita doce, vt cum dicas noue non dicas noua.

§. Leges depoſiti.] Exodi 22. ita mandatur. ver. 7. *Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in cuſtodiam, & ab eo, qui ſuſceperat, furto ablata fuerint, ſi inuenitur fur, duplum reddet. Si latet fur* (qui furatus eſt depoſitum) *dominus domus*, (in qua depoſitum fuit furto ſublatum) *applicabitur ad Deos*, (iudices) *& iurabit, quod non extenderit manum in rem proximi ſui*. Senſus clariſſimus eſt, quem ita effert eo loci Cornelius. Si fur aliquis depoſitum ſurripuerit, depoſitarius apud quem res depoſita, & cui commendata erat vocatus in ius veniet ad iudices, ac iuramento purgabit ſe, probabitque ſuam à furto innocentiam. Sequitur

V. G. *Ad Deos* (iudices, *vtriuſque*, tam deponentis, qui rem perdidit, quam depoſitarii, apud quem res furto fuit deperdita) *cauſſa perueniet, & ſi illi iudicauerint, duplum reſtituet proximo ſuo.* In Hebræo eſt: Is quem iudices damnauerint, duplum reſtituat proximo ſuo. Quod Caietanus & alii pleríque intelligunt de alterutro: quaſi dicat: Alteruter, puta, vel depoſitarius, qui eſt reus: vel deponens, qui eſt accuſator, ſi condemnetur, debet luere duplum: depoſitarius quidem, quia maligne ac fraudulenter rem depoſitam cuſtodiuit: imo eam, vel furatus eſt, vel cum fure diuiſit: deponens vero, (ſi is condemnetur) quia calumniam furti, & infidelitatis falſo irrogauit depoſitario, cum is eſſet innocens. Interpres Latinus de ſolo depoſitario intellexiſſe videtur, hoc ſenſu: depoſitarius, qui à iudicibus fuerit

fu ti,

Digitized by Google

furti, aut colluſionis cum fure condemnatus, ſoluet duplum eius, quod ſua culpa perditum, & furto ſublatum eſt.

Agitur enim in hac lege de depoſitario, qui reus eſt; eius eſt enim reſtituere rem depoſitam, vti lege dicitur. De deponente autem non agitur: illi enim, ſi accuſator ſit, falſoque depoſitarium calumnietur, eandem ex lege talionis ſubeundam eſſe pœnam, Deuteronomii 19. 19. decernitur.

§. Vsvs *Depoſiti citra conſenſum furtum.*] Dubitari poſſet, an legum ſancionibus Imperator, & iura ciuilia merito actionem furti dederint aduerſum eum, qui re depoſita citra domini conſenſum vſus ſit. Agellius lib. 17. cap. 15. ſcribit, ſeuere nimis leges duodecim tabularum actionem dediſſe, tanquam in fures in eos, qui vterentur re depoſita vel commodata aliter, quam in eum finem, in quem data ſit. Labeo, inquit, in lib. de 12. Tabulis acria, & ſeuera iudicia de furto habita eſſe apud veteres ſcripſit: idque Brutum ſolitum dicere, furti damnatum eſſe, qui iumentum aliorſum duxerat, quam quo vtendum acceperat. Item, qui longius produxerat, quam, quem in locum petierat. Itaque Qu. Scæuola in librorum, quos de iure ciuili compoſuit, ſextodecimo, verba hæc poſuit: Quod cui ſeruandum datum eſt, ſi abuſus eſt, ſiue quod vtendum acceperit ad aliam rem, atque accepit, vſus eſt, furti ſe obligauit.

Valerius Max. Lib. 8. cap. 2. Multus ſermo de eo etiam iudicio manauit, in quo quidam furti damnatus eſt, quod equo cuius illi vſus vſque Aritiam commodatus fuerat, vlteriore eius municipii cliuo vectus eſſet. Quid aliud hoc loco, quam verecundiam illius ſeculi laudemus? tam minuti à pudore exceſſus puniciebantur. Quapropter Ioannes Faber, L. 1. Codi. de actione pignorat. cenſet actionem furti minime locum habere, in hac re. Si commodatarius, inquit, aut creditor, aut depoſitarius vtatur re commodata, pignore, aut depoſito ad eum vſum, cui proprie res deſtinatur, & ad quem dominus ipſe his vti ſolebat. Hoc certum eſt, iura ac leges interdum pœna grauiore punire delicta leuiora, quã aliqua grauiora, eo quod illa frequentiora ac crebriora ſint hominibus. Nonne fures ſuſpendi ſolent? olim lege veteri diuina qui furabatur ouem, plus reſtituere, quam, qui bouem, cogebatur, eo quod facilius furarentur oues, & difficilius cuſtodirentur. Quare, quia commodato, pignore & depoſito facile abutuntur ii, quibus traduntur, alium videlicet ad vſum, quam quo vtenda acceperant, ideo veteres Romani non inconſultè in eos furti actionem dandam voluerunt. Ioan. Azorius Tom. 3. lib. 7. cap 9. Certè datur in Iure Ciuili actio perſonalis directa, quæ competit deponenti, & eius hæredibus aduerſus eum, qui depoſitum ſuſcepit, eiuſque heredes: vt ſi doloſe verſatus eſt, in depoſito cuſtodiendo. Et hæc actio eſt ad reſtituendam rem integram depouentis lib. 1. §. Qui depoſiti. Dig. depoſiti.

§. Fides *depoſiti*] Hoc titulo laudantur in omni gente plurimi. S. Laurentius à Leone Magno ſermone de Sancto Laurentio: Fremit prædo, inquit, fruſtratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vſum ſtatuiſſet, ardeſcens, direptionem theſauri potioris aggreditur, apud quem nullam donatorum ſubſtantiam reperiiſſet, vt illud depoſitum, quod ſacratus erat, diues auferret, renunciare Chriſto Laurentium iubet.

Fulgoſus lib. 6. cap. 5. Arnaldus Gerardus Cathalanus, cum in naui ſua oneraria Gulielmum Auriam ferret, quo tempore Piſani, & Genuenſes graui inter ſe bello diſſidebant, à Piſanorum nauibus captus, qui Genuenſium tantum merces,

ac

ac bona quærebant, nec minis, nec promiſſis adduci vnquam potuit, vt duo millia, & quadringẽtos aureos numos, qui Duplices appellantur, detegere vellet. Quam pecuniam cum ab hoſtibus oppugnaretur Gulielmus Auria illi vt depoſitum commendauerat: quia notat Piſanos non in Cathalanorum, ſed ſolum in Genuenſium bona inuehi. Arnaldus igitur, poſteaquam eum Piſani dimiſerunt, ſecum eam pecuniam ad Genuenſes ſimul deferens, vt primum in Baleatides peruenit, depoſitam pecuniam tanto labore ſeruatam cõſuli Genuenſium in Balearibus obtulit, vt ipſe eam Gulielmo reſtitueret. Pro eo autem facto Genuenſes ergo Arnaldum grati, ciuitate, mulriſq; aliis commodis ſcripto honorificis verbis diplomate donarunt. Aphytenſes integram, piamque vitam traducunt, neque attingunt alienas ianuas patentes. Memorant aliquando peregrinum, cum ibi vinum emiſſet, non ſecum aſportaſſe, quod nauigatio celeriter abeundi neceſſitatem imponeret: atque ibi nemini commendatum reliquiſſe: longeque poſt, alteris nundinis, cum reuerſus eſſet, intactum reliquiſſe. Heraclides.

Stagyritarum lex eſt huiuſmodi, vt Græcam agnoſcere poſſis: Quod non depoſuiſti, ne tollas. Ælian. lib. 3. hiſtor. var. Aiunt Biblium fuiſſe virum tantæ integritatis, & abſtinentiæ, vt cum inter eundum repetiſſet aliquid alienum omnino intactum præteriret. Rauiſius narrat.

Ex his ita argumentatur Ambroſius lib. de Tobia. cap. 20. Ipſe nobis credidit, quod noſtrum non erat. Et ideo detrimento honeſtatis afficitur, qui depoſitum violarit alienum. Si commendatum hominis nulla debemus fraude violare, quanto magis diuinum, & ſpirituale Depoſitum bona fide ſeruare nos congruit, ne exiſtimationis, grauia damna ſubeamus?

Præter dictas depoſiti ſignificationes ſunt aliæ ad hunc titulum referendæ.

Depositvm eſt Reſpublica & Principatus. Euſebium Sadum audiamus. Vir bonus, qui gentis alicuius aut ciuitatis imperium ſuſcepit non propter fiſcum, aut bona capiendi, aut à diuitibus pecuniam comparandi cauſſa, ſimilis eſt homini, qui precioſum aliquod Depoſitum accepit. Vt hic enim quod datur non ſibi retinendi, aut vendicandi gratia ſumit: ſed vt cuſtodiat, & integrum reddat ei, qui depoſuit, quandocunq; repetiuerit: Ita Principem quoque non ob quæſtum priuatum, ſed ſalutem, cuſtodiamque ſubditorum omnia facere oportet: ſic vt ipſos, quoad efficere poteſt illæſos, & in ſtatu fœlici, ei, qui credidit, reſtituat.

Democritvs. Homines meminerunt magis male, quam bene factorum. Sic fieri moris eſt: & decet. Quemadmodum illum, qui reddidit depoſitum laudari non oportet: qui vero non reddidit, is vituperari, ac puniri debet: Similiter in Principe res habet: non enim ideo creatus eſt, vt lædat, ſed vt iuuet.

Depositvm eſt *Vita*, eademque *Pignus*. Ambroſius de morte Satyri. Qui depoſuit pignus recepit. Nihil intereſt, vtrum abiuies depoſitum, an doleas reſtitutum. Vitam filii putauit eſſe depoſitum lectiſſima fœmina, de qua ita ſcribit Franciſcus Bencius in Annuis Collegii Recinetenſis M. D. LXXXVII. Fundator filium Romam miſerat, vt in Seminario à nobis inſtitueretur. In ſtudiis proceſſerat adoleſcens, nec mediocrem ſpem ſui concitarat. Deſponſa ei interea domi puella nobilis cum dote ampliſſima viginti millium: eam altera tanta pecunia ſequebatur lege hæreditatis. Videbantur munimenta familiæ, ſi futurum proſpiceres præclare conſtituta. Hæc vota magnatum cogitationum mors media interuenir, & turbauit omnia.

Fetendus erat nuncius ad miſeram matrem. Ne grauiore ictu proſterneretur, vel vt ſolatorem haberet magis præſentem, ſuſcepit hanc prouinciam Rector Collegii. Eum, vt vidit mulier, præſagio malorum diuinauit, quod erat: & quamquam dolore percuſſa, antequam quicquam audiret, precibus effuſis ante Crucifixi imaginem muliebrem animum firmat. Surgit deinde & accepto nuncio, nihil immutata iterum procumbit in genua, eo maiore afficiens videntium oculos miſericordia, quo animo fortior. Tum preſſo mœrore, aut victo: Pater, inquit, (referam enim ipſius verba) nihil ad aures poterat grauius accidere, ſed quoniam DEPOSITVM ſuum repetiit Deus, ita me ad eius voluntatem conformo, vt ſi COMMODARET, iterum, iterum eius voluntatem, antelatura ſum cupiditati meæ. Neque id oſtentationi datum. poſtridiè enim cum tota familia gratiis Deo agendis communicauit in templo.

COMMENTATIO XXXVIII.

Dominica XI. poſt Pentecoſt.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM, ex Contractu Depoſiti,

In qua, Hominem, vt Depoſitorem: Deum, vt Depoſitarium repræſentamus: & quam multiplex fideliſſimo cuſtodi committi debeat Depoſitum, diſquiritur.

Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt Depoſitum meum ſeruare in illum diem. 2. *Timoth.* 1. 12.

Quanto iis præcipiebat magis, tanto magis plus prædicabant. Marci 7. 36.

HOMO DEPOSITOR.
DEVS DEPOSITARIVS.

QVÆSO vos, animaduertite mecum, quam fluxa ſit hominum fides: & quam quis ne quidem amicis poſſit fidere: quam nullus ſit ſecurus, ſi apud aliquem mortalium, quod celari vellet, depoſuerit. Arripit Chriſtus oblatum ſibi ſurdum & mutum, quoniam in ipſo adductores ſpem ſuam locarant: à turba ſeorſum ducit, mittit in auriculas digitos, expuit, tangit linguam, ſuſpicit in cœlum, ingemiſcit, profert illud myſterioſiſſimum, EPHETA: aperiuntur aures, lingua ſoluitur: in verba prorumpit mutus, audit ſurdus. Poſt tam multiplex beneficium, vnum iis ſecretum, tanquam depoſitum, committit: addit, quod poterat, præceptum: *Ne cui dicerent*: ne depoſitum ſibi creditum aliis proderent: fruſtra. *Quanto iis præcipiebat magis, tanto magis plus prædicabant.*

PROFECTO, ſi non melius depoſiti fidem colit Deus, quam homo, ſummo in diſcrimine verſari, quæ Deo commendantur, neceſſe eſt. Sed non ita ſe res habet. Nam, quem nuper fidentem hominibus depoſitorem, hodie, fideliſſimum hominum eſſe depoſitarium ſumus demonſtraturi, ſi vos, quæ in auribus veſtris

deponere

Digitized by Google

deponere mihi eſt conſilium,fideliter cuſtodire propoſueritis: & non,quanto ego dico clamoque magis,vos tanto magis, plus obturatis auribus ac mentibus non attendere,ſed ſolutis linguis garritum auium imitari decernatis. Incipiamus.

Cvm haud ita pridem non nemo angeretur animo, vt locum in vniuerſo reperiret, tam munitum, ac inuiolabilem, vt in eo, precioſiſſimo,quem collegerat theſauro depoſito, ſecurus, & abſque metu amiſſionis ageret, conuocatis amicis, eſt conſultatum ſeriò, num quis talis, vel extaret modo, vel extitiſſet aliquando, vel poſſet humana potentia conſtrui.

Laudabat mihi carus Poeta, illam veterum carminibus celebrem turrim Danaës Acriſii filiæ.Mulcebam lepidum caput,& mirabar,quod non veniret in mentem,ex ea precioſiſſimum depoſitum ab impuro nebulone,cum aureo in illam imbre ſeſe inſinuante fuiſſe deportatum.

Rhetori *Murus aheneus* in ore erat. Suauiter huic arridebam, illud inſuſurrans: nullus tam altus, vaſtusque dabitur, quem non furunculorum pernicitas transſiliat,aut ingenioſa calliditas perrumpat. Quod fabulane, an vera hiſtoria,fortaſſe, vt Luciani ſunt, mihi indicaſſe aliquando eſt viſus Herodotus, nobilis inter antiquos Hiſtoricos ſcriptor, accipite.

Rhambsinito ſecundo Ægyptiorum Regi, poſt Protheum, ingens fuit vis pecuniæ, quam Regum neminem, qui deinceps regni habenas tenuerunt ſuperare potuiſſe, imo ne æquare quidem fama eſt. Hanc ille in tuto deponere cum optaret, ædificium extruere conſtituit lapideum, cuius parietum vnus in exteriorem ædium partem pertingeret. Faciendum id ſumpſit architectus in paucis ſapiens ac vafer: qui aſtu incredibili ita quadam in parte lapides iunxit, vt vnum facile ipſe,quem luberet, poſſet eximere.Ædificio abſoluto Rex in eo pecuniam depoſuit. Non multo poſt autem cum architectus vitæ finem ſibi imminere animaduerteret, vocatis ad ſe duobus filiis, narrat, quam prudenter in omnem illis vitam proſpexiſſet, modo viri eſſe vellent, neque ſibi deeſſe. Oſtendit deinde, quomodo ſit ædificatum ærarium, qua arte lapis eximi, ac reponi poſſit. *Herod. lib. 2.*

Patre vita functo, filii minime ſegnes rem aggreſſi ſunt, & multas pecunias ex Regis depoſito ſuffurati. Rex, cum integra ſigna cerneret, ærariumque probe obſeratum, laqueos apte diſpoſuit, vt ſi quis manus immitteret, caperetur. Fures redeunt,immiſſa manu vnus deprehenditur: is alterum rogat,vt caput ſibi amputet, eoque ablato, cadauer ſolum relinquat. Paruit ille, vbi dies illuxit, ingreſſus in ærarium ſuum Rex corpus furis in laqueo,ſed capite truncatum inuenit: parietes autem & exitus minime violatos. Verum, vt cuiuſnam cadauer eſſet, agnoſceret, è muro illud ſuſpendi iuſſit, cuſtodeſque apponi, vt ſi quem plorantem, aut miſerantem animaduertiſſent, eum ad ſe perducerent. Suſpenſo cadauere, mater indigne tulit filii mortem, & ſuperſtiti imperauit, vt quaqua via illud auferret: ni faceret, indicium ſe facturum Regi depeculationis minitabatur.

Filius hoc inuento rem aggreſſus eſt. Aſinos vtribus vino plenis oneratos ante ſe ad ærarium egit. Vbi ad locum ventum, data opera vteros ſoluit, vt vinum efflueret.Tunc iram ſimulans aſinos cædit:accurrunt cuſtodes,& vinum excipiunt. quod, cum ille indigne ſe ferre ſimularet: tandem, quaſi placatus, non effuſum tantum, ſed & recens ex vtribus plenis donauit. Cuſtodibus autem vino ſomnoque obrutis, intempeſta nocte fratris corpus abſtulit. Rex deluſus, ardens tamen cupiditate furis comprehendendi, filiam proſtituit, facta poteſtate omnes admit-

rendi: ſed non ſine pacto, vt dicerent prius, quidnam ſolertiſſimum, ſceleſtiſſimumque perpetraſſent: &, qui narraret, quæ circa furem acta eſſent, illum comprehenderet, nec abire ſineret.

Cum itaque filia imperata Patris faceret, fur cupiens eludere verſutiam Regis hac calliditate eum decepiſſe dicitur. Recentis mortui amputatam ab humeris manum ſub pallio ferens ad filiam ingreſſus eſt, & interrogatus, reſpondit, ſceleſtiſſimum facinus ſuum eſſe, quod fratris in ærario Regis laqueo capti caput abſtuliſſet: ſolertiſſimum autem, quod cadauer fratris ſuſpenſum reſoluiſſet, cuſtodibus ſopitis, ac vino ebriis. Illa cum narrantem audiſſet, manum iniecit: at fur in tenebris manum mortui porrexit, quam mulier cum apprehendiſſet, manum furis eſſe rata, fur per fores ſe eripuit, muliere deluſa.

Poſtquam & hæc regi nunciata ſunt, aſtum, audaciamque hominis obſtupuit: vt autem in illius notitiam veniret, proclamari iuſſit, fore, vt remuneraretur, qui ſe eius auctorem facinoris faſſus eſſet. Fur fide accepta, venit: Rhamſinitus autem viri admiratione ductus, filiam illi in vxorem dedit, tanquam ex omnibus mortalibus plurima ſcienti. Quod Ægyptii quidem ceteris: hic autem Ægyptiis omnibus calliditate eſſet ſuperior.

DEXTRAM cum in templi adyta Philoſophus depoſitum inferendum ſuadebat: impoſſibile eſſe dictitans decipi eos, qui credidiſſent loco, vt eſt in ſacris Ma-
Lib. 3. cap. 3. chabæorum libris, & templo, quod per vniuerſum mundum honoratur. Et olim quidem ad omnem bellici tumultus ſuſpicionem templis depoſita commendabantur: nunc nihilo ibi, quam in agris tutiora ſunt.

Legum peritus ſepulcrorum cauernis abdendum depoſitum cenſebat, ſciens illa in Iure ſacroſancta haberi. At quot ſacrilegos ſepulcralis commiſſi depeculatores dare poſſumus? Olim quidem cinerum reconditoria optimas depoſiti vrnas fuiſſe ſcimus. Nunc quid valeant, docuit, Britannia, Belgium, Gallia:

ITAQVE in eam Theologi itum eſt ſententiam: Apud homines nihil tam eſſe munitum, ac obſeptum, quo non poſſint penetrare furaces raptorum manus:
Nihil in orbe tutum. ideoque nullibi tuto depoſitum collocari. Quod ſi talis aliquis locus in orbe inueniretur, ex quo certum eſſet, nihil rapi, aut deportari poſſe, imo in quo res depoſita immenſum augeretur: quo non ſtudio, eo rerum ſuarum induſtrii curatores, belli aliorumque tumultuum tempore confluerent, & theſauros ſuos de optima cuſtodia deponerent? Eiuſmodi cum in ſublunari hoc mundo reperiri nequeat, tranſcendere illum oportet, & altius niti: ibique ſibi ſecuritatem depoſiti polliceri. Ita ſe res habet. Vnus eſt, qui poteſt, & vult, modo ipſi credas, depoſitum tuum illæſum, imo auctum cuſtodire; Vnum eſt ærarium, ære perennius. Vna turris non è chalybe, aut marmore, ſed metallo omni magis duratura materia: vna arx nullis ſuffodienda cuniculis: vna arca mille obſerata clauibus. quænam illa? Cœlum, in quo tutiſſimo theſaurum recondas. Vnus depoſitarius, qui falli, fallere, decipere non poteſt: Argo fictitio oculatior, & ad cuſtodiendum intentior. ſemper vigilantibus draconibus conſtantior. præ quo infidus Biblius, qui tamen eius fuiſſe integritatis dicitur, vt nihil, quod alienum, attingeret. Huic ſi tua commiſeris, nullus erit ab harpiis, furibus, depeculatoribus metus. haud opus ad abigendos raptores latrante Cerbero, non fabuloſa Tutilina, non Tutano, Tutanaue ſuperſtitioſis veterum Depoſitariis. Quis autem illa tam fidus rerum cuſtos?

2. Tim. 1. 12. DEVS. Annon meritò exclamat Paulus: ſcio cui credidi & certus ſum, quia potens

Digitized by Google

potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Deus bone, inquit Theophylactus, quanta hæc fiducia, quam indubitata ſpes. Scio, cui credidi: id eſt, noui eum cui credidi. Quærit autem ſolita ſubtilitate Thomas Aquinas, quomodo nos & Paulus id, quod credebat, cum idem non poſſit eſſe creditum & ſcitum: quoniam de ratione ſcientiæ eſt, quod ſciatur, hoc eſt, videatur: ſicut de ratione fidei, vt non videatur. Reſpondet, in fide duo quædam reperiri: nempe, id, quod creditur, & cui creditur. De eo, quod creditur, non poteſt eſſe ſcientia, quia ſic perderet crediti rationem: ſed de eo, cui creditur, eſſe ſcientiam: eſt enim per euidentiſſimam rationem ſcitum, quod Deus ſit potens ac verax. *Lect. 4. in 2. ad Timo.*

Simplicius fortaſſe dici poſſet ad huius loci intellectum: Fidem ob ſuam certitudinem in litteris diuinis ſcientiæ ſignari nomine: vt, ſcire ſit idem, quod credere. Vt notat Alphonſus Salmeron. Sic Iſaiæ 53. In ſcientia ſua, id eſt fide, iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos. Et Zacharias Lucæ 1. Ad dandam ſcientiam (fidem) ſalutis plebi eius. Primæ Ioannis 3. ſcitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem: Ad Romanos 8. Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quapropter, *ſcio, cui credidi*, idem eſſet quod, noui per fidem. Vera hæc ſunt, ſi *credidi*, hic pro actu fidei ſumatur, vt ſæpè.

At enim, cum æquè in Græco πεπίστευκα, ac in Latino *Credidi*, ambiguum ſit: ita vt, vel Theologicam ſignificationem habere poſſit, & tunc idem erit, ac ſcio, in quem fides mea feratur: vel Iuridicam, ſeu forenſem: vt idem ſit, quod ſcio, cui rem meam commiſerim: apud quem depoſitum collocarim: noſtro inſtituto conuenit forenſis illa ſignificatio, qua innuitur, Devm Depositarivm eſſe, cui tutiſſimo res omnes credantur: quia potens eſt ſeruare in illum diem. Potentiæ autem meminit, & non fidelitatis aut veracitatis, bonitatisve, vel ſimilium attriburorum: ſiue quia de fidelitate, aut veracitate Dei, & Meſſiæ nullum poterat eſſe dubium: licet potentiæ fides apud quoſdam vacillaret: ſiue quia potentia, quæ in Deo ſine termino infinita eſt, attributa omnia alia includit: ſiue, quia, vt eleganter dixit Fulgentius ad Monimum: *Ideo in Dei promiſsis nulla eſt falſitas: quia in faciendis nulla Omnipotentis eſt difficultas.* *Credidi verbum forenſe.* *Ad Monimum lib. 1.*

Petrvs tamen Apoſtolus dum eodem loquendi modo vtitur, prima ſua Epiſtola cap. 4. epithetum, *Fidelis*, adiungit: *Hi*, inquit, *qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis.* Adiunctum illud, *Fideli*, certum facit, hominem nunquam deſerendum: nunquam depoſitum perdendum, cum toties, ac tam prolixè pollicitus ſit, ſe ſuorum curam habiturum. *1. Epiſt. cap. 4. 19.*

Hanc & loci in quo deponitur, ſecuritatem, & apud quem deponitur depoſitarii fidelitatem reſpiciebat Chriſtus, cum ſerio hortaretur: *Nolite theſaurizare vobis in terra, vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur: theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Quibus verbis hæc inuoluitur ratiocinatio. Theſaurus in loco nullis periculis expoſito eſt recondendus. Terra locus eſt multis periculis expoſitus. In cœlo nullum eſt periculum. Itaque non in terra, ſed in cœlo, loco omnium tutiſſimo eſt collocandus, *Vbi theſaurus deponendus.*

Minor illa propoſitio, vt in ſcholis loquimur, tum ob Chriſti auctoritatem veriſſima eſt: tum ob rationem illi adiunctam: tum ſeculorum omnium probatam experientiam. Tam enim in ſacra, quam profana hiſtoria reperies, nihil tuto

Digitized by Google

in terra aut penes hominem teponi, vrinitio dictum eſt. Quod lepide ſimul & acute ſignificatum reperio à feſtiuiſſimo comico, qui ſenem auarum, cui nomen, Euclio, inducens, fingit illum, aululam: hoc eſt, ollam ſeruandis numis idoneam, auri plenam, domi defoſſam, telluri, vt Depoſitum credere. Sed non ſatis fidentem terræ, deinde extrahere, & clam aſportatam in templo fidei deponere. Verum, cum ſe viſum fortè ſuſpicaretur, illudque gemebundus vſurpaſſet, quod in fidem humanam non male conuenit.

Plaut. Aulul. Act. 4.

Fidei cenſebam maxumam multo fidem
Eſſe, ea ſubleuit os mihi penſſume

rurſum è Fidei fano, refoſſam in Syluani luco condere

Syluani lucus (aiebat) *extra murum eſt autus,*
Crebro ſalicto oppletus: ibi ſumam locum.
Certum eſt: Syluano potius credam, quam fidei.

Ibi cum aulam terræ mandaſſet, illico, ne videretur proripiens ſeſe.

Fuge, fuge, fuge, muſſitabat: Dii me ſaluom & ſeruatom volunt. Sed nec is locus tutus fuit. ex eo enim extractum Depoſitum Strophylus ſurripuit, Euclione, vt reſciuit, clamitante, vociferante, obuios quoſque percunctante, & omnia permiſcente. Sed non aliter contingit. Nec illa fuit ſecura, quæ

——veteres tellure recluſit
Theſauros, ignotum argenti pondus & auri.

1. Æneid. Quod Didoni à Sichæo, qui defoderat monitæ adſcribit Virgilius. Nam etiamſi illos ſecum adſportarit Didoni Africam: ibique in vaſtiſſimis, & altiſſimis ſpecubus depoſuerit, vt fingit Poëta: iis tamen, poſt tot annis inhiauit Nero, & auferri iuſſit, licet illuſerit fortuna Neroni ob eius vanitatem, vt loquitur Tacitus: cui conſentit Suetonius. Sed non fuere decepti illi, qui, vt eſt auctor Plutarchus, inſidiati fuere theſauris in Africa à Pœnis reconditis. Quas non gazas Salomon cum parentis cadauere in ſepulcro depoſuir, tutiſſimas ratus. Sed illas poſt multas annorum centurias Hyrcanus aperuit, & tria talenta abſtulir. Auctor Ioſephus Lib. 15. Antiq. addit autem, Herodem, poſtquam multo plura ſupereſſe audiſſet, quæ poſſent quantumuis magnis ſumptibus ſufficere, animum habuiſſe idem aggredi; rum noctu ſepulcrum apertum fuiſſe ingreſſum, ſed depoſitas pecunias, ſicut Hyrcanum non inueniſſe: ar, mundi precioſi, & ornamentorum aureorum vim magnam inde ſuſtuliſſe. Non ignata ſapientiſſima Semiramis, ne quidem in ſepulchris apud homines Depoſiti eſſe ſacram religionem, Manſolæum ipſa ſibi, ſupra portas vrbis celebertimas, extruxit, addita inſcriptione: Cui Regum Babyloniæ fuerit pecuniæ penuria, aperto ſepulchro ſumat, quantum voluerit. Darius indignum ratus non ſumere depoſitas pecunias reſerauit monumentum, in quo non pecunias inuenit, ſed hanc ſyngrapham: Niſi pecuniæ eſſes inexplebilis, ac turpis lucri cupidus haud aperuiſſes vrnas defunctorum. Non eſt itaque locus in orbe terrarum, vbi abſque periculo Depoſitum locetur: ſpectandum ergo cœlum.

Tac. lib. 16. Annal. Suet. cap. 32. vita. Plut. in Pompe. Ioſ. lib. 13. Antiq. c. 15. lib. 16. cap. 11. Herod. lib. 1.

QVOD alibi quoque à Chriſto inculcatur verbis illis emphaſi plenis: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt: theſaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Acutè ac piè Petrus Chryſologus: Domine tu vidiſti, quia in theſauris tota fides, tota ſpes in ſacculis ſit auaris: & ideò imputribiles in cœlo ſacculos vis parari, vt qui te non ſequitur ad cœlum, ſequatur ſaltem ſacculos ſuos. Auare, fac tibi ſacculos, & fac iubente

Luca 12. 33. Chryſolog. Serm. 25.

Digitized by Google

bente Deo: quia votis tuis annuit diuina maieſtas. Solent auari, qui the ſaurum condunt in ſacculis pecuniam ſeruandam reponere; ſolet autem ſacculo vetuſtate rupto, quæ in eo erat pecunia perire. Quare monet Chriſtus ſacculos fieri, qui non veteraſcunt: id eſt, in quibus pecunia perire non poſſit: Qui, nimirum Depoſitum ſeruent. Quod cum in terra non contingat, rectè monet Chryſologus, Chriſtum velle imputribiles in cœlo ſacculos parari, & ibi recondi, quod non perire volumus.

Sed quodnam dicis, eſt illud Depoſitum, quis theſaurus, cuius Deus tam fidelis dicitur Depoſitarius. Primo quidem, Spem eſſe interpretor. ſiue ſpem accipias formaliter pro actione ſperandi, & fiducia, quam habemus obtinendi aliquod bonum, ac potiſſimum æternam beatitudinem & bonorum ad illam ſpectantium. Qua ſignificatione in prima Ioannis Epiſtola capite 3. dictum lego: Si cor noſtrum non reprehenderet nos, fiduciam habemus apud Deum: fiduciam, inquit, Græcè, παῤῥησίαν: nempe liberum aditum: loquendi, agendique facultatem: apud quem? apud Deum, tanquam fideliſſimum Depoſitarium. Siue ſumas ſpem obiectiuè, pro reipſa ſperata, quomodo expono illud ad Titum ſecundo 13. Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei: Illudque Pſalmi 21. Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ. Niſi interpreteris: In quo ſemper ſperaui.

Qvocirca quot ſunt rerum genera, quas à Deo obtinere cupimus, fiducia de eius liberalitate pleni: tot depoſita habemus in ſinu Omnipotentis recondita: modo ipſi fidamus: & dicere poteſt quilibet: ſcio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus iudex: nempe, cum iuſto iudicio opportunum eſſe cenſebit.

Sperat liberationem ab hoſtibus? fide Deo. bonum habes depoſitarium. In te *Pſal. 31.*
Domine ſperaui non confundar in æternum. In te ſperauerunt patres noſtri: ſpera-
uerunt, & liberaſti eos. Anguſtia conſumeris? expectas conſolatorem? Lætentur *Pſal. 21. 5.*
omnes, qui ſperant in te in æternum exultabunt, & habitabis in iis. Putas te dere- *Pſal. 5. 12.*
lictum, & laqueum paras? quid metuis? Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum:
quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. De ſalute es ſolicitus? ſis bono *Pſal. 11. 9.*
animo. dic confidenter: ſcio cui credidi, & certus ſum. Mirifica miſericordias
tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. Auxilio humano deſtitueris? Macte animi:
proclama; Scio cui credidi, & certus ſum: Deus meus, adiutor meus & ſperabo in *Pſal. 17. 3.*
eum. Patrocinium expoſcis? Ille protector eſt omnium ſperantium in ſe. Confu-
ſionem horres? Scio, cui credidi. In te Domine ſperaui non confundar in æter- *Pſal. 17. 3.*
num. Non erubeſcam, quoniam ſperaui in te. Loquelam deſideras ad bona & *Pſal. 30. 2.*
vtilia cum muto hodierno? Fiduciam pone in eo cuius nutu apertum eſt os, ſolu- *Pſ. 24. 20.*
ta lingua mutorum. Qui linguas infantium facit diſertas. Malè audis? ſpem con- *Iſa. 15. 4.*
cipe: eo annuente, aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.

Profecto, Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus: Bo- *Pſal. 117.*
num eſt confidere in Domino, quam confidere in homine. Hac ratione non licet *8. & 9.*
apud illam creaturam depoſitum ſuum collocare. Maledictus enim homo, qui *Ierem. 17.*
confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quaſi myrice in deſerto, & non videbit, cum venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate, in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: & erit, quaſi lignum,

quod

Digitized by Google

quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit, cum venerit æſtus: & erit folium eius viride: in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.

Nimirum, hoc eſt, quod docent cum Doctore ſuo ſacri Theologi: Non licere ſperare in vlla creatura, ſicut in prima cauſſa mouente, iuuante, & perducente ad beatitudinem. Licet ſperare poſſis in aliquo, tanquam agente ſecundario, ac moto à prima cauſſa. Hic enim & mortalium, & cœleſtium preces expoſcimus, vt nobis ſuff. agentur. Quocirca mentiuntur hæretici, qui nos in ſanctis ſpem collocare, vt Diis quibuſdam ſpargunt apud ignorantes. Non eſt vlla creatura tam nobilis, quem Chriſtianus depoſitarium ſpei primum ac præcipuum agnoſcere debeat. Quocirca, quod Bernardus ad Deiparam conuerſus alicubi ſcribit: Hæc mea maxima fiducia, & tota ratio ſpei meæ, vt oratorie dictum accipio, & adfectus incitationis impetu abrepti: & commodum habet ſenſum, ſi in ratione cauſſæ impetrantis à Deo, non autem cauſſæ per ſe conferentis intelligatur.

Iam verò Depoſiti nomine magis particulatim intelligitur Merces & Præmium, quod bonis fideliũ operibus à remuneratore Deo promiſſum eſt. Quomodo Theophylactus ſententiam S. Pauli interpretatur: Depoſitum, inquit, mercedẽ dicit, ſeu cõpenſationem laborum. Qui enim boni quicquã agit, veluti apud Deum iſtud reponit, vt per ipſum coronetur. Idem Paulus eadem Epiſtola innuit cap. 4. dicens. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex: non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum eius. Loquitur haud ſecus, quam ſi coronam iam à Deo in hac vita accepiſſet, illamque Deo commendaſſet: vt iure Depoſiti in die iudicii, & iuſtitiæ illam poſſet repoſcere. Et hic eſt ſenſus maximè proprius verborum Apoſtoli, in quibus de Depoſito mentionem facit. Iis enim rationem reddit, quare non confundatur, in tot afflictionibus, ac perſecutionibus; & cur in vinculis non diffidat.

Animum, inquit, non deſpondeo, quia ſcio me habere Dominum vt potentẽ, ſic veracem, ac fidelem, qui ſui afflictis cauſſa opitulatur, & quæ promiſit haud dubiè præſtabit. Hæc ferè eſt D. Ambroſii interpretatio. A qua nõ longè abit D. Gregorii

Lib. 8. cap. 7. lib. 8. in Iob. *Sancti viri, quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis pignora intra ſpei cubiculum clauſa tenent.* Magna hæc bonorum eſt fiducia: ingens gaudii, ac gratulationis occaſio, omnibus, qui ſperant in Deo.

Itaque ſi quis in vinea Dei ſtrenuè laborat: ſi, quod officii ſui eſt, diligenter, & cum ſolicitudine exequatur: ſi diei æſtum, algorem noctis non refugiat, quãuis labori fructus reſpondere non videatur, conſcientiæ teſtimonio, ſecurus ſibi illud frequenter occinat: Scio cui credidi. Si alieni in labores eius ingrediantur: ſi laudem metant, ſi ipſe ſudorem ſeminauerit, ſi poma colligant ex arbore à ſe plantata, nihilo turbatior illud verſet animo: Scio cui credidi. Si illius famæ detrahatur: ſi inimici vitæ illius inſidientur: ſi nulli pręterquam Deo ſatisfaciat, hoc contentus, illo ſe ſoletur. Scio, cui credidi: Meritorum theſaurum non in hominum ore, nec in famæ præterlabentibus aquis, ſed in Dei immobilis conſtantia depoſui: Scio cui credidi. Quot ſudoris guttas, tot gemmas: quot ſanguinis, tot vniones apud Deum in repoſito habet: gaudeat, certus, quia potens eſt Depoſitum ſeruare in illum diem.

Iob. 19. 27. Hæc ſpes Iobum ſuſtentabat in proprio repoſita ſinu. Hæc fortiſſimum eſt ſolatium,

tium, anchora animæ fidelis firma ac tuta, incedens vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, cœli poſſeſſionem capiens. Hæc galea ſalutis. Hæc finis ſcripturarum, vt ſpem habeamus per potentiam. Spe enim ſalui facti ſumus. Et gloriamur in ſpe filiorum gloriæ Dei. Regenerati in ſpem viuam: qua pleni teneamus confeſſionem indeclinabilem. Huic valdè affine eſt, quod exiſtimaui aliqui, *Epheſ. 6. 17.* *1. Theſſ. 5. 8.* *Rom. 15. 4.* *Rom. 8. 24.* *Rom. 5. 2.* *1. Petri 1. 3.*

Depositvm noſtrum apud Deum eſſe meritorum cumulum, quem diuinç imprimis gratiæ auxilio, qua bene operando, qua mala patienter ferendo congregare ſolent iuſti. Vt intelligatur, illa minimè perire, nec deuolui cum tempore, quod cum actionibus & paſſionibus labitur: ſed commendari in depoſitum, non apud hominem fallacem, & impotentem; ſed Deum immortalem, ac nunquam deficientem. Vnde Anſelmus in cap. 5. ad Romanos: Probatio operatur ſpem, quia vnuſquiſque ex eo, quod per tribulationes inſuperabilis probatus eſt, incipit habere ſpem: id eſt, certitudinem diuinæ gloriæ, quæ humanæ rationi vana videtur: ſed teſtimonio virtutis firmatur. Et Cyprianus ſermone, De mortalitate. Gratulari oportet, & temporis munus amplecti, quod, dum noſtram fidem firmiter promimus, & labore tolerato ad Chriſtum per anguſtam Chriſti viam pergimus, præmium vitæ eius & fidei ipſo iudicante capiamus. Ita quoque Thomas Aquinas per Theſaurum, quem Chriſtus theſaurizare iubet in cœlo intelligit meritorum copiam. Theſaurus, ait, ſpiritualis eſt meritorum congregatio, quæ ſunt fundamenta futuri ædificii, quod nobis præparatur in cœlo: quia tota præparatio futuræ gloriæ eſt per merita, quæ adquiruntur per gratiam. *Heb. 10. 23.* *Cumulus meritorum.*

Patiatvr hic plurimum Deo carus: derideatur iuſti ſimplicitas: ſit lampas contempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus ſtatutum: vexetur pauper & miſer: exſibiletur religioſus: contemnatur pannis obſitus: coniiciatur in carcerem, tanquam malefactor: extendatur in equuleo: caſtigetur ſcorpionibus: agatur in crucem; circumeat in melotis, in pellibus caprinis, egens, anguſtiatus, adflictus: de meritorum cumulo & patientiæ mercede ſecurus illud vſurpabit: Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. *Iob. 12. 4.*

Svnt autem aliqui, qui depoſitum transferunt ad ſalutem & incolumitatem corporis & animæ: ad ipſum imo corpus & animam: quaſi in manibus Dei colloces, ſecurus eſſe poteris, tibi ea à fideliſſimo Depoſitario reddenda eſſe. Ita S. Ambroſius, qui Paulum hoc pacto loquentem inducit: Spe & fiducia magnificentiæ Saluatoris ſecurus ſum, quia quod commendatur illi in tuto eſt. Quid autem illi commendabat Paulus niſi ſalutem ſuam? vt hic pro illo patiens, ſalutem inueniat penes illum, cum cœperit iudicare, vt puniens infideles iſtum dignum æterna vita pronunciet. *Depoſitum corpus & anima.*

Vel, ſeruabit Depoſitum meum, quia potens & fidelis. Quodnam illud? corpus & animam, vt aliquando illa bonis omnibus cumulata reſtituat. De hoc Depoſito eſt illud Domini: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Et Stephani: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Nam iuſtorum animæ, tanquam Depoſitum in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Chriſti quoque eſt veriſſimum pronunciatum: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Nimirum, apud me, tanquam Depoſitum quoddam rite ſeruatum. *Luc. 23. 46.* *Act. 7. 59.* *Sap. 3.*

Diſcamus, commendandam Deo animam, ſub mortem quidem potiſſimum, ſed in omni vita tamen etiam, velut Depoſitum: certi, quia potens eſt Depoſitum noſtrum ſeruare in illum diem: videlicet iudicii vniuerſalis, quando & corpus reſtituetur quod nunc deponitur ad tempus in ſepulcro, & commendatur Depoſitario fideli.

O Adoleſcens dum Mundus fallacibus promiſſis ad illicita conatur attrahere, dum propoſitis prauorum exemplis ad inhoneſta hortatur: dum pietatis in pueritia hauſtum ſpiritum molitur extinguere, commendanda eſt Deo anima: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Dum caro titillat & noxiis blandimentis animæ venenum propinat, vt trucidet, ad Deum eſt confugiendum: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Dum Dæmon ſe fabre, vafreque in ſenſus, mentemque inſinuat. Dum animam Deo deuotam perfide ad ſua caſtra conatur attrahere, Depoſitarii fidelis auxilium eſt implorandum, illique anima committenda: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Depoſitum Fideles. Ab hac, quam iam promouimus, expoſitione, non abludit illa Chryſoſtomi, qua fideles ipſos Depoſiti nomine intelligi poſſe arbitratur. Fideles, inquit, ipſos Depoſitum dicit: quod apud ſe Deus depoſuit, aut certe, quod ipſe apud Deum. Nulli profecto melius filii, amici, quilibet proximi, quam Deo, tanquam Depoſitario committi poſſunt, vt ille eos ſaluet incolumes, & ſuo tempore iterum ſiſtat. Sic in hiſtoria Eccleſiaſtica, Ioannem locutum inuenio, de adoleſcente, quem alteri commendabat, Depoſitum illum nominans. Et ego vos omnes ſupplici prece hodie diuino illi Depoſitario commendaui: felices, ſi nunquam veſtra vos culpa ab eius cuſtodia ſubtraxerit.

1. Petr. 4. 19. Monitum eſt Petri Apoſtoli. Hi, qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis. Animat multa patientem promiſſio Dei, ſine cuius, vel mandato, vel permiſſu nihil fit. Promiſit autem ſe fidelem fore rerum creditarum Depoſitarium. Idem autem fideles ſuos quos creauit, tuetur, ac conſeruat, ceu Depoſitum, fideliter iuxta promiſſum ſuum, legemque, quam ſibimet impoſuit, ſed memores ſimus, vt benefaciendo, tum cuiuſuis generis bona opera: tum illud maximè, quo perſecutores, & vexatores noſtros viſceribus caritatis complectimur, digni reddamur, quos, vt Depoſitum, Deus ſuſcipiat.

Depoſitum. Fides, Prædicatio. Chryſoſt. Alterius Depoſiti mentionem facit laudatus antea Antiſtes Conſtantinopolitanus: qui, Quid eſt, inquit, Depoſitum? Fides, atque prædicatio. Hoc enim, qui depoſuit, ait Paulus, integrum inuiolatumque ſeruabit. Omnia patior, vt ne huiuſmodi theſaurus expiletur. Nullo ſuper his rubore ſuffundor, dum fides ſeruetur inuiolabilis. Et Primaſius nobilis Pauli Interpres, cuius hæc eſt expoſitio: Fidem, quam apud me ipſe depoſuit, conſeruabit, quia meis viribus ſine illius adiutorio ſeruari non poteſt.

Hoc imbecillium & fluctuantium eſt ſolamen, quos dum puſillanimitas pulſat, & quidam deſperationis malleus, illud ſubleuare debet: Certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare. Multi magno interdum animo virtutis viam anguſtam ingredi ſtatuunt: proponunt, nunquam ſe lethaliter delinquere velle amplius: ab omni inhoneſtate non operum ſolummodo, ſed & verborum ac cogitatuum: continere oculos, linguam, manum, pedes: confiteri frequenter ac bene, non ex conſuetudine, ſed ex vera pietate: communicare deuotè: frequentare

templa

templa: omnes boni ac diligentis diſcipuli numeros implere. At meticuloſi ſunt deinde & pauidi: difficultatis vel minimæ vmbra ſi occurrat, exhorreſcunt: ex muſca elephantum faciunt. Quis dabit, ſi incepero perſeuerandi vires? conſidero multorum triſtes exitus; melius eſt, non incepiſſe, quam malè deſiiſſe. Quis tanto tempore confirmata ac roborata vitia extirpare iuuabit. Poterone ab illa amœniſſima conuerſatione, luſione, compotatione ſemper me cohibere. A momento iſto non tibi licebit hoc & illud vltra in æternum. Putasne ſine iſtis poteris? Ergo nunquam amplius illud, & illud licebit? æternum hanc, illamque deſeram? *Aug. 8. Conf. 2.*

Q**VID** trepidas timore vbi non eſt timor? quid in te ſtas & non ſtas? Exclama cum Paulo: ſcio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia ego Deus tuus. *Iſa. 41.* Confortaui te & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepi te dextera iuſti mei. Omnia poſſum *Philip. 4. 13.* in eo, qui me confortat, inquiebat fidenter diuinus athleta. Iter pigrorum, quaſi ſepes ſpinarum. *Prou. 15.* Nimirum, tum viam Dei appetunt, eatenus ſocordes, ac puſillanimes, eos velut ſpinæ obſtantium ſepium, ſic formidinum ſuarum oppoſitæ ſuſpiciones pungunt. *Greg. lib. 30. Moral. c. 20.* Quid expaueſcis? Qui timent pruinã irruet ſuper eos nix. *Iob. 6. 17.* Perge porro Dona Dei ſunt ſine pœnitentia. Confide. Apud Deum non eſt mutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. *Iacobi 1.* Qui dabit velle, idem dabit perficere. Idem confirmabit vſque in finem ſine crimine in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. *1. Cor. 1.*

A**DHÆC** Depoſiti nomine non male intelliguntur Eleemoſynæ. *Depoſitum, Eleemoſyna.* Nam quæ in pauperes conferuntur, ea apud Deum quaſi deponuntur. Tobias ſenior, cum multis ad largè ſubueniendum pauperibus ſuaderet, illud etiam addidit: Præmium bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis: Græcè eſt Θέμα ἀγαθόν, ſeu vt Hebræus dicit Depoſitum.

C**ONGRVENTER** etiam per Depoſitum ſignate corpus humanum ſumitur, quod in ſepulcro, quaſi in Dei reconditorio ponimus ſuo tempore repetituri. *Depoſitum Corpus.* Quo intellectu, Petrus Apoſtolus Mortem vocat Depoſitionem Certus, inquit, quod velox eſt Depoſitio tabernaculi mei. *2. Petr. 1. 14.* Quam Paulus ad Philippenſes primo Diſſolutionem appellat: *Phil. 1. 23.* Dimiſſionem Simeon Iuſtus. *Luc. 2.* Quaſi neceſſitate quadam vinculorum teneretur, non voluntate inquit Ambroſius. *De bono Mortis cap. 2.* Depoſitionis tamen vocabulum frequentius eſt: vnde toties in Martyrologiis occurrit: Depoſitio huius aut illius Sancti.

N**ON** incommodè prætereà, Depoſitum, vindictam, vel vltionẽ ſignificat: quæ, *Depoſitum vindicta.* ſi Chriſtiani, vt dici, ſic eſſe volumus, apud Deum deponenda eſt, illiuſque prouidentiæ relinquenda. *NOTÆ.* De qua re, dum diſputat Paulus, magno adfectu Romanos ſuos ſic monet: *Non vosmetipſos defendentes, cariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim:* *Rom. 12.* Mihi vindicta: ego retribuam *dicit Dominus.* Videlicet Deuteronomii 22. *Deut. 32. 35.* Mea eſt vltio & ego retribuam in tempore. Mihi *defenſam*, legit Tertullianus, *& ego dependam* dicit Dominus. *Libr. 2. in Marc. cap. 18.* Quod ſi de iniuriis propria auctoritate vindicandis agitur, ambigi non debet, ſit ne præceptum, an conſilium: adeo enim nefas eſt iniurias priuata auctoritate vlciſci, vt ne Principi quidem fas ſit ſiue proprias ſiue alienas iniurias, niſi publicæ vtilitatis cauſſa, publicaque auctoritate vlciſci. Quare ſi offendit te aliquis, & ad vindictam ſanguis ebullit, irato placatus parce, Deo negocium committe, & illud vſurpa: ſcio, certus ſum, quia potens eſt Depoſitum meum ſeruare in illum diem.

Sed, Notate diligenter Paulum dicere, Deum ſeruare Depoſitum in illum diem: videlicet, deſtinatum, opportunum, commodum, præuiſum: cum tibi vtile fuerit, vel ſaltem cum in animæ detrimentum non verget. Ne dicas: iam dudum fiduciam meam apud Deum depoſitam habui: ſed nondum eius effectum video. Nam etiam in humanis Depoſitis licet Depoſitum repoſcenti negare. Si enim ex reſtitutione probabiliter ſecuturum ſit damnum alicuius momenti ſpirituale, vel temporale negandum eſt. Quis reddat arma furioſo? quis inſano cultrum, quo ſe interimat? Imo exiſtimat inter Theologos eximius Caietanus: ſi quis repoſcat pecuniam apud me depoſitam, vt eam male perdat, vel luxurioſe viuat, vel ludat alea, aliove luſu prohibito: vel denique repetat ad rem ſibi tantum, licet non alteri noxiam: tunc ex conſcientia non cogi ad reddendum, quoniam caritatis lege compellor, ad vitandum alterius peccatum, quando commode poſſum. Quamobrem non eſt mirandum, ſi Deus cui tam paterna de te cura, negat tibi interdum ſanitatem, pulchritudinem, diuitias, ſimilia: quibus te ad perniciem tuam abuſurum, ſi concedat, ignorare non poteſt.

S. Thom. 22. q. 62. art. 5. *Caiet. 22. q. 62. art. 5.*

Depoſitum Gratia.

Nondvm exhauſimus Depoſiti ſignificata, inter quæ haud poſtremum ſit, Gratia, quæ eſt inſtar optimi theſauri, quem Paulus dicit nos habere in vaſis teſtaceis, & figlinis: hoc eſt, corpore corruptioni obnoxio. Placuit hoc Theodoreto, qui Paulum ita loquentem introducit: *Bono ſum animo, & confido reſpiciens ad illius potentiam: quod, quantum mihi præbuit ſpiritus, gratiam integram ſeruabit, vſque ad ſuum aduentum.*

Depoſitum.

Deniqve, alterius generis Depoſita multa inuenio in ſacris, quæ ita ſunt deponenda, vt nunquam amplius reſumantur. Deponentes, inquit Petrus Apoſtolus omnem malitiam, (*κακίαν*) prauitatem, nocendi adfectum, prauum habitum, animum vitioſum, conſuetudinem peruerſam: vitioſitatem omnem, vbi fraus, & aſtutia interuenit: malignitatem, quæ in tergiuerſatione, ac calliditate ſentitur, & omnem dolum, & ſimulationes (*ὑποκρίσεις*) & inuidias, *φθόνους*, & omnes detractiones. Hæc eſt Depoſitio ſordium non corporis, ſed animæ.

Ἀποθέμενοι. 1. Petri 2. Aug. Hom. 20. & 50. S. Hier. in cap. 4. Epiſt. ad Epheſ.

Quomodo videtur deſcribere Baptiſmum Petrus: Quod & vos inquit, nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium: ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti. Sic Paulus monet deponere ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, vt renouemur ſpiritu mentis noſtræ, & induamus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Exprimit idem Apoſtolus alibi, quæ deponenda: Iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem: & tandem, vno verbo, omne pondus peccati, & circumſtans nos peccatum. Præclarè Chryſoſtomus in Pſalmum 117. circa illud. Aperite mihi portas iuſtitiæ: Iis qui caſtigantur, portæ aperiuntur, iis qui peccata deponunt: qui diſciplinam ſuſcepit, poteſt confidenter dicere: Aperite mihi portas iuſtitiæ.

1. Petri 3. 21. *Epheſ. 4. 22.* *Coloſ. 3. 8.*

Siue itaque Depoſiti nomine intelligatur, Spes, quæ eſt futurorum bonorum expectatio: ſiue operum bonorum præmium: ſiue meritorum cumulus: ſiue hominis totius ſalus: tum anima & ſpiritus: ſiue fideles omnes; ſiue fides, & prædicatio: ſiue diuina gratia: ſiue peccatorum pondus: ſiue corporis ſarcina: ſiue eleemoſynarum theſauri s, dicere poteſt fidenter Deo carus: Scio cui credidi, & certus

certus ſum, quia potens eſt, Depoſitum meum ſeruare in illum diem: quem ego vobis omnibus fauſtum & Depoſitum veſtrorum redditione felicem precor.

NOTÆ.

DE CONTRACTV DEPOSITI.

§. Nihil *in orbe tutum*] Herodot. Lib. 2. Apud Ninum Aſſyriorum vrbem, fures quidam magnam vim pecuniæ Sardanapali, qui Nini Rex erat in theſauris ſubterraneis abſtruſam compilare cum conſtituiſſer, à ſuis domibus fodere exorſi ſunt dimenſi viam ſub terra ad regias ædes, eamque humum è cuniculis effoſſam, vbi nox aderat, in flumen Tigrim, qui Ninum præterfluit, exportabant, donec id, quod volebant, perfeciſſent. Agamedes & Throphonius Hircei ærarium, quod ipſimet extruxerant, aſtute depeculati ſunt.

Andreas Veſalius in Anatomia œſophagi, & ventriculi, refert Hiſpanum quendam nocte intempeſta, obſeruato prius loco, in quo hera theſaurum depoſuerat, inde margaritas maximi precii ſumpſiſſe, ac deuoraſſe: cumque in veſtibus, ac circa corpus, nihil inueniretur dimiſſus fuit.

Apud Indos ſi quis mutuo, Depoſitove fraudetur, non venit in iudicium: ſed ſeipſe accuſar is, qui credidit. Stobæus Serm. 42.

Apud Piſidas grauiſſima ſemper Depoſiti cauſſa fuit. Apud eos ſi inuentus eſſet, qui defraudaſſet, mortis crudeliſſimo ſupplicio afficiebatur. Idem ibid.

Philo Hebræus Lib. De plantatione Noë. Piſcatores quidam, cum paruis dimiſſis, magnos hamo capiunt, non criminantur, quia aiunt ſe hoc modo annonæ macelli proſpicere, atque quotidiè menſas inſtruere talibus copiis. At vilis Depoſiti redditione fas non eſt ineſcare quemquam, vt ab eo maius auferas, manibus pauca porrigens, multis verò, magniſque rebus defraudans. Valerius Maximus Lib. 8. cap. 3. Ancilla quædam Depoſiti nomine pecuniam acceperat à duobus hoſpitibus hac conditione, vt eam ſimul vtriſque redderet. Horum alter poſt tempus aliquod lugubri veſte, & ſqualidus, ſocii mortem ſimulans, decepta muliere, numos abſtulit. Eo facto ſuperuenit alter, & depoſitum repetere cœpit. Cum mulier anxia de laqueo cogitaret, Demoſthenes ei patronus adfuit; qui vt in aduocationem venit, ſic aggreſſus eſt petitorem. Mulier parata eſt Depoſiti fidem ſoluere, ſed niſi ſocium adduxeris, id facere non poteſt: quoniam vt ipſe prædicas, hæc dicta lex eſt, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Hoc ingenio ſeruauit miſeram, eluſitque nebulonum conſpirationem, qui hoc agebant, vt pecuniam bis acciperent.

§. DEPOSITVM *Corpus & anima.*] In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. nimirum, tanquam in Depoſitum. Lege Bellarm. Opuſc. De vii. verbis in cruce prolatis.

§. DEPOSITVM *Vindicta.*] Tertullian. Lib. De Patientia. Adeò ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus. Si iniuriam depoſueris penes eum vltor eſt. Si damnum, reſtitutor eſt. Si dolorem, Medicus eſt. Si mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, vt Deum debitorem habeat?

Depoſita vocantur præcepta Dei, quæ fideliter debent cuſtodiri, & memoria repeti. Pſalm. 18. 9. Iuſtitiæ Domini rectæ. Hebraice פקודי Pikkude Mandata ac Præcepta ſignificat, Depoſita etiam, ac theſaurus.

Denique, Dona omnia quæcunque ad Eccleſiæ ædificationem Timotheo Deus commiſerat Depoſiti nomine ſignificantur.

COMMENTATIO XXXIX.

Dominica XII. poſt Pentecoſt.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEUM, *ex Contractu Fideiuſſionis.*

In qua ex Fideiuſſionis, & natura, & qualitatibus, deducitur, quantopere genus humanum ſibi æternum obligauerit Chriſtus Dominus, ob Fideiuſſionem longe periculoſiſſimam, ac damnoſiſſimam in eius gratiam præſtitam.

Gratiam Fideiuſſoris non obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Eccleſiaſtici 29. 20.

Quodcunque ſupererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi. Lucæ 10. 35.

FIDEIVSSOR CHRISTVS.

Commerciorum fundamenta. Pecunia. NOTÆ. Fides.

COMMERCIORVM fundamenta, quibus forenſium contractuum moles incumbit ſunt Pecunia & Fides. Pecunia quibus ſuppetit, iis nihil ad vitæ conſeruationem ac ornamenta deeſſe poteſt. nam pecunia veneunt omnia. Sano voluptates: ægro medicinæ & ſanitas: captiuo redemptio: nudo veſtes: fameñti ciborum abundantia: laſſo quies numis emitur. Qui pecunia deſtituitur, fide, cuius opinionem apud alios habet, iuuari poteſt. Facile abſque numis numeratis illi creditur, quem integra eſſe fide, nec fallere ſolere in dati acceptique rationibus probatum eſt. Si proprii peculii deſit fides, quam rerum anguſtiæ interdum diminuunt, aut conturbant, quoniam conſtat virum alioqui bonum ſoluendo non eſſe, alienam oportet implorare, & ad fideiuſſoris gratiam confugere: qui, ſi pro indigente ſpondeat, inopiæ remedium inuenitur.

HINC Contractus Fideiuſſionis in republica eſt indnctus: vtilis, vt opinor, ac vniuerſum neceſſarius. Multi namque pecunia indigent, quibus nunquam mutuo daretur, niſi aliquis pro iis fideiuberet. Multæ emptiones credita pecunia fieri non poſſent, niſi aliquis pro emptore ſe fideiuſſor offerret. Plurimis neceſſaria, aut commoda ad vitam, commodamque ſuſtentationem denegarentur, niſi bonus amicus fidem ſuam interponeret, & ſe ad ſoluendum obligaret. Euangelicus Caupo hodie male à latronibus mulctatum, vulneratumque, nec in ſtabulum recepiſſet, nec curam illius egiſſet, nec medicinas adhibuiſſet, niſi bonus Samaritanus prolatis duobus denariis, quicquid ſupererogaretur, fide ſua interpoſita, refundendum ſpopondiſſet. Quod eſt fideiuſſorem agere. Etenim Fideiuſſor, qui pro alio fideiubet, ſeu fidem ſuam interponit, aut ſpondet: fideiubeo, idem eſt, quod pro altero promitto.

PLACVIT ſupremo Numini modis omnibus obnoxios ſibi homines facere.
Non

Non ſatis habuit numeratam pro iis pecuniam proprii ſanguinis & meritorum exponere; fideiuſſionem quoque addere placuit; ſolututum ſe de ſuo, quæ hominum penuria adnumerare non valeret: quod eſt, ſe fideiuſſorem conſtituere.

An non hoc præclare hodierni Euangelii parabola indicat? cuius hic ſenſus myſticus à grauiſſimis Doctoribus traditur. Hominem, qui ab Ieruſalem in Iericho deſcendebat, fuiſſe Adamum, & longam ſub eo capite poſteritatem, genus humanum. Is à Ieruſalem, ciuitate pacis: hoc eſt, gratia Dei, & ſummæ dignitatis gradu, in quo conditus fuerat; in Iericho, id eſt, abiectum peccati ſtatum deſcendit. Latrones, in quos homo incidit, Dæmones eſſe: qui eum gratia primum ſpoliauerunt: deinde vulnerarunt: quoniam per peccatum, naturæ corruptionem intulerunt: reliquerunt autem ſemiuiuum; ſiue, quia corpus non occiderunt, ſed animam: ſiue quia vita naturali relicta, ſpirituali gratiæ fuit orbatus: ſiue quia viuus cenſetur, quamdiu libero eſt arbitrio præditus: mortuus autem, quia è peccati tumba, niſi Chriſto clamante, Lazare veni foras, ſurgere non poteſt. Præteriiſſe Sacerdotem, ac Leuitam: Aaronem ac Moſen, turbam Prophetarum: veteris legis ſacrificia, ſacramenta, ritus, ceremonias: ſed hominem ſanare haud potuiſſe. Tandem, Samaritanum, cuſtodem fidum miſericordia motum, eadem via, nimirum in eundem mundum deſcendiſſe, in quo homo miſerabilis iacebat. Hic in equum, hoc eſt humanitatem ſuam impoſitum, in hoſpitium, *πανδοχεῖον*: nempe Eccleſiam deduxiſſe: eius vulnera lauiſſe rubicundo ſanguinis vino: vnxiſſe oleo miſericordiæ: denique in cœlum redeuntem, Stabulario, Eccleſiæ præſidi, corporis ac ſanguinis ſui precium diſpenſandum reliquiſſe, addita fideiuſſionis formula: ſi quid vlterius ex Sanctorum ſuffragiis ac meritis conferret; id quoque ſe ſuo ſanguine compenſaturum. Ita fere *a* Origenes, *b* Nazianzenus, *c* Baſilius, *d* Chryſoſtomus, *e* Ambroſius, *f* Hieronymus, *g* Anaſtaſius, *h* Auguſtinus, *i* Gregorius, *k* Beda, *l* Bernardus.

a *Homil. in Luc. 34.*
b *Orat. 4. de Theod.*
c *Hom in aliquot. SS. loca.*
d *Hom. de ſac. Parabola.*
e *Lib. 9. in Luc.*
f *Epiſt. ad Fab. & in cap. 20. Matt.*
g *Quæſt. 5.*
h *Serm. 17. de verb. Domini.*
i *Lib. 20. Mor. cap. 21.*
k *Luc. 10.*
l *Serm. de Annunc.*

IAM vero Samaritanus hic noſter in triplici negocio potiſſimum ſeſe Fideiuſſorem generi humano præſtitit. Primo, in negocio Liberationis. *Secundo*, in Emptionis. *Tertio* in Remunerationis. In hoc autem, quod poſtremo loco poſitũ, manifeſtiſſimum eſt lemma noſtri Samaritani: *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis*, Matthæi 25. Ex quo liquet Chriſtum vel eleemoſynas danti, vel alia miſericordiæ opera erga pauperes exercenti tanquam fideiuſſione ſe debitorem conſtituere. Quam autem accurate fidem præſtet, alibi copioſe demonſtrauimus.

Fideiuſſor in remuneratione.
Mat h. 25. 40.

Ad liberationem quod attinet, eramus omnes peccati de merito filii iræ & tenebrarum, incluſi in teterrimo damnationis carcere, non exituri inde donec ſoluiſſemus vſque ad nouiſſimum quadrantem. Sed væ captiuis: æternum fuiſſet manendum profecto, tanta erat omnium inopia, niſi Dei Filius fide ſua interpoſita, qua apud Patrem plurimum valebat, nos in libertatem filiorum DEI aſſeruiſſet.

Fideiuſſor in liberatione.

DE Emptione illud ſatis conſtat, quod proprio eſt titulo demonſtratum: Cœlum, non niſi iuſto precio perſoluto à Deo hominibus vendi. Illud etiam eſt certum: Neminem hactenus cœlum coëmere potuiſſe, cui Chriſtus vel pretium gratis non dederit: vel, pro quo fidem ſuam de perſolutione non interpoſuerit.

Fideiuſſor in emptione Cœli.

QVOD

Digitized by Google

QVOD vt intelligatur ab omnibus, ex fidei noſtræ principiis ſupponendum eſt: Duplex hominum genus, cœlum, emptionis titulo obtinuiſſe. Alterum quidem, quod ante Chriſti Domini Paſſionem piis operibus illud ſibi comparauit. Alterum verò, quod poſt diros illos à Saluatore perpeſſos cruciatus iiſdem mediis adquiſiuit. Nullum autem ex alterutro ad illud ius habuiſſe vnquam ſine fide, ac merito vnius Mediatoris, qui dedit ſemetipſum pro omnibus. *1. Timot. 2. 2.* Cum igitur illi, qui in Teſtamento Veteri pretium ſolutionis adnumerare debuerunt, nullum habuerunt, quod non fide futuri Saluatoris niteretur, profectò facile intelligitur, Emptionem ab iis factam non niſi fideiuſſione Saluatoris ſtare potuiſſe: qui quod ipſi numerare non poterant, ſe additurum promitteret.

Rom. 8. 18. NEC in noſtra Emptione eſt diſſimilis ratio. Cum enim non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: hoc eſt: minime ſint paria, quæ in præſentia toleramus, ac Deo offerimus futuræ illi immortalique gloriæ, quam nobis, vt ſecundum habitationem coëmimus, neceſſe eſt, Chriſtum pro nobis apud Patrem ſpondere, ſe redditurum, quicquid deſideratum fuerit.

QVAMOBREM hac de re ſerio commentanti hoc in mentem veniebat humanum genus vniuerſum cum Deo paciſci voluiſſe, vt quocunque tandem precio perſoluto in eius iterum gratiam reſtitueretur, & æternam manſionem obtineret. Verum cum taxato precio minus habens ſemper inueniretur, obtuliſſe ſe verbum, æterni Patris filium, ac de ſuo additurum abunde promiſiſſe, ſi homo capitalem ſummam perſoluere non poſſet. Huius autem fideiuſſionis virtute hominem ius quoddam ad cœli domicilium accepiſſe.

Et ſane, alterius à Christo, qui θεάνθρωπος Deus-Homo eſt, fideiuſſionem Pater non acceptaſſet: nec fideiuſſor alius eſſe potuiſſet. Siquidem, ad hoc vt fideiuſſoris munus quis rite obeat, debet imprimis habere liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem. Quocirca neceſſe eſt, vt habeat propria bona. Item, vt illa ſint ſufficientia ad ſatisfaciendum pro debito, ac damnis, ſi quæ patiatur creditor, culpa principalis debitoris non ſoluentis. Præterea vt libera adminiſtratio illa non ſit prohibita lege, aut iudicis ſententia. Vnde filiusfamilias, niſi habeat peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, non poteſt eſſe fideiuſſor, ſine conſenſu patris: nec pupillus ſine tutoris placito: nec minor ſine nutu curatoris. Eadem de cauſſa, nec amentes, nec furioſi, nec religioſi poſſunt legitime fideiubere.

QVIBVS ita in iure conſtitutis ex altera parte in confeſſo eſt apud Theologos noſtrates: Neminem præter Chriſtum, ſufficientia bona pro peccatorum debitis habuiſſe; ſed nec vllam ſimplicem creaturam habere potuiſſe. Nihil etiam in hominum fuiſſe bonis, quod non multis titulis Dei potius, quam hominum dici potuerit: tum ob immediatam ac generalem dependentiam omnis actionis à Deo: tum ob dependentiam à potentiis humanis, quæ perfectiſſime ſunt ſub dominio *NOTÆ. Chriſti propria bona.* Dei. Quod tametſi de Chriſto Saluatore, qua homo eſt, dici poſſe videatur: tamen actiones ipſius liberæ, ac propterea ſub ipſius ſuppoſiti dominio conſtitutæ, operationeſque meritoriæ cenſeri poſſunt, velut peculium quoddam caſtrenſe, quo Patri pro hominibus fideiuſſionem conſtituere potuit, ac debitorum ſummas omnes non ſufficientes ſolum, ſed & ſuperabundantes perſoluere, quod illum feciſſe certum eſt.

Chriſtus, quia PORRO, ſi Chriſtus apud Patrem pro nobis fideiuſſit, neceſſarium eſt, illum apud

Digitized by Google

apud Pattem pro nobis debitorem factum. Fideiuſſio enim ſi vera ſit, debitorem conſtituit fideiuſſorem ob promiſſum, creditorem autem illum, apud quem pro alio fideiubet ob eam rem, quia ſponſoris fidem accipit creditor. Vt igitur vera ſit, ac non ficta fideiuſſio, requiritur, vt is, qui pro alio ſponſione vincitur, obnoxius ſit ei apud quem fide iubet. Verbi cauſſa: Si ego fideiubeam apud Titum pro Caio. Si Caius aut rationes conturbet, aut ſententiam iudicis, litiſue æſtimationem fuga vitet, Titio præſtabo quicquid à Caio debebatur. Quod in fideiuſſione Chriſti contigiſſe obſeruo, qui cum promiſiſſet, ſe precium ſalutis, cæleſtiumque mercium perſoluturum, ni homo faceret, homo ad incitas redactus, cum ne oboli quidem eſſet dominus, liberaliſſime ſummam omnem perſoluit. *Fideiuſſor, eſt debitor.* *NOTÆ.*

Hoc ipſum autem fideiuſſoris gratiam vocat ſapiens, cuius merito ac virtute ſaluati ſumus. Gratiam, inquit, fideiuſſoris ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Qua ſententia ſerio monet Eccleſiaſticus, eum, pro quo quis ſpopondit, ne immemor ſit gratiæ, id eſt beneficii à ſponſore præſtiti: ſed ita eius recordetur, vt & ſolicitus ſit ad liberandum ſuum fideiuſſorem, & præſtitum beneficium, gratiamque ſemper memoria complectatur. Vt autem magnitudinem beneficii extollat, adiungit: *Dedit pro te animam ſuam.* Qua phraſi apud Hebræos vſitata ſignificatur, graui ſe pro amico expoſuiſſe periculo. Contingit enim non raro, vt fideiuſſor non tantum pecuniæ amittendæ periculum ſubeat: ſed & vitæ. *Eccl. 29.*

Qvod ſi de Chriſto ſit ſermo: veriſſimum eſt, illum pro nobis animam ſuam poſuiſſe, vt fideiuſſioni pro nobis ſatisfaceret. Niſi enim ille dediſſet pro peccatoribus animam ſuam, nunquam liberationis emptioniſque pretium exſoluere potuiſſent.

Sed quam ille tam eximii beneficii compenſationem, remunerationemue poſtulat? nonniſi acceptæ gratiæ memoriam: Gratiam fideiuſſoris non obliuiſcaris. Quæ, unt humanorum contractuum gnati. An fideiuſſor licite poſſit exigere pretium à debitore pro fideiuſſione ſua. Et eſt quorundam ea opinio, ſi quid exigatur, vſuram eſſe: quoniam fideiuſſor ſoluendo creditori pro debitore, nihil aliud facit, quam mutuare debitori pecuniam, quam ſoluat creditori. Nam quando Fideiuſſor ſoluit pro debitore ſemper manet obligatus debitor ad ſoluendum ipſi tantundem, quantum pro debitore ipſi ſoluit creditori. Itaque ſi pretium exigat pro fideiuſſione perinde eſt, ac ſi lucrum adquirat pro mutuo. Aliorum eſt mitior perſuaſio, qui ſentiunt eſſe licitum, vt Iuriſconſulti plerique Canonum interpretes, ac Theologi. Quoniam iſtiuſmodi lucrum ſiue pretium non exigitur ex mutuo, quo fideiuſſor ſoluendo pro debitore pecuniam illi mutuet: Sed ex obligatione, qua ſe obligat ad mutuandum debitori, vt habeat pecuniam, qua ſuo ſatisfaciat creditori. Obligatio autem huiuſmodi eſt pretio æſtimabilis: atque idcirco fideiuſſor non tenetur gratis hanc obligationem ſuſcipere pro aliquo. *An exigi aliquid poſſit pro fideiuſſione.* *NOTÆ.*

Ex quo conſequitur, quamuis fideiuſſor in fideiubendo nullum periculum incurreret iacturæ, nec laborem, aut moleſtiam vllam pateretur, licite poſſe compenſationem aliquam pro fideiuſſione exigere: cauſſa enim exigendi eſt dicta obligatio, quæ fideiuſſioni eſt coniuncta. Sic namque etiam obligatio, qua quis ſe alteri obligat ad mutuandum quando egebit: & obligatio, qua presbyter ſe obligat ad celebrandum certo loco aut certis temporibus precio æſtimabilis cenſetur apud Theologos. *Quid potuerit Chriſtus exigere pro fideiuſſione.*

Potvisset itaque Christvs Fideiuſſor, ſi ſuo iure agere voluiſſet, ob fide-

Vuu iuſſio-

Digitized by Google

iuſſionem, in qua tantum & periculi, & difficultatis erat, quicquid in peculio habes, & bonorum omnium poſſeſſionem exigere, date illi debuiſſes pecuniam, prædia, facultates omnes tuas. Sed quia bonorum tuorum non eget, vnum poſtulat, vt tanti beneficii gratiam memoria recolas ſempiterna.

Fideiuſſor Chriſtus ſemper in mente habendus.

O Adoleſcens! Gratiam Fideiuſſoris tui non obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Multis grauia ſunt, aut videntur toleratu ieiunia, flagra, cilicia: nulli grauis eſſe poteſt, ſi Chriſtianus eſſe velit, Chriſti Fideiuſſoris memoria. Gratiam Fideiuſſoris tui non obliuiſcaris. Pauperi dare eleemoſynam, cum nihil habeat, quis prudenter imponat? Ægrum peregrinationem ſuſcipere, cum pedibus vix conſiſtat firmus, liquet non poſſe. puerum multa rigidioris pœnitentiæ opera exequi non expedit: omnibus autem facilis eſt, & vtiliſſima Fideiuſſoris memoria: Gratiam Fideiuſſoris tui non obliuiſcaris.

O iuuenis libris litteriſque dedite! ſi Priſciani ad linguæ puritatem Latinæ præcepta excidant: ſi Ciceronis, & Quinctiliani ad eloquentiam obruantur aliarum cogitationum mole: ſi Ariſtotelis ſubtilitates in mente obliterentur: ſi Hippocratis & Galeni medicinales aphoriſmi non perſiſtant: ſi Iuſtiniani leges, Bartoli, Baldique commenta è memoria elabantur: ſi Thomæ, Bonauenturæ, Scoti, & tot aliorum recordatione orberis, quæſo te, per quicquid tibi carum, & ſacroſanctum, Chriſtum ſemper in mente habeas: Gratiam Fideiuſſoris tui non obliuiſcaris.

Euchariſtia ad Fideiuſſoris memoriam inſtituta.

Hoc eſt, quod pro fideiuſſione ſua, ſiue pretium, ſiue præmium Chriſtus exigit, iugem gratiæ, & benefactoris memoriam: quam adeò illi cordi fuiſſe certum eſt, vt vel hæc potiſſima, vel inter potiſſimas cauſſas vna fuerit miraculorum omnium maximum moliendi: id eſt, corporis & ſanguinis ſui myſterium in Eccleſia, ſub forma viſibili conſtituendi. Nimirum, ſolent Fideiuſſores, vt obligationis recordatio non obliteretur: vel debitori ſuo dare aliquid, quod ſit memoriæ indicium, ac incitamentum: vel ab eo viciſſim accipere quidpiam ad eundem finem deſtinatum. Chriſtus, vt, quam ſedulo Fideiuſſionis beneficium recoli, & nunquam vellet elabi, oſtenderet, quod potuit excogitari precioſiſſimum, ac ſibi maximè carum, in præſentis memoriæ ſymbolum humano generi commendauit. Ita adnotabat Doctor Angelicus viuifici Sacramenti, ſi quis alius, admirator ac cultor. qui de tota hac re diuinè philoſophatur in Opuſculo 58. quod de venerabili Altaris Sacramento inſcripſit: & meo iudicio omnium Auctorum, qui hactenus de eodem Myſterio lucubrationes ediderunt, operibus eſt plenius, ſubtilius, perfectius: ideoque vniuerſis Sacramenti illius amatoribus legendum: concionatoribus præſertim, ſi ſoliditatem ament.

Triplex cauſſa inſtitutionis SS. Sacramenti.
S. Thomas Opuſ. 58.

Ille itaque vir eximius hunc in modum diſputat: Cauſſa inſtitutionis venerabilis Sacramenti eſt triplex: ſcilicet Memoria Saluatoris: Sacrificium altaris: Cibus hominis. Hæc tria diſpoſuit in hoc Sacramento diuina Sapientia contra tria vetera mala: Scilicet, contra obliuionem Dei: contra debitum rapinæ alienæ rei: contra corruptiones pomi mortiferi. Primi enim parentes in hæc tria mala inciderunt ſerpentina fraude decepti, & per eos ſucceſſores ſunt deprauati. De primo eſt illud Eccleſ. cap. 10. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor eius: ſcilicet per obliuionem in occupatione damnoſæ negociationis cum ſerpente: quod ſæpè adhuc quibuſdam ſtultis ſolet euenire.

Digitized by Google

De ſecundo Geneſis 3. videns mulier lignum, quod eſſet bonum ad veſcendum,& pulchrum oculis aſpectuque delectabile, tulit de fructu, & comedit, deditque viro ſuo, & ſic ambo rapinam commiſerunt. Huius rapinæ ſimilitudinem faciunt, qui in vſu creaturarum & rerum, per alium menſuram iuſtitiæ excedunt.

De tertio Geneſis 3. de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex ea morte morieris. Sic corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt; Ira, qui venenum in vſum ſumunt, animas occidunt, & corrumpunt. Igitur contra triplex malum vetus inſtitutum eſt hoc ſacramentum, Lucæ 22. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Ecce prima cauſſa: ſcilicet, Memoria Saluatoris contra obliuionem. Quod pro vobis tradetur: Scilicet, vt Agnus Dei offerretur. Ecce ſecunda cauſſa, nempe Sacrificium altaris contra rapinam. Accipite, & comedite. Ecce tertia: ſcilicet, cibus medicinalis contra corruptionem. *Pſal. 13.*

Memoria ergo Saluatoris contra obliuionem eſt prima cauſſa, vt hoc ſcilicet admoniti totam mentem, & omnes ſenſus noſtros, quos à Deo auertimus, & cum prauis quandoq; cogitationibus, & delectationib. vagari permiſimus à noxiis abtrahentes integraliter ad Deum referamus. Hinc dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Euſebius: Quia corpus aſſumptum Dominus ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſideribus, neceſſarium erat, vt die cœnæ Sacramentum nobis ſui corporis & ſanguinis conſecraret, vt offerretur iugiter per myſterium, quod offerebatur ſemel in pretium, & perennis victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia.

Et nota. Ad habendam ſemper memoriam Saluatoris cogunt nos tria argumenta caritatis illius. Scilicet Remiſſio peccatorum: Redemptio inpignoratorum: continuatio beneficiorum. De primo eſt illud Iſaiæ 43. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*, & peccatorum tuorum non recordabor, reduc me in memoriam.

De ſecundo Eccleſiaſtici 29. Gratiam Fideiuſſoris ne obliuiſcaris: quin ſcilicet illum pro ea diligas, & quin orationibus ac bonis operibus debitum ei reddas. Canticorum 5. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, quia caput meum plenum & rore, & cincinni mei guttis noctium. Aperi mihi, id eſt, ſuſcipe me in mentem tuam, in memoriam, & dilectionem: quia caput meum: nempe Diuinitas plenum eſt rore, ſcilicet, miſericordia ad dimittendum peccata: & cincinni mei, hoc eſt, humanitas, guttis noctium: nimirum, effuſione ſudoris, lacrymarum, & ſanguinis paſſionum ad redimendam hereditatem tuam, pro ſatisfactione peccatorum tuorum inpignoratione.

De tertio Deuteronomii 8. Obſerua, & caue, ne quando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius: ne poſtquam comederis, & biberis, & ſatiatus fueris, habuerisque cunctarum rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei. Gloſſa Eccleſiaſtici 17. Sicut nullum momentum eſt, quo non vtitur homo Dei bonitate: ita ſemper debet eſſe eius memoria præſens. Hæc S. Doctor. Addamus aliquid ad viuam hanc Fideiuſſoris memoriam ingenerandam, quod vtilitatem iucunditati mixtam adferet.

NVNQVAM-NE vobis lectum, quod plurimæ lectionis auctor Vlyſſes Aldrouandus narrat in opere vaſtiſſimo nuperrimè edito De animalibus; in apibus rem planè miram obſeruatam à naturæ ſcrutatoribus. Si aperiantur apiculæ inteſtina, reperis in ventris penetralibus inteſtinum bouis. *Apibus inteſtinum bouis in ventre.*

 Cauſſam

Cauſſam rimanti illa occurrebat, quia apes creantur ex boum extis, ſi ut crabrones ex equorum fimo; fuci ex mulorum, veſpæ ex aſinorum. Voluit ſagax natura, aut melius, eius auctor in re tantilla docere, naturæ, ac multo maxime rationi conſentaneum eſſe, vt in penitiſſimis viſcerum cauernis, ac medio cordis, ille impreſſus hæreat, ſi non perſona propria, ſaltem in ſui aliquo, ceu viua imagine, à quo vitæ, conſeruationisque beneficium acceperis: quæ Fideiuſſoris tui liberalitate tibi collata fuiſſe dubitare non potes. Itaque ſi naturæ congruenter viuere velis Gratiam Fideiuſſoris non obliuiſcatis.

Vitulus comeſtus ab Iſraele, vel epotus. Deuter. 32.

HVC ſpectabat ſapientiſſimus in omni doctrina Ægyptiorum Moſes: qui, cum poſt adoratum vitulum ab Iſraelitis, populum ſeueriſſime caſtigaſſet, in getendo illud ingratitudinis extremæ: Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui: vitulum ipſum in minutiſſimum redactum pulueretn potandum Idololatris obtruſit. Quaſi dicere ſymbolicè voluiſſet: Vitulum, velut Deum adoraſtis, quaſi ab illo bona omnia procedant: æquum eſt igitur, vt velut apes ex eius capite generati, intra viſcera illum repræſentetis. Bibite: ac veri Dei eraſa imagine, vituli inteſtinum recondite; vt qui ferro ventrem veſtrum ſcrutabitur, illum, quem adoraſtis in imis præcordiis, tanquam in lalario locatam reperiat.

Iudæi cur Apes dicti.

AN fortaſſe idcirco Chriſtus, Iudæos, capitales Diuinitatis ſuæ hoſtes appellat apes: quod notatum ab Auguſtino, & Arnobio? ***Circumdederunt me ſicut apes,*** Pſalmo 117. Ita lubet ſuſpicari: quaſi poſt tot annorum circuitum adhuc idoli bouini inteſtinum in corde haberent ac venerarentur, verumque Deum deglutire non poſſent, & corde retinere. Quibus ſimiles ſunt, qui cum Chriſtum, cuius fideiuſſione ſe ad vitam reuocatos, libertati donatos, bonis omnibus ad voluptatem non minus, quam neceſſitatem auctos non neſciunt, ideoque illum Deum eſſe, qui ipſos regenerauit ignorare non poſſunt: tamen eo ex cordis penetralibus eiecto teterrimi Cacodæmonis inteſtinum ex prauis cupiditatibus generatum in eo collocant, ſuppliciterque adorant.

Cur multi blaſphement.

Fallor, niſi hoc probant ſpurciſſimi ructus, quibus momentis pene ſingulis aërem, & circumſtantes inficiunt. Niſi enim inteſtinum peſſimi Dæmonis in memoriæ, ac cordis meditullio reconditum haberent, quomodo tam prompte per Dæmonem, Diabolum, Luciferum, Aſtharoth, ac decies centena millia furiarum iurarent, ſeque diris deuouerent. Nimirum, qui bouis interiora habet, mugitum; qui leonum exta, rugitum; qui inteſtina canis, latratum: qui aſini præcordia, ruditum: qui ſuis viſcera, grunnitum facile exprimit: qui Dæmonis inteſtinum, dæmoniacos ructus nullo negocio emittit. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. E contrario, qui Chriſtum in ſuccum & ſanguinem vertit, non niſi, quæ Chriſti ſunt, loquitur, ac cogitat. Hæc à te pro Fideiuſſione ſua pretium Chriſtus poſtulat: hoc illi fideliter eſt perſoluendum.

Matt. 15. 19.

Mala ex obliuione Fideiuſſoris.

Circa illud autem tria quæri poſſunt, dicamus ſine omni verborum fuco Theologicè, id eſt, verè, preſsè, enucleatè, penè verbis ſummi Theologi. PRIMVM eſt: Quod, ac Quotuplex malum ſequatur, ſi memoria Fideiuſſoris fuerit obliterata. Reſpondetur triplex potiſſimum. Primum eſt, Amiſſio gratiæ diuinæ. Secundum: Subiectio poteſtatis diabolicæ. Tertium, magna deformitas culpæ.

S. Thom. Epiſ. 57. cap. 2.

De

Digitized by Google

De Amiſſione gratiæ interpretor illud Deuteronomii 32. Deum, qui te genuit de- *Deut.32.18.*
reliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Et ait: id eſt: ideò ait Dominus:
abſcondam faciem meam ab eis: id eſt, ſubtraham gratiam. Vbi fons perit, are-
ſcit riuus. Iſaiæ 17. Eris deſerta, quia oblita es Dei Saluatoris tui, & fortis adiu- *Iſa.17.9.*
toris tui non es recordata. Eccleſiaſtici 20. Gratiæ fatuorum effundentur. *Eccleſ.20.13.*

De ſubiectione poteſtatis diabolicæ eſt illud Iud. 4. Addiderunt filii Iſrael fa- *Iud.4.1.*
cere malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui: & tradidit illos Dominus
in manus Iabin Regis Chanaan: id eſt, poteſtati Diaboli. Tobiæ 4. Qui coniu- *Tob.4.*
gia ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & ſua mente excludant, in his habet poteſtatem
Dæmon.

De magna culpæ deformitate atteſtatur Paulus Apoſtolus Romanor. 1. Sicut *Rom.1.28.*
non probauerunt habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſen-
ſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, & heu! hoc ſæpe fit vſque ad mortem.
Pſalmo 9. Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt viæ illius in omni *Pſal.9.5.*
tempore. Ioëlis primo, computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Iumenta impu- *Ioel.1.17.*
dica ac imprudentia ſunt homines ſtulti, carnales, Deum præ oculis non ha-
bentes. Huiuſmodi in ſtercore ſuo putreſcere, eſt in luxuria, & aliis peccatis vi-
tam finire.

Secvndo quæritur: De quibuſnam Fideiuſſoris rebus memoria ſit habenda.
Reſpondet S. Doctor, de tribus. Nempe, de præterito: de præſenti; de futuro.

De præterito: vt noſtri Fideiuſſoris, tandemq; Redemptoris, Liberatoris, debi-
torumque omnium Perſolutoris. Quoniam propter nimiam caritatem ſuam, ani-
mam pro nobis dedit, noſque à morte, morte ſua liberauit.

De præſenti, vt omnium Inſpectoris, qui per occultam præſentiam omnia no-
ſtra ſemper cernit. De futuro, vt iuſti Iudicis, qui per Omnipotentiam ſuam omne
prauum, & incorrectum diſtricte iudicabit.

De primo eſt illud: Gratiam Fideiuſſoris, Redemptoris-ve ne obliuiſcaris.
Threnorum 3. Recordare paupertatis, & transgreſſionis meæ: id eſt, maximæ *Thren.3.19.*
humiliationis, abſynthii, & fellis: hoc eſt amaræ paſſionis. Ezechielis 9. Signa *Ezech.9.4.*
Tau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominatio-
nibus, quæ fiunt in medio eius. Tau figuram crucis habet: id eſt, Paſſionis Chriſti,
quæ ſemper eſt bonis in mente ferenda.

Secundò: Memento præſentis Inſpectoris. Pſalmo 99. Scitote quoniam Do- *Pſal.99.3.*
minus ipſe eſt Deus: omnia ſcilicet implens, eſſentia, potentia, præſentia: omnia
videns: omnia penetrans. Hinc aiebat vir ſecundum cor Dei: Prouidebam Do- *Pſal.5.5.*
minum in conſpectu meo ſemper. Mane adſtabo tibi & videbo. Eccleſiaſtici 39.
24. Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis
eius. Canticorum 2. 9. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, id eſt, carnis noſtræ,
reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Quia licet intus degens, occul-
tus à nobis videri non poſſit; tamen omnia noſtra videt.

Tertiò: Memento Iudicis Iſaiæ 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, *Iſa.30.27.*
ardens furor eius, & grauis ad portandum. Ecce venit: id eſt, attendite, quia
certò veniet ad diſtrictum iudicium. Matthæi 24. Vigilate, quia neſcitis, qua ho- *Matth. 24.*
ra Dominus veſter venturus ſit. Hieronymus. Siue comedo, ſiue bibo, ſiue ali- *42.*
quid aliud facio, ſemper intonat in auribus meis, quaſi tuba vehemens vox illa ter-
ribilis: Surgite mortui, venite ad iudicium.

Ad hæc recogitanda fideiuſſor corporis, & ſanguinis teſſeram reliquit. Memo-
Pſal. 110. 4. riam fecit mirabilium ſuorum. Pſal. 110. miſericors, & miſerator Dominus e-
ſcam dedit timentibus ſe. Senſus eſt; Dominus dedit nobis eſcam ſcilicet ſeipſum ad memoriam ſuorum mirabilium: præteritorum, quod pro nobis fideiuſſit, noſque redemit: præſentium, quod omnia noſtra reſpicit: futurorum, quod diſtricte tandem iudicabit.

Tertio Quæritur. Ad quid conducat Fideiuſſoris memoria? Reſpondetur ad omne bonum ingenerandum, ſed ad tria potiſſimum. Nam ipſa fideiuſſio, qua promiſit: & paſſio, qua quod promiſerat pretium redemptionis, ſeu lytrum perſoluit, valet ad cor noſtrum amore inflammandum. Inſpectio autem continua Domini præſentis valet ad nos à peccatis cuſtodiendum. Diſtricti vero iudicis recordatio valet ad excitandum nos, vt præparemur contra futurum iudicium. Primi memoria facit nos bonum diligere: ſecundi, malum odiſſe: tertii imminens periculum præcauere.

Luc. 12. 49. De primo accipe illud Lucæ 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Ignem, id eſt, cauſſam amoris miſi in mundum beneficio fideiuſſionis & paſſionis, quod ſi pia recordatione animo verſaueris amore magno cor
Pſalm. 38. 4. accendet. Pſalmo 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis. Bernardus. Super omnia te mihi reddit amabilem, Iesv bone, calix quem bibiſti, opus redemptionis meæ. Idem: Quanto pro me Dominus factus eſt vilior, tanto mihi factus eſt carior.

Prou. 8. 13. De ſecundo loquitur Sapiens Prouerbiorum 8. Timor Domini odit malum. Timor, inquam, quo mens ſemper Deum præſentem, & omnia videntem atten-
Eccleſ. 23. 25. dit, cuſtodit à peccato. Hinc è conuerſo Eccleſiaſtici 23. Omnis homo, qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens in animam ſuam, & dicens: quis me videt? tenebræ circumdant me, ac parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereat? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius: quoniam à ſe
Ezech. 8. 12. expellit timorem Dei huiuſmodi hominis timor. Ezechielis 8. Certe vides, fili hominis, quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris, vnuſquiſque in abſcondito cubiculi ſui: dicunt enim: non videt Dominus nos: dereliquit Dominus terram. Gloſſa: Si Dominum præſentem, & omnia videntem, & iudicantem ſemper cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus. Boetius: Magna nobis indicta eſt neceſſitas bene viuendi cum agamus omnia ante oculos iudicis cuncta cernentis.

De Tertio Exodi 19. Vade ad populum & ſanctifica illos hodie, & cras, lauentque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium: in die enim tertia deſcēdet Dominus coram omni plebe. Quaſi dicat: Mementote, quia Dominus terribilis deſcendet ad diſtrictum iudicium, & ideo eſtote parati ad diem tertium. Primus dies eſt noſtræ natiuitatis: Secundus noſtræ conuerſationis: tertius mortis, & diſtricti iudicii. Ne in horum vllo obliuiſcaris gratiam Fideiuſſoris.

Ingratitudo erga fideiuſſorem.

Eccl. 29. 21. Non ſis ex iis, de quibus Eccleſiaſt. *Repromiſſorem fugit peccator & immundus. Bona Repromiſſoris ſibi adſcribit peccator, & ingratus ſenſu derelinquet liberantem ſe.* Quæ ſententia duas notas continet animi illiberalis, & erga fideiuſſorem ingrati: Prima eſt, obliuio eius, qui fidei ſuæ interpoſitione & ſpōſione, hominem è malorum profundo eripuit.

eripuit. Secunda impudentia, qua ſponſorem ſuum fruſtratur, atque ita ſe gerit, ac ſi fideiuſſoris bona ſua eſſent: & quod ex commiſeratione factum eſt, tanquam ex debito factum eleuat. Fugit igitur homo peccator ac immundus, cui nihil eſt ſacri, ſed profana omnia, fugit oculis, ac mente repromiſſorem, ne illum coram intueatur, & ſic tacitum beneficii exactorem, & exprobatorem habeat: & ne animi memoris ac grati ſigna exhibere cogatur.

Addit eundem ad ingratitudinis cumulum adiungere, quod bona fideiuſſoris ſibi adſcribat: nam eum non cogitet, vt ſatisfaciat liberalitati ſponſoris, vtitur conceſſis, vt propriis, & obligatum relinquet alteri eum, cuius beneficio ipſe ab alterius obligatione fuit exemptus. Qua narratione ob oculos ponitur, quod frequentiſſime inter homines accidit. Ingratitudinem autē tantam vir ſapiens deteſtatur.

Quam autem periculoſum ſit fideiubere pro alio, vt inde æſtimetur magnitudo beneficii à fideiuſſore collati ſequentibus verſiculis proponit: *Vir repromittit de proximo ſuo, & cum perdiderit reuerentiam derelinquetur ab eo*: hoc eſt: cum is, pro quo alius ſpopondit inverecundus eſt, ac frontis perfrictæ; tunc fideiuſſor, qui ſpopondit, relinquitur ab eo, pro quo fidem ſuam interpoſuit. *Periculoſum fideiubere. Eccleſ. 29.23.*

Repromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes, & commouit illos, quaſi fluctus maris. Repromiſſio: hoc eſt, ſponſio, fideiuſſio ἐγγύη multos perdidit, & quidem tales, qui in ſuis negotiis bene dirigebantur: quos agitauit, vt fluctus maris nauem agitat. An non Chriſto hoc contigit: qui ob fideiuſſionem ſibi nequiſſimam, id eſt, maximè noxiam, tam dirè in Paſſionis Oceano, feris ventorum, turbinumque motibus iactatus, tandem eſt abſorptus. *Verſ. 24.*

Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati ſunt in gentibus alienis. Hoc eſt: Fideiuſſio quibuſdam minus fidis, & ingratis facta, omnibus bonis maximè opulentos exuit, & ad exilium adegit: ſicquè rebus exuti propriis ſolum vertere coacti ſunt, & alienas ſedes quærere. Expertus id eſt CHRISTVS, qui ad extremam paupertiem ob fideiuſſionem peruenit, & peregrinus factus, mendicato viuere debuit, quia voluit, omnibus in noſtri gratiam ſpoliatus. Quare hanc pœnam tanquam grauiſſimam comminatur idem Eccleſiaſticus peccatori, quam tamen CHRISTVS noſtri cauſſa lubens ſuſcepit. *Peccator*, inquit, *transgrediens mandatum Domini, incidet in promiſſionem nequam*: id eſt, fideiuſſionem noxiam. Monet autem: *Recupera proximum ſecundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Nimirum ita pro alio fideiubeas, vt cum illum ſubleuaueris, tu non deprimaris. *Verſ. 26.* *Verſ. 27.*

PORRO ex vi huius Tituli Fideiuſſionis obligantur Chriſtiani præſtare ea omnia, quæ pro iis Patrini ad baptiſmalem fontem, interpoſita fide promittunt: vocantur enim Fideiuſſores, qui baptizatum è ſacro fonte leuant. De quibus Areopagita Lib. 2. de Eccleſiaſt. hierarcha, dum agens de baptiſmo, ait, ſacerdotes aſſumentes baptizatum tradere eum ad educationem ſuſceptori, ac duci. Vocantur enim iidem ſuſceptores, ſponſores, patrini à Concilio Pariſienſi, in quo habetur, huiuſmodi patronos debere vim tanti ſacramenti, & quid pro aliis ſpoponderint intelligere. Fidei Doctores appellat Auguſtinus Epiſt. 23. & Fideiuſſores Sermone de Paſchate, vbi ſic legitur: & refertur De Conſecratione Diſt. 4. Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo, vt vos cognoſcatis fideiuſſores apud Deū extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere. *Fideiuſſores in Eccleſia, qui? NOTÆ*

Nam

Nam reuera ſuſcipiendo baptizatum fideiubet ac ſpondet, ſe habiturum curam ſalutis ſpiritualis illius. Quod vtrum facere poſſint Lutheranæ aut Caluinianæ ſectæ homines, qui in Germania paſſim, & maxime apud nobilitatem, nullo diſcrimine in Patrinos eliguntur, vos perpendite: ego perperam fieri non dubito, nec Parochum baptizatorem iſtiuſmodi admittere debere cenſeo.

Eiuſdem Tituli virtute adſtringuntur ſubditi ſuperiorum ſuorum præceptis obſequi: ſunt enim veri Fideiuſſores: ideoque illorum memoria recolenda eſt, ex *Hebr. 13.* Pauli monito: Mementote Præpoſitorum veſtrorum, obedite eis & ſubiacete: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.

Magnum amoris indicium fideiuſſio. CETERVM ſi ex vllo contractu, certe ex hoc Fideiuſſionis præſertim ſincerus Chriſti in nos amor, ac nullius commodi affectatrix beneuolentia colligitur. Cum enim periculoſiſſimum ſit fideiubere pro alio, de quo vel dubius quis eſt, vel pene certus, quod debita exoluere non poſſit; idque prudentes fieri vetent, ne rerum *NOTÆ* ſuarum damna ſponte incurrat fideiuſſor: & negligens habeatur, qui contrarium *Cauenda fideiuſſio.* facit. Vnde ſunt illa: Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo Prouerb. 11. *NOTÆ.* Stultus homo plaudit manibus cum ſpoponderit pro amico ſuo, Prouerb. 7. Tollet veſtimentum eius, qui fideiuſſor extitit alieni, & pro extraneis aufert pignus ab eo, Prouerb. 20. Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis. Si enim non habes vnde reſtituas, quid cauſſæ eſt, vt tollat operimentum tuum de cubili tuo, Prouerb. 22. Non ſpondeas ſuper virtutem tuam, quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita Eccleſiaſt. 8. Fili mi ſi ſpoponderis pro *Prou. 6.* amico tuo defixiſti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus.

Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui: Diſcurre feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere, quaſi damula de manu: & quaſi auis de manu aucupis.

Cum tantum, dico, ſit periculum in fideiuſſione & tam ſerio moneat Sapiens, ne quis facile fidem ſuam pro alio interponat: ac rerum ſuarum potius, quam alienarum curam habeat: Chriſtus tamen, vt nobis, quam optime proſpiceret, licet certus eſſet, nos ſoluendo non fore, & totum onus in ſuos humeros recaſurum, ſeque debitorum mole premendum, Fideiuſſorem pro nobis agere voluit. Nimirum modo nobis commodaret, imprudentis, quam minus diligentis nomen habere maluit, dignus profecto, cuius, vt fideiuſſoris gratiam non obliuiſcatis.

Ex eodem amoris fonte ortum habuit, vt ex multis conditionibus, quæ in fideiuſſore ne ſibi obſit, dum amico prodeſſe cogitat requiruntur, illas ſolummodo Chriſtus ſibi proprias duxerit, quæ noſtrum commodum ſpectant, ſuis opportunitatibus poſthabitis: res digna conſideratu, & quæ immane quantum fideiuſſoris liberaliſſimi amorem in nobis excitent. Primo itaque monet Sapiens, vt non niſi diuturna, maturaque deliberatione adhibita fideiuſſoris titulum quis ſuſci- *Prou. 11. 15.* piat, pericula, quæ in faciali ac intempeſtiua ſponſione latent, exaggerans. Prou. 11. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, ſecurus erit. Chriſtus ſine magna deliberatione, quamprimum neceſſitatem noſtram animaduertit in fideiuſſorem ſe obtulit.

Deinde, eiuſdem ſapientis eſt monitum, vt fideiuſſor omnem conatum adhibeat

beat ad hoc vt ſe liberet: Prouerb. 6. Fili mi, fac quod dico, & te me ipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui: diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum, ne dederis ſomnum oculis tuis. Hoc Chriſti erat deſiderium liberare fidem ſuam; nihil magis illi erat volupe, quam pro debitoribus animam ponere: tanti ergo fideiuſſoris gratiam, ô Chriſtiane ne obliuiſcaris.

NOTÆ.

DE CONTRACTV FIDEIVSSIONIS.

DE Fideiuſſoribus extat Titulus 21. Lib. 3. Inſtit. & Digeſt. Lib. 26. Tit. 7. De Fideiuſſoribus, & heredibus tutorum, & curatorum, Digeſt. Lib. 46. Tit. 1. De fideiuſſoribus, & mandatoribus. Codic. Lib. 8. & Titulus 41. De fideiuſſoribus, & mandatoribus.

FIDEIVSSOR, Sponſor, Μεσεγγυητὴς, ἐγγυητὴς. Donatus: fideiuſſor eſt auctor credendi alium aliquid daturum, facturumque ſua fide, ſuoque periculo promittens.

Dicitur, fideiubeo: & diuiſim, fide mea eſſe iubeo. Quantam pecuniam Titio crediderо fide tua eſſe iubes? Vas vadis, ſponſor ſiſtendi aliquem in iudicio.

§. PECVNIÆ *vtilitas*] Tritum eſt illud ac vulgare.

Et genus & formam regina pecunia donat:
Cuncta tibi obnoxia numi reddunt.

Lucret.

Diuitiores enim ſectam plerumque ſequuntur
Quamlibet & fortis & pulcro corpore creti.

Profecto non male inter ſuperſtitioſos quidam, cum alius Veneris, Mercurii alius, alius Martis ſeſe obſequiis mancıparet, ille Plutum pecuniarum præſidem adoptauit. Huic enim ſi in penetrali daretur ſacellum extruere ſigno poſito, mactatiſq; hoſtiis propitius daret omnia ſolus vni, quæ alii Dii vniuerſi ſuos inter clientes diuidunt. Sed & illud quidam olim vſurpabat Deum in cœlo dominari: in terra Pecuniam. Veris minime iuſta, vera tamen fuit illa ſententia: Omnia poſſe effici pecunia. Cic. lib. 3. in Verrem.

Eccleſ. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Vbi multa de hoc argumento Ioannes de Pineda & Lorinus.

CHRISTI *propria dona.*] Chriſtus ratione ſuppoſiti, quod terminabat humanitatem, nec erat ſub dominio Patris, putatur à multis habuiſſe dominium quoddam ſpeciale in ſuis actionibus: quia in quantum verbum ſuſtentabat naturam, quæ erat principium illarum actionum. Sic cenſent aliqui: Actiones quibus Chriſtus pro nobis ſatisfecit, ita fuiſſe illius, vt non fuerint præcipue creditoris Dei Patris cui ſatisfaciebat. Nam licet etiam eſſent Patris, ac Spiritus Sancti, præcipue tamen, inquiunt, erant Chriſti ratione ſuppoſiti. Vide Suarez Tom. 1. in 2. P. Diſp. 4. Sect. 5. §. Dicendum. Vaſquez. Diſp. 8. cap. 4.

CHRISTVS *Fideiuſſor.*] Pſalm. 40. 5. *Ego dixi Domino miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.* Sic ſub typo Dauid Chriſtus, qui infirmitates noſtras tulit, & dolores noſtros portauit, adeo, vt leproſus haberetur, afflictus, percuſſus, humiliatus à Deo, & peccatorum induens perſonam, multorum, imo omnium in ſe peccata tollens Iſaiæ. 53. 12. atque pro nobis factus maledictum ad Galat. 3. 13. &

 pec-

Digitized by Google

peccatum ſecundæ ad Corinth. 5. 21. id eſt, hoſtia pro peccato expiatoria per proprios dolores, mortemque implorat ſanitatem ſibi, hoc eſt membris ſuis, in quibus cenſetur peccaſſe, ſuſcipiendo, ac transferendo in ſe debita illorum ſoluenda: pro quibus cum pretium ſoluat, & fidem, ſeu fideiuſſionem præſtando liberet, exigit viciſſim veluti teſtimonium receptorum creditorum vt in poſterum liberi remaneant debitores: & quod conſequens eſt, reſtituantur gratiæ priſtinæ amicitiæque in qua animæ ſanitas & ſalus conſiſtir.

Illuſtrari hoc poteſt dicendi illo modo, quo ſponſor fideiue iuſſor propter id vinculum peccare dicitur, verbis Iudæ ad Patrem Iacob, vt impetraret deductionem Beniamini fratris ad Ægypti prætorem Ioſephum adhuc ignotum: Ego ſuſcipio puerum, inquiebat, de manu mea requite illum niſi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore, Geneſ. 43. 9. Lege Lorinum in Pſalmum. 40, 5.

§. An *exigere aliquid liceat pro fideiuſſione*] Duplex opinio. Altera negat, & habet tanquam vſuram. Sic ſentit Ananias cap. fin. de vſuris. Q. 12. Altera fas id eſſe aſſerit. Ita D. Antoninus par. 2. Tit. 1. cap. 7. §. 45. Caietan. S. S. Quæſt. 88. Art. 2. ad 4. Sotus lib. 6. de Inſtit. Quæſt. 1. Art. 2. Conradus de contractibus Quæſt. 40. Medina de reſtitut. Quæſt. 4. ad 1. Angelus verbo fideiuſſor. Num. 20. Silueſt. Quæſt. 17. Tabiena Quæſt. 12. Couarruuias Lib. 3. Variar. reſolut. cap. 2. nominatque pro ſe Bartolum, Paullum, Decium, alios Nauarr. in Manuali, cap. 17. Numer. 285.

§. Christus, *quia fideiuſſor, eſt debitor.*] Fideiuſſio ſi vera ſit, debitorem conſtituit fideiuſſorem. Hinc tam exacte ſecundum omnem iuſtitiæ rigorem, cum homo ſoluendo non eſſet Pater à Filio, quæ nos debebamus, repetiit. Quod illa indicant in ſacris tam frequentia: Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras:
Iſa. 53. attritus eſt propter ſcelera noſtra; diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

Ergon' dicis, Fideiuſſor Chriſtus pro homine tandem ſatisfacere debuit? Ita ſane: & quidem ſecundum iuſtitiæ regulas exacte. Poteſt enim licite creditor exigere debitum à fideiuſſore, *Primum*, quando debitor principalis non eſt ſoluendo. Item, quando commode debitor conueniri non poteſt. Tandem, quando fideiuſſor præſciens debitoris inopiam, pro quo fideiuber, conſtituit ſe principalem debitorem. Et in iiſdem euentis tenetur fideiuſſor creditori pro debitore principali ſatisfacere.

Poteſt enim fideiuſſor ſe dupliciter obligare. Primo, tanquam principalis debitor, ita vt ex æquo ipſe, & principalis debitor ſint obligati: & tunc creditor liberam habet voluntatem exigendi debitum primo loco à fideiuſſore, non requiſito principali debitore. Secundo, obligare ſe poteſt, non tamen, vt principalis debitor ex æquo; ſed ſolum, vt teneatur debitum ſoluere, principali debitore non ſoluente. Profecto, humanum genus nullo modo ſoluendo erat: & cum ad nihilum per peccatum redactum eſſet, conueniri non poterat. Itaque Chriſtus Dominus, cui rerum humanarum indigentia optime perſpecta erat, Deo ſe pro nobis principaliter obligauit. quanta hæc munificentia! ô homo! gratiam fideiuſſoris non obliuiſcatis.

§. Fide-

Digitized by Google

§. FIDEIVSSORES in Eccleſia] Lege S. Thomam 3. Part. Q. 67. Art. 7. & 8. ibidem Suarez, Vaſquez Valentia, Coninck Bellarminum libro 1. de Bap. cap. 26.

§. CAVENDA *Fideiuſſio*] Sane frequentiſſime Sapiens in Prouerbiis monet cauendam eſſe fideiuſſionem, præproperam nimirum & conſideratam. Leuibus enim fideiuſſionibus ad extremam pauperiem perueniri. Quocirca adiungit nequidem pro amico facile fideiubendum. Quod etiam Philoſophi docuerunt.

Inter Chylonis Lacedæmonii ſententias, & hæc erat: Sponſioni non deeſt iactura. Auctor Laërt. Et inter Apollinis tria pręcipua oracula, tertium numeratur: Sponde, noxa præſto eſt.

An non hoc tempore ob indiſcretas ἐκ τῆς ἀδελφότητος συμποσιακῆς Auff beym guten Rauſch gemachter Brüderſchafft / interpoſitas fideiuſſiones, plurimæ exiſtunt lites? multa prædia litigantibus obligata dominos permutant. Plurimi ſtatim à morte parentum, auita maiorum bona, ſi non alienant, certe per imprudentes, & incoctas fideiuſſionum ſuſceptiones extreme onerant. Parthenius Litigioſus Lib. 1. cap. 13.

§. Fideiuſſio *amoris indicium.*] Ex amore illam ſæpe faciunt in animarum negocio conſcientiarum præſides & ſpiritualium rerum Magiſtri.

Euſebius Hiſtoricus Lib. 7. cap. 10. refert, deſperatum quendam: neſcio an hominem appellem, qui beluinis erat moribus ab Euangeliſta Ioanne reductum ad honeſtam vitam, cum ſponſionem feciſſet, ſeſe in extremo iudicii die vadem pro illo ſiſtendi.

Maria Oegniacenſis aſtabat ſorori agenti animam, circa quam cum multitudinem dæmonum tanquam leonum rugientiũ vidiſſet, nec facile poſſet abigere, inuocato etiam Chriſti nomine: tandem fiduciam ingentem concipiẽs, ait: Domine pro hac anima ego Fideiubeo: licet enim peccauit, tamen pœnituit, & confeſſa eſt. Audierunt hæc dæmones, & victi, confuſique recedentes, Angelis venientibus locum dederunt. Defuncta ſorore, cum Maria pro anima eius deprecaretur, & de ſtatu illius, pro qua fidem interpoſuerat, ſolicita eſſet: diuina reuelatione, didicit, in purgatorio illam adhuc hærere, quod non plene ſatisfeciſſet. S. Antoninus Tit. 19. cap. 12. Abrahamus Bzouius Tomo 13. Annal. An. 1213. p. 218. Euſebius Emiſſenus Homilia Secunda de Symbolo. Per ea, quæ agnoſcis præſtita, diſcas ſperare promiſſa: & ſpem rebus nutrias; & de conſequendis futuris per ea, quæ conſecutus es interroges: ac perceptorum experimentum proficiat tibi in teſtimonium ſperandorum, ac ſi collata beneficia, pro retribuendorum Fideiuſſoribus habeas: & Dei tui potentiam pręſentemque bonitatem, quaſi futurorum teneas Cautionem. Theodoretus Serm. 10. de Prouidentia, vocat ſigna & miracula Chriſti Fideiuſſores verborum. Miracula, inquit, quæ in Chriſti nomine perficiebantur, conſpicientes, & ſigna, ceu Fideiuſſorem ſermonum ſuſcipientes, prædicationem facile recipiebant.

COMMENTATIO XL.

Dominica XIII. poſt Pentecoſt.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEUM, ex Contractu Aſſecurationis.

In qua explicatur, quantæ vtilitatis contractus ſit Aſſecuratio. Eum inter Deum, & Hominem eſſe initum. Quæ homini ſit facta de gratia, amicitia Dei, & ſalute ſua ſecuritas. Vnde ea oriatur. An omnium eadem. Quæ argumenta ſecuritatem pariant.

Satagite, vt per bona opera veſtra, certam veſtram vocationem & electionem faciatis. 2. Petri 1. 10.

Ite oſtendite vos Sacerdotibus. Lucæ 17.

DEVS ASSECVRATOR.

CVM verba paulo ante recitata Chriſtus in ſe confidentibus leproſis, & opem implorantibus protulit, illud dixiſſe mihi videtur: Bono animo leproſi, metum ponite, verbis meis fidite, ſecuritatem vobis addico: Iterum: ſalus, quam poſtulaſtis vos conſequetur: id adpromitto: ſecuros vos eſſe volo, & iubeo. Mira res: nondum peruenerant, quo deſtinabantur, & ſaluos ac incolumes conſpexerunt. Quam bonum eſt ASSECVRATIONEM habere, qui fallere nunquam fuerit deprehenſus.

ASSECVRATOREM dicis? inſuſurrat non nemo ex delicatulis Philologis. quod illud barbaricum vocabulum? profecto ſaxa loqueris. Attendite Academici, non ego vos hodie ſaxeo barbaricorum nominum imbre, ſed ſacchareo diuinorum verborum perfundam: tam ſapida erunt omnia, quæ adferre ſtatui, & iacere in medium. Niſi inſignita quorundam malignitas, vt aëris intemperies, ſacchari nimbum, in grandinis globos, repentè, antequàm ore decidant, commutet, quod nollem equidem. Nam hoc die ſata læta gratiarum, & ſegetes aureas beneficiorum diuinorum, interturbare reprehenſionum grandine, ad quam ſæpius, quam vellem in cara mihi capita deturbandi cogit aliquorum improbitas, non eſt animus. Quare alio ad inſtitutum noſtrum accommodato principio ſic ordiamur.

Apud Mercatores vſitata Aſſecuratio. NOTÆ.

QVANDO mercatores onuſtas mercibus onerarias per vaſtiſſima maris ſpacia, alium in orbem, vel diſſitas longo interuallo regiones tranſmittere cogitant; ſi induſtrii ſunt, ac mercaturæ gnari, antequam è portu ſoluant naues, ne periculum totius rei ſubeant, cum certi nihil tutique ſpondere ſibi poſſunt per tot terræ, mariſque diſcrimina, conueniunt cum opulento aliquo ac bonæ fidei negociatore, vel in republica optimate, vt is ſuo periculo mercium tranſuectionem ſuſcipiat, polliceaturque onerariam, quoquo tandem interueniente infortunio tutam inſtitori ſuo fore: & hunc ſecurum. Atque ob id mercator precium ſoluit, vt ſecuritatem conſequatur. Vnde

CON-

CONTRACTVS ille vulgo Aſſecurationis dicitur. Quem licet aliqui reducant ad contractum innominatum, nimirum, *Do, vt facias*: aut, *Do, ſi fiat*: quod reperitur in aſſecuratione omni. Siquidem Titius dat Caio certam pecuniam, ſi nauis tuto ad portum deſtinatum peruenerit. Alii reuocent ad locationem: quoniam Caius, qui ſecurum reddit Titium de naui tuto peruentura ad portum locat ſuam operam in conſtituenda naui Titii in tuto, & ob locationem precium exigit. Reor tamen ad fideiuſſionem, de qua proxime ex hoc ipſo loco ſatis ſuperque actum teuocari debere. Nam Aſſecurator quid eſt aliud, quam Fideiuſſor? Sicut enim fideiuſſor obligat ſe ad ſoluendum debitum creditori, ſi debitum non ſoluerit debitor, ſic aſſecurator obligat ſe pro ſeruandis mercibus ne pereant, & pro iis ſoluendis ſi perierunt. Atque in hoc contractus illius iuſtitia conſiſtit. Quod ſicut fideiuſſor pretium accipit, eo, quod periculum in ſe ſuſcipiat ſoluendi debitum: ſic aſſecurator iuſte pretium exigat, eo quod ſe exponat periculo reſtituendi rem ſi perierit. Hæc enim obligatio eſt precio æſtimabilis. *Vnde dicta Aſſecuratio.*

PORRO, vt inter Deum, & hominem non diſſimilem aſſecurationi contractum, eumque nobis maxime exoptandum, ac vtilem doceamus interuenire, præmittenda ſunt, quæ ſuis commentationibus fuſe ſunt enarrata, ideoque nunc inſinuanda ſolum, ne repetita crambe nauſeam moueat.

Primum: Mundum hunc eſſe mare: & quidem maxime turbidum ac procelloſum, vt turbarum mare, ac tempeſtatum vocare poſſis: in quo aſcendunt montes, & deſcendunt campi: id eſt, ventorum vi attolluntur, vnde & fluctus in montium altitudinem: deinde ſternuntur veluti in camporum planitiem in placidiſſima æquora, quod maxime periculoſum. *Mundus mare.* NOTÆ.

Secundum: Eccleſiam eſſe claſſem, in qua nauium genus omne: Prætoria inſcribitur Chriſtus Ieſus: Frumentaria, Marca. Ego quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem: Præſidiaria, Angelus: Speculatoria, Petrus: Actuaria, Paulus: ceteræ roſtratæ, liburnicæ, lembi, miſſparones triremes ſuæ ſunt notatæ nominibus. *Eccleſia Claſſis.*

Tertium: Portum è quo ſoluimus, eſſe matris vterum: ad quem tendimus, fidam cœlorum ſtationem: medio inter vtrumque tempore ſemper eſſe nauigandum. Eſt enim hominis vita omnis nauigatio: qua pertranſeunt dies noſtri, ſicut naues poma portantes, vt eſt Iobi. 9. *Vita, Nauigatio.* *Iob. 9. 26.*

Quartum: Merces eſſe diuinæ theſaurum gratiæ: quæ, quatenus paſcit, frumenti electorum: quatenus tegit, veſtium, auro, byſſo, ſerico intextarum: quatenus rerum omnium eſt precium, numorum: quatenus ornat, gemmarum: quatenus illuſtrat, vnionum: quatenus calefacit animæ ſtomachum, aromatum: quatenus ſobriè inebriat, vinorum Creticorum, Italicorum, Germanicorum, Gallicorum, Ibericorum: quatenus iucundè reficit, bellariorum, pirorum, prunorum, ceraſorum, nucum, pomorum, cupediarum, condimentorum, intinctuum, quatenus internum animæ palatum prouocat, rationem habet. *Merces Gratia diuina ac virtutes.*

O merces! diuinę Gratiæ theſauri, quibus cedunt, quicquid vterque Indus, quicquid Arabs, quicquid Tagus, Nilus, Tyberis, Pactolus, Danubius, Euxinus, Rhenus, Mœnus, Iber, Sequanus, Scaldis, totque alii nobiles orbe toto fluuii prodigo profundunt alueo: quicquid immenſo aduehitur, ac deuehitur Oceano: quicquid vbiq; gentium nobile, precioſum, optandum, ſummum, & titulis omnibus primum. *Precioſiſſimæ Merces.*

O merces! quibus nulla aggeries piperis, zingiberis, caryophyllorũ, eboris comparanda. O merces! quibus nulla ferri, chalybis, plumbi, ſtanni, æris ductilis, Cal-

daril, Cyprii, Corinthii, Campanici, argenti, aurique venæ æquandæ. O merces! quibus nulla cinnami, croci, nardi nemora præferenda. O merces! quibus nulla bombycum viſcera, arborum filamenta, pecorum tegmina, purpuræ, croci, oſtri colores, Mileſiorum lanæ, Serum fila, Tyriorum tincturæ, Phrygum acus, Babyloniorum ſtamina, Iſtrianæ pexæ, villoſa gauſapa, phryxianæ togæ, Romanæ prætextæ, triumphales coronæ, imperiatoria paludamenta, Attalicæ veſtes, campana periſtromata, Turcica peripetaſmata, Belgica aulæa conferantur. Merces itaque ſunt, vt diximus, diuina Gratia: quarum precium ſatis explicari non poteſt.

VERVM, quo ſunt merces precioſiores, eo ſunt plures, qui iis inſidiantur. Pyraticam in hoc mari magno & ſpacioſo exercent ad omnem intenti occaſionem expertiſſimi prædonum duces, Dæmon, Mundus, Caro ſuis cum aſſeclis. Eſt in ea Scylla, & Charybdis voluptatum, in quas non impingere difficile eſt admodum: aduerſitatum in abyſſum vſque depreſſæ voragines, æquè ac proſperitatis cœlo minantes ſcopuli: malacia non minus, bonæ, quam tempeſtas malæ fortunæ interitum intentant: & omnia præſentem mortem. Quamobrem nihil ita videtur neceſſarium ad mercium ſecuritatem, quam cum fido opulentoque *Aſſecuratore* contrahere, qui merces tuto deuehendas polliceatur; & ſi fortè depereat aliquid, de ſuo ſe reſtituturum addicat. Hunc *Aſſecuratorem* dico eſſe Deum, qui ſecundum pretia, quæ ipſi offeruntur, variam ſecuritatem præſtat, ac tutam mercium transvectionem ſpondet.

Deus aſſecurator Eccleſiæ. *NOTÆ.* Ac primo quidem Deus Aſſecuratorem ſe conſtituit Eccleſiæ: cui tria quædam, interpoſita fide ſua promiſit. *Primum* eſt: illam, vt habere, ita habituram ſemper precioſiſſimas gratiæ ac amicitiæ diuinæ merces. *Secundum*: cum iis illam felicitatis portum plenis velis ſubituram. *Tertium*: ſe nunquam in vlla maris tempeſtate, iactatione, aut periculis illam deſerturum. De hoc vltimo clariſſimum eſt veritatis teſtimonium: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Matthæi 28. 2. Quibus pollicetur Dominus, non tam vndecim Apoſtolis ſe adeſſe, & porro adfuturum, cum vſque ad ſeculi conſummationem victuri ipſi non eſſent, quam fidelium cœtui, quem vndecim tunc Apoſtolorum ſocietas repræſentabat. De Gratiæ autem certitudine ac ſecuritate habet eadem Eccleſia plurima, maximeque illuſtria ab eodem Auctore teſtimonia. Quocirca in Symbolo ſanctam Eccleſiam profitemur. Si ſancta eſt: ergo Deo grata, amica, iuſta. Siquidem *Sancta* dicitur; quia tum à Chriſto capite ſuo, ac Sponſo, cui per fidem, ac ſacramenta coniungitur, ſanctificatur; tum à Spiritu ſancto perpetuo gubernatur: tum etiam, quia profeſſio illius eſt ſancta, nihil continens falſum, quo ad fidei doctrinam; nihil inhoneſtum, quoad diſciplinam morum. Nihil
L. 2. de Ciuit. Dei. cap. 28. in Chriſtianis Eccleſiis, inquit Auguſtinus, turpe & flagitioſum ſpectandum, imitandumque proponitur, vbi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula nar-
Cant. 6. 8. rantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur. De Eccleſia dictum accipio: *Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matris mea dilecta genetrici ſuæ.* Quantum hinc Eccleſiæ Catholicæ filiis ſolatium!

Aſſecuratio [illegible] Maximè, ſi huic Aſſecurationi illam adiungamus, qua Deus in hac claſſe Archithalaſſo, & Progubernatori, nempè viſibili in terris Eccleſiæ capiti, Pontifici Romano de non errando certitudinem, ſecuritatemque addixit. De qua plurima eſt inter Catholicos hæreticosque huius temporis concertatio. Hi enim cenſent Pon-

Pontificem Romanum cum totam Eccleſiam docet, in iis, quæ ſiue ad fidem pertinent, ſiue ad mores in totam Eccleſiam inducendos ſpectant: ſiue de rebus neceſſariis ad ſalutem; ſiue de iis, quæ per ſe bona, vel mala ſunt, pronunciat errare non poſſe ex Aſſecuratione ſibi à Deo facta. Allatrantibus aduerſariis hanc offam iniicimus: Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro Te, vt non deficiat fides tua. Et Tu, aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Lucæ 22.

SED hæc alterius loci eſt diſputatio: illa Aſſecuratio eſt huius, qua Chriſti fidelibus vniuerſim inducta eſt ſecuritas. At moneo ex Legumperitorum obſeruatione Aſſecurationem eſſe duplicem: vnam, abſolutam: alteram, hypotheticam, conditionalem, ſeu vt alii Modalem. Abſolutam voco, quando quis præſtat ſecuritatem alteri nulla addita conditione: vt; Addico tibi mercium ſecuritatē, quicquid tandem interuenerit: in omni caſu, etiam fortuito, te indemnem præſtabo. Modalis eſt, quæ conditionis appendicem adiunctam habet: vt, Promitto tibi mercium tutam transmiſſionem, ſi illas meo nautæ Titio commiſeris: ſi illi naulum, antequam ſoluat è portu dederis: ſi fideliter nauta negocium geſſerit. Adhæc ſecuritas illa, vel poteſt eſſe præteriti; vel præſentis; vel futuri. Eadem eſt conditionis ratio: vt, ſi factum fuit: Si facis, vel habes: ſi feceris, vel habueris. *Aſſecuratio communis fidelium.*

His ita conſtitutis, adfirmamus liberè Chriſti fidelibus omnibus multiplicem factam Aſſecurationem: ſed de quattuor præſertim capitibus. *Primo*: de remiſſione peccatorum: &, quod inde conſequitur. *Secundo*: de ſua cuiusliber iuſtificatione & gratia, ſine qua non fit peccatorum condonatio. *Tertio*: de perſeuerantia, ſaltem finali, in gratia, & amicitia Dei. *Quarto*: de regni cœleſtis adeptione. De his facta eſt omnibus ac ſingulis ſecuritas, ſed hypotheticè, & conditionibus nonnullis, vel adpoſitis, vel intellectis. *De quattuor rebus aſſecurati fideles.*

CERTVS ac ſecurus eſt fidelis quilibet ſibi remiſſum eſſe peccatum originale, ſi ritè baptiſmi ſacramento initiatus eſt: condonata actualia omnia, ſi cum eorū deteſtatione perfecta ſe ſacerdotibus oſtenderit, ab iisque legitimam abſolutionem impetrarit. ſe perſeueraturum in gratia, ſi diuinis miſericordiæ beneficiis non defuerit; & remediis à Saluatore ad animarum ſalutem inſtitutis vſus ſemper fuerit: in portum felicitatis æternæ onerariam ſuam inuecturum, ſi ſua negligentia, aut ſtoliditate in peccatorum ſcopulos non impegerit, aut vado non inhæſerit: ſi beneuolam diuinorum afflatuum auram, contrariis ingratitudinis flabris non repulerit: ſi diligentem operam in nauis ſentina oris hauſtro euacuanda: id eſt peccatorum confeſſione ſeria facienda nauauerit: ſi in prora ac puppi, hoc eſt in fine ac principio operationum ſuarum rectè diſponenda: in armamentis, hoc eſt, animæ ac corporis potentiis concinnandis: in clauo intentionis bonæ dirigendo: in mali, antennarumque rudentibus conſtringendis: in ſpei anchora opportune iacienda, & nunquam deperdenda: in nautica conſiderationis piſcidula, acuque ad diuinæ voluntatis polarem ſtellam explorandum aptè adhibenda: in remis ſanctarum actionum ſtrenuè agendis, & rotandis: in velis deſideriorum ad excipiendos auxiliorum cœleſtium flatus feruore laxandis, diſcretione contrahendis, prudentia obliquandis: aduerſus concupiſcentiæ furentis æſtum contra nitendo: deſolationis malaciam, conſtanti perſeuerantia ferendam denique ſi in ſimilibus nauticæ diſciplinæ functionibus induſtriam ſuam probauerit. *Aſſecuratio Fidelium conditionata.*

HANC

Digitized by Google

Aſſecurationem hypotheticam ſtabilit SS.
1. Ioan. 3. 9.
Aug. libr. de nat. & Gratia. cap. 14.
Lib. 2. in Iouinian.

HANC Aſſecurationem hypotheticam ſpectant multa in diuinis tabulis enunciata. Imprimis illud: Omnis, qui natus eſt ex Deo peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet: & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt 1. Ioannis 3. Quod non perinde accipiendum eſt, quaſi iuſti, aut prædeſtinati, vt hæretici nugantur, peccare non poſſint: ſed quod iuſti hoc ipſo, quod iuſtitia ſeu gratia præditi ſunt eo quidem ex capite, eaque hypotheſi non peccent, nec peccare poſſint. Quæ eſt Auguſtini explicatio: Quanquam alio loco: Non poteſt non peccare ait: hoc eſt, non debet: vel non licet ei peccare: aut, vt inquit Oecumenius, dicitur non poſſe peccare, quia non vult. Quo pacto Ioſeph. Geneſ. 39. dicebat, ſe non poſſe improbæ fœminæ conſentire. Hieronymus ad priorem illam explicationem accedit, dum ſenſum eſſe ſcribit: Iuſtum, quamdiu filius Dei eſt, peccare non poſſe, hoc eſt, quamdiu retinet gratiam, non peccare: Certe homo in gratia poſitus non poteſt eam perdere, quamdiu eſt in gratia. Cui ſimilis eſt propoſitio, Arbor bona non poteſt malos fructus facere Matthæi 7. Et primæ Ioannis 3. 6. Omnis, qui in eo manet, non peccat. & cap. 5. 18. Scimus, quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat. Et in Euangelio Ioannis 4. 13. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Item 1. ad Corinth. 13. Caritas nunquam excidit. Ruſus Romanorum 8. 39. Nulla creatura poterit nos ſeparare à caritate Dei. Iterum Canticor. 8. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.

a Origen. Tract. 21. in Ioann.
Gregor. lib. 5. in cap. 5. Reg. cap. 14.
Hier. 1. in Pelagia. Et 2. in Iouinian. & refertur cap. Si enim de Pœnit. q. 6.
S. Thom. 22. q. 24. Art. 2. ad 1. Aug. l. 3. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. De gratia Christi. cap. 21.
b Lib. 2. de peccat. mer. cap. 21.
De Grat. Chriſti c. 21.
Lib. de peccat. mer. c. 7. & 8.

QVAS ſententias, illiſque geminas exponunt Interpretes ſacri in ſenſu hypothetico, ac compoſito. Conſiſtere videlicet non poſſe iuſtitiam cum peccato mortali, quod illi repugnat: tametſi poſſit cum leui aut veniali peccato, ob quod nemo vocatur filius Diaboli, quem Ioannes contra diſtinguit filio Dei. Quæ multorum Patrum eſt interpretatio. *a* Quamuis Auguſtinus alicubi ſignificare videatur, verbis Ioannis indicari etiam ſecuritatem à peccato veniali. Sanè filius Dei qua talis, & quatenus operatur ex iuſtitia, ſiue caritate quam habet, nō poteſt peccare etiam venialiter: licet poſſit, pro vt ratione corruptionis carnis eſt adhuc filius non quidem Diaboli, ſed huius ſeculi. Aliam ſecuritatis cauſſam inſinuat Bernardus Serm. 1. in Septuageſima: & vigeſimo tertio in Cantica: vbi habet, Prædeſtinatos non poſſe peccare; non, quod non quandoque peccet, etiam mortaliter: ſed, quod perinde ſit, ac ſi non peccarent: quia remittenda ſunt iis peccata, & ipſamet cooperantur eis in bonum. Quod accommodatitio quodam ſenſu admitti poteſt Sicut, & illud Auguſtini: Per gratiam dari ius impeccabilitatis, cum qua ſumma eſt ſecuritas, & alterius vitæ propria: in hac non niſi conditionatè vniuerſim dari ſolita.

Securitas Abſoluta.
NOTÆ.

QVID itaque de Securitate abſoluta dicendum? inquis. Vellem conditionibus minimè eſſe adſtrictus: optarem eſſe certus amota qualibet hypotheſi, mihi peccatorum gratiam eſſe factam; me in Dei amicitiam eſſe receptum: in ea vſque ad finem eſſe perſeueraturum, tandemque ſaluum & incolumem ad nauigationis longinquæ, & periculoſæ portum meam nauem onuſtam meritis perducturum.

Quid ſit ſecuritas.
Quur ſine cura
S. Thom. 22. q. 129. art. 7.

NON poteſt reſponderi vno verbo ad tam multiplex quæſitum: quocirca de hac re ſic philoſophandum arbitror. Securitas ſi ſit perfecta, dicit omnimodam animi quietem à timore, vt docet in Summa ſua Aquinas: vel, vt definiunt communiter Philoſophi, rectam placidamque animi conſtitutionem, malorum impendentium cura vacantem. Eapropter ad Fortitudinem pertinet: cuius, cum quattuor quædam

dam partes, ſiue integrantes, ſiue potentiales adſignentur, fidentia, magnificentia, patientia, perſeuerantia; quibus non placet cum Macrobio, tres alias, tanquam diſtinctas enumerare, magnanimitatem, ſecuritatem, & conſtantiam; ij ad fidentiam reuocant ſecuritatem: & aiunt, eius eſſe perfectionem quandam excludentem timorem, & anxiam curam. Tunc enim ſecurus cenſetur animus, quando ita confidit, vt non amplius timeat, vinci à malo, vel excidere à bono, quando malum eſt deuictum,

Macrob. lib. 1. in ſomni.

Hoc autem prouenit ex certitudine, quam quis habet, vel ſuperandi mali, vel non excidendi à bono, quando malum eſt ſuperatum: aut etiam conſequendi bonum. Quamobrem, tam quis eſt ſecurus, quam certus: & qui gradus eſt certitudinis, idem eſt ſecuritatis. Certitudo autem habetur in aſſecuratione tum ex aſſecurantis opulentia; tum fide ac conſtantia; tum rerum aliarum circumſtantiis. Quocirca, vt pronunciemus, quam homo reddatur ſecurus ex contractu aſſecurationis inter ipſum ac Deum, videndum prius eſt, quam ſit ipſe certus de iis rebus, de quibus haberi debet ſecuritas. Illę vero res, cum ſint variæ diuerſus quoque certitudinis & ſecuritatis modus oritur. *Primo* enim ſpectari poteſt præſens diuinæ gratiæ theſaurus; adde, fidei, ſpei, aliarumque virtutum ſupernaturalium. *Secundo*; ſecuritas de eo non amittendo, ſaltem finaliter, quod conſequimur perſeuerantia. *Tertio*: de prædeſtinatione.

Securitas ex certitudine.

IAM vero plures ſunt certitudinis gradus. *Primus*, ac ſupremus eſt, qui ex neceſſitate habendi rem aliquam, illamque tuto poſſidendi, & nunquam amittendi oritur. Cum hac enim neceſſitate habendi, eſt coniuncta impoſſibilitas amittendi, vnde ſumma ſecuritas. Porro, neceſſitatem dictam bifariam diſpeſco: aliam voco intrinſecam: alteram extrinſecam. Extrinſeca eſt, quæ non ex ipſius perſonæ cui competit intrinſecis principiis reſultat. Intrinſecam dico, quæ inde ortum habet. Et hic eſt ſupremus certitudinis gradus.

Certitudinis gradus.

QVÆ ſiue præſentem gratiam, ſiue in futuro perſeuerantiam, ſiue prædeſtinationis beneficium ſpectet ſoli CHRISTO Domino competit, qui fuit plane ab intrinſeco impeccabilis: ideoque neceſſitatem habuit intrinſecam gratiæ præſentis, ac futuræ, nec minus prædeſtinationis. Felix conditio, ſed ſolius Meſſiæ, Dei hominis propria eſſe ab intrinſeco impeccabilem, vt tam fuerit impoſſibile illum peccatum committere etiam leuiſſimum, quam Deum non eſſe. Cuius rationes magno conatu inueſtigant eximii Magiſtri noſtri, quæ vt exponantur aliam exedram poſtulant.

Prima certitudo ex neceſſitate. Chriſto propria.

In confeſſo eſt, certum, ſecurumque fuiſſe Chriſtum, ſe nullum habere peccatum. Peccatum in eo non eſt, conteſtatur Ioannes Apoſtolus. Expers eſt omnis peccati, neque obnoxius ad contrahendum peccatum, ad quod obnoxiam agnoſcimus fuiſſe Deiparam, licet peccatum non contraxerit. Deteſtor hæreſiarcham huius temporis Caluinum, atque eius aſſeclas, qui adfirmari auſi blaſphemum fuiſſe Chriſtum, deſperantem aliiſque ſordidatum criminibus. Prouocat Chriſtus Ioannes 8. capitales ſuos ac curioſiſſimos ſuos inimicos, vt arguant eum ſi poſſint de peccato. Petrus edit de ipſo teſtimonium authenticum, ac locuples Iſaiæ Prophetæ veridici verbis: Quod peccatum non fuerit, nec ſit inuentus dolus in ore eius. Paulus eum vocat ſanctum, innocentem, impollutum, ſegregatum à peccatoribus. Non Petrus erat, inquit Cyrillus, aut Paulus, qui hoc dicebat; id eſt, non propriis, ſed alterius verbis: non humano, ſed diuino inſtinctu: ne quis ſuſpicetur

Chriſtus impeccabilis: ab que culpa. 1. Ioan. 3. 5.

NOTÆ.

Ioan. 8. 46.

1. Petri. 2. 22.

Iſa. 53. 9.

Hebr. 7. 26.

Cyril. Hieroſol. Catech. 13.

rer Chriſti, eiuſque ſeruulorum venerationem conſtituere diſcrimen. Magni ſemper fecimus, faciemuſque ſemper inuocationem Sanctorum, patrocinium eorundem, & reliquias: pluris Chriſti, & erga eius ſanctiſſimã Humanitatem Diuinitati vnctam deuotionis affectum. Ad hunc vos hortor, Dilecti, & quantum poſſum opere, impello. Chriſti ſanctiſſimam Humanitatem adamate: in ea delitias quærite: ibi cordium veſtrorum domicilium locatum putatote: eo mentem, cogitationesque veſtras omnes dirigite: ad illam deſideria, gemitus, ſuſpiria agminatim tranſmittite: cum illa perquam libenter agite, tractate, ſermocinamini: Illi calamitates, vitæ huius miſerias, priuata, publicaque vota proponite. Ad illam, in ſacramentali caſa, non relicto cœli palatio, vos operientem humiliter arripite: ei diutiſſimè inhærete: ab ea nunquam recedite. Non enim habet amaritudinem conuerſatio eius, neque tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Guſtate, & videte. CHRISTI ſanctiſſimam Humanitatem adamate, ſi integritatem diligitis: illius primo loco habeatur deuotio: Illa eſt inſtar capitis, Sancti alii, membrorum: Illa inſtar fontis, reliqui riuulorum: Illa inſtar ſolis, reliqui radiorum: Illa inſtar Oceani, ceteri fluuiolorum. Sine Chriſti meritis, neq; Petrus ſanctus, neque Paulus electus, neque Ludouicus innocens, neque Thomas Angelicus, neque Iacobus iuſtus, neque Deipara Virgo & Mater audiret. Sanctiſſimam Chriſti humanitatem adamate, ſi deuotionum omnium medullam, ſuccumque in breue compendium redactum percupitis, non opus ad id longis peregrinationibus: ad illius menſam vero pietatis ſenſu accedite.

CVRRVNT multi ad diuerſa loca pro viſitandis reliquiis Sanctorum, inquit, vir in aſceticis incomparabilis Thomas de Kempis, & mirantur auditis geſtis ipſorum: *Lib. 4. cap. 1.* ampla ædificia templorum inſpiciunt, & oſculantur ſericis, & auro inuoluta ſacra oſſa ipſorum. Et ecce tu præſens es hic apud me in altari Deus meus, Sanctus Sanctorum, creator omnium, & Deus Angelorum. Sæpè in talibus videndis curioſitas eſt hominum, & nouitas inuiſorum, & modicus reportatur emendationis fructus: maximè, vbi eſt tam leuis ſine contritione diſcurſus. Hic autem in Sacramento altaris totus præſens es Deus meus, homo, Chriſtus-Ieſus: vbi & copioſus percipitur æternæ ſalutis fructus, quotieſcunque fueris digne ac deuote ſumptus. Ad iſtud vero non trahit, leuitas aliqua, aut curioſitas, aut ſenſualitas, ſed firma fides, deuota ſpes, & deuota caritas.

Sanctiſſimam Chriſti Humanitatem adamate idque præſertim in fine vitæ, ſi ſalutem amatis veſtram. Tunc enim nullam huic comparandam deuotionem, certè nullam præferendam mihi perſuadeo: eſſeque vnum ac potiſſimum ex prædeſtinationis, ac electionis diuinæ ſignis, tunc peculiari quodam pietatis affectu erga benedictam illam Humanitatem ferri: in quo ſi quis vitam hanc mortalem deponat, ad immortalem felicitatis æternæ tranſmitti, ſi nil purgandum ſuperſit, haud eſt dubium.

PRIMVS igitur ex Aſſecurationis contractu ſecuritatis gradus Chriſto Domino, vt probatum, conueniebat. Secundum Beatis adſignare oportet, de non amittenda gratia, amicitia diuina, viſione beata, ceteriſque adiunctis. Cenſeo enim, *Prima S. q. 4.* quod S. Doctor docet, ad beatitudinem cœlitum peccati omnis, vel minimi carentiam ſpectare, cum beatitudo miſeriam omnem, malumque, quale peccatum eſt, excludat: ideoque Beatos omnes in cœlo regnantes impeccabiles eſſe, ac proinde certos, ſecuroſque de gratia, illiuſque perpetuitate, ac multo maximè, prædeſtina-

Digitized by Google

tione. Acutè Bernardus De gratia & libero arbitrio: Poteſt is peccandi non pertinet ad libertatem, alioquin in Deo & in beatis libertas non eſſet. Idem habet Anſelmus De libero arbitrio cap. I. Eandem veritatem de impeccabilitate Sanctorum docent *a* Auguſtinus, *b* Fulgentius, *c* Nazianzenus, *d* Iſidorus, *e* Damaſcenus, *f* Gregorius, *g* Beda.

a De correp. & Grat. c. 10. Enchirid. c. 57

** Hom 13. & 35. in Lucam. Hom. 20. & 24. in Num.*

b De fide ad Petr.

c Orat. 44. quæ eſt in Pentecoſt.

d Lib. de Sum. bono. c 12.

e Lib. de fide cap. 3.

f Lib. 34. Mor. cap. 7.

g Tom. 8. lib. QQ. qu. 9.

Et quamuis eorum plerique de bonis Angelis loquantur, quos aliquando peccare erronee dixit Origenes, * eadem tamen eſt conditio omnium, qui mortalitate exuta ad immortalitatem beatam ſunt traducti, vt Scholaſtici Doctores demonſtrant. Quamuis apud illos non parua ſit controuerſia: vndenam proueniat, vt beati à gratia diuina non poſſint excidere, nec peccare. Cauſſam eius rei expeditiſſimam ſemper ſum arbitratus; quoniam viſio beata in qua felicitas ipſa conſiſtit tum ratione ſui, tum ratione amoris, qui ex ea neceſſario ſequitur habet intrinſecam incompoſſibilitatem cum quocunque peccato. Illa autem viſio, & ille amor ſunt actus ita neceſſarii in Beato, vt ne momento quidem ab iis ceſſare poſſit: ex quo neceſſario conſequitur illos peccare non poſſe.

h Securi de gratia & duratione beatitudinis.

h SECVRI ergo ſunt de gratia præſenti, eaque nunquam amittenda. Certos quoque ac ſecuros eſſe de beatitudinis perpetuitate, tam eſt exploratum, quam eam nunquam defituram. Quod definitur in ſexta Synodo generali Actione 11. & 13. & in Concil. Lateranenſi, ſub Innocent. III. & refertur, *Cap Firmiter, de ſumma Trinit. & Fide catholica.* Beatis omnis res in vado eſt: extra telorum iactum: in portu omnes conſiſtunt, duabus anchoris fulti. Dicere poteſt ex iis quilibet.

Nunc mihi parta quies omniſque in limine portus.

i Sap. 5. Eccl. 24.

Iuſti in perpetuum viuent, inquit, diuinus Scriptor. *i* Qui me elucidant, ait ſapientia vitam æternam poſſidebunt. Qui vicerit promittit Deus ipſe, faciam eum columnam in templo Dei mei & foras non egredietur amplius. Et hanc certitudinem, ſecuritatemque ad ipſam rationem beatitudinis pertinere ſapienter animaduertit S. Thomas. Siquidem poſtulat beatitudo vera, vt expleat omne deſiderium rationabile, & excludat omnem miſeriam, curam, anxietatem, ſolicitudinem. At Beatus maxime appetit ſuæ fœlicitatis perpetuitatem, ac illius certam notitiam. Quod ſi deeſſet hæc cognitio affligeretur timore amittendi, quod miſeriarum plurimarum eſt caput. Qua ipſa ratione ſubtiliter vſus eſt Auguſtinus: Quid, inquit, illa beatitudine falſius, & fallacius, vbi nos futuros miſeros, aut in tanta luce veritatis neſciamus; aut in ſumma felicitatis arce timeamus. Si enim ibi futuram calamitatem ignoraturi ſumus, peritior eſt hic noſtra miſeria vbi futuram beatitudinem nouimus. Si autem nos illic clades imminens non latebit, beatius tempora tranſiget anima miſera, quibus tranſactis ad beatitudinem ſubleuetur: quam beata, quibus tranſactis ad miſeriam reuoluatur. Idque conſenſu paſſim docent Patres contra Origenem, qui teſte Auguſtino, neque felicitatem, neque miſeriam vllam putabat fore perpetuam: ſed viciſſitudine quadam beatos futuros aliquando miſeros, & contra miſeros beatos. Felix aſſecuratio, quæ in beatis tam ſecura nititur certitudine.

S. Secun. q. 5. art. 4.

Lib. 12. de Ciuit. cap. 20.

Aug. de hæreſ. Orig. libr. 1. de Princ. cap. 6.

Aſſecuratio confirmatorum in Gratia.

Deipara.

CVIVS tertius gradus eſt eorum, qui à Deo ſingulari priuilegio confirmati fuerunt in gratia: quorum tamen non vnus eſt ordo. In primo ac ſupremo Deiparam colloco, quæ neque peccati originalis neque actualis, mortalis, aut venialis labe infecta fuit: quod alibi copioſius demonſtro & dubitare eſt nefas ob auctoritatem Tridentini Concilii Seſſione 6. Can. 23. an vllum à ſanctiſſima Matre vel leuiſſimum

mum peccatum ſit commiſſum, cum contrarium ſit longe certiſſimum. Et cum Auguſtinus fateatur colligi poſſe ex eo, quod Chriſtus nullum fecit peccatum, nullum etiam habuiſſe. Et, quod peccatum paruulus quoque habuiſſet ſi maior fecisſet: Et propterea nullum eſſe hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit, grandioris ætatis acceſſu: quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu: conſequitur ſane originariam culpam in B. Virgine non fuiſſe eiuſdem Auguſtini ſenſu, quia nullum fecit vnquam. Certè Auguſtinus vniuerſe, cum de peccatis agitur de B. Virgine mentionem fieri non vult. Quocirca, cum Patres aliqui ita loquuntur, ac ſi ſolus Chriſtus Dominus ſit, qui peccatum non fecerit: id eſt actu proprio non commiſerit: intelligi debent, ex ſe, ac vi intrinſeca, & quodammodo naturali propter vnionem hypoſtaticam cuius ratione nunquam peccare potuit: quod ſuperius eſt declaratum ſatis.

Aug. contra Iulian. lib. 5. cap. 9. lib. 1. De Nat. & Grat. c. 26.

PORRO, Virgini Deiparæ in Confirmatorum, vel Aſſecuratorum numero quoad diuinam gratiam proximum gradum occupat, Chriſto de proximo amicus, & baptizator *Ioannes*, gratiæ nomine illuſtris. Qui licet primogenii peccati macula in conceptu adſperſus fuerit; antequam tamen hanc in lucem effunderetur, illa fuit mundatus, & magnis donatus gratiæ muneribus. In gratia autem confirmatum dum mortalis viueret, & angelicam potius, quam humanam egiſſe vitam in terris, ac impuritatis labem in eo nunquam hæſiſſe, ex Scripturæ diuinæ auctoritate, Patrumq; grauiſſimorum aſſeueratione demonſtrari poſſet. Sed hoc modo non agimus, dixiſſe contenti. Quod Synodus Tridentina de Deipara certum facit, omnia illam vitaſſe in vita peccata, quamuis leuiſſima; id de Ioanne Baptiſta pie credi poſſe: cum priuilegium iſtud aliis omnibus non neget aut Concilium, aut Auguſtinus, vt oſtendit Galatinus Lib. 7. Arcanorum fidei cap. 9. Ambroſius verò Catharinus Opuſculo de Chriſti prædeſtinatione, & Ioan. Driedo lib. De gratia & libero arbitrio ſcribit poſſe defendi: Patreſque antiqui inſinuant: nominatim Gregorius, ac Beda: ſic autem credi communiter aſſerit Epiſcopus Abulenſis.

Aſſecuratio Ioan. Baptiſta. *NOTÆ.* *Seſſ. 6. Can. 23.* *Aug. de natura & gratia cap. 26.* *Lib. de Spir. & litt. ca. 22.* *Catharinus Opuſc. 2.* *Driedo libr. de gra cap 5. p. 2.* *Gregor. lib. 3. Moral. c. 4. & 5.* *Beda Homil. de decollat.* *Abul. Matth. 14. q. 40.*

IN tertio gradu ſunt Apoſtoli, de quorum ſecuritate in gratia ob confirmationem in eadem nemo dubitare debet: & apertè inter alios confirmat Ambroſius Lib. De benedictione Patriarcharum. Quod ſi quis videatur illis ſecuritatem non tribuere, vt Macharius Ægyptius Homilia 17. intelligi debet de quadam iactura non gratiæ in ſe, ſed feruoris ipſius per peccata nonnulla venialia à quibus Apoſtolos non fuiſſe immunes, ſunt, qui exiſtiment. Certè diſſenſio Pauli cum Barnaba Actuum 15. & alia illa celebris cum Petro ad Galatas 2. non videtur caruiſſe culpa aliqua leuiore. Horum itaque Aſſecurator erat Deus, fore, vt merces gratiæ feliciter ſine iactura in portum nauigationis transferrent.

Aſſecuratio Apoſtolus facta. *NOTÆ.* *Lib de benedict. Patriarc. c. 4.* *Act 15. 39.* *Gal 2. 14.*

POST hos Aſſecurationem habuerunt illi, quibus de remiſſione peccatorum fuit facta vel ab ipſo Deo, vel eius Interpretibus reuelatio. Talis in paucis fuit MARIA MAGDALENA, de qua illuſtre eſt illud Chriſti D. teſtimonium: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum Lucæ 7. 47. & DAVID Rex, cui Nathan Propheta: Dominus tranſtulit peccatum tuum. Huic Synonymus addatur nobilis latro DAVID, qui poſt vitam multis ſceleribus infamem, cum monaſticum inſtitutum amplecti decreuiſſet, & habitum peteret, additis minis, ni ſuſciperetur, fore, vt monaſterium in flammas redigeret, impetrato tandem ingreſſu, adeo vitam ſuam in melius commutauit, & tam ſerio ſe pœnitentiæ officiis dedit, vt eum Angelus viſibili forma apparens certum fecerit, peccata à Deo condonata

Aſſecuratio de remiſſione peccatorum. *Sophronius Prato c. 143.*

 eſſe.

Surius Tom. 4. Vita S. Elig.

eſſe. Quod illi adeo mirum eſt viſum, vt fidem vix adhibere potuerit. Sic Eligium quoque & alios non paucos accepiſſe cœlitus reſponſum de criminibus condonatis legimus.

Aſſecuratio de Prædeſtinatione. *Lucæ 23. 43.*

His adiungo, quibus ſecuritas facta de ſua prædeſtinatione, & regni cœleſtis obtinendi: quorum ingens eſt numerus. Ea felix imprimis fuit latro cum Chriſto cruci affixus, qui audiuit: Hodie mecum eris in Paradiſo: optanda cunctis in fatali lectulo Aſſecuratio. Plures eiuſdem ſortis nominatim exprimimus in Opuſculo De *Libro Vitæ*.

Certitudo fidei diuinæ.

Horvm certitudo fuit fidei diuinæ, quia à diuina reuelatione, cui falſum ſubeſſe non poteſt, ac proinde omnium huius vitæ longè maxima. Sed ſcire fortaſſe auetis, quæ ſit fidelium communis, in qua ipſorum fundetur Aſſecuratio.

Quæ ſecuritas omnium fidelium.

Duo hic ex ſacræ Theologiæ ſcitis explorata ſunt. Vnum eſt: Non poſſe fidelem, quamuis iuſtum, ac Deo carum, ſecluſo ſingulari priuilegio reuelationis diuinæ ſuam iuſtitiam & gratiam, aut ſanctitatem præſentem: multo minus Electionem æternam ac Prædeſtinationem cognoſcere certitudine fidei diuinæ, cui non poſſit ſubeſſe falſum. Alterum: poſſe tamen humanam quandam certitudinis cuiuſdam non pœnitendæ & conſolationis plenam habere notitiam, quæ ad contractum Aſſecurationis inter iuſtum hominem ac Deum ſit ſatis.

Nemo citra reuelationem ſcit ſe iuſtum aut prædeſtinatum. *Eccl. 5. v. 5.*

Prius illud plurimis Scripturæ diuinæ teſtimoniis ſtabilitur. Clariſſimum eſt Eccleſiaſtici 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Vel, vt habent Codices Græci De propitiatu peccatorum. Vt ſit ſenſus, quem habet Epiſcopus Gandauenſis, aliique Interpretes: Non facile præſumas ſcelerum condonationem: nec tibi blandiaris ſi commiſſi criminis ſis conſcius, aut certo ac infallabiliter tibi pollicearis eius expiationem. In Prouerbiis autem ita quærit admirabundus Salomon. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato?* Quo loco obſeruat V. Beda: non dixiſſe Sapientem: Quis habet cor mundum? aut, Quis eſt purus à peccato? nec enim repugnat aliquos eſſe plane innocentes; ſed tantum id affirmare: Quis verè ac infallibiliter ſe penitus innoxium, & ab omni purum crimine appellare queat?

Prou. 20. 9.

Pſal. 18. 13.

Delicta quis intelligit, clamat Dauid. *Ab occultis meis munda me Domine.* Quæ verba non poſſunt iis ſolum peccatoribus applicari, qui neque ſeipſos norunt, neque ſua ſcelera animaduertunt: quandoquidem Dauid, qui tunc quidem iuſtus erat illa ſibi accommodat: & Hieronymus libro primo & ſecundo aduerſus Pelagium, & Bernardus Epiſtola 42. ea de cunctis mortalibus explicant. Quod ſi quis illa exponat de leuioribus peccatis, non facilè ſuam opinionem Theologis grauioribus probaturus eſt.

Iob. 9. 11. *Verſ. 28.* *Cap. 31. 14.*

Plurimum etiam ad hanc rem facit illa Iobi conteſtatio: *Si venerit ad me non videbo eum. Si iuſtificare me voluero os meum condemnabit me. Si innocentem me oſtendero, prauum me comprobabit.* Et infra: *Verebar omnia opera mea ſciens, quod non parceret delinquenti.* Rurſus alibi: *Quid faciam, quando venerit ad iudicandum Dominus: & cum quæſierit, quid reſpondebo illi?* Quam autem illud ad hanc veritatem roborandam eſt neruoſum, quod Eccleſiaſtes pronunciat: Neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit. Nam inter cetera mala hoc recenſet, vt maximum, aut inter ſumma, quod viri iuſti de quibus ibi eſt diſceptatio, ſuam iuſtitiam penitus ignorent: & quamdiu viuunt ancipites ſunt, ac de ſuo exitu ſoliciti. Quid Paulus? Nihil mihi conſcius ſum, inquit, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Loquitur autem, aut de ſeipſo, vt eſt multorum

Eccleſiaſtæ. *1. Cor. 4. 4.*

Digitized by Google

torum opinio: aut de iuſto quolibet, vt alii exiſtimant. Significat autem, ſatis neutiquam eſſe ad cuiuſuis iuſtitiam comprobandam, quod nullum peccatum in ſe reperiat: aliud enim eſt non cognoſcere in ſe peccatum, aliud non habere. negat autem ex priori illo, colligi hoc poſterius: ſed id eſſe iudicio Dei relinquendum. Quamobrem recte S. Auguſtinus: Tu non vides in te peccatum: forte videt ille, qui melius videt. Ideo dic: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine. *Serm. 27. de Verb. Domini lib. 1. Homil. Hom. 35.*

Eodem ſpectant multa alia ſacrarum ſcripturarum teſtimonia, quæ ita de hominis ſanctificatione, ac cum Deo amicitia agunt, vt adhibeant ſemper particulam, quæ eſt formidinis, & apud profanos dubitationis eſt nota. Qua indicatur, haud poſſe hominem ita eſſe certum de ſua iuſtificatione, vt timere ſalubriter non debeat, cum illi id de fide non conſtet: ſed contrarium poſſit eſſe verum. Sic apud Danielem capite 4. legimus: *Forſan ignoſcet* Deus. Apud Ionam cap. 3. *Quis ſcit, ſi* DEVS *miſereatur?* Actuum Apoſtolicorum 8. *Si forte tibi remittatur.* Sunt alia eius generis in ſcriptura pene innumera. *Daniel. 4. 24. Iona. 3. 9. Actu. 8. 22.*

LICET igitur fide diuina non habeatur certitudo à quolibet de gratia, iuſtificatione, ac prædeſtinatione propria; poteſt tamen haberi illa quæ ad humanum aſſecurationem ſatis eſt, & requiritur: nempe, moralis: cui, tametſi non repugnet ſubeſſe falſum: excludere tamen poteſt à mente, atque intelligentia dubitationem, quam vocant, ſpeculatiuam: non tamen omnem penitus formidinem, etiam habitualem, ac radicalem. Hanc certitudinem Moralem voco, & Humanam: eiuſdemque denominationis eſt inde orta ſecuritas. Quamuis enim vtraque pendeat remote ſaltem à principiis diuinitus reuelatis: proxime tamen ab iis non manat, ſed interueniunt humana quædam principia, humano more modoque cognita. *Certitudo moralis. Humana.*

Exemplum ſume ex hoſtia conſecrata ſingulari ab hoc homine. Ea adoratur imperante cultum fide diuina: qua tamen haud neceſſario creditur hanc ſingularem hoſtiam eſſe rite ac valide à Titio ſacerdote conſecratam: Licet argumenta omnia, quæ perſuadent hoſtiam illam indiuiduam eſſe conſecratam remote à fidei principiis pendeant. Itaque tam certitudo illa, qua iuſtus credit ſe eſſe diuina præditum gratia, quam qua fidelis hoſtiam hanc, quam exiſtimat conſecratam veneratione religioſa proſequitur immediate eſt humana: mediate diuina: talis tamen, vt illi non repugnet ſubeſſe falſum. Quod exemplo Phariſæi confirmari poteſt: qui ſe iuſtum certo certius opinabatur imo id ſe ſcire putabat: ſed hallucinabatur grauiter.

PORRO certitudinem iſtam vſque eo progredi poſſe, vt non ſolum dubitationem, ſed & formidinem ab aſſenſu excludat, mihi ſatis conſtare videtur. Nam non repugnat ſane iuſtum habere aliquem aſſenſum iſtiuſmodi de ſua iuſtitia ab omni formidine actuali liberum. Qualem habere magnam religioſorum partem mihi perſuadeo. Imo, id euenire in opinione humana me in Logicis commentationibus docuiſſe adhuc memoria teneo. Scio diſputare de illa Philoſophos, an ad rationẽ eius intrinſecam pertineat formido. Sed non male diſtinguimus formidinem in actualem, quam aliqui timorem vocant de parte oppoſita, & aptitudinalem, vel radicalem, non in aliquo timore, vel dubitatione, quæ actu ſit, conſiſtentem: ſed in eo ſolum, quod opinionis medium, aut obiectum incertum ſit, atque contingens, & tale, cui non repugnet ſubeſſe falſum. Appellatur autem formido radicalis, quoniam eſt origo, ac radix actualis. Ex eo enim accidit, opinantem habere actualem timorem de veritate partis oppoſitæ, ac falſitate illius, quam eſt amplexus: *Certitudo ſine dubitatione ac formidine.*

quia

teſtimonium tum exhiberi dicit Origenes, cum ſuprema pars animi humani vſque adeo diuino amore inflammatur, vt nullo ſupplicii metu, ſed ſolius intuitu diuinæ beneuolentiæ legi diuinæ obtemperet. Ambroſius vero, atque Anſelmus, cum fidelis Deum imitatur: ac Chriſti inſiſtens veſtigiis, eius virtutum exempla, quantum fieri poteſt ſtudioſis actionibus exprimit. Sedulius, & Auguſtinus affirmant Spiritum ſanctum mortalibus diuino munere conceſſum teſtari, eos, qui tam excellens Dei beneficium acceperunt, iure inter filios Dei eſſe munerandos. D. Chryſoſtomus opinatur, teſtimonium iſtud diuinum hoc ipſo præberi, quod nos excitat ad orandum & appellandum Deum patrem. Nam hoc peccato vna cum ſpiritu noſtro: id eſt, mente, ac ratione, qua Deum, & diuinam opem imploramus, nos eſſe filios Dei teſtatur. Id autem bifariam contingit, vel interno quodam voluptatis ſenſu, quo mens humana à ſpiritu diuino perfunditur: vel ipſa illa deprecandi confidentia. Vtrumque videtur coniungere Ambroſius dum ſcribit: Spiritum ſanctum noſtro conteſtari nos eſſe filios Dei, dum humanam mentem mira oblectatione delibutam in ſpem erigit, atque ad orandum inflammat. *Epiſt. 12.*

Tertivm indicium ſit, eximius quidam de peccatis dolor, non in animo tantum hærens, ſed ad externos quoque pœnitentiæ fructus progrediens: qui propoſitum vitæ melioris, emendationis deſiderium, promptitudinem ad bonum, commiſerationis affectum amoremque proximorum comites habeat. *Dolor de peccatis.*

Qvarto loco nominetur Amor diuinus, qui auiditatem verbi cœleſtis excitet in iuſto, vt libenter de ſupernis illis audiat, tanquam rebus ad ſponſum pertinentibus: vt cor in cœlis habeat: ibi moretur: eo ſuſpiret: eodem gemitus, ac deſideria transmittat: adeo, vt corporis pondere preſſus, quoniam auolare non poteſt, vitæ tamen tædio ductus non ſine lacrymis exclamet identidem: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Tædet animam meam vitæ meæ. Defecit caro mea, & cor meum. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Nunciate dilecto meo, quia amore langueo. *Amor Dei.*

Qvintvm ſignum ſit Firmitas, & immobilis quædam conſtantia in arrepto ſemel boni propoſito, præſertim verò, amoris diuini perſiſtendi. *Firmitas in bono.* Qualis erat illa Pauli Apoſtoli, cum tam fidenter, ac ſecure diceret: Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei, quę eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Rom. 8. 38.* Quo loco Græca vox, πέπεισμαι, vt notant docti interpretes, qua haud raro vtitur Paulus non penitus certam ac infallibilem, ſed valde probabilem perſuaſionem ſignificat. *Toletus. Pererius. Iuſtinian. Cornelius.* Atque ita Ambroſius, & Hieronymus legunt, *Confido*. Intelligunt autem nonnulli, non ſcientiæ, ſed fidei fortitudinem. At cuiuſnam fidei? An diuinæ? Hæc in Paulo eſſe potuit, ſi præceſſit reuelatio. *Ad Hebr. 6. 2. Tim. 1.* Nam quis alioqui perſeuerantiam ſibi polliceatur, cum moneat idem Apoſtolus: Qui ſtat, videat ne cadat. *Ad Theſſa. 3. Rom 15.* An humanæ ac moralis? vt docere voluerit: Nullam vim creatam poſſe iuſtum impellere ad peccatum, ſi nolit. *Epiſt. ad Rom. & ep. ad Algaſ. cap. 8.* Quare benè dixit Ambroſius: Nemo tibi Chriſtum poteſt auferre, niſi te illi ipſi auferas. *Ambroſ. in Luc.* Idemque in Epiſtolam ad Romanos cap. 8. Confidentia hæc de ſponſione Chriſti eſt, qua promiſit in tribulationibus adiuuare ſe dicatam fidem. In eandem quoque ſententiam S. Bernardus. *Ber. de duplici Bap.* Attende quanta enumerauit Apoſtolus: eius enim verba ſunt, minimè tamen adiiciens, nec nos ipſi. Nimirum, hæc eſt libertas, qua Chriſtus nos liberauit, vt nulla penitus creatura, auellere

nos, aut vim facere poſſit. Solum id deſerere poſſumus prop. ri voluntate abſtracti & illecti à propria concupiſcentia. Præter hanc nihil eſt, quod timeamus.

Bona opera. SEXTVM tandem ſignum ſunt bona opera. Nemo gratiam præſentem poſſidet, ſine bonis operibus, ſi adultus ſit: nemo ſine iiſdem futuram ſperet. Nemo ſine bonis operibus ſalutem conſequetur. Et quamuis dicatur electionem prædeſtinatorum factam non eſſe ex præuiſione bonorum operum: de quo mirum in modum litigant aliqui, eſt tamen illud longè certiſſimum, Deum & prænouiſſe, imò & prædeſtinaſſe, hos & illos fide ac opere ſuos eſſe futuros. Quapropter, Fratres, *2. Petr. 1.10.* ſatagite, vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.

NOTÆ.

DE CONTRACTV ASSECVrationis.

§. ASSECVRATIO.] De hac tractant Silueſter Quæſt. 4. & 5. Conradus lib. de Contractibus quæſt. 7. Dominicus Sotus lib. 6. De Iuſtitia & Iure. Franciſcus Garzia de Contractibus parte 2. cap. 15. Azorius Tom. 3. cap. 18. lib. 11.

MVNDVS *Mare.*] Chryſoſtomus Homilia 82. in Matthæum: Pelagus eſt longe lateque protenſum hæc vita. Quemadmodum autem in mari vniuerſo ſinus diuerſi aliis, atque aliis tempeſtatibus commouentur præcipue: velut Ægæum ventis exaſperatur: Thyrrenum vero fretum propter anguſtias; Charybdis autem, quæ eſt Libyen verſus propter ſtagna ſyrtis & breuia: pontus magnitudinem fluctuum, atque impetu: Hiſpanicus Oceanus quia inuius carentia portuum, & locorum ignorantia intricatus difficilis nauigantibus eſt: ſimiliter alia pelagi pars aliis de cauſſis: ſic & in vita noſtra fieri videmus.

Ambroſ. præfat. in libr. 4. ſuper Euang. Luc. Quod mare abruptius, quam ſeculum? tam infidum, tam mobile, tam profundum, tam immundorum ſpirituum flatibus procelloſum. Quod à diuerſis peccatis, & variis tentationibus, velut quibuſdam fluctibus æſtuat. De quo ſcriptum legimus: Hoc mare magnum & ſpacioſum. Chryſoſt. Hom. 33. Hieronymus Epiſtola. 1. ad Heliodorum: Nolite credere, nolite eſſe ſecuri: licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat: licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur: magnos hic campus montes habet. Intus inclusum eſt periculum: intus eſt hoſtis. In illo æſtu charybdis luxuriæ ſalutem rotat. Ibi ore virgineo ad perpetranda naufragia ſcylla, ſeu renidens libido blanditur. Hic barbarum littus. Hic Diabolus pirata, cum ſociis portat vincula capiendis. Iterum Ambroſius Apolog. poſteriore pro Dauide cap. 3. Magnam faciunt tempeſtatem multitudines cupiditatum: quæ velut in quodam freto corporis nauigantem hinc atque inde perturbant, vt gubernator ſui animus eſſe non poſſit. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 23. in cap. 13. Iobi, Mens humana quot tentationes patitur, tot fluctibus mouetur. Hanc enim plerumque ira perturbat: cum recedit ira, ſuccedit inepta lætitia: luxuriæ ſtimulis vrgetur: æſtu auaritiæ longe, lateque ad ambienda, quæ terrena ſunt, tenditur. Aliquando hanc ſuperbia eleuat: aliquando vero inordinatus timor in infimis deponit.

Plura ad hunc Titulum exornandum profetimus in Artifice ſymbolico. Et habet quædam ſelecta Hermannus Hugo in Deſideriis piis Emblemate vario exornatis ad 11. *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum.*

§. Deus

Digitized by Google

§. Deus *Aſſecurator Eccleſiæ.*] Lege Bellarminum De notis Eccleſiæ c. 11. qui inde euidenter colligit, nullam eſſe veram Eccleſiam, niſi noſtram: id eſt Romanam, ſeu Pontificiam. Siquidem nulla eſt ſecta vel Paganorum, vel Hæreticorum vel Philoſophorum, vel Turcarum, & Saracenorum, quæ non contineat errores aliquot fidei ac rationi contrarios.

§. Deus *Aſſecurator* Pontificis Max.] Vide Bellarminum lib. 4. De Pontifice cap. 3. & reliquos huius æui controuerſiarum tractatores.

§. Securitas.] Hinc ſecurus, tranquillus, curaatque anxietate vacans. Differt à *tuto*, quod ſecurus ſit, qui non timet, etiam ſi immineat periculum: tutus, qui extra periculum, licet timeat Cice. in Rhetor. Securitas eſt, incommoditates imminentes,& rei inchoatæ, finem non formidare. Idem lib. de amicit. ſcribit, caput eſſe ad beate viuendum, ſecuritatem, qua frui non poſſit animus, ſi ſemper ſit ſolicitus de euentu. Vide præter S. Thomam S. Q. 129. Art. 7. Leonardum Leſſium lib. 3. de iuſtit. cap. 2.

§. Caluini *blaſphemia.*] Vide Francisc. Feu-ardentium in Theomachia, & Dialogis contra Caluinum. Nonne exhorreſcat Chriſtiani animus, dum audit, Chriſtum vere peccatorem fuiſſe, reum maledictionis diuinæ: mollitie animi mortem fugiſſe: vota inconſiderate, ſiue preces emiſiſſe in cruce: Mediatoris officio fungi detrectauiſſe: in voces deſperationis plenas erupiſſe: ſimpliciter ac per ſe oppoſitum diuino iudicio Dei: non meruiſſe nec in eo dignitatem repertam, quæ Deum promereri poſſet?

§. Ioannes *Baptiſta.*] De hoc plurima ſunt Patrum teſtimonia, quæ collegit Petrus Caniſius opere De verbi Dei corruptelis, Suarez. tom. 2. in 3 Part. Maldonat. in Matthæum & Lucam. Paulus Comitolus in reſponſis moralibus lib. 4. Q. 46. à numero 12. Benedictus Iuſtinianus Tom. 1. in Epiſtolis Pauli diſp. 1. cap. 5. vbi allatis multis pro confirmatione Ioannis in gratia, addit: Vt hæc omnia Ioannis innocentiam & confirmationem in gratia haud obſcure probent: non facile tamen admiſerim, quamlibet vel leuiſſimam noxam penitus excludere. Quod ex Auguſtino aliiſque confirmat. Contrarium ſentire videtur Comitolus, qui aſſerit Eccleſię ſenſum eſſe de Ioannis innocentia, quæ nunquam illius vitam deſeruerit. Id autem minime obſcurum videri ex iis hymnis, quibus eiuſdem feſtum natalem ornat. Nam in ſecundo dicit:

Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſet.

Et in tertio:

Neſciens labem niuei pudoris.

§. Assecvratio *Apoſtolis facta.*] Vide Lorinum Actuum 1. Et Benedictum Iuſtinianum Tom. 1. in Epiſtolis Pauli diſp. 1. vbi de Apoſtolorum ſanctitate multa diſſerit. Eos autem ait poſt acceptum Spiritum Sanctum leuiter labi potuiſſe, & grauioribus tamen noxiis etiam ſi lethales non eſſent proſus caruiſſe. Petrum quidem à Paulo fuiſſe reprehẽſum, vt conſtat ex Galaticæ 2. 11. verum, quicquid illud tandem fuerit, imprudentiæ potius, quam prauitati, aut nequitiæ imputandum videri.

§. Signa *Gratiæ vel Prædeſtinationis.*] De his Cyrillus lib. 10. in Ioann. Cap. 5. Baſilius in Regulis breuius explicatis, Reſpon. 12. qui numerant. 1. Odium peccati. 2. Moderationem omnium prauarum cupiditatum. 3. Zelum, qualem de ſe

prædicat Paulus, cum ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Idem confirmat Leo Pontifex ſermone 8. de Epiphania, qui alia ſigna dat. 4. Chriſtianam humilitatem. 5. Obliuionem iniuriarum. 6. Dei & proximorum amorem eximium. Alia quædam obſeruat Bernardus ſermone De quattuor modis orandi: Cyprianus Serm. De cœna Domini. Ambroſius lib. 5. de Sacram. Cap. 2. Hieronymus Epiſtola de homine perfecto, quæ incipit: *Ecce iterum*; Epiſtola ad Celantiam: Epiſtola ad Pammachium, & Oceanum. Epiſtola ad Demetriadem. Bernardus ſermone. 1. & 2. De Paſchate. S. Thomas in 4. Diſtinct. 9. & opuſc. 60. Vega lib. 9. in Tridentin. cap. 46. Ioann. Gerſon in Tripartita, vbi de præceptis Decalogi. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitat. cap. 28. In prætat. Pſal. 64. Verum hæc ſigna etſi excludant formidinem illam, quæ perpetuo vrgeat, ac premat: non tamen omnem dubitationem ac ſolicitudinem.

Miſericordia & pietas eſt propria virtus Sanctorum, & ſignum prædeſtinationis Ad Coloſ. 3. Induite vos ſicut electi Dei ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ. Nota titulos: Electos vocat, Sanctos, & dilectos. Carolus Regius Lib. De Oratore Chriſtiano. Lib. 10. cap. 8. Num. 21.

Peculiaris affectus erga ſanctiſſimum Chriſti corpus in Euchariſtia, eſt non leue Prædeſtinationis ſignum. Quod ex illo rectè colligas: vbicumque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Carolus Regius lib. 10. cap. 10. pag. 778.

Edidit nuper Hieremias Drexelius libellum titulo, *Zodiacus Chriſtianus*: ſeu ſigna XII. Diuinæ Prædeſtinationis. I. *Cereus ardens*, quo deſignatur *Lux interna*. II. *Cranium*, ſeu *Caluaria*, quæ declaratur, *Animus ad mortem, quandocumque illam ſemper paratus*. III. *Aurea Euchariſtia Hierotheca*, qua exprimitur *frequens Sacramentorum Confeſſionis & communionis vſus*. V. *Frutex roſarum ſpinis ſeptus vndique*: per quem demonſtratur: *Afflictio perpetua, & exercitatio cum patientia*. VI. *Ficus*; qua deſignatur, *Auditio verbi Dei*. VII. *Frutex Tabaci*; per quem repræſentatur, *Eleemoſyna*: præſertim illa, quæ datur benigno affectu in egenos. VIII. *Cupreſſus*: qua ſignificatur, *vilis ſui æſtimatio*. IX. *Haſtis per oleaginum ſertum coniunctis* denotatur, Dilectio inimicorum. X. *Flagello & Virgis*, demonſtratur, *Deteſtatio præteritorum peccatorum*. XI. *Anchora & voluntatis in bonum propenſio*. XII. *Cithara*, qua exprimitur *Moderatio affectuum*: ſeu *Victoria tentationum*.

Illud non omiſerim: Dæmonem ſolere Aſſecurationis contractu homines fallere. Ita decepiſſe Euam obſeruat S. Bonauent. in Breuiloquio parte 3. cap. 2. vbi ſic ſcribit: Modus, quo in tentatione proceſſit maximæ verſutiæ fuit, quia experiendo, impellendo, alliciendo, proceſſit: experientiam ſumpſit in interrogatione: impulit in Aſſecuratione: allexit in promiſſione. Primo enim interrogauit de cauſſa mandati, vt rationem duceret in dubium: Secundo, dubitatione habita: Ne forte moriamur, Aſſecurauit, *Nequaquam*, vt iraſcibilem duceret in contemptum: tertio promiſit, vt concupiſcibilem duceret in appetitum. Ex his tribus modis appetitum traheret in conſenſum.

Aſſecuratione falluntur Caluiniſtæ de quorum in hac re priuilegio, conſule Martinum Becanum Opuſc. De Priuilegiis Caluiniſtarum.

COM-

COMMENTATIO XLI.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM, ex Stipulatione.

Dominica XIV. poſt Pentecoſt.

In qua agitur de variis interrogationibus ac reſponſionibus, quibus per modum ſtipulationis adulti per ſe: paruuli per Patrinos cum Deo conuenerunt abrenunciantes Mammonæ, & pompis eius.

Saluos nos fecit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, ἐπερώτημα, Stipulatio, in Deum.
1. Petri. 3. 21.

Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ. Matth. 6. 24.

STIPVLATOR HOMO.

INTER titulos, quibus Chriſto ſaluatori, & Deo arctiſſime adſtringimur eſt Serui & Domini. Deus eſt Dominus: Homo ſeruus. quis non ſæpe ſæpius id ſe audiuiſſe recordatur? Legitimæ autem ſeruitutis cauſſæ ſunt variæ; de quibus nobis alibi eſt copioſior diſputatio. Sed ea, quæ emptione nititur, Chriſtum ditiſſimum mercatorem præcipue reſpicit, cuius infinito precio empti ſumus, & nos ipſi multifariam addiximus. Verum in hac emptione, & addictione ſolennes quædam interuenerunt ſtipulationes, quæ mirum quantum obligationem noſtram erga Deum augent, & firmiorem faciunt.

DICITE mihi, fideliter dilecti, ſi quis eſſet, qui ab aliquo legitima emptione, publicisq; ſtipulationum tabulis in dominium illius conceſſiſſet, quaſi manu captus: & ad firmiorem ſeruitutis profeſſionem nouis ſtipulationibus ſponte ſeſe obligaſſet, omnibuſque Domini ſui aduerſariis renunciaſſet: poſtea vero ſiue aliena perſuaſione, ſiue propria malignitate, comtempta legitimi domini fide, & abiuratio eius cultu, capitalis inimici ſigna ſequeretur, eique ſe, vt mancipium deuoueret, ac eius voluntati, vel libidini potius actiones omnes ſuas accommodaret, qua dignum pœna, quo afficiendum ſupplicio iudicaretis? Haud opus eſt ad ferenda ſuffragia ſecedere: haud opus linguam in verba formare, iam ex oculis vultuque ſingulorum ſenſum perſpexi. Hic enſe, alter fune: iſte furca, ille rota, plures ignibus, multi culleo ad dicendum, ac inſuendum conceperunt animo: omnes non vna morte excarnificandum pronunciarent.

RECTE id quidem ac iuſtiſſime. Sed iam quiſque conſcientiam ſuam conueniat. Duo ſunt Domini, vel eſſe volunt, magis quam flamma & vnda contrarii. Chriſtus, ſiue Deus & Satanas. Nemo autem poteſt duobus Dominis ſeruire. Chriſtus omnes emptione, quam ſtipulatione firmauit, ſuos fecit iam dudum. Omnes ſe illi ſuapte ſponte aliis quibuſdam ſtipulationibus obligarunt. Peccator quilibet, quando cum Mammona, & inferno pactum ſtatuit, has ſtipulationes ſcelerate reſcindit; & à furca, rota, ignibus æternis eximi poterit? vocabula illa diſciplinæ Iuridicæ propria non intelligo, dicis. Et hæc in tui gratiam explicabo hodie, ac docebo.

QVO pacto Chriſtus hominem Domino ſuo ſtipulationibus certis adquiſiuerit: homo autem ſe illi non vna ſtipulatione in manus dederit: ac proinde, vt Dominum agnoſcere debeat, & dæmoni, mundo, peccato, carnique nuncium remittere: deinde, quam inique faciant, qui his nexibus reſciſſis, Mammonæ nouis ſe obligationibus adſtringunt. Ex quibus tandem percipietur clarius, quam commode, ac minimè alieno loco, poſt prædictos omnes contractus, quibus Deo obſtringimur, hunc STIPVLATIONIS, qui à quibuſdam Contractus dicitur, ab aliis eſſe negatur, quod ex vna ſolummodo parte obligationem pariat, in his noſtris Theologo-iuridicis Commentationibus ponendum cenſuerimus. Vt autem ab omnibus intelligatur, quomodo cum Deo ſit celebrata ſtipulatio, illud ex Legum humanarum arcanis eſt ſumendum.

Stipulatio quid? STIPVLATIONEM fieri per conceptionem verborum, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturumque ſe id, quod ex conuentione interrogatus eſt, in continenti promittit: verbi cauſſa: Spondes te daturum, aut facturum? Spondeo. Promittis? promitto. Fideiubes? fideiubeo. Dabis? dabo. Facies? faciam. Is autem, qui rogat, vt ſibi promittatur ab alio dicitur ſtipulari ab eo, vocaturque ſtipulans, & ſtipulator: quamuis interdum paſſiue capiatur, ac ipſe promiſſor dicatur ſtipulari, & ſtipulatus, vt conſtat ex L. Si non ſortem §. penult. Digeſt. De condiction. indebiti, aliiſque locis non paucis.

Ex SS. probatur ſtipulatio. IAM vero multa reperiuntur in diuinis paginis, quæ in Redemptionis negociatione ſtipulationem inter Saluatorem, qua hominem, ac Deum interueniſſe declarant.

FIGVRAM ſi ſpectes: Ieremias Propheta, cum à popularibus miſſus in carcerem teneretur obſeſſa ab exercitu Chaldæorum Ieroſolymitana ciuitate miſit ad eum Deus, Hanameel filium Sellum patruelem eius, qui illi prædium emendum obtulit. Vt autem intellexit Ieremias id nutu ac imperio Dei fieri, emit omni iuris ſolennitate adhibita patruelis agrum, vt hoc facto, in ſpem adduceretur populus reditus à captiuitate, & poſſidendi iterum agros in ſolo patrio, ac pacifice viuendi.

Ierem. 32. 9. Emi, inquit, agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui eſt in Anatoth, & appendi ei argentum ſeptem ſtateres, & decem argenteos, & ſcripſi in libro, & ſignaui, & adhibui teſtes, & appendi argentum in ſtatera: & accepi librum poſſeſſionis ſignatum, & ſtipulationes & rata & ſigna forinſecus.

Ritus Iudaicus in emptionibus. Quæ, vt in lucem veniant; Obſerua ritum Iudæorum; apud quos in emptionibus iſtiuſmodi fiebat duplex inſtrumentum: vnum clauſum; alterum apertum. In vtroque exprimebatur pretium rei venditæ cum reipſa: addebantur etiam leges illæ conditiones, ac ſtipulationes, quæ in redemptione fundorum iubentur obſeruari Leuitici 25. adhibitis quoque contractu teſtibus. Et hi nomina inſtrumento ſubſcribebant: quod obſignabatur annulo publico: vt illi fides eſſet in iudicio. Præter hoc obſignatum, erat alterum apertum, vt, qui vellent, legerent: vulgo *Copia* appellatur, Hebraice גלוי *galui.* vt ex Franciſco Vatablo aliiſq; deducit Chriſtophorus à Caſtro. *Caſtro lib. 4. in Ierem.*

Chriſtus velut in libera cuſtodia. PORRO, vt in multis aliis, ſic in hoc ſignate fuit typus redemptoris Chriſti Ieremias. Illum ego in Palæſtina, tanquam in libera quadam cuſtodia agentem contemplari ſoleo; ſed ſub vitæ finem, funibus nexum, ac vinctum compedibus arctiori carceri mancipatum. Vt autem hominibus, qui patria extorres in exilio vagaban-

gabantur ſpem reditus ac poſſeſſionis aliquando obtinendæ faceret, omni adhibita ſolennitate, factaque publica ſtipulatione, & conſcripto accurate inſtrumento, Eccleſiam, velut fœcundiſſimum agrum coemit: & cum eo nos, tanquam glebæ ſeruos, vel adſcriptitios, quales ſunt in iure, qui nõ ſeparatim, ſed cum gleba, agro, aut fundo vẽduntur, Leg. 2. & Leg. *Quemadmodum*. Cod. de agricolis: vbi dicuntur etiam agricolæ cenſiti, & coloni, qualis primus noſter parens Adam. Simul etiam formam ſuggeſſit, qua in terra promiſſionis prædii acquirendi poteſtas fieret.

Stipulationis formula. *Ierem 53. 2.*
QVID enim aliud, quam talem ſtipulationem ſonant illa in Euangelico Propheta? Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo, quod laborauit anima eius videbit, & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia: pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit: & pro tranſgreſſoribus rogauit.

Pſal. 2. 8. *Lib. de vnit. Eccleſ. cap. 8.*
QVAM illud eandem ad rem eximium? Poſtula à me & dabo tibi gentes hereditatem ſuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Quis vnquam, rectè inquit Auguſtinus, dubitauit, hoc de Chriſto eſſe dictum, aut hanc hereditatem aliud, quam Eccleſiam eſſe intellexit. Non poſtulat autem, niſi ut homo Chriſtus: quem hac conceptione verborum cum Patre fuiſſe ſtipulatum licet concipere. Promittis mihi te Eccleſiam in hereditatem daturum, ſi mandato tuo, quod à te accepi, obediens, ſanguinem profundam? Reſpondiſſe Patrem ſpondeo, daturum. Filius meus es tu ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Tam mihi dilecto capiti negare nihil poſſum. Volo, & ſi nollem, emptionis ac ſtipulationis ius aliud non permitteret.

Stipulatione obligatur Deus.
Et ſane fuit hæc ſtipulatio neceſſaria, vt Patrem Chriſtus obligaret: nihil enim aliud ne quidem infinita Mediatoris ſatisfactio, ac pretium potuit Deum obſtringere, facta autem promiſſione, quæ poſt Filii poſtulationem fuit ſtipulatio, non potuit non præſtare Pater, quod ſtipulata ſponſione addixerat. Nam etiam in humanis intercedente ſtipulatione, non eſt amplius pœnitentiæ locus. Et ea ita contractus omnes firmantur, vt non liceat reſilire. Inde illa vulgaris, etiam quod ſit ſtipulatio ignorãtibus aſſeueratio. Stipulata manu mihi eſt promiſſum: quod dum dicitur, inſinuatur, reuocari non poſſe.

Qualis ſtipulatio inter Chriſtum & Deum. *Inſt. de verb. obligat.*
SED qualiſnam, inquis, fuit illa inter Chriſtum, Deumque ſtipulatio? Notum eſt ex Iuſtiniani Inſtitutionibus, ſtipulationẽ omnem fieri poſſe, aut ſimpliciter & pure: aut ſub conditione, aut in diem certum. Quando pure fit, ſtatim obligat, & peti poteſt id quod promittitur. Quando fit ſub conditione, licet ſtatim obliget: non tamen poteſt peti, quod promittitur, niſi conditione impleta. Verbi cauſſa. Si ſpondeas te daturum mihi quinque aureos, ſi Titius in Doctorem promoueatur, ante diem inaugurationis poſtulari non poteſt promiſſum.

Stipulatio Chriſti conditionata. *In diem certum.*
IAM vero, ſtipulatio inter Chriſtum ac Deum fuit ſub conditione, & in diem certum. Conditio addita, erat voluntaria mortis electio, & conſtantiſſima perpeſſio: Si poſuerit pro peccato animam ſuam videlicet ſemen longæuum. Iſaiæ 53. 2. Quamobrem obligabat quidem ſtatim Deum facta ſtipulatio: Sed Chriſtus petere haud poterat Eccleſiæ campum, & in eo tot addictos famulos, niſi morte obita. Dies quoque præſtitutus erat: nimirum, qui vitæ mortalis in Patris gloriam actæ futurus erat terminus, & nunquam intermoriturae initium. Quanta ex hac ſtipu-

latione

Digitized by Google

latione, hominis erga Deum, Chriſtumque ſtipulantem oritur obligatio? Cum hac Chriſtus ius adquiſierit in hereditatem ſuam genus humanum transferendi. In quo tota hominis conſiſtit nobilitas. Quid enim dignius, quam in hæreditatem Dei tranſcribi? vt autem is cui datur hereditas poteſt de ea ad libitum diſponere: ita ſane in poteſtatem CHRISTI Deique, nos translatos eſſe cogitandum eſt.

Itaque contra hoc ius facit, qui duobus Dominis tanquam duobus heredibus ſeruitutem ſuam addicit, Deo & Mammonæ. Qui de membris facultatibuſque ad libitum non Dei, ſed carnis, Mammonæ, peccati diſponit. Qui corporis maiorem curam gerit, quam animi. Qui futuri ſecurus in diem viuere ſolet, & in vtramque aurem dormit ſemper ſomnicolentus: quaſi, cum temporalium ſolicitudinem Dominus notat, æternarum quoque cogitationem obiiciendam imperet. Non laborando, & non nendo regnum terrenum, quis obtineat, nunquam ad cœleſte, niſi per labores telamque laborioſam pertexendo quis perueniet.

ARGVTVM fuit illud cuiuſdam & efficax effatum, qui Philippo Valeſio ſuggeſſit, in controuerſia de ſucceſſione in regno Galliæ, vt vſurparet Chriſti Domini ſententiam: conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: addita interpretatione, Lilia Francorum non deberi niſi nobilibus qui non laborant: neque deberi, niſi maſculis, qui non nent. Profecto, ſi conuertere liceret propoſitionem nouo conuerſionis genere, dici poſſet: cœlorum regnum non deberi niſi iis nobilibus, qui laborant: & non niſi iis maſculis, qui nere non recuſant, non tamen, vt Sardanapalus aut effœminatus Hercules: ſed vt fortis illa mulier, Anima Deo grata, cuius procul & de vltimis finibus precium eſſe dicitur.

Stipulatio Baptiſmus. IAM verò in eo contractu, quem nos cum Chriſto, quando ab illo in ſeruos aſciti ſumus veram ſtipulationem interueniſſe, eamque multiplicem docebit Petrus Apoſtolus, vt Iuris Pontificii, ſic & Diuini conſultiſſimus. Qui de Baptiſmi

1. Petr. 3. 21. virtute diſputans, nouo quodam modo, facta cum Arca Noërica comparatione ita illum deſcribit. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium; ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti. Græcè legitur: Ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν. In qua ſententia ἐπερώτημα quod vulgatus Interpres vertit, *Interrogatio*, alios habet ſignificatus: è quibus Sectarii nonnulli occaſionem errandi arripuerunt: nobis rectè ſentientibus hunc Stipulationis contractum confirmandi datur opportunitas.

Interrogatio Pignus. Oecumenius igitur in Commentario eius loci per *Interrogationem* videtur intelligere Pignus & Arrhabonem. Dicit enim Baptiſma eſſe quaſi pignus bonæ conſcientiæ: id eſt, qui Deo inſpirante conceperunt bonum deſiderium, illi vitam immaculatam ſectantur, eamque exquirunt vbique, & de ea interrogant. Vnde cum audierint, per Baptiſmum mundari animas, mox properant ad Sacramentum illud, vt purgentur ſordes ipſorum. Quamobrem dici poſſe videtur, eo intuitu Baptiſmum eſſe pignus bonæ conſcientiæ. Sed reuera Petrus Apoſtolus amplius quid tribuit Baptiſmo cum virtutem illius extollit.

Martinus quoque Lutherus, qui plurimum efficaciæ ſacramentorum detrahit peruerſis Scripturæ interpretationibus Græcam vocem ἐπερώτημα vult ſignificare *Pactum*: & hoc modo exponit: Baptiſmus ſaluos nos facit, non quatenus lauat corpus, ſed quatenus obſignat pactum, quod habet anima cum Deo, dum fide accipit

cipit promiſſiones eius. Ex quo concludunt Lutheri aſſeclæ Baptiſmum eſſe ſigillum promiſſionis. Quod vtrum, & quatenus admitti debeat, alibi diſputo.

NON multo aliter exponit Caluinus: quamuis vocem ἐπερώτημα, non pactum, ſed reſponſionem & teſtimonium denotare contendat. Non negemus ἐπερώτημα ſignificare interdum pactum, vel teſtimonium: perperam tamen inde deducunt veræ fidei aduerſarii; Baptiſmo tantum obſignari pactum aut teſtimonium: cum Petrus ſcribat, nos ſaluari, ſiue iuſtificari Baptiſmo. Vnde illud oritur bonæ conſcientiæ teſtimonium. Quemadmodum, qui erant in arca Noë nequaquam ſunt ſaluati per aquas teſtificando, ſeu obſignando promiſſiones, ſed reipſa cum in ſublime cum arca eleuarentur.

EST ergò quorundam Catholicorum explicatio iſtiuſmodi. Cum ἐπερώτημα Stipulationem ſignificare poſſit, vt notat Gagnerus, per ἐπερώτημα συνειδήσεως optimè intelligi interrogationes, ac reſponſiones, quæ fiunt ante Baptiſmi ſuſceptionem: Siquidem fit Stipulatio reſpondente eo, quo cum initur contractus. Senſus igitur planiſſimus eſt Petri Apoſtoli: Eum, qui ita ſtipuletur, & bona conſcientia interrogationibus tunc fieri ſolitis reſpondet, magno cum fructu baptiſmum ſuſcipere.

ἐπερώτημα ſtipulatio.

Et quidem Beda, ac ceteri Latini poſt Auguſtinum, Petri ſententiam exponunt de interrogatoria ſtipulatione, quæ fit inter baptizandum & baptizantem ac tendit in Deum, vt non fictè, ſed ex animo accedat, & per bonam conſcientiam vnum efficiatur cum Deo. Caietanus verò exponit de iam baptizato adulto, cuius verum ſtudium eſſe debet, atque conſequens ex baptiſmo effectus, vt cooperari velit inquirendo applicationem ſcientiæ erga Deum: addo, vt ſe arctius Deo ſtipulatione facta adſtringat: ac factis oſtendat, ſe ſtipulationem baptiſmalem ratam habere velle.

Aug. lib. 19. contra Fauſt. cap. 12.

HINC iam intelligitur, quanta, & quam variis in rebus inter Deum & hominem oriatur obligatio ex ſtipulationibus in Baptiſmo factis. Examinemus aliquas. Prima ſtipulatio ad fontem baptiſmalem, hac ſolenni forma concepta eſt: Abrenuncias Satanæ? Abrenuncio. Altera: Et omnibus pompis eius? Abrenuncio? Tertia: Et omnibus operibus eius? Abrenuncio. Quarta: Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ? Credo. Quinta: Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum natum & paſſum? Credo. Sexta: Credis & in Spiritum Sanctum; Eccleſiam Catholicam; Sanctorum communionem; remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? Credo.

Stipulationes in Baptiſmo. NOTÆ.

NEQVE vos moueat, quod tunc vſu rationis carentes nihil reſpondere potueritis. Quæ eſt putida quorundam ſectariorum obiectio. Siquidem Miniſtri Tranſyluani, qui anno M. D. LXVII. duos libros ediderunt contra Trinitatem & Incarnationem Domini, ad finem illorum librorum addiderunt triginta ſex argumenta contra Pædo-baptiſmum: trigeſimum primum ita format: Baptiſmus eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga Deum, vt docet Petrus epiſtola ſua prima. At hanc non habent, nec habere poſſunt paruuli. Non ſunt igitur baptizandi.

Obiectio hæreticor.

SED facilis eſt reſponſio. Nam vt omittamus adultos, qui ipſi interrogationibus ſtipulatoriis reſpondent, paruuli parentum, patrinorum, fideiuſſorumque verbis ſatisfaciunt baptizatori pro Deo ſtipulanti. Nec abſurdum videri debet, ſi dicamus quempiam ſtipulari pro alio. Licet enim iure Imperatorio cõmuni vniuerſim non

Quomodo ſtipulentur paruuli.

poſſit alter alteri ſtipulari, id eſt, acquirere obligationem, ſeu pro alio acceptare, vt habetur expreſſe. §. *Si quis alii.* & §. *Alteri.* Inſtitut. De inutil. ſtipulat. Excipiuntur tamen ab hac regula vniuerſali, primo, pater: qui pro filio ſtipulari poteſt. Eſt autem patrinus, ſpiritualis pater: ſicut Eccleſia, mater, cum filios ad baptiſmum offert. Deinde, tutor, qui poteſt pro pupillo: curator pro minori. Pater ſiquidem, non ſolum vt pater, ſed etiam, vt legitimus adminiſtrator ſtipulari poteſt pro filio: tutor autem, ac curator legitimi ſunt adminiſtratores. Item, procuratori id conceditur, ſi habeat ſpeciale mandatum. Quod nonnulli extendunt ad notarium, quia eſt perſona publica. Sed multo magis idem ius patrino eſt dandum.

NOTÆ.

Stipulatio baptiſmalis an ab adul is cōfirmanda.

PORRO, vt hac ſtipulatione obligeris, non eſt neceſſitium dum ad adultam ætatem peruenisti, illam totidem verbis ratam habere, ac confirmare. Quod improbe inſinuatum ab amphibio Batauo Deſiderio. Qui eo etiam proceſſit audaciæ, vt baptizatis ante vſum rationis, cum ad adultam ætatem peruenerint, liberam velit facultatem dari remanendi in religione Chriſtiana, vel aliam eligendi. Quod profectò in Eccleſia orthodoxa eſt inauditum.

Confirmatione an firmetur ſtipulatio baptiſmalis.
NOTÆ.

HVC detorquent ſtolidi Nouatores totam Sacramenti Confirmationis ceremoniam. Cum enim negare non poſſint, fuiſſe in veteri Eccleſia ritum aliquem, qui dictus ſit Cōfirmatio, à Græcis etiam τελείωσις, Conſummatio, fingunt, ritum eum non fuiſſe ſacramentum: ſed ceremoniam quandam vtiliter ab Eccleſia introductam, qua adulti de baptiſmo in infantia ſuſcepto, ac ſtipulationibus ibi factis admonerentur. Huc enim ſpectant, quæ verboſiſſimè Kemnitius in ſecunda parte Examinis Concilii Tridentini digerit: ſed non eſt operæ pretium recenſere.

2. Par. pag. 320.

Stipulationes baptiſmales ad quid obligent.

CATHOLICI qui diuerſum à Baptiſmo ſacramentum eſſe aſſerunt Cōfirmationem: nec eo fine inſtitutum, vt promiſſiones, ac ſtipulationes in baptiſmo factæ firmentur, docent minimè neceſſarium eſſe, ad obligationis effectum, ſtipulationum præcedentium aliam ratihabitionem, quam illam, quæ in Chriſtiani hominis, nominisque profeſſione continetur. Nam, vt verum fatear, ſtipulationibus illis baptiſmalibus non obligatur quilibet, niſi ad ea, ad quæ alioqui obligatus, vel obligandus eſſet. Nam ad legem diuinam ſeruandam, ad abrenunciandum Diabolo, ac pompis & operibus eius omnes tenentur, etiam ſine baptiſmo: ad quem tamen ſuſcipiendum omnes obligantur idque diuino mandato: ac proinde tenentur omnes ſe ſubiicere Eccleſiæ eiuſque præceptis.

AT dicis: obligatur tamen puer arctius, factis illis ſtipulationibus, quas non propria voluntate, & ore, ſed aliorum profert. Sit ita. Sed quod conqueratur non habet. Dic mihi. Si quis incideret in hominē lethaliter vulneratum, qui vſu linguæ & rationis careret, eumque in domum aliquam portari, & à Medicis curari mandaret: certè, haud ille poſſet conqueri poſtea de tā benigno patrono, quod eum ſua ſtipulatione obligaſſet ad perſoluendam Medicis Doctoribus ſoſtrum. Et quidem ſi quereretur, ac ſtipulationē ratam habere nollet, haberetur ab omnibus, vt ingratus, & iudicio caderet. Eadem eſt hic ratio. Aduerte, quæſo te. Infans mortaliter peccati originarii malignitate vulneratus iacet: ſenſuum internorum, & rationis iudicio, ac vſu deſtitutus: nec ſui iuris eſt; futurus, cum adoleuerit. Suſcipit illū Patrinus, tanquam bonus Samaritanus, defert ad Eccleſiam, communem ægrorum hoſpitalem domum: agit cum Medico, vt curam ſuſcipiat: ſpondet non ingratum ſe futurum: Medicus negat ſibi curæ illum fore, niſi patronus ille ſtipulatione interpoſita, promittat illum ſaluti cōſentanea, iam ſibi reſtitutum admiſſurum: hoc ſibi

ſoſtrum

ſoſtrum fore:hanc ſe vnam poſtulare mercedem. Fit ſtipulatio. curatur infirmus:ad ſe redit. adoleſcit. audit, quid circa ſe, ac ſui gratia actum, quis neget, illũ ſtipulatione per alium facta teneri? Ni faſſus fuerit, audiet ô ingratum, & inuerecundum! ſtet pactis: vel mittatur in tenebras exteriores donec reddat nouiſſimum quadrantem.

Ad quid obligemur ex ſtipulatione baptiſmali.

Hiſce ita diſputatis, facilè eſt colligere, ad quænam ex his baptiſmalibus ſtipulationibus teneamur. Nimirum: *Primo*, ad renũciandum Dæmoni: deinde eius pompis: tum operibus. *Tunc autem veraciter fideles ſumus*, inquit Gregorius, *ſi quod verbo promittimus, operibus complemus. In die quippe baptiſmatis omnibus nos antiqui hoſtis operibus, atque omnibus pompis abrenũciare promiſimus*. Ceterum, renunciare Diabolo eſt eius familiaritati, ſi quam cum eo habuiſti, conuerſationi quoque, ac pacto nuncium remittere: eius memoriam deteſtari: nomen nunquam proferre: vel, ſi id aliquãdo ſit neceſſarium, non ſine horroris, & execrationis ſignificatione: nunquam illum in teſtem vocare: nunquam illius inuocatione fidem, ac iuramentum ſtabilire. Quod vtrũ faciant, qui quod horret animus cõcipere, lingua proferre, abiurato Chriſto, eiuſque ſacramentis omnibus corpus animamq; illi deuouent, vos me tacente, probe intelligitis. O impia, ſacrilega, diris deuotionibus inferno addicenda capita.

Hom. 29. in Euang.

NOTÆ.

Impietas abominanda, Chriſtum abnegantium.

Veniret ne in mentem Chriſtiano eſſe aliquem fidei tam profligatæ, vt abnegaret Chriſtum, renunciaret eius Matri ſuauiſſimæ nutriculæ? nuncium remitteret Eccleſiæ, fideliſſimæ ac benigniſſimæ tutrici? conſpurcaret baptiſmi laticem? Confirmationis oleum deterreret? &, ſi poſſet, eraderet? Euchariſtiam, vel canibus obiiceret, vel pedibus conculcaret, vel ad magicas impuritates abuteretur? cetera ſacramenta profananda proſtitueret? O mentes tartaro natas! ô luem vniuerſi! ô nullis ignibus ſatis expianda facinora!

Ironica Iuuentutis commendatio.

Sed ad quid hi clamores apud innocentiſſimam hanc iuuentutem, è qua nemini vnquam in mentem venit ſtipulationem baptiſmalem, quãtum humana permittit fragilitas vnquam ſacrilegè violare? In qua omnes ab operibus Diaboli ſunt remotiſſimi: quorum nemo, vel pauci admodum pompas Dæmonis aſſectãtur. Qui in fide ſunt cõſtantiſſimi, parati mortem oppetere potius, quam deflectere. O ſanctam iuuentutem! è qua, mirum, in cœlitum album non referri aliquos ante ſuprema funera, & viuos etiamnum in aris, vt ſtatuas, ad cultum adorationis, locari.

Iuuentutis corruptio.

Vix me contineo, à riſu-ne, an à lacrymis? à riſu, quem indignatio pariat; à lacrymis, quas cõmiſeratio? Quaſi non ſit nota nobis multorum, quorum nondum manus ferulæ ſubducta, erga parentes inobedientia: præceptores, rebellio: magiſtratus, irreuerentia: in litteris, ignauia: in pietate, acedia: in moribus, diſſolutio. Hoc eſt renunciare Dæmoni & pompis eius? Nimirum, latent nos quorundam ſceleratæ machinationes, improbi conatus, ad fraudem, dolumq; compoſita ingenia. Videlicet, nullos in iuuentute noſtra nouimus leues, iracundos, guloſos, ebrioſos, inuerecundos, libidinoſos. Scilicet, nunquam audiuimus, detrahentes, peierantes, ſuſurrantes, blaſphemantes. Nunquam vidimus rixantes, laſciuientes, pugnantes. Hoc eſt renunciare Dæmoni?

Sed hæc diſſimulari fortaſſe poſſent, niſi inuentus fuiſſet ex adoleſcentibus, qui me audire ſolent, quis credat? cum toties de Chriſtiani adoleſcentis officiis, pietate, religione, ipſaq; perfectione diſſerentẽ: contra genus omne vitiorũ ſumma contentione depugnantem: Chriſti, parentis optimi benignitatem deprædicantem: acerbiſſimos pro nobis cruciatus toleratos extollentem: beneficia pene innumera ſuis momentis ponderantem: Dei potẽtiam, peccatorũ acerbitatem, ſupplicia futura

æternitatem deſcribentem multoties audiuiſſet: tamen, ſpreta Numinis reuerentia, inducere in animum potuit, vt abiurato Deo, & Chriſto, abolitis baptiſmalibus ſtipulationibus, Dæmoni ſeſe addiceret, dicaret, deuoueret, & pactum initum ſcelerata cautione, ac ſtipulatione ſanciret, adhuc auditor, adhuc litterarum ſtudioſus, adhuc Chriſtianus, corpus, animumque tanquam pignus ob viliſſimæ voluptatulæ aurum-ne, an fimum contraderet.

FACINVS atrox & lugubre, de quo merito doleat Academia Herbipolenſis, ſeque tales in ſinu aluiſſe, vipera nocentiores, ingemiſcat.

Lugeat æther, magnusq; parens
Aetheris alti, tellusq; ferax
Et vaga ponti mobilis vnda.
Tuque ante omnes qui per terras
Tractusq; maris fundis radios
Noctemq; fugas ore decoro:
Feruide Titan.

Exemplum profecto inſolens & horrendum, quod hic contigiſſe dubitabit fortaſſe poſteritas, & mihi fides vacillaret, niſi ab auctoribus omni exceptione maioribus relatum eſſet: ipſoque qui ſcelus patrauit, deinde pœnitentia ducto: neque hic narrarem ſane niſi graues cauſſæ impellerent, & quę fructuoſa ſpero fore, inde educenda corollaria.

Adoleſcens cum Cacodæmone ſtipulatur.

ADOLESCENTVLVS honeſto loco natus annorum fermè ſeptendecim ſtudiorum gratia huc miſſus, in communem adoleſcentiæ ſcopulum, malos ſcilicet inciderat ſodales: à quibus peſſimas artes edoctus, & inductus fuit, vt cōtra baptiſmalem ſtipulationem ſuo ſe ſanguine Cacodæmoni deuoueret. Id factum hoc ſucceſſu. In ædes cuiuſdam tabellarij magicarum artium periti à quodam Iuris ſtudioſo vna cum contubernali coæuo eſt deductus: ibique poculis indultum ſic ſatis. Inter pocula artes illi venditant ſuas: hic ad eas tacitus aſpirare. Artis ſumma hæc erat. Eſſe radiculam, qua, qui ſit potitus ſemper ære abundaturum ad ſumptus: nullum illi clauſtrum inuium, theſaurum nullum abſconditum fore. Radicem hanc cum pacto Dæmonem dare omnibus, quotquot ſuo ſe illi chirographo, ſanguine proprio exaratum contradant.

POST multos vltro citroque ſermones annuunt ſtolidi adoleſcentuli. Elicitur è digito cuiuſque (tres erant) per tabellionem impium ſanguis: chirographum à ſingulis conſcribitur ſanguine ſuo, hoc tenore, verba non attuliſſe fraudi non erit, cum præſens ipſe non fuerim: fortaſſe hæc fuere, aut his gemina.

DÆMONI MAMMON. S.

Radicem clauſtrorum potentem, & theſaurorum inuentricem porriges: pignoris loco, corpus & animam habebis. Ita teſtor. Datum Herbipoli in ædibus Tabellionis inferis noti Anno M. DC. XI.

Tuus ad omnia obſequentiſſ.
Titius Mammonicus.

Additum aliqui dicunt, ſyngrapham cruentatam, fidei teſtem, reddendam neceſſario, poſtquam pacti initi ſerio pœnituiſſet, & per confeſſionem ſinceram ac ſynaxim ſacram fuiſſet contrahentium alter Deo reconciliatus.

HINC ad campos itum eſt per portam Burchardinam. Ventum ad arborem opacam, tiliam fuiſſe reor. Subſiſtunt alii, Tabellarius longiuſculè progreditur, ante illos

te illos in via quadrifida, facto circulo, magicis incantamentis euocat Dæmonem, cum eo ſermocinatur, adoleſcentis ſpeciem ementito. Viſo Dæmone coæui duo & contubernales ingenti timore correpti ſunt, nec verba effari amplius ſibi poſſe videbantur: iamque fugam proſpiciebant pœnitudine dicti fœderis cõſcripti. Sed Iuriſta Grammatiſtis animos addidit, & vis occulta regreſſum prohibuiſſe dicitur: ſtimulum quoque addidiſſe, vt progrederentur porro: eminus Mago etiam illos accerſente. Ergo bacillis inſtructi, quos Magus illis, in cuſpide cuiuſque inſerto chirographo, in manus dederat, tremebundi circulo appropinquant. In furcillis Dæmoni chirographa ſua porrigunt. Iis acceptis Magus, ac Dæmon denuo, idiomate barbaro inter ſe colloquuntur. Hic euaneſcit. Alter aperta dextetæ manus medii digiti fiſſura, radicem promiſſam inſerit: & intra horam conſanatur vulnus, ante, eliciendo ſanguini ſine ſenſu doloris inflictum.

ITERATO Magus tyrones hos ſuos in ædes, vnde venerant, reducit: radicis ex templo periculum vt faciant, hortatur. Obſerat oſtia cubiculorum: digito admoto magico, pateſcunt ilico. Defoditur dalerus cubito tenus in terra; admouent inſertam digito radicem, exilit dalerus, & digito adhæret, vſque-dum excutiatur. Digitus magicus ſitulam aquæ ſecat per medium, & vtrimque aſſurgit aqua: in medio vacuum relinquitur, rident Phyſici. Magus catenis vincitur, & obſeratur clauſtris: ſolo anhelitu (linguæ putabatur radicem inſertam habere) diffringit omnia. Tandem, vt Eccleſiaſten agat Tabellarius, clientes ſuos icti fœderis commonet: minas addit: ſi reſiliant, aut cuiquam pateſaciant artem, licet centum abſint milliaribus, haud impune laturos.

Aliquot illi adhuc dies itare ad ſcholas, & male fungi officio: ſed beneficio infamis radiculę plagas inflictas ob delicta ſcholaſtica non perſentiſcere. Ex eo tempore deuotus Mammoni adoleſcentulus peſſimam factitare artem: & poſt paullo in patriam reuerſus animi gratia, coram domeſticis aperire digito clauſtra: per plateas, ſi propior oſtia pertranſiret, illa ſponte ſtrepere: vſque adeo, vt ſiniſtra, vbi opus ad ſeras reſerandas vteretur: ne ſi dexteram admoueret, artem proderet. Sed vt nullæ fraudes ſemper latent, patuit tandem à domeſticis prodita, & in vulgus dedita ipſi iuueni penè exitium peperit. Repetundarum agere, quibus fraus facta, aut inuerſa pecunia: parcitum generi, & ætati. Actum cum illo de fœdere inito reſcindendo. Fama eodem hoc tempore, ingentis theſauri non adeo procul reconditi, qui adiri poſſit radice, quæ in Alſatia reperiatur, curioſos nonnullos, & opum ſitibundos infatuauit, eiuſque potiundi ſpe impleuit: qui intellecto adoleſcentulum præfatum clauſtra abſque clauibus reſerare magno conatu eum aggreſſi ſunt, vt mirificam illam radicem tradat adiectis munerum largis promiſſis. Ille inprimis radicem quamuis obuiam arripere, eaque clauſtris admota, ſeras digito ſuo magico aperire, curioſiſque radicem impotentem efficacis loco obtrudere. Quam, vt inefficacem experti ſunt, tamdiu, qua precibus, qua imperio, quo in eum valebant, oppugnare iuuenem inſtiterunt, donec importunitate victus Sacerdoti extra confeſſionis tribunal rem totam proderet: ac deinde è digito eripi ſibi infauſtam radicem permitteret. Vix autem poſt duarum hebdomadarum irritam Chirurgi operam, tandem adoleſcens ipſe è digito mammonicam radicem extraxit, articuli vnius longitudine, craſſitie acus maiuſculæ, colore rubeo. Quæ quamdiu Chirurgus eam captabat, ab vna parte migrabat in aliam, & eius operam eludebat. Sed arrepta ab ipſomet adoleſcente fa-

Radix nullarum amplius virium. cilè ſequebatur: in duas fracta partes, ac in menſam proiecta nullarum amplius virium extitit.

NOTÆ. Anno M.DC. XII. in Iunio. Vt vero cum Deo quoque adoleſcens rediret in gratiam, & diabolicis pedicis prorſus exſolueretur Molsheimium ad collegium Societatis Ieſu eſt tranſmiſſus. Per dies duodecim, quibus inibi fuit ad feriam inibi, vitæque perperam actæ deteſtationem eſt inductus, & confeſſione generali totius vitæ præuia in ſacello S. IGNATII corā Reuerendiſſimo Proepiſcopo Argentinenſi, ſacrum faciente Collegii Rectore, edita prius fidei confeſſione de ſcripto conceptis verbis Mammoni renunciauit. Inter renunciationem tanto terrore correptus eſt, vt vix linguam vlterius in verba formare poſſet, ac ſibi videretur capillis ſurſum erigi omninoque præpediri, ne verbulum, Renuncio, effaretur.

Tam difficile eſt diuitiarum idolo nuncium remittere. Quod & ille expertus eſt haud dubie, qui dum opulento ſacerdotio renunciaturus eſſet poſt longam linguæ titubationem, & moroſam repetitionem, qui ſemper prima illa ſyllaba, *re, re, re,* recurrebat, tandem, *re, retineo,* vice *renuncio,* vultu iam pallido & voce tremula pronunciauit. Sed ad noſtrum regredior, qui à Sacerdote è Patribus Societatis latus cingente animatus, & ſanctæ crucis ſigno efformato, pertexuit, ægre quamuis renunciationem totam. Quam deinde ſcripto comprehenſam ſuper aram coram venerabili Sacramento repoſuit, ac ſacro Euchariſtiæ epulo eſt paſtus, inuocato ſingulariter Sancto Ignatio de quo votiuum fiebat ſacrum.

Senſit ſecundum rem diuinam bene, & in eam ſpem impulſus eſt, fore, vt ſi ara retegatur ſuum ibi chirographum reperiat. Qua de re Rectorem etiam ſtatim interpellauit. Sed cum in altari nihil palam appareret, curioſius vt inquireretur, tunc quidem haud eſt viſum operæ pretium. Interceſſere menſes aliquot. Variæ interim iactatur miſer: nec animo ſoluto eſſe poteſt, donec ſuam recipiat ſyngrapham. Sæpius in ſomnis ſibi viſus eſt eſſe in ſacello S. Ignatii, ac videre Rectorem celebrantem, ac cernere locum, vbi charta infauſta hæreret: & vocem audire indignabundi Cacodæmonis; Tu nequam hic habes chirographum tuum.

Quarto denique Ianuarii, Anno M. DC. XIII. ad Collegium Molsheimium iterum venit, piis ſe meditationibus exercendum tradit: Patri ſe exercenti de certo loco vbi charta ſit recondita ſpem ſuam primo die aperit. Iubetur bono animo eſſe. Rurſus ad confeſſionem generalem, & ſacram ſynaxim diſponitur: ac tandem confeſſione peracta, Ianuarii tertiodecimo à ſacerdote prædicto in ſacellum S. IGNATII inducitur. Inter rem diuinam ſub Canone Sacerdos viſus eſt ſibi ſtrepitum audire chartæ ſe conuentis. A ſacro & communione adoleſcentis ſecundum vota eius aræ partem ſiniſtram detegit ſacerdos: nihil inuenit. Monet adoleſcens in dextero quærendum: digito locum oſtendit, vbi ſibi viſus ſit ſæpius chirographum videre ſuum reconditum. Quæritur ibi, & magno vtriuſque gaudio inuenitur eo loco, quo monſtrarat. Hæc nempe eſt Sacramentorum efficacia: hæc vis ſuffragiorum, tum ad omnes quidem Deo adſtites, tum Deiparam potiſſimum refugientium: cuius apud nos maxime conſtare debet pietas & affectus, poſt tot in hanc patriam præſtita beneficia, locatoque quaſi proprio domicilio in omnes circumquaque partes celebri. Sed & IGNATII hic honor agitur, qui ab hoc adoleſcente ſuppliciter inuocatus à Deo gratiam impetrauit: atque aduerſus Satanam vires & robur.

Ex hoc exemplo colligite, & vobiſcum domum, tanquam concionis analecta depor-

depoitare. Primo: Quid non poſſit praua malorum ſocietas ac proinde, quantopere adoleſcentibus ſit fugienda. Fili mi ſi te lactauerint peccatores ne adquieſcas eis: ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. Omnis homo ſimili ſuo ſociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando: ſic peccator iuſto. Quæ communicatio ſancto homini ad canem. *Secundo*: Ad quid non perducat Mammonæ ſeruitus, auri ſacra fames. *Tertio*: Quam vere ſit dictum. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo & Mammonæ. *Quarto*: quid moliatur per ſe, perque ſuos capitalis animarum veſtrarum hoſtis, vt abiecta fide, ſpreta religione, conculcato Dei cultu, abiurato Chriſto, Dæmoni in teterrimam ſeruitutem vos tradatis. Cui reſiſtite fortes in fide memores baptiſmalium ſtipulationum. Abrenuncias Satanæ? abrenuncio. Et omnibus pompis eius? abrenuncio. Et omnibus operibus eius? abrenuncio.

Prou. 1.10.
Eccl. 7.2.
Eccl. 13.1.20.

NOTÆ

DE STIPVLATIONE.

STIPVLOR eſt idem, quod ſolenni conceptione verborum poſtulo, vt promittatur quidpiam ſolita formula promittendi. Ac licet proprie ad eas interrogationes referatur, in quibus de pecunia agitur, eo quod à ſtipe dictum videatur, tamen ad omnes rogationes, quæ de quauis re interponuntur adhibetur.

Priſciano ſtipulor eſt verbum commune, quod tam in actiua, quam paſſiua ſignificatione ablatiuo iungitur: vt ſtipulor abs te, rogo te: peto abs te: rogo abs te.

STIPVLATORES vocantur, qui per interrogationes obligant promiſſorem. Quare Stipulator & Promiſſor opponuntur. quod docet IC. tit. De verborum obligation.

In ſtipulatione ſecundum ius ciuile reſponſio promittentis debet ſtatim proxime ſubſequi interrogationem ſtipulantis, nullo actu extraneo interueniente. L. Continuus, ff. De verbor. obligat. Vnde contractus ſtipulationis differt ab aliis. Nam ex ceteris oritur obligatio, ſi res, vel ſcriptura, vel conſenſus interueniat, etiamſi nulla adſit verborum ſolennitas. At ex contractu ſtipulationis exurgit obligatio, ſi interueniat interrogatio vnius, & continuo ſubſequatur reſponſio alterius promittentis certis verbis concepta. Quod ſi non ſit verborum ſolennitas nulla ex hoc contractu oritur obligatio. Eſt autem iure ciuili introducta certa verborum ſolennitas, ne homines temere, leuiterque polliceantur: & vt præſtent, quæ prudenter ac conſiderate ſunt polliciti. Quare cum promittitur quidpiam nudo pacto nulla certa verborum formula veſtito lex ciuilis actionem denegat, quia præſumit eſſe temere promiſſum. Quando autem ſpondet quis quidpiam per ſtipulationem, præſumit id prudenter ac conſulto factum, ideoque dat actionem.

Stipulatio inducta videtur defectu fidelitatis. Hinc eſt illud Senecæ lib. 3. de benef. cap. 15. Vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conuenta impreſſis ſignis cuſtodirentur: fides potius illa ſeruaret, & æquum colens animus.

Legendus Rebellius lib. 1. de contractibus Quæſt. 3. ſect. 1. Ioan. Azor. Tom. 3. lib. 2. Tit. De ſtipul.

§. Ritus Iudaicus.] Conſule Chriſtophorum à Caſtro in Ieremiam.

§. STIPVLATIO Baptiſmi.] De hac legendus Bellarminus Lib. De Sacramento

to Baptiſmi. Vſurpant nomen noſtri hæretici. Caluinus Epiſt. ad Oleuian. pag. 228. Patres niſi quid negocii impediat iubentur adeſſe, vt ſtipulationi reſpondeant vna cum fideiuſſoribus. Quod Geneuæ perpetuo obſeruari aſſerit. Epiſtola autem ad Farellum pag. 129. ſcribit: Si nemo fideiubeat profanari baptiſmum.

§. Confirmatione roboratus ſtipulatio.] Eraſmus Præfatione paraphraſis in Matthæum docet homines in infantia baptizatos, vbi adoleuerint, interrogandos eſſe, an habeant ratum, quod ipſorum nomine in baptiſmo ſtipulatione promiſſum eſt: & ſi ratum non habeant eſſe liberos dimittendos. Lege Franciſcum Suarez Tom. 3. in 3. P. Diſp. 33. Henriquez lib. 3. Summæ. Bellarminum lib. de confirmatione. Vaſquez Tom. 2. in 3. Par. Valentia Tom. 4. diſp. de Confirmatione.

Stipvlatio per alium facta.] Stipulationem alteri per alterum factam eſſe pactum docet Gloſſa L. 1. Verbo, In idem fine. ff. De pactis: & ibi Bartolus in principio. num. 2. Ex pacto autem nudo oritur obligatio cap. 1. De pactis. ibi: Inita pacta ſuam obtinent firmitatem. Vide Thomam Sanchez lib. 1. diſp. 7.

§. Obligatio ex ſtipulatione baptiſmali.] Auguſtinus lib. 4. De ſymbolo ad Catechumenos cap. 1. Diabolo renunciare profeſſi eſtis in prima profeſſione, non hominibus, ſed Deo & Angelis conſcribentibus dixiſtis: Renuncio Satanæ & omnibus pompis eius. Renunciate, non ſolum vocibus: ſed & moribus.

S. Chryſoſtomus Homilia 21. ad populum Antiochen. vult ſtipulationes baptiſmales tota vita à Chriſtianis eſſe repetendas non minus voce, quam mente. Sicut, ait, ſine calceamentis, & ſine veſtimentis veſtrum nemo in forum deſcendere eligeret: ita ſine hoc verbo, Renuncio Satanæ nunquam in forum prodeas: ſed cum es ad ianuę veſtibulum progreſſurus, hoc prius verbum loquere: Abrenuncio tibi Satana, & coniungor tibi Chriſte.

S. Chryſoſtom. lib. 3. contra vituperatores Monaſticæ: ſeruum empturus prius interrogat: num ſeruire ſibi velit, ac num ſit vtilis futurus diſpicimus inutilem recuſaturi. At Chriſtus maximum ac excellentiſſimum pretium ſanguinem ſuum erogauit pro omnibus nobis, etiam priuſquam nos vellemus ſeruire illi, & quantumuis improbos recipit, ſine obſidibus, ſine chirographo ſola voce contentus: Abrenuncio Satanæ.

§. Radix nullarum amplius virium.] Ex quo collige, non niſi dæmonum præſtigiis omnia fuiſſe peracta. Quod etiam ſentio de duobus pueris, quorum meminit Albertus M. Lib. 3. De motu animalium, vbi ſcribit, ſe vidiſſe duos, quorum vnus dum ferretur iuxta oſtia clauſa, omnia ad dexterum eius latus ſita aperiebantur: ab altero vero idem in ſiniſtris oſtiis præſtabatur: quaſi ferrum ad ſolam alicuius præſentiam excidat, vel moueatur. Delrio lib. 1. Diſquiſ. mag. cap. 3. q. 4. Nullus recte philoſophantium, id eſt creditur. Mirandum autem vehementer vnum Albertum plura narrare ſolum ſe huiuſmodi creditu difficilia vidiſſe, quam ad illum vſque vt ait Antonius Mirandulanus, ceteri, qui extant ſcriptores, tot ſeculorum ſimul omnes. Si tamen hoc accidit, Dæmonis præſtigiis adſcribendum: cuius etiam pacto, & incantationibus fretos Pſyllos & Marſos ſatis colligitur ex Plutarcho, ac Plinio.

COM-

COMMENTATIO XLII.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM, ex Contractu Commodati. Dominica XV. poſt Pentecoſt.

In qua declaratur, quo pacto, Deus Commodatorem agat, Homo Commodatarium, qui commodato vitam accipiat ad certos vſus, ſuo tempore reſtituendam ſecundum leges Contractus de Commodato.

Amice commoda mihi tres panes. Lucæ 11. 5.

Noli flere. Lucæ 7. 13.

DEVS COMMODATOR. HOMO COMMODATARIVS,

MIRVM eſt quam belle luſerint Sapientum ingenia in vitæ humanæ imagine confingenda, & exornanda. Vix in ſactum vllum, profanum-ve auctorem incidis: præſertim, ſi de morum officiis agat, vt Ethicus, vel tragœdiarum humanarum ſit enarrator, vt Hiſtoricus, qui non illico iucundam aliquam vitæ noſtræ iconem ſuis illuſtratam coloribus offerat, vel obtrudat. *Symbola vitæ humanæ.* *NOTÆ.*

Socrates Delphico oraculo ſapientiſſimus, vitam humanam aiebat eſſe ſimilem aleæ ludo, in quo ſors dominatur, & turbat ſæpe omnia. Præterea ſimulacro, in quo partes omnes pulchras eſſe deceat. Ad hæc organo muſico, quod intenſione, ac remiſſione ſuauiorem ſonũ edit. Indoctorum eſſe velut hiſtrionicam in qua faſtus & arrogantiæ multa ſigna eduntur. Auarorum funerali conuiuio: omnia enim cum habeat, hoſpite, qui præſentibus hilariter fruatur, caret. *Stobæus ſermone 123.* *Serm. 1. ſerm. 16.*

Pythagoras comparabat vitam Panegyri; id eſt ſolenni hominum conuentui, ad quem alii conueniunt certaturi, alii negociaturi: nonnulli ſpectatores modo futuri. Diogenes conferebat conuiuio, in quo omnes madidi, & vertigine, ac inteſtinorum dolore male vexati: Epictetus Tortẽti haud diſſimilem adfirmabat. Homerus Foliis deciduis. Ariſtonymus Theatro, Nauigationi in pelago, & in littore, Antiphon, carceri vnius diei. Plautus vocat Salillum animæ, quo breuitatem innuit, quod tantula ſit, quantum ſalis in conuiuio cuique apponitur. Idem Herbæ ſolſtitiali aſſimilat, quæ eſt ephemeros, quod vltra diem non duret. Cicero, Muſico concentui, ac hiſtrioni, non ſe extra numerum mouenti: nec, quæ longa, breuius pronuncianti. *Laert. Lib. 1.*

Plato Teſſeratum ludo componit: in quo, quid iactu cadat in Indente minime ſitum eſt: at, quod accidit recte poteſt diſponere. Seneca iactationi in tempeſtate, ac diſcurationi vrbanæ.

Deinde, Fabulæ theatrali, quam, non quam diu, ſed quam rene acta ſit, refert. Denique Amni, in quem omnino eundem ob rapidum vndarum curſum nemo bis deſcendit. Sophocli placebat vmbra. Pindaro, vel Æſchyti, vmbræ ſomnium.

Symbola à Christianis conficta.

Hæc profanorum ſunt: ſed non minus ſcita illa, quæ à ſacris auctoribus adferuntur. D. Chryſoſtomus vitam humanam Ludi imagine perbelle exprimit, Homilia 24. in Matthæum: Militiæ, Homilia 55. Mari procelloſo, Homilia 82. Scenæ ac ſomnio, Homil. 15. in Epiſtolam ad Hebræos. Peregrinationi, Homilia 24. Carceri Homilia 46. Curſori, & vmbræ, ſermone ad Theodorum Monachum: ſtadio, in quo cæſtibus depugnatur Homilia 6. De virtutibus ac vitiis.

S. Baſilius concipit eandem, vt Nauigationem: Nazianzenus vt turbulentum mare: vmbras, ſpectra, torrentem. Magnus Papa Gregorius, vt florem in fœno: Olympiodorus, vt Rotam: Hieronymus, vt punctum, cuius pars nulla. Pius Pontifex, vt Comœdiam, cuius vltimo actu de morte agitur. Idiota, vir in aſceticis exercitatiſſimus, vt mortem vitalem. Sed humanis elegantiora ſunt diuina,

Symbola Diuina.

è quibus vulgata ſunt, flos, fœnum, vapor, lanugo, vmbra, naues poma portantes, vanitas, nihil.

Symbolum Inuidicum.

Quæ omnia quamuis peruenuſtè, & ad cuiuſque finem propoſitum accommodatè diuerſas vitæ mortalis cõditiones exprimant: nullum tamen ex iis ſymbolum vitam ipſam, quatenus Dei quoddam donum eſt, ratione cuius homo illi multis nominibus obnoxius redditur ita clarè proponit, vt illa ex legibus, & forenſibus negociationibus hauſta ſimilitudo, quam modò adornamus, tum inſtituto noſtro, tum Euangelio hodierno, tum feſtiuitati præſenti, ſiue templum ſpectes, cuius dedicatio anniuerſaria agitur, ſiue Deiparam, cuius Natiuitatem colimus, valde, vt arbitramur conſentaneè.

Institvto quidem. Nam contractus iſte quo vitam repræſentari dicemus ex tam multis à nobis hactenus explicatis ordine quodam conſequitur. Euangelio verò, quoniam ex huius contractus viſceribus eruendum eſt illud. Noli flere: Flendi cauſſam nullam in morte, ſiue carorum, ſiue propria reperiri, gaudendi non vnam. Feſtiuitati autem (de qua dicendum fuiſſet, niſi illibatam hanc Natalem virginis exornandi materiam ſodalium ſtudiis reſeruari debere priuatim ſtatuiſſemus) quia & quantum Deipara Deo, à quo vitæ, lucis vſuram extra matris aluum hodie accepit, debeat: & quàm præclarè commodatæ ſibi vitæ obligationibus ſatisfecerit, hinc probè intelligi poſſe opinamur.

Vita, commodatum.

Pvtamvs igitur, vt rem ipſam aggrediamur, vitam illi rei eſſe perſimilem, quam Leges & Iura *Commodatum* vocare ſolent, quaſi dicas *Commodo gratis datum*: vel commodo accipientis, aut vtentis datum. Sic commodatum nuncupatur, equus ad proficiſcendum: gemmæ ad ornandum: ſupellex ad hoſpitem ſuſcipiendum alicui gratis conceſſa. Ex quo illud liquebit, quod noſtri conſilii erat accuratius exponere: illam obligationem, quæ eſt inter dantem commodatum, qui Commodator appellatur, & accipientem: quem Commodatarii nomine ſignificamus inter hominẽ ac Deum ratione vitæ commodatæ intercedere. Oritur au-

Definitio cõmodati.

tem illa obligatio ex Contractu, qui eadem denominatione, Commodatum vocatur. In eo vero datur quidpiam alteri gratis ad certum aliquem vſum, dominio non tranſlato. Ita autem vitam hominibus à Deo dari, vt probè intelligatis, vnum è Philoſophia: è Theologia alterum deſumendum eſt.

Vita tripliciter ſumitur.

NOTÆ.

Philosophicvm iſtud eſto. Vitam rerum corpore conſtantium, qualis eſt homo trifariam ſumi. *Primò* pro anima, quæ functionum vitalium fons eſt, ac origo; diciturque vitæ eſſentialis, ſeu ſubſtantialis, vtpote eſſentiam rei viuentis partiali-

ter

ter conſtituens. Quo intellectu in Lib. De motu cordis definitur vita ab Ariſtotele, Principium actus animæ. *Secundò*, pro exiſtentia animæ in corpore. *Tertiò*, pro ipſis vitæ functionibus: vt pro nutritione, accretione, ſenſatione. Quo ſenſu vita à S. Bernardo dicitur internus & naturalis motus. *Lib. de Grat. & lib. arbit.*

Ex his declaratur peruulgata illa vitæ definitio, quam habet Ariſtoteles Lib. De reſpiratione: Vita eſt permanſio animæ vegetatricis cum calore. In qua deſcriptione, ſi vita ſecundo modo accipiatur, ſenſus erit formalis: ſi tertio, cauſſalis, ac ſi diceremus: Vitam, ſiue operationem vitalem eſſe permanſionem: hoc eſt, proficiſci ex permanſione animæ vegetatricis in corpore, quod ab illa informatur. Eſt autem hæc finitio contracta ad viuentia corporea: ſiquidem & intelligentiis vita conuenit, in quibus tamen nulla latet anima vegetatrix. *Vita rerum corporearum definitio.*

ITAQVE cum triplex ſit vitæ ratio, ſiue modo dicto explicata: ſiue alio, quo Philoſophi tres animas ſtatuunt, vel vitas: vegetantem, ſentientem, intelligentẽ: plantæ, animalis, hominis: quas omnes homo in ſe continet, tria quædam Commodata conſideramus. Quorum ſymbola fuerunt fortaſſe tres panes in Commodati parabola à Chriſto Domino propoſita Lucæ 11. vbi cœleſtis Magiſter, vt nos ad orandum excitaret, *Quis veſtrum*, inquit, *habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice, commoda mihi tres panes* (Græcè eſt χρῆσον μοι τρεῖς ἄρτους: mutuò mihi tres panes: ſed lubet vulgatum ſequi, qui commodandi verbo expreſſe vtitur.) Et ille de intus reſpõdens, dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi. Et ſi ille perſeuerauerit pulſans: dico vobis: & ſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus eius ſit: propter improbitatem tamen eius, ſurget: & dabit ei quotquot habet neceſſarios. *Tres animæ.* *NOTÆ.*

QVID vetat trium panum nomine triplicem vitam intelligere, ſi tropologicos, myſticosque ſenſus in panibus licet agnoſcere: vti faciunt Origenes *a*, Auguſtinus *b*, Beda, Theophylactus, Euthymius *c*. De iuſto dictum eſt à Pſalmiſta *Tota die miſeretur, & commodat*: id eſt: ſemper commodat: vt Oſeæ 12. *Tota die mendacium, vt vaſtitatem multiplicat.* Græcè in Pſalmo legitur, δανείζει, fœnerat, vt vertit Ambroſius Lib. De Tobia cap. 18. vel δωρεῖται καὶ δανείζει donat, & fœnerat: ſeu commodat. Quod ſi ad Deum transferatur, qui iuſtitiæ Sol eſt, vt Oceanus: de nulla te verius, quam de vita hac triplici poteſt intelligi. Hanc enim, qui florem lucis huius ſuper iuſtos, & iniuſtos æqualiter ſpargit ſingulis momentis corporibus, quam plurimis infundit, quod eſt, vitam, vt Commodatum tribuere. *Tres panes tres vitæ.* a *Vel Cyrill. Lib. 5. in Leuit.* b *Serm. 29. de verb. Dom.* c *Lucæ 11.* *Pſal. 36. 26.*

Ex Theologia autem hoc conſtituitur. Nullum eſt homini antequam vitam hanc ingrediatur, meritum, vt vitam accipiat. Erroneum eſt cogitare, animas ante corpora creatas eſſe, & meritorum, ac demeritorum ratione, adhæc, vel illa, tanquam ergaſtula quædam ablegari, vel detrudi. Ex quo neceſſario ſequitur: vitam hanc omnibus gratis concedi, quod imprimis ad Commodati rationem eſt neceſſarium. Quæ illud quoque requirit: vt illius rei dominium in illud, qui accipit, non transferatur: quod in gratuita vitæ conceſſione contingere cernimus. Penes quem enim vitæ arbitrium, dominiumque remanere exiſtimatis? penes hominem-ne, qui ea tanquam commodato vtitur? abnuunt ſapientes: qui in grauiſſima illa quæſtione: An homini liceat occidere ſeipſum? piaculum id eſſe adfirmant: neque ſine noxa, eaque graui fieri poſſe: tum ob alias cauſſas, quas exequitur Doctor Angelicus: tum illam potiſſimum, quam hac verborum complexione proponit. *Vita gratis datur.* *Vita dominium penes Deum.* *NOTÆ.*

Occidens ſe peccat in Deum.

Vita eſt quoddam donum diuinitus homini attributum, & eius poteſtati ſubiectum, qui occidit, & viuere facit. Et ideo, qui ſe ipſum vita priuat in Deum peccat, cuius eſt ſeruus. Et ſicut peccat ille, qui vſurpat ſibi iudicium de re ſibi non commiſſi. Ad ſolum enim Deum pertinet illud Deuteronomij 32. Ego occidam & ego viuere faciam.

Vſus vitæ penes hominem, quomodo?

a SS. Q. 150. Art. 2. & Q. 154. Art. 6. & in ſumma. ſ. homicid.
b Releɛt. de homicid. à Num. 23.
c L. 4. de iuſt. Q. 2. Art. 3. lib. 5. Q. 1. Art. 5.
d L. 1. Variar. reſol. cap. 2.

Ex quibus communi conſenſu ſtatuunt DD. Theologi: Hominem habere quidem ius cuſtodiendi vitam ſuam, vtendique illa, ac ſuis membris, non tamen eſſe dominum vitæ aut membrorum ſuorum quod docent egregie Cardinal. Caietanus, *a* Franciſcus *b* Victoria, Dominicus Sotus, *c* Didacus Couarruuias, *d* aliique, qui de officiis hominis Chriſtiani ſummas conſcripſerunt. Neque diſſentiunt antiqui Legislatores. Certe L. 13, ad L. Aquiliam in principio clariſſime habetur. Liberum hominem non eſſe dominum ſuorum membrorũ. Cuius ratio illa videtur euidens: Quoniam res, quæ eſt in dominio alicuius, ſubiecta cenſetur eidem, & ordinata ad commoditatem eiuſdem. Perperam autem philoſophabere, ſi dicas ſubſtãtiam ipſam hominis eſſe ſubiectam homini ac dirigi ad illius commoda. Siquidem ipſa eſt finis, cui omnis vtilitatis quæ homini accedit. Et ſane ad ſubiectionem iſtiuſmodi neceſſaria eſt diſtinctio inter rem quæ habet dominium, & illam, quæ eſt dominii materia, aut ſub dominio. Acutum eſt illud Thomæ Aquinatis loco indicato dum reſpondet ad tertium. Homo haud aliter eſt dominus rerum, quarum dicitur habere dominium, quam poſſidendo illas per ſuum liberum arbitrium. Quare, vt eſſe & viuere prius quiddam in homine, quam liberum arbitrium, & quicunque vſus eius, ita etiam antecedunt omne humanum dominium: ac conſequenter dominium humanum eas res ſolum complectitur, quæ poſt eſſe, & viuere pertinent ad vſum ac commoditatem vitæ humanæ, qualis certe non eſt ipſa vita.

Ad certum vſum data vita.
Iob. 5. 7.
Eccl. 12. 13.

IAM vero, nemo inficias ierit vitam, non ad quemuis vſum & omnino incertum, quod in Precario contingit ſed ad deſignatum, determinatumque, homini concedi. Quemnam illum? dicis. Nimirum à vobis eſt lectum, quod eſt apud Iobum, Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum. Senſus eſt, quemadmodum non aliam ob cauſam alitibus datæ ſunt alæ, quam volandi: ita nec homini vita, niſi laborandi. Quod, vt ego interpretor, fit, ſalutem ſuam procurando, diuinis obſequendo mandatis, ocioſe tempus minime tranſigendo, animum virtutibus, ſcientiiſque excolendo. Deum time, inquit Eccleſiaſtes & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo: id eſt, hoc ſpectat ad omnem hominem: hoc fine humanam vitam accepit quilibet: in hunc vſum potitur eſſe humano: aliter, nec hominis naturam, nec nomen ipſum retinebit: in hoc omnium conſiſtit perfectio.

Obligationes ex commodato.

QVOD ſi vita commodati rationem habet, certe iiſdem obligationibus & longe maioribus, ac arctioribus nos Deo adſtringit, quam quibus homines inter ſe propter commodatum obligantur. Is autem qui commodatum ab aliquo accipit ſex potiſſimum obligationibus tenetur.

Prima obligatio non vti re alio modo quam ad quem commodata.

Prima eſt: Vti non poteſt re, niſi ad illum vſum, ad quem accepit: ita vt ſi re vtatur aliter, quam commodata eſt, furti teneatur. Verbi cauſſa: Equum tibi commodaui vt ad villam duceres, tu vero ad bellum duxiſti, furti reus es. L. *Si vt certo.* §. *Quod vero in ſenectute.* & §. *Quin imo.* & §. *Idemque.* Digeſt. *Commodati.* Atque antiquiſſimis quidem temporibus, leges & iura ciuilia actionem furti concedebant

ad-

aduerſus eum, qui re commodata aliter vſus eſſet, quem ad eum finem, ad quem dari erat. Ita apud A. Gellium li. 7. Noctium leges: Labeo & Q. Scæuola veteres *Cap. 15.* Iuriſconſulti dixerunt, acria & ſeuera iudicia de furtis habita eſſe apud antiquos: quippe, qui tanquam in fures actionem dederunt ſecundum leges XII. tabularum in eos, qui re commendata vterentur, aliter, quam quo vtendum acceperant. Quod etiam refert Valerius Maximus lib. 8. cap. Secundo.

HVIC obligationi nequaquam ſatisfaciunt illi imprimis, qui vitam ad nullum *Otioſi peccant* bonum vſum accepiſſe videntur, & ſunt otioſi. Si quis rem tibi commodaſſet, vt *contra commodati rationem.* illa vtereris, adiungens ſine vſu perituram: certe ex vi contractus illa vti deberes. Talis eſt vita, quæ ſine vſu, motione, functionibuſque vitæ rationem non habet: ea igitur ad aliquid ſemper agendum vti oportet.

Ὁ βίος τροχός: Vita Rota inquiebat Phocylides. Ad voluendum & verſandum *Vita, rota.* vita comparata eſt. Ζῆ βουλόμενος μὴ πράττε θανάτου ἄξια, aiebat Menander. Viue- *Lib. 11. Meta.* re volens ne facias morte digna. Vita eſt mentis actio ſecundum Ariſtotelem: ita- *cap. 7.* que qui nihil animo meditatur, nihil quod proſit, cogitat vitam non ad id, ad quod commodato accepit, vſurpat.

Eſt vita humana via. Præſentem vitam, quaſi viam ſubigendo tranſimus inquit *Vita, via.* Papa Gregorius; at via, quæ debet ducere ad alteram vitam: & eo fine eſt tibi commodata, ac tuo commodo complanata. Tu ea vteris, vt rectâ tendas ad æternam mortem. Contra obligationem tuam facit. Quos dies vitæ peragimus inquit idem Magnus Papa, quaſi in itinere ad locum propoſitum tot paſſibus propinquamus. Via eſt vita hominum: ſed peregrinantium. Commodata tibi eſt: non vt in illa, tanquam meta ſubſiſtas: non vt in ea, velut in patria delitieris: non vt te eius amœnitas detineat, oblectet ſpacioſitas: ſed vt velociter tranſeas. Secreto Dei conſilio agitur, ſcribit ſummus ille Papa, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe eſt vita præſens, qua ad patriam tendimus, & idcirco hic occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Diu viuere, quid eſt niſi ad finem currere. quid moraris igitur? Qui ni- *Auguſt. ſer. 4.* hil habet in vita iucundius vita, aiebat Cicero homo ethnicus, is cum virtute non *de verbis Domini.* poteſt vitam colore. *Cic. l. 2. Rhet.*

Eſt vita Comædia, vel Fabula: aut potius ad fabulam exhibendam commoda- *Vita Comædia* ta: dum enim viuimus, ſpectaculum ſumus DEO, Angelis, & hominibus. Vt ita- *1. Cor. in. 2. 9.* que bene agas, & peragas fabulam, accepiſſe te vitam, exiſtima. Quomodo fabula, ſic vita, inquit Romanus Sapiens Non quam diu, ſed quam bene acta ſit refert. *Sen. Epiſt. 78.* Nil ad rem pertinet, quo loco deſinas. Quocunque voles deſine, tantum bonam clauſulam impone.

MVSICVM concentum vocat vitã Tullius: & fuere neſcio qui, quibus certiſſima *Vita, Muſica.* perſuaſione anima humana; vt hermonia eſt habita. Eam tibi non tam ad homines, quam ad diuos, Deumque oblectandum commodatam ſcias. Non eſt tibi commodata vita, vt ea ad commodatoris iniuriam, inobediendo, fallendo, peccando abutaris. Non eſt commodata, mihi crede, vt corporis voluptati indulgeas tantum, quieſcendo, ociando, pergræcando. Non eſt commodata, vt nihil in vita, vita iucundius habeas. Vis ſcire ad quem vſum vitam acceperis? dicam clariſſime, & breuiſſime, vt Dominum Deum tuum laudes ac reuerearis, eique ſeruiens, tandem ſaluus fias. Ad alios fines ſi vitam tuam detorqueas, furti non ſequus, quam qui re commodata abutitur conuinceris.

Digitized by Google

Reſtituendum ſuo tempore commodatum.

Ceterum ſuperiori affinis eſt illa commodatarii obligatio, quod non poſſit diutius re vti, quam pactum fuerit, vt colligitur ex L. *Si certo* §. *Quod vero in ſenectute.* Digeſt. *Commodati.* Quare debet reſtituere tempore conſtituto, *Leg. de reſtituendis*, Cod. Commodati. Hinc prima actio, quæ ex Commodato oritur eſt directa & conuenit commodanti in eum qui commodatum accepit, qua petit ab eo cui dedit vt reſtituat rem commodatam eandem ſpecie ac numero.

Non flendum in morte carorum.

In hac autem obligatione fundatur illa Saluatoris ad viduam Naomiticam admonitio, *Noli flere.* Stultitiæ argueretur vel ignorantiæ, aut puerilitatis, qui, ſi equo ſibi ad certum iter commodato vſus eſſet, repetente eo, qui commodauit, vel reddere tenueret: vel, ſi cogeretur fœmineo vlulatu impleret omnia. Hanc legem mortalibus, quam primum iis vita commodata eſt, commodator Deus poſuit, vt ad eius nutum reddere cogerentur. Cur non eſt flendum Chriſte hominum amatot quando mors imminet? Quia vitam commodato accepiſti definito à me vtendi die ac hora, vſus eius tuus fuit, nunquam dominium. Malus eſt commodatarius, qui cunctatione, excuſationeque reddendi, quod ad vſum accepit commodatori moleſtiam exhibet, neque ſe ſpoliati rebus commodatis permittit, niſi de tribunali citatus, & coactus à iudice. Meretur ſane quicumque talis vt omnia illi auferantur, quæ accepit commodato, & nihil amplius illi credat commodator.

Vita commodatum non licet citius reddere quam ſit conſtitutum.
Stoba. Serm. 120.

Illud peculiare eſt in hoc commodato, quod nec citius reddere liceat, quam à commodatore fuerit præſcriptum. In qua quidem obligatione præcipua conſiſtit ratio, cur nemini liceat auctoritate priuata ſibi vitam eripere eo etiam fine, vt illam Deo reddat. Quæ aſſertio indubitata eſt apud omnes tum Theologos tum Philoſophos alicuius nominis, vt fuſe confirmat S. Auguſtinus Lib. 1. De ciuitate à capite 17. ad 28. Quare male Socrates, vt eſt apud Stobæum, in vita, tanquam in theatro permanendum dicebat, quamdiu rerum & operum huius vita iucundum fuerit ſpectaculum. Melius ſane Pythagoras: quamdiu ſupremo rerum Domino viſum fuerit, qui è ſtatione, nos in tempore euocabit.

Commodatum omninò idem, non deterius factum redditur.
Cicer.

Illa quoque commodatum ſequitur obligatio, vt eadem res in ſpecie, vt Iuriſperiti loquuntur; vt Philoſophi, in indiuiduo: id eſt omnino eadem: certe non deterior facta, reddatur. Commodantur, inquiebat Romanus orator, quæ redduntur eodem numero & ſpecie: mutuantur, quæ non ita, vt vinum, frumentum, ſimilia. Hāc obligationem habet Lex rei commodatæ ff. *Commodati*: vbi ſic legitur: Rei commodatæ retinere nos qui damus, dominium, proprietatem, & poſſeſſionem. Omnis autem res aliena eſt domino ſuo reſtituenda ſine detrimento, aut diminutione. Non eſt eadem ſpecie vita hominis & beſtiæ: hominis tibi Deus commodauit: caue, ne beſtiæ vitam illi reddas. certo ſcias, non recipiet pro ſuo. Hominis eſt verum intelligere, conſultare bene, velle bonum, agere bona. Primum ſapientiæ eſt; ſecundum prudentiæ; tertium iuſtitiæ; quartum perſeuerantiæ. Primum à Deo, ſecundum à primo: tertium à Deo atque homine; quartum à tertio. Qui ita viuunt, viuunt homines, & Deo vitam commodatam eadem in ſpecie reſtituunt. Qui viuunt aliter, animalia viuunt, & beſtialem, pro humana reddunt.

Vita hominis media.

Vita hominum, inquit Auguſtinus, media eſt inter vitam Angelorum, & pecorum. Si viuit homo ſecundum carnem pecoribus comparatur: ſi viuit ſecundum ſpiritum, Angelis ſociatur. Non eſt hominis vita in voluptatibus, tanquam ſordibus volutari, ac ſubare: eſt id grunnientium. Non eſt hominis vita ad calicem vigi-

vigilanti ſtertere naſo: eſt Faunorum. Non eſt hominis vita, edere, bibere, ludere, & nihil honeſti ſuſcipere: eſt luporum. Non eſt hominis vita, contendere, latrare, rixari, pugnare: eſt canum, boum, bubalorum. Non eſt hominis vita laſciuire, luxuriari, alteri adhinnire: eſt aprorum, caprorum, equorum. Non eſt hominis vita ſuperbire, gloriari, corporis cultui ſemper incumbere: eſt pauonum. Non eſt hominis vita mentiri, peierare, blaſphemare: eſt Cacodæmonum. Hanc vitam non commodauit tibi Deus, ſed hominis: hanc repoſcet: id eſt, pudicam, temperantem, honeſtam, pacificam, eandem ſpecie ac indiuiduo.

HVIC adhæret alia obligatio: quod iure compellatur, qui rem accipit commodato, eam non reſtituere factam peiorem ſua culpa. L. Sed mihi videtur. §. *Si reddita.* & L. *In rebus.* §. *Si autem.* & L. Eum qui. ff. Commodati. *Res commodata non ſit deterior cum redditur.*

Quocirca (& hæc eſt noua obligatio, vel appendix ſuperiorum) debet rem commodatam ſeruare incolumem ea diligentia, qua res ſuas. L. *Si vt certo.* §. *Quod verò in ſenectute. ff. Commodati.* *Seruari debet commodatum ne deterius fiat.*

Imò apud homines, quod obligationes auget ſecundum conſcientiam cogitur commodatarius compenſare, ac reparare damna, quæ res commodata eſt paſſa dolo & culpa ſua. Sed qua culpa? dicis. Docebunt Leges, earumque periti, qui ſtatuunt. Commodatum vel eſſe gratia eius ſolum, qui illud dat: vt ſi quis commodet famulo ſuo, vt honorificentius herum comitetur. Si prætor edens ludos ſcenicos commodet veſtes ſcenicas. Si quis commodet ſponſæ vel vxori, quo comptior & ornatior ad eam deducatur. Tunc qui accipit tantummodo tenetur ex dolo & lata culpa. Quod colligitur ex L. *Si vt certo.* §. *Interdum. ff. Commodati.* & L. Contractus. ff. *De reg. Iuris.* Vel eſſe gratia vtriuſque tam dantis, quam accipientis. Vt ſi quis commodet tibi vaſa aurea, vel argentea, vt domi tuæ communem amicum excipias, quem ad cœnam tu & ipſe inuitaſti. L. *In rebus.* §. *Hac ita.* Et L. *Si vt certo.* §. Interdum. ff. *Commodati.* Tunc qui accipit tenetur ex dolo & culpa lata ac leui, non autem leuiſſima. Vt patet ex L. Contractus. ff. *De regulis Iuris.* vel eſſe gratia ſolius accipientis. Quod hic contingere certum eſt. quæ enim vtilitas Deo ex vita noſtra accedit? Tunc autem vt in capitulo 1. De Commodato, inquit Summus Pontifex, conſtatq; ex L. *Quæſitum.* verſu, Eum quoque. ff. *De Precario.* L. Contractus. ff. De regulis Iuris. L. *In rebus. ff. Commodati.* L. ſi vt certo. §. *Nunc videndum* verſu, *Commodatum.* ff. eod. tit. *Compenſatio damni.*

SVMMA igitur, ac exquiſitiſſima diligentia teneris vitam, vti à Deo illam accepiſti, conſeruare ne deteriorem, tua ignauia, fraude, dolo-ve recipiat. Bonam à Deo accepiſti animam, quæ eſt vita, eſſentialis fons ceterarum, quomodo illam ſponte multis partibus peiorem improbè feciſti; & malam, quam bonam potius adamaſti contra Commodati fidem? Longam cœnam, malam nemo vult habere: longam vitam malam pene omnes volunt habere. Vtique ſi grande eſt quod viuimus bonum ſit omne grande. Quid enim vis malè? dic mihi, interrogatio eſt Auguſtini, puto, nihil. In omnibus actionibus, cogitationibus, cupiditatibus nihil male vis. Terram malā non vis: ſegetem malam non vis vtique, ſed bonam: bonam arborem vis, equum bonum, ſeruum bonum, amicum bonum, filium bonum, vxorem bonam. & quid non tandem vis habere bonum? caligam poſtremò non vis habere niſi bonam. Aut da mihi aliquid velle, quod malum ſit? Solam animam vis habere malam. Quid te offendiſti? quid de te tu ipſe meruiſti? Non vis eſſe malum niſi te ſolum. Summa diligentia curandum, ne ex bona malam facias.

NON

Quæ vitanda ſint ex obligatione commodati.

Non eſt ſatis ad commodati obligationem, enormia quædam vitia euitare, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, periuria, blaſphemias: hæc dolum, latamque culpam continent: leuiſſimarum etiam eſt habenda ratio: fugiendum ab inhoneſtis colloquiis, à ſuperfluo potu, ab ocioſis verbis, ſcurrarum geſticulatione, vanitate, riſu nimio, iocis immodicis, quæ homines ſalutis ſuæ impenſe amantes, & omnino diligentiſſimi vitare enixe conſueuerunt. Certum eſt: Commodatum in accipientis ſolius gratiam collocatum, omni cura & induſtria conſeruandum eſſe, ne quod res detrimentum patiatur.

An liceat vitam pœnitentiis breuiorem facere.

Inferet ex his fortaſſe argutulus quiſpiam. Si tanta vitæ, tanquam commodati cura eſt habenda: videndumque ſedulo, ne quid ea deteratur: caueri ergo debet, ne afflictionibus corporis, ieiuniis, flagellationibus, &, vt nunc vulgus loquitur, mortificationibus eam breuiorem, quam á Deo definita eſt, faciamus. quanta ea culpa Deus bone? certe, leui, ac leuiſſima omni grauior. Si ego tibi commodato, paullatim pabulo ſubtracto interitum accelerares, nonne reus contra commodati obligationem agereris?

Cura ſuperflua quorundam.

Hæc albæ gallinę & mammarum pullos cura coquit, quibus maior de coquina, quam ſalute cura eſſe ſolet. Eadem fortaſſe quoſdam auertit à propoſito religionem ingrediendi, in qua multa haud dubie ſuſcipienda ſunt, quæ ſi vitam non omnino ſtatim extinguant, certe, paullatim atterunt, ac diminuunt: quod criminoſum eſſe videtur, contractui de Commodato contrarium. Verum vt hunc ſcrupulum hominibus non omnino malis, ſed multo, quam par eſſet delicatioribus, & vberum amatoribus eximamus.

Licet vitam abbreuiare. quibus modis?

Scire oportet, ne Theologos quidem, qui hæc exactius tractant, dubitare, quin non ſolum licite, ſed & laudabiliter & cum merito poſſit quiſpiam vitæ ſuæ ſpacia breuiora facere: non quidem de induſtria, vt vita decurtetur, ſed vt virtutis, ac honeſtatis officia exerceantur, quamuis non ignoretur fore, vt vita diminuatur. Quod Sanctorum tot exempla declarant, & approbatus Eccleſiæ vſus in longiſſimis ieiuniis, aliiſque acerrimis pœnis imponendis: quibus dubitari non poteſt, quin aliquantulum, imo multum ſæpe de vitæ curſu adimitur. Id autem contra commodi rationem non eſſe inde colligas, quod licite vtamur re commodata ad illum vſum ad quem data eſt, etiamſi inde damnum aliquod commodato immineat: &, ſi res animata ſit, quamuis tali vſu atteratur, ac paullatim ad exitium vergat: præſertim ſi id minime nolente, ſed maxime volente, imo præcipiente domino commodatore fiat, vt in re noſtra conſiſtat.

Finis vitæ commodatæ.

Commodato hominibus vita datur, vt ea ad Dei gloriam propriamque ſalutem vtantur. Quod ſi velint facere, profecto multa ſæpe tentanda erunt: multa vitæ vegetatricis, ac ſenſualis commodis aduerſa ſuſcipienda: multi labores, vigiliæ, defatigationes, caſtigationes, abnegationes accerſendæ, quæ mortem celeriorem facient, commodati domino non abnuente, ſed annuente, imo iubente.

Luc. 14. 26.

Cuius ſunt illa? Qui non odit animam, id eſt, vitam, mortificationibus affligendo non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Carthuſiani an licite abſtineant à carnibus.

Fuit quidam olim inuentus è Galeni ſchola Arnoldus Villanouanus, homo fidei ſuſpectæ, & iudicis ſententia deinde damnatus, qui Carthuſienſi familiæ dicam ſcribere eſt auſus, & palam inſtitutum improbare, ceu iure naturali contrarium, quod veſci carnibus lege interdiceret. Sic enim vitam breuiorem fieri, vel in manifeſtum diſcrimen adduci. Cuius occaſione Cancellarius Pariſienſis Tractatu,

ſtatu, De abſtinentia Carthuſianorum, aliiq; Theologi de duobus maxime diſceptarunt. Primum erat; An liceat conſtitutionem edere, qua cuipiam carnium vſu in vniuerſum interdicatur? Alterum: An monachis vſu carnis in vniuerſum lege & conſtitutione interdicto liceat eas edere, certo mortis periculo imminente? Et fuere de vtroque diuerſæ diſputantium opiniones. Sed quid de tota re Theologico rigore ſentiendum ſit, ſubtilioris eſt inquiſitionis, & magis reconditæ, quam quæ in hac cathedra inſtitui debeat. Factum id in Medico Chriſtiano.

S. Bernardus de tribus panibus. Serm. in Rogat.

ITAQVE his miſſis, vtilius, & iucundius audietur Doctoris melliflui contemplatio de commodato. Fingit is perbelle, ſe eſſe amicum illum peregre venientem, de quo fit mentio Lucæ 11. & veniſſe cum vxore, ac mancipio. Ego quidem, inquit, amicum venientem ad me & non alium intelligo, quam me ipſum. Nemo quippe carior mihi, nemo germanior eſt. Ad me ergo de via venit amicus, cum tranſitoria deſerens ad cor redeo, ſicut ſcriptum eſt: Redite præuaricatores ad cor: Deinde, tunc vere ſibi quiſque amicus eſt, cum de via redit: quoniam, qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.

A die itaque conuerſionis meæ de via ad me venit amicus: venit de regione longinqua, vbi paſcere porcos, & ipſorum ſiliquas inſatiabiliter eſurire ſolebat. Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus ieiunio. Venit neceſſe habens inuenire amicum. Sed heu me pauperem elegit hoſpitem, & vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico miſero, & miſerabili: omnino enim non habeo, quod ponam ante illum. Fateor, amicus eſt: ſed ego, mendicus. Quid veniſti ad me amice in neceſſitate tanta? Non ſum medicus, & non eſt in domo mea panis. Feſtina, inquit, diſcurre, ſuſcita amicum tuum, illum magnum, quo maiorem nemo dilectionem habet, ſed neque ſubſtantiam ampliorem. Quære, pete, pulſa: quia omnis, qui quærit inuenit: & qui petit, accipit, & pulſanti aperietur.

Commodati tres panes.

Clama, & dic, Amice, commoda mihi tres panes. Qui ſunt iſti panes, Fratres dilectiſſimi? vtinam mereamur accipere eos: forte enim & ipſos nemo ſcit, niſi qui accipit. Credo tamen petendos nobis eſſe tres panes: veritatis, caritatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor veniente ad me amico de via: veniente autem vt dixi, cum vxore, & mancipio. Deficit quippe ratio mea (ipſa eſt vir) præ ignorantia veritatis. Languet voluntas præ media affectionis. Infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit, quæ agenda ſunt: & voluntas minus diligit intellecta: & ad hæc etiam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt non quæcunque volumus, illa faciamus.

Ratio, vir.

Aruit cor meum etiam & corpus meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, ſi iugiter exercitata eſſet ratio in inquiſitione veritatis: voluntas in deſiderio caritatis: caro in operatione virtutis. Commoda ergo mihi, amice, tres panes: vt intelligam, vt diligam, vt faciam, voluntatem tuam. Sic enim viuitur: & in talibus vita ſpiritus mei, dicente ſcriptura: Quoniam vita in voluntate eius.

S. Auguſtin. Amicus. Appetitus.

NEQVE hic magni Patris Auguſtini reticenda eſt de commodato ſententia. Qui amicum de via venientem appetitum hominis adumbrare adfirmat. De via venit: id eſt, de temporali conſuetudine reuocatur: tres panes commodato petuntur, hoc eſt, Sanctiſſimæ Trinitatis intelligentia, quæ præſentis vitæ labores conſoletur. Nam conuerſo ad Deum homine, vt Auguſtinus diſputat, appetitus

quoque à conſuetudine reuocatur. Sed ſi non conſolatur interius gaudium de doctrina ſpirituali, qua Creatoris Trinitas prædicatur, magnæ anguſtiæ ſunt in homine, quem premit ærumna mortalis. Cum ab iis, quæ foras delectant, præcipitur abſtinentia, & intus non eſt refectio de lætitia doctrinæ tunc media nox eſt, qua cogitur vehementer inſtare petendo, vt accipiat tres panes.

Vita commodatum. NOTÆ.

VERVM, vt tandem principio finem copulemus: fixum ſit vitam commodato nobis concedi ea lege, vt non ad alios vſus, quam ad quos data eſt, conuertamus: non ad ociandum nobis conceſſim eſſe nobis perſuadeamus: non vt nihil agendo nobis ſit damnationis occaſio oblatam certo ſciamus. Vitam commodato accepimus, vt eo ad felicitatis portum, cœlorum regnum contenderemus: quod ſtrenuè ea vtendo in eaque fideliter laborando obtinebimus. Non laborando, & non nendo fors ad regnum terrenum quis eueh tur, nunquam ad cœleſte, niſi per labores, laborioſamque vitæ telam pertexendo quiſquam perueniet. Neſcio ſanè quis primus omnium fabulam confinxerit de nentibus Parcis, ingenioſus in hoc, quod vitam humanam telæ comparauit, quam ego non tam Clotho, Lacheſin, & Atropon, quam hominum quemlibet circumuoluere recteque diſpenſare debere ac perficere iudico, vt commodati pactum non violet.

Vita reſtituenda ad Dei nutum.

Illud etiam certum habeatur, telam hanc præcidi non poſſe, aut commodatum reſtitui ocyus, aut tardius, quam præſcriptum ſit à Commodatore.

NEQVE hic valet temporis, quamuis longiſſimi, ac immemorabilis præſcriptio. Nemo vitam commodato ſibi tributam poſt annorum centurias aliquot quiete habitam præſcribere poteſt. Quod vel ex legibus humanis colligas, ex quibus liquet, ad præſcriptionem exigi poſſeſſionem, non omnem tamen ſufficere, qualis eſt naturalis, ſed ciuilem eſſe debere: Capit. *Sine poſſeſſione: De regulis iuris, in 6.* & Gloſſâ, ac Interpretes in cap. Cauſſam quæ, De præſcript. Quamobrem fur rem furtiuam vſucapere nequit, licet longiſſimo tempore poſſideat, ex L. *ſequitur.* §. *Quod autem.* ff. *De vſucapion.* Item, qui rem apud ſe depoſitam habet, iure præſcriptionis non gaudet: nec colonus aut conductor eam facit ſuam: eadem autem eſt ratio eius, qui commodato quidpiam accepit: quia poſſident nomine eius, qui eſt verus dominus, ac ciuiliter poſſidere dicitur. C. *cum veniſſet, De reſtitut. ſpoliat.* & Gloſſ. in cap. Clerici 16. q. 3. Sic etiam curator, tutor, procurator licet poſſideant rem pupilli, minoris, domini, non poſſunt vſucapere, quia non poſſident ſuo, ſed alieno nomine. Simile quid contingit in emphyteuſi, feudo, ac ſimilibus, vt I.L. periti norunt.

Denique diligentiam noſtram in conſeruando commodato, vt ſine damno Commodatori reſtituatur aliquando deſiderari patiamur. Itaque, Fratres mei, ſatagite vt per bona opera commodatæ vitæ obligationibus ſatisfaciatis, ſic æternum viuetis.

NOTÆ

DE CONTRACTV COMMODATI.

DE hoc contractu legendus Azor in ſumma tit. Commodatum, Gloſſa & Hoſtienſis in cap. 1. De Commodato. E Theologis, qui diſputant de Contractibus, Paulus Comitolus, Rebellius, Azor lib. 7. tom. 3. tit. Commodatum.

§. SYMBOLA *vitæ humanæ.*] De his opuſculum conſcripſimus, in quo è ſacris profaniſque congeſſimus, quæcunque ad hunc titulum ſpectant.

§. VITA

§. VITA *triplex.*] Legendi Interpretes Ariſt.in Libros de Anima. Conimbricenſes lib.2.de Anima.cap.3.q.1.& lib.de vita ac morte cap.1.

§. COMMODA *mihi tres panes.*] Si litteralem ſenſum ſpectes, non negauerim tres petiiſſe. Quia vno ipſi, qui petebat, altero erat opus amico, & tertium oportebat eſſe communem, ſi forte vnus vni non eſſet ſatis. Solent enim ſingulis conuiuis ſinguli panes apponi, deinde, communis aliquis panis reſeruari, qui ſit, ſi cui panis defuerit ſupplementum. Ioan. Maldonatus. At Bernardus ſermone in Rogationibus ait veniſſe & mancipium & vxorem cum illo, ſicque tres fuiſſe neceſſarios, amico, vxori, mancipio.

§. VITÆ *dominium penes Deum.*] Homo non eſt vitæ ſuæ dominus, ſed res quædam Dei, qui eſt dominus vitæ, & mortis hominum, vt habetur Deuteron.32. Hinc eſt conſequens, ita peccari & fieri iniuriam Deo occidendo ſeipſum ſine manifeſto conſenſu, & mandato Dei, ſicut peccatur in proximum, & fit ei iniuria, quando ſine illius voluntate occiditur ſeruus, aut equus illius. Conſule Gregorium de Valentia Tom.3. Diſp.5.Quæſt.8.Punct.2.

§. VITA *commodato datur.*] Seneca in conſolatoria ad Marciam cap.10. Quicquid eſt hoc, quod circa nos ex aduentitio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria, referta veſtibula, alieni, commodatique apparatus ſunt. Nihil horum dono datur. Collatitiis, & ad dominum redituris inſtrumentis ſcena adornatur. Alia ex his primo die, alia ſecundo referentur. Mutuo accepimus. vſusfructus noſter eſt cuius temporis, ille arbiter muneris ſui temperat.

Tertullianus Lib.de Patientia cap 7. Quod noſtrum videtur, alienum eſt: nihil enim noſtrum, quoniam Dei omnia, cuius ipſi quoque nos. Itaque ſi damno affecti impatientes erimus, non de noſtro amiſſum dolentes, affines cupiditatum deprehendemur, alienum quærimus, cum alienum amiſſum ægrè ſuſtinemus.

Sola virtus datur mancipio, & propria eſt, neque niſi poſſidentis culpa detrahitur. Cetera vitæ ornamenta, opes, honores, potentia, liberi, clientes, fœnus, prælia, ſeruitia, forma ipſa, & nominis claritas, atque adeò vita ipſa commodato conceditur: vſus tantum noſter eſt: nunquam dominium. Vitam tanquam auro illuſam acuque pictam veſtem cogita: paullo poſt repetet dominus: niſi continuò reddas conuitio, ſi reſiſtas vi detrahet.

Agnoſco, ais, reddendi neceſſitatem: reſtitutionem non nego, vellem tamen ſerius aliquanto. Ab aliis incipiat Commodator, qui eandem mecum eodem tempore acceperunt: appellet alios primo. Stulte, non id in tuo arbitrio ſitum eſt: neceſſitas tantum obtemperandi tibi incumbit. Quid alienas partes tibi arrogas? Si tuæ voluntati redditio permittatur, nunquam erit tempus opportunum. Senes ob imbecillitatem innatam, & tot annis auctam plura poſſidendi cupiditatem, moleſtius, quam iuuenes commodatam vitam reſtituunt. Quin etiam ex ætate longæua multos mentiendo detrahunt annos, quaſi habituri ſolatium de mendacio. Cum fallunt ſocios, an Deum qui commodauit vitam etiam fallere poſſunt? Tuum non eſt reſtitutionis diem præſcribere: obtemperato tantum repetenti. Si ſpontè: benè, ac prudenter: ſi coactus, ægritudo maior erit: neque reſiſtas tamen. Commodatò conceſſa vita eſt, nullo ad concedentem redituro lucro. Non queraris, quod repetitur, id enim ingrati animi eſt. Age potius gratias: quod tam diu vti frui conceſſum ſit.

AT vellem tamen in ortu denunciari mihi has commodati leges. Fortaſſe acci-

pere vitam tot conditionibus & obligationibus obnoxiam recuſarem optione data. Stulta ea cogitatio eſt: Præſtat habuiſſe aliquando, quam diuino ſemper dono capere. Quod mutuo, quod commodato datur, donum vſu iucundum eſt, quamuis reddendum danti ex eius voluntate. Quod ſi tibi ea lex denunciata in ortu non eſt, quod ſenſum non habetes, qui tuas vices gerebant, parentes, eam non poterant ignorare, liberos ſe habituros mortales, morbo, & morti obnoxios, nullo circumſcripto fine. Non ergo naturam accuſa, non neceſſitatem, parentes potius, qui cognita naſcendi conditione cupidiſſime tamen & iungi connubio, liberos tales gignere voluerunt: atque ita, vt vitam omnem iniucundam putarent, niſi ſuſcepta ſoboles in ſpem quidem longæuæ ætatis, & vitæ, fallacem tamen ſæpius, quam veram. Lege Ioannem Mariana lib. 1. de Morte & Immortalitate cap. 5.

S. Franciſcus, cum occurreret quidam pauper ſatis miſer ad ſocium dixit: oportet, vt mantellum medium reddamus pauperculo huic, nam ipſius eſt: mutuo enim ipſum accepimus, donec pauperiorem inuenire contingeret. Et ſocio obſiſtenti, dixit: pro furto mihi reputo à magno eleemoſynario imputandum, ſi hoc quod fero, non dedero magis egenti. nimium ſentiebat vir Sanctus, non vitam modo, ſed omnia quæ ad victum veſtitumque pertinent precario nobis ac commodato certis quibuſdam conditionibus dari. S. Bonauentura in vita S. Franciſci cap. 8.

Si huius vitæ bona omnia commodato dantur, ſi auferat ea Deus, non ægrè id ferendum. Qua conſideratione Iob ſe conſolabatur dum diceret: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Dedit commodato, non abdicauit à ſe dominium, vt eum vult ſuo iure repetere poſſit. Lege Ioannem de Pineda Iob. 1. Quoniam vita eſt Commodatum & Precarium, Mors rectè concipitur, vt Commodati redhibitio, & Precarii repetitio. Quæ ſymbola exornamus Libro ſecundo de Symbolis Mortis.

COMMENTATIO XLIII.

Dominica XVI. poſt Pentecoſt.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEUM, ex Contractu Commodati.

In qua Annæ Samuelis exemplo docetur, commodandum eſſe Deo Primogenitum. Quis autem, & qualis ille ſit diuerſorum reſpectu enucleatius declaratur.

Ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. 1. *Reg.* 1. 28.

Licet Sabbato curare? Lucæ 14. 4.

HOMO COMMODATOR.
DEUS COMMODATARIUS.

QVICQVID in præſenti fulget, opes, honores, potentiam, liberos, clientes, fœnus, prædia, ſeruitia, farinam, nominis claritatem, ſanitatem corporis, atque adeo vitam ipſam commodato mortalibus concedi nuperrime demonſtratum reliquimus, indeque noſtram erga Deum obligationem. Num Deo autem

autem ab hominibus viciſſim aliquid commodari poſſit, hodierni Euangelii doctrina quæ de Sabbati ſanctificatione præſcribit, non permittit dubitare. Sabbatum enim Deus dum diuino ſolum cultui, id eſt ſuis vſibus addici voluit ab hominibus, quid aliud, quam diei illius vſuram ſibi commodari impetrauit?

Commodatio enim, vt proxime definitum, eſt conceſſio rei alicuius gratuita ad certum vſum, quam tum facere cenſemur, quando Sabbatum humanis vſibus alioqui mancipandum, diuiuis ſponte tranſcribimus. Verum Dominum Sabbati non tam temporis commodationem expoſcere, aut magni facere, quam voluntatis propriæ, vt illa paternæ conformetur, & alias ſæpe coram Phariſæis à Doctore cæleſti diſputatum, & in huius dominicæ Euangelio præter verborum probationem, facti etiam illuſtris exemplo ſancitum. Quare inſtituto noſtro admodum conſentanee: quidnam potiſſimum in Sabbato præter Sabbatum Deo commodare poſſimus, quo illum ſibi ad benefaciendum deuinciat enarremus, nouo hoc è facto Codice ad rem noſtram accommodate petito principio. *Commodatio quid.*

Poſtquam Anna, Elcanæ coniunx, Samuelis mater, cuius vterum Dominus ſterilitatis ſera occluſerat, vt eſt primo Regum libro, capite primo, oblationibus munerum, ac orationum frequentia filium ſe concepiſſe, quod vnice deſiderabat, & deinde, reſerata aluo in lucem eum ſe edidiſſe conſpexit: voti damnata, quod eius rei gratia, ablactato puero in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, ac amphora vini, adduxit eum ad domum Domini in Silo, oblatoque infantulo templi Summo Hierarchiæ, qui tunc Heli, hac formula ſe illum Deo commodare teſtatum eſſe voluit. Pro puero iſto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem, quam poſtulaui eum. Idcirco & ego commodaui eum Domino cunctis. Sapiens, ac religioſa mulier, quæ ſic ſtatuebat: Ante beneficiorum collationem, Dei gratiam muneribus captandam eſſe: poſt exhibitionem vero, fidem voto obligatam, minime fallendam. vt plerumque ſolet contingere. Quod ſi nihil aliud, ſaltem munus ipſum à Deo acceptum eidem commodari debere, ſi hoc gratum fore intelligatur, munifico tot beneficiorum collatori. *Samuel Deo commodatus.*

Id ego ad donorum rationes augendas, pluraque cotidie à liberalitatis patente impetranda ingenioſiſſimum commentum exiſtimo, quod à fœmina doctrice didiciſſe non pœnitebit. Nec reor aliud magis opportunum vllis in commentariis aulicorum ad Principis gratiam aucupandam & liberalitatem extimulandam repertum iri. Quocirca cui eſt propoſitum Dei benignitatem laceſſere, non appareat in conſpectu eius vacuus, munus aliquod ſemper ſecum deferat, & plura ſpondeat, quod poteſt ſemper; vel dare velit, ſi poſſet. Nam ante Dei oculos nunquam vacua eſt manus à munere, ſi arca cordis plena ſit voluntate. *Quomodo promerenda Dei gratia.* *NOTÆ.*

Munera, crede mihi, placant homineſque Deoſque,
Placatur donis Iupiter ipſe datis

Canebat profanus Poëta. Veruntamen poſt quam acceperis, quæ optabas, eidem, quicquid accepiſti, offer, & commoda: plura impetrabis. Hoc Annæ contigit, quæ vt munus acceptum Deo commodauit, viſitauit eam Dominus, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias, audita prius benedictione Heli Elcanæ viro illius promulgata: *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commodaſti Domino.* id eſt, vt exponit Epiſcopus Abulenſis: Det tibi Deus habere filios multos de vxore iſta, pro fœnore, hoc eſt, filio, quem dediſti Domino commodatum, nimirum, ad eius cultum tota vita. *1. Reg. 2. 20.*

Deo an aliquid commodetur.

SED mirum eſt, dicis, Deo rerum Domino, qui ſibi ad omnia eſt ſufficientiſſimus commodari à mortalibus aliquid poſſe, cum nupera commentatione illud fuerit conſtitutum, commodati dominium penes illum, qui effert, manere, & vſum tantum in alterius poteſtatem transferri. Fateor, difficultatem hæc res prima fronte conſideranti ingenerat, atque idcirco, vt quænam, & quomodo Deo commodanda ſint nonnulla intelligatis, ſtatuarut. Primo multarum rerum nos vſum ſolummodo habere, aliquarum etiam dominium: vſum tamen, vitæ, & quæ illam illuſtrauit, ornamentorum, vt proxime præſcripſimus. Vt autem aliquid nobis eſſe proprium demonſtremus, ponatur Theologorum conſenſu.

Homo quarundam rerum vſum tantum modo habet.

Dominium aliquarum.

Secundo, homines, qui libertate ſunt præditi, operationum internarum, quæ cum libertate exercentur, ſiue actuum internorum, præſertim animo inhærentium dominium habere diſtinctum ab illo, quod primo rerum principio Deo ac conſeruatori omnium adſcribitur. Sicut peculiari modo illæ actiones ab homine proficiſcuntur, quo à Deo non exeunt, vt loquuntur Theologi. Et dominium, quod Deus habet eſt altioris ordinis, quam quod habet homo: eſtque cauſſæ in effectum, non autem vtilitatis & commodi, quod nullum Deo ex rebus creatis accedit. Dominium autem hominis, præter rationem cauſſæ, vtilitatem quoque ſpectat, ſicut eſt dominium pecuniæ, quo ad vtentis vtilitatem refertur.

Actionum humanarum genus duplex.

Iam vero actionum illarum duplex eſt genus: aliæ vocantur actiones elicitæ à voluntate, quia ab ipſa proxime oriuntur, vt partus quidam propius illius. Tales ſunt volitiones, ac nolitiones, vt loquimur in ſcholis. Sic autem exprimuntur dum mentis ſenſa verbis efferenda ſunt: volo amare Deum, & proximum: cupio renunciare, mundo, carni, ſanguini: deſidero me totum Numinis famulatui impendere, nolo peccare amplius. Has ego, voluntatis filios vocare ſum ſolitus, ſcilicet, prolem maſculam: ex eius enim ſinu, haud ſequus, quam è materno prodire eas docebimus. Aliæ ſunt actiones quæ à dominatis illis emanant, & dicuntur, ſcholaſtico loquendi more, imperatæ, ſiquidem mouet voluntas vt Regina, tam interiores, quam exteriores potentias, quarum functiones eadem imperat: ideo ab illis, non tanquam à parente proxime, ſed è ſuperiore principio, tanquam auo, vel auia proueniunt: atque idcirco in nepotum numero eſſe cenſetur, & poſteriorum habere rationem. Porro, in priores illas operationes, quas, tanquam liberos ab illa ſuſcipi, & educari dicebam, tam perfectum eſt voluntati dominium, vt nullum ſit patris in filios abſolutius. Liberrime enim, & ſine vllius alterius motus aut coactionis ſuſpicione, de illis, pro vt complacitum fuerit, diſponit, & obſiſtenti cuilibet ſuo ſe iure opponit.

Voluntati non infertur violentia.

Docent id præclare Doctores ſcholaſtici, qui in grauiſſima illa diſputatione de violentia, dum quærunt, An ea voluntati poſſit inferri: Seu, An cogi poſſit voluntas, quod ſeruilem conditionem indicat: nemo enim niſi à ſuperiore cogi poteſt, & non niſi in iis in quibus non habet plenum abſolutumque dominium: aſſerunt: Voluntatem ſimpliciter cogi non poſſe, quo ad actus illos, qui ab ea immediatè proficiſcuntur. Quod aperte docet S. Auguſtinus lib. 1. Retractat. cap. 15. S. Anſelmus lib. De libero arbitrio cap. 1. S. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio. S. Thomas Prima ſecundæ Q. 6. Art. 4. vbi docet, duplicem eſſe actum voluntatis: vnum quidem immediatè ab illa elicitum, nimirum, *velle*: alium à voluntate imperatum, ac mediante potentia diuerſa exercitum, vt ambulare, loqui, qui à voluntate imperantur, mediante potentia motiua. Quantum igitur ad actus à voluntate

luntate imperatos, voluntas violentiam pati poteſt: in quantum per violentiam exteriora membra impediri poſſunt, ne voluntatis imperium exequantur. Sed quantum ad ipſum proprium voluntatis actum non poteſt illi violentia inferri.

Eſt huius rei ratio. Quoniam actus voluntatis non eſt aliud, quam inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoſcente. Sicut appetitus naturalis eſt inclinatio à principio interiore ſine cognitione. Quod autem eſt coactum, ſeu violentum eſt à principio exteriore. Vnde contra rationem actus ipſius voluntatis eſt, quod ſit coactus, ſeu violentus. Quemadmodum eſt contra rationem naturalis appetitus, ſeu inclinationis, aut motus lapidis, quod feratur ſurſum. Poteſt quidem lapis per violentiam ſurſum: ſed quod motus ille violentus, ſit ex eius inclinatione naturali, fieri nequit. Simili modo: poteſt homo per violentiam trahi, ſed quod hoc ſit ex eius voluntate, repugnat naturæ. Breviter. Voluntarium eſt à principio intrinſeco cum cognitione. Actus autem quicumque elicitus à voluntate eſt à principio intrinſeco cum cognitione. Ergo quomodocumque voluntas illum eliciat, nullam in eliciendo vim patietur, neque cogi poterit. *Actus voluntatis eſt eius inclinatio.*

HABET itaque voluntas in ſuum actum, tanquam fœtum, omnibus numeris abſolutum dominium. Sed quomodo probas filiorum nomine cenſeri poſſe? Nihil facilius. Elcanam cogitate Samuelis patrem, cui duæ erant vxores, nomen vni Phenenna, alteri Anna. Phenenna fœcunda filios habebat: Anna ſterilis, per vota preceſque liberos ſuſcepit. Quilibet è nobis inſtar Elcanæ duas vxores habet, Rationem, & Voluntatem. Ratio, vt Phenenna eſt perquam fœcunda. Nullum enim facilè inuenias tam peruerſis moribus, qui non frequenter bona aliqua concipiat, de iis deliberet, eaque voluntati obiiciat. Hæc ſunt Rationis ſoboles. *Voluntatis in ſuos actus dominium.*

SED infœcunda plerumque eſt Anna voluntas: non facile illi perſuadetur, vt velit, & efficaciter velit: quod eſt, vt concipiat & pariat bonum ipſi præſentatum. Sed Dominus nonnunquam illius miſertus, cœleſte quoddam deſideriorum ſemen illi diuinitus infundit, quo concepto, fouente interius fœtum gratia, firma deliberatione, prolem tandem, obſtetricante eiuſdem miſericordiæ dextera effundit oriturque dilectus Deo Samuel, poſitus vel poſtulatus à Domino. Clarius quæſo pateat. Rem quotidianam enarro. Eſt adoleſcens cui Ratio frequentiſſimè ſuggerit, quouſque tandem? Sat mundo, venerique datum: relinque cloacam voluptatum fœtidarum, quid hæres? animæ curam ſuſcipe, quæ æterna: corpus à vermibus roditur: Chriſtianam vitam age, paganicam deſere: æternitatem cogita. Hoc ſuadet ratio, ſuggerit bonus cuſtos Angelus, præſcribit Deus, imperant accepta à Deo beneficia. O pulchra & numeroſa rationis proles! Sed iacet infœcunda voluntas, neque concipit, neque parturit: nihil emendationis proponit, nullum vitæ melioris deſiderium arripit: videtur mala conſuetudine in naturam verſa, & calore omni bonitatis conſumpto non poſſe velle, quod factu optimum non ignorat: miſeriam tamen, quia agnoſcit, fœcunditatis parentem precibus fatigat, vt ſterilitatis auferat opprobrium. *Voluntas infœcunda.* *Adoleſcentis conuerſio.*

Ille ſortem miſeratus ſterilis, facit, vt velit, quæ velle non poſſe videbatur: nec hoc contentus facit, vt faciat, poſtquam voluit, quod eſt filium parere.

EN commodati materiam, quod acceptius Deo eſt, ſi filius fuerit primogenitus, Samuelis inſtar. Nullum autem ego eſſe reor, qui non filium aliquem primogenitum habeat, diuerſi diuerſis nominibus nuncupatum, omnes tamen aliquem. *Primogenitii quinam?*

Etiam

Etiam opilio, qui paſcit alienas oues,
Aliquam habet peculiarem, quæ ſpem ſoletur ſuam.

Quis cuiuſque ſit primogenitus ex re nomini ſubiecta intelligetur. Itaque Primogenitum illud ſæpe appellamus, quod eſt longe gratiſſimum: quoniam primogenita à parentibus maxime amari ſolent, vel ob hanc cauſſam, quod prima procreatio & deinde educatio parenti vtrique exiſtat laborioſior. Quod indicaſſe putant I.cobum Patriarcham Geneſ.49. Vbi alloquens Ruben primogenitum ſuum ait, Tu principium doloris mei: id eſt, primum laborem ac ſolicitudinem patri attuliſti. Natura autem comparatum eſt, vt quo maiori labore proles ſtetit eo magis à parente diligatur. Vnde aiunt plus à matribus, quam patribus prolem amari. Nec me latet quorundam opinio exiſtimantium: cum partus maxime naturalis, ac frequentiſſimus ſit nonimeſtris, tamen ſi ſit fœtus primus retineri vlterius diebus quinque decimi menſis in vtero. Quod Petrus Bongus docet lib. De numeris ſub numero 45. aitque à Philoſophis eſſe acceptum. Plus igitur laboris vel ex hoc capite à primo genito mater habet.

An fortaſſe propterea, vnigeniti, quia parentibus ſunt acceptiſſimi ac dilectiſſimi dicuntur Primogeniti, licet poſt illos nulli alii, quod Primogeniti nomẽ innuit, generentur. Sane Chriſtus dicitur Mariæ primogenitus Matthæi 1. 25. Ergo, colligit hæreticus, poſt eum alios genuit: vbi enim ſecundogenitus non eſt, ibi nec primogenitus eſſe poteſt. Miror ſophiſtas & inſcitiam. Non lubet dicere, quod *Hæreſ. 78.* Epiphanio, dum huius argumenti acumen plumbeum deuitare volens: Chriſtum ait, non Mariæ primogenitum vocari ſed Dei: nimirum, filium eſſe eius primogenitum: cuius? Dei. Congruentius ſacro contextui Hieronymus libro aduerſus Heluidium: *Primogenitum* Mariæ Chriſtum dici, non quod poſt eum alius, ſed, quod ante eum nemo genitus ſit. At cur non dicatur, vnigenitos vocari primoge- *Exodi 4.22.* nitos, quaſi amantiſſimos. Sic Exodi 4. Deus vocat populum Iſrael, *Primogenitum* ſuum, licet alium non haberet. Certè, tam Primogenitus, quam *Vnigenitus* pro *Orat. Aduerſ. Ari. Quod ex Deo ſit verbum.* dilectiſſimo ponitur. Ita Athanaſius illud Matthæi 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus* ἀγαπητὸς, vnigenitum interpretatur. Hoc enim epitheto vnigenitos affici, non ex Homero ſolum conſtat, ſed ex ſacra quoque Scriptura. Sic Geneſis 22. ſignan- *Geneſ. 22. 2.* ter additur: Tolle Filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, Et Ioan. 3. Vnige- *Ioan. 3. 10.* nitus manifeſtè pro amantiſſimo ponitur: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.

Primogenitum excellentiſſimum. *NOTÆ.* Deinde verò, Primogenitum non rarò dicitur, quod nobiliſſimum, ac excellentiſſimum. Cuius ſignificationis illa fortaſſe eſt cauſſa: quod Primogenitus, vti fratribus eſt prior natiuitate, ita excelluerit olim dignitate regia ex iure primogenituræ. Siquidem ab antiquiſſimis temporibus gentium omnium conſuetudine Primogenitos in principatu, regnoque ſucceſſiſſe ex hiſtoria compertum habetur. De barbaris ex Herodoto Lib. 7. vbi Artabazenus Darii filius natu maximus declarari ſe regni Perſarum ſucceſſorem iure ſuo poſtulat. Quod ipſum Trogus. & ex eo Iuſtinus libro ſecundo commemorat Idem perpetua lege ſeruatum ab Athenienſibus, Macedoniis, Meſſeniis, Epirotis, Spartanis liquet iis exemplis, quæ adducit Pauſanias libro primo. ab Ægyptiis ex Liuio lib. 42. à Perſis iterum ex Plu- *Plutar. Opuſc. de Carit. fra.* tarcho: ab Hiſpanis, Scotis, Anglis, Cimbris, Gothis, Wandalis, ex Procopio lib. 1. de bello Gothico. ab Hebræis ex illo Geneſis 49. Ruben primogenitus meus, prior in donis, maior in imperio: licet poſtea in illa gente fuerit vatiatum.

Digitized by Google

Primogenitus. Primarius. Princeps. NOTÆ.

Hinc Primogenitus pro Primario, ac Principe ponitur. Qua ratione Chriſtus dicitur Primogenitus omnis creaturæ, ad Coloſſ. 1. 15. Non quidem primaria creatura, quaſi ſorores habens creaturas alias, vt fingebat Arius, ſed princeps, ac principium creaturarum. Statim enim ſubiungit Paulus: quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa. Eadem phraſi dicitur Primogenitus ex mortuis Ad Coloſſenſes 1. 18. & Primogenitus mortuorum Apocalyp. 1. 5. non ſolum, quod fuerit reſurgentium primus, ex iis qui ad vitam immortalem fecerunt tranſitum: ſed quod fuerit princeps ac principium illius reſurrectionis. Eodem ſenſu apud Iſaiam cap. 14. 30. leguntur *Primogeniti pauperum*: id eſt, præcipui, primarii, qui in pauperum tribu regnum obtinent, meri Iri, ac Codri: hominum egentiſſimi. Tandem Paulus haud diſſimili loquendi forma, Eccleſiam primitiuorum dicit cœtum Sanctorum. *Hebr. 12. 23.* Quos primogenitos appellauit inquit Theodoretus, non quod omnes primi naturam ſoluerint matrum vteros: ſed quoniam maior honor primogenitis lege tribuebatur, eorum præſtantiam, ac honorem ſignificauit per hanc appellationem.

Primogenitus robuſtiſſimus.

DENIQVE: Primogenitum vocatur, quod robuſtiſſimum. Siquidem primogenitus filius corporis firmitate, ac viribus, à parentibus in primo flore conſtitutis generatus inter fratres præſtare ſolet atque excellere. Vnde primogenitus habetur tanquam robur parentum. Hinc illud Deuteronomii 33. 17. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius: cornua rhinocerotis cornua illius, quod ad fortitudinis commendationem ſpectare certum eſt.

Filii nomine quæ denotentur.

His addatur, filii appellatione non comprehendi ſolum operationes voluntatis, de quibus actum ſuperius, verum omne illud, quod alicui eſt eximie carum, non ſecus quam ſi ab illo genitum eſſet: quod ab ipſo tanquam filius amatur, qui ἀπὸ τῆς φιλίας ab amore it nominari dicitur?

Ex quibus deſumatur, quiſnam cuiuſque ſit *Primogenitus*. Primò, vniuerſe loquamur: deinde ſingulorum fiet deſignatio. Quidnam homini, qua homo eſt, nulla conditionum particularium ratione habita eſt cariſſimum? Non ſpectetur diues, magis, quam egenus: paruus, quam magnus: nobilis, quam plebeius: doctus, quam idiota: pulcher, quàm deformis: dominus, quam ſeruus: ſacer, quam profanus.

DICET aliquis, id facili aſſequar coniectura. Sunt opes. erras grauiter, mi homo. multis mendicitas eſt in amoribus: hanc ſupra Pici montes æſtimant. Sunt igitur honores. hallucinaris plurimum: non paucis honorum contemptus placet magis quam dignitatum apex. Sunt ergo voluptates. falleris. voluptas plurimis eſt odio, quibus nihil volupe, niſi quod à voluptate alieniſſimum. Eſt luſus profecto. At omnes-ne tu pueros eſſe exiſtimas, quibus nihil niſi nuces, trochi, globuli in delitiis. Eſt itaque veſtium ornatus ſplendidus. rideo: hunc deſpuunt, qui in ſacco & caprinis pellibus mollius cubant, & facilius, quam in plumis frigus iugulant. Sunt pocula. Caue dixeris: loquela tua manifeſtum te faciet: Germanum te eſſe prodes in Flaſconio monte; trans alpes & Oceanum exſibilaberis. Sunt dipſiles epulæ. Ergo tu hominum genus ſaginæ tantum natum putas: nihil adamare, niſi quod pandices & abdomen generet. Non eſt mundus farciminum regio, vt quorundam mihi carorum patria. ſed hominum. Eſt ſanitas. ægris fortaſſe, quamuis nec his omnibus eſt cariſſima, tanquam primogenitus.

QVIDNAM ergo illud? Non ſuſpendam cogitationes veſtras diutius; eſt cuiuſque voluntas propria, quæ latiſſimè patet, & per omnia rerum genera vagatur.

Digitized by Google

Velle ſuum cuique eſt longè amantiſſimum, & vt primogenitus, c tiſſimum. Hoc autem tam eſt varium, quam hominum formæ. Illud velle amari ab eo qui non amat niſi peruerſè & inhoneſtè eſt tibi primogenitus. Illud velle contingere, ſuauiari, amplecti, quod non niſi flammas excitat eſt illi primogenitus: Illud velle habere, quod non niſi furto haberi poteſt eſt iſti primogenitus. Velle poſſe, quod ſuprare, nec tibi conuenit eſt primogenitus. Velle honorari, extolli, prenſari, eſt primogenitus. Velle excellere, ditari, laudari eſt primogenitus. Velle vlciſci eſt quibuſdam primogenitus. Multis velle edere, bibere, ludere, ſaltare, inebriari, laſciuire, quid hæreo è nugari. Quæ, & infinita alia ſignificantur, dum nominantur propria voluntas.

Propria voluntas omnes rapit.

Ob hanc ploratibus aërem implent quibus nondum nota voluntas propria, pueruli: peregrinantur adoleſcentes: periculis ſe exponunt iuuenes: exardeſcunt, licet circa pectus merum gelu habeant, ſenes: flent mulierculæ: gemunt ſine pondere baiuli: certant milites: pugnant reges: turbantur pacifici alias: diſſident amici: occiduntur obſtinati: damnantur peccatores: nutant electi: ſaluantur ad vitam prædeſtinati. Nam vnicuique propria voluntas eſt cauſſa damnationis, vel ſaluationis iudice Auguſtino. Propria voluntas eſt homini tam cara, vt ſi illa velut primogenito frui liceat, optet potius ardere ignibus, quam diffluere delitiis: priuari vitæ huius commoditatibus omnibus: quam abundare mundi illecebris: deſpici, quam honorari: premi, quam extolli: poſtponi, quam præferri: denique, quo maius quid dici nequit, mori, quam viuere. Tanti eſt voluntati propriæ velificari, & obſequi. Neque eſt inter homines vllus, qui ſe vel minimam felicitatis partem attigiſſe arbitretur, ſi non illud vſurpare poſſit: hoc volo, quod facio.

Auguſt. in Manu. li. cap. 25.

An voluntas ferri poſſit in malum.

MIRANTVR aliqui apud Ioannem Dunzium Scotum, in Theologicis æque ac Philoſophicis acri virū ingenio, & ſubtilitate ſingulari impulerit, vt diceret, voluntatem non tantum boni eſſe poſſe, ſed & mali: hoc eſt, adfectum proſecutionis, ac complacentiæ ferri poſſe in malum, qua malum eſt. Audax dictum, quod ante Scoti tempora extra controuerſiam in gymnaſiis ſapientum erat: cum illud in ſcholis omnibus, plauſu exciperetur, Voluntas nihil appetit, niſi ſub ratione boni. Ipſe primus cæpit ambigere: deinde adfirmare, nondum ſatis probatum videri: Non poſſe hominem velle malum ſub ratione mali. Quod pronis auribus, animiſque excepere Magiſtri Nominales: qui id, quod Scotus timide ac dubitanter propoſuerat, audacter & palam profeſſi ſunt. Ac inter illos, venerabilis Inceptor licet fateatur non poſſe voluntatem velle niſi bonum, ſi ſumatur bonum, vt volibile, contendit tamen, poſſe velle malum, ſi bonum ſumatur, vt inutile, honeſtum, ac delectabile diuiditur.

Scot. 1. Diſt. 1. Q. 4. ad 3. In 2. Diſt. 43. Q. 2. Okam in 3. Q. 13. ad 3. Maior in 2. Diſt. 28. Q. 1. ad 1. Hieronymus ab Angeſto cap. 2. Moral. Almain. Moral. 3. c. 4. Nominalium perſuaſio.

SED videor animaduertere hos præſtantes in ſpeculationibus Theologicis viros, cum hominis erga proprium velle tam incitatum adfectum perſpicerent, vt eius intuitu, cetera omnia, minus cara neceſſario eſſent futura; in eam deductos ſententiam, vt aſſererent nullo boni, maliue diſcrimine, hominem, ſolummodo quia vellet in malum ferri poſſe (quaſi potius in infelicitatis apicem conſcendere, detracto eidem aliquo, præoptent omnes.) Quod ego quidem tametſi falſum exiſtimem: tum, quia malum finis rationem habere non poteſt, vt docet Philoſophus. Voluntas autem quicquid agit propter finem agit, ex eiuſdem Philoſophi doctrina: tum, quia nulla potentia extra ſuum obiectum ferri poteſt: volun-

Lib. 2. Phyſ. 32. Lib 5. Metaphyſ 3. Lib. 2. Phyſ. ult. cap.

tatis

Digitized by Google

tatis autem obiectum eſt bonum: tum quia appetitus; qualis eſt voluntas non niſi inconuenientia ſiue vera, ſiue apparentia tendit, quæ ſane mala eſſe nequeunt: tum, quia cum malum non ſit eligibile, vel appetibile, voluntate nulla ratione mouere poteſt. Oſtendit tamen illud ipſum quantus ſit hominis in proprium velle amor, vt ſummi quoque Theologi opinari potuerint, hunc tantum facere poſſe, vt eius gratia bonum omne reſpuat, purum malum amplectatur: ac ſi malum non ſit, quod quis, vt propriam, vt propriam voluntatem tueatur, præoptat.

Nobiliſſimum in homine velle.

QVID porrò etiam in homine eſt nobiliſſimum, atque excellentiſſimum, quod ab ipſo, tanquam primogenitus quidam fœtus procedit? Hic verò ſe iactabat Philoſophus, diceretque; cum Intellectus perfectiſſima ſit hominis potentia, quæ Animæ, tanquam matris, per emanationem quandam partus eſt, eius quoque operationem perfectiſſimam ceteras omnes nobilitate vincere. Quam ob rem Intellectus, quaſi *Primogenitus*, cuius eſt, ac imperium in reliquas facultates, vt ſorores, ex Ariſtotelis pronunciato, omnibus potentiis dominatur. Nolo hic ſine fructu Philoſophorum litibus componendis, tempus precioſiſſimum, quod moribus informandis tranſcribitur, fallere. Hoc dico, quod ad noſtram apprimè facit.

Ariſt. lib. 10. Ethic. 7

Voluntas Regina. Ratio, pediſſequa.

Si nobilitas & excellentia Primogeniti in eo potiſſimum conſiſtit, vt aliis præſit, imperet, dominetur, id haud dubiè voluntati, quam Reginam omnes appellant, Rationem verò, pediſſequam plurimi, conuenire. Mouet enim Imperatrix voluntas potentias reliquas, ne intellectu quidem ab eius impulſu exempto: eſt ipſa formaliter libera: Intellectus non niſi radicaliter. Eius obiectum eſt bonum, quod eſt vltima perfectio, & habet rationem finis: Intellectus obiectum eſt verum. Voluntas bonum appetit, non ſibi ſolummodo, ſed aliis quoque potentiis. Quas ob cauſſas S. Anſelmus, ceteras facultates animæ inquit voluntatis eſſe inſtrumenta: illam Dominam. Et ſanè per voluntatem ſolam habes homo omnium actuum dominium, etiam intellectus.

S. Anſel. lib. de concep. virg. cap. 4.

An in actu voluntatis felicitas.

ADDE exiſtimare multos in voluntatis actu felicitatem non huius tantum vitæ, quæ in caritate conſiſtit, ſed alterius quoque ſitam eſſe. Quod profectò ſi verum, arguit, nihil in homine eius voluntate, prout functionem ſignificat eſſe nobilius. At quicquid ſit de vita futura, id ſatis conſtat: in hac mortali voluntatem quæ in Deum fertur, omni operatione humana eſſe excellentiorem. Sentio enim cum Aquinate Caritatem non ſolum in genere moris ac meriti, ſed & naturæ aliarum omnium virtutum operibus præſtantiorem eſſe. Maior horum eſt caritas, inquit Apoſtolus.

S. Thom. 2. 2. q. 23 art. 6. 1. Cor. 13.

Fortiſſima voluntas.

QVOD ſi robur ſpectes, Primogenitorum proprium, nihil firmius reperiri, quam voluntatem cuiuſque propriam, apud me nullam dubitationem habet. Quare ſi denuo inſtituendum eſſet examen certamenque vt olim coram Dario de re omnium fortiſſima: quod narratur libr. 3. Eſdræ, applauderem dicenti: Forte eſt vinum: non refutarem pronuntiantem: Fortior eſt rex: non diſpliceret alterius dictum: Fortiores ſunt mulieres: dubitarem tamen de illo enunciato: Super omnia vincit veritas: ſi de veritate humana ſit ſermo, ac ſubſtituerē: ſuper omnia vincit voluntas propria. Veritati vim inferre poteſt improbitas, verſutia, dolus certe, violentia à poteſtate aliqua creata voluntati propriæ ne ab increata quidem: quod ſuperius demonſtratum eſt.

Lib. 3. Eſdra 3 & 4.

Voluntas inſtar filii.

Sed ſcite aubit fors quiſpiam, quomodo voluntas filio in productione aſſimiletur. Non eſt hic quærenda, vt Philoſophi nôrunt identitas, ſed ſimilitudo: & talis quidem, qualis in rebus diſſimilimis reperiri poteſt. Quamuis autem iſta in ſuperioribus ſatis elucoſcat, illuſtrabit tamen magis eandem, quod ſubiungo. Voluntas vel pro potentia ſumi poteſt, vel pro eius actu, qui exprimitur vocabulo velle. Si potentiam ſpectes, illam anima, non patris minus, quam matris vicem agens, inſtar filii generat. Dicitur enim pater, non malè, cauſſa omnis procreans, vel efficiens. Ita Deus ipſe pronunciat Iobi 38. Quis eſt pluuiæ pater? aut quis genuit ſtillas roris. de cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit? Nimirum volebat ſe agnoſci genitorem, & genetricem rerum in ſublimi fieri ſolitarum. Quis autem è vobis ignorat, voluntatem ab anima, tanquam cauſſa efficiente, emanatione, velut generatione quadam procedere? Et, ne matrem, quæ ferat vterum deſideres, animam eandem habes, vt cauſſam materialem, quæ feminæ, eſt perquam ſimilis. Par eſt de voluntate vt actionem ſignificat ratio. Nam dum volumus, ipſa potentia antea grauida parit, quem eatenus vtero continuit, fœtum ſicque velle dicitur.

Iob. 38. 28. 29.

Primogenitus Deo commodandus.

Hic itaque Primogenitus Deo commodandus eſt: id eſt, vſibus illius tranſcribendus. Liberum quidem tibi eſſet voluntatem tuam variis rebus ad libitum impendere. Poſſes velle corpori iucunda, vtilia, ſuauia. quis prohiberet? In temporalibus illam diffundere poſſes: nemo obſiſteret. At, ſi ſapis, Deo illam commoda. Hoc commodatum Deus ab omnibus ſibi curis poſtulat. Præbe, fili mi, cor tuum, inquit ſapientis ore. Nihil frequentius in paginis ſacris, quam per cor voluntatem ſignificari. Cor eorum longe eſt à me Matthæi 15. Fili hominum vſque quo graui corde Pſalmo 4. Quæſiuit Dominus virum ſecundum cor ſuum Lib. 1. Reg. 13. Inueni Dauid virum ſecundum cor meum. Et benè ſanè, cùm de primogenitura agitur, cor, & voluntas pro eodem ſumuntur. Nam ſi Ariſtoteli credimus, cui ob hanc rem eſt capitalis cum Medicorum principe controuerſia, cor ante omnia alia membra, vt primogenitus, efformatur, & in iis, quæ ſanguine carent, id, quod vice cordis in illis ſubſtituitur.

Prou. 23. 25.

Commodatum fit voto.

Nunc Primogenitum ſuum Religioſi perfectiſſime commodare ſolēt Deo. Siquidem votorum commutatio, quod alibi oſtendo copioſius, commodationis rationem habet. Atque ita Annæ commodatum graues auctores intelligunt, qui hoc modo eius verba explicant: Oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulaui eum: id eſt: ego rogaui tunc pro puero, & conceſſit mihi. Idcirco & ego commodaui eum Domino: id eſt, quia Deus dedit mihi, ego dedi eum Deo: ſcilicet, vouendo ipſum ad hoc (verba ſunt Epiſcopi Abulenſis) quod maneret ſemper miniſtrando coram Domino: & quod ſemper haberet votum Nazaræorum in obſeruatione. Adiungit idem Præſul: *dicitur commodare*, id eſt, *dare ad vſum, quoniam Anna potuerat eum applicare ad ſeculares conuerſationes*, & commodauit, id eſt, dedit illum ad vſum Deo.

Variorum Primogeniti.

Atque hæc vniuerſim de omnium Primogenito: præter quem nulli non eſt alius quiſpiam, ſiue primogenitus filius, ſiue nepotulus primogeniti inſtar, qui non præcipuo amore diligatur, obſeruetur, colatúrque; pro quo conſeruando perlibéter omnia profunduntur. Superbus primogenitū habet propriam excellentiam, ſuiq; æſtimationem nimiam, quam ſi Deo cōmodaret, & notitia ſui ad illius honorem vteretur, nunquā tam fœdam filiorum & nepotulorū colluuiem ex ea per ſcortationem

ta tionem

rationem cum creaturis ortam cerneret. Progignuntur enim ex ſuperbiæ primogenito, nuptias cum procaci meretricula conciliante paranymplio Cacodæmone ſuperborum principe, & pronuba cupiditate immodica, curioſitas, leuitas animi, lætitia inepta, iactantia, ſingularitas, arrogantia, præſumptio, defenſio peccatorum, confeſſio ſimulata, rebellio, libertas peccandi, conſuetudo peccandi. O ſceleratam proſapiam!

GVLOSVS vt Primogenitum æſtimat eſculentorum ac poculentorum abundantiam: quæ Deo commodanda eſſet, ac pauperibus ex ea ad neceſſarios vſus diſtribuendum, nonnullis ad commodam ſuſtentationem reſeruatis. Quod quia nō fit, cernit mox ex eo progeniem ipſo progenitore ac primogenito vitioſiorem, mentis hebetudinem, ſenſualitatis titillationem, ſtultiloquium, eiuſque germanam ſcurrilitatem, immunditiam. O abominandam, & proſcribendam poſteritatem! *Guloſi Primogenitus.* *S. Greg. lib. 31. Mor.*

AVARO primogenitus eſt auri fulgor, Deo commodandus. Sed quia in proprios vſus illum ſolummodo: imo non in ſuos, ſed tineæ, ac blattarum conuertit; hinc illa ſtirps à primogenito auaritiæ proſeminata, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, obduratio. O nefandam nepotulorum turpiſſimorum colluuiem. *Auari Primogenitus.*

LVXVRIOSVS primogenitum agnoſcit corporearum voluptatum exceſſum, caſtitatis voto offerendum Deo. Sed commodati huius neglectu, primigenitus diffundens ſe in omnes cupidinis laſciuiæ illecebras, contracto non cum Anna & Phenenna, ſed cum libidine inconceſſa connubio, nuptiarum conciliatrice triuenefica carne, vnica ſtatim perturbatione tartaream illam phalangem progenerat, cæcitatem mentis, præcipitionem, inconſiderationem, inconſtantiam, amorem ſui, odium Dei, affectum præſentis ſeculi, horrorem futuri. O infernalem progeniem! *Luxurioſi Primogenitus.*

SVNT & bonorum primogeniti. Docti ac litteris dediti, litteras ipſas Primogenitum ſuum putant: fœtum aliquem ingenioſi ſui vtero excluſum: Libellulum ſtyli ſui acumine exaratum: argumentulum aliquod Philoſophica ſubrilitate effictum: demonſtratiunculam mathematico calore effuſam, vt filiolum habent, è proprio tanquam è Iouis cerebro proſilientem ſpeculationis ſecuri aperto: illum amant, fouent, amplexantur, & vrſorum in morem formant, allambunt, perficiunt. O pulcellulum puſionem! Ceſſet humanus affectus, precor generoſæ mentis eſt, hunc primogenitum Deo commodare non nobis ſed Deo ad honorem, Reipublicæ ad fructum ſtudeamus, meditemur, ſcribamus, commentemur. *Litteratorum Primogenitus.*

ORATORES ſacri, Eccleſiaſtæ, Concionatores, ſeu Prædicatores, vt vocantur ve bis rebuſque grauidam & prægnantem commentationem primogeniti loco ſuſcipiunt. In illo formando parturientis labores ſuſtinent. Sed fructus vah! quam exigui? Spes lactat & ſolatur agricolam. Illum ſuum fœtum fouent, adornant, expoliunt, ſtulti profecto, & deſipientium inſaniſſimi, niſi illum Deo commodent: & ad illius gloriam, proximique, ac propriam vtilitatem, qui debet eſſe concionum omnium fructus referre conentur. Idque non per tranſennam tepide, frigide, incogitanter, ſed calide, deſtinato, conſtanter, ex voto, veterum forma, & antiquo non profanorum, ſed ſacrorum ritu: Tibi Deo Æterno Immortali do, dico, conſecro ſincere ex animo. *Concionatorum Primogenitus.*

ALIOS Concionatorum, Antiſtitum, Magiſtrorum, Confeſſariorum ſuperio- *Primogenitus Superiorum*

rum omnium filios ac inter eos *Primogenitum* aliquem *Samuelem* non niſi votis, ac precibus poſtulatum ſuggerit horum omnium decus, ac perfectiſſimum exemplar Paulus Apoſtolus: cuius illa ſunt caritate æſtuantis, & paterni affectus pleniſſima. *Teſtis mihi eſt* DEVS, *quomodo cupiam vos omnes in viſceribus* IESV *Chriſti. Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in nobis. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Os noſtrum patet ad vos: cor noſtrum dilatatum eſt.* Vultis matrem, & nutriculam? audite: *Facti ſumus paruuli in medio veſtrum tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos cupide volebamus tradere vobis, non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam cariſſimi nobis facti eſtis.* Quod eſt primogenitorum habere rationem.

Ad Philip. 1. 2. Cor. 9. Cap. 6.

Concionatorum conatus Deo conſecrandi.

Hi propriis vſibus non ſunt applicandi, ſed commodandi DEO, cuius beneuolentia, ac fauore ſunt geniti. Vanus eſt Concionator: qui ex auditoribus aliquem à ſe Chriſto genitum, aut omnes ſuis vult ſeruire cupiditatibus: vno ad popularem auram commouendam: altero ad negotia ſua expedienda: tertio ad ambitionem explendam: quarto ad fumos emendos vel vendendos abutitur. Vecors Prælatus aut Superior, qui ſubditos non niſi natos ſibi exiſtimat: ſibi tantum deſeruire, ſuis cupiditatibus obſequi, ſuas procurare illecebras, vel commoditates poſtulat. Vbi, & quando illud vſurpatur? Pro puero iſto oraui & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulaui eum: idcirco & ego commodaui eum Domino.

Allegoria de Elcana & Anna. Hugo Victo. in 1. Re. ca. 1. Pſalm. 11. Eccl. 27.

INGENIOSE ac prudenter hunc Elcanæ ac Annæ partum primogenitum concionatori accommodat Magiſter Hugo Victorinus. Elcana, ait Dei poſſeſſio interpretatur. Prædicator eſt, quem Dominus poſſidet, qui animi virtute vir dicitur. Et vnus non mobilis, non vagabundus, ſed firmus, & inconfuſus. Sic vnus Deus dicitur, non numero, ſed quia non mutatur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Talis eſt Sapiens: nam inſipiens ſicut luna mutatur. Fenenna & Anna, actiua & contemplatiua vita ſunt. Fenenna fœcunda in filiis & filiabus. Actiua fortia gignit opera & infirma. Fenenna interpretatur, conuerſio: quia actiua ad actiones, quibus proſit proximis neceſſe eſt, vt ſolicite conuertatur. Actiuæ vitæ eſt panem doctrinæ eſurienti tribuere, errantem corrigere, ad humilitatis viam ſuperbum reuocare, infirmantis curam gerere, quæ ſunt ſingulis neceſſaria diſpenſare. Anna interpretatur gratia, quia contemplatio habetur per gratiam. Hæc eſt ſterilis, quia cum eam, prout eſt nullus penetrare valeat, nullus quid in ea ſentit prædicare ſufficiat, contingit, vt eam prædicando nemo plures filios gignat.

Contemplatiua munus.

Contemplatiuæ munus, caritatem Dei & proximi mente retinere, ab exteriore actione quieſcere, ſoli deſiderio conditoris inhærere, vt nihil de exterioribus agere libeat. Qui vult effici poſſeſſio Dei has duas ducat vxores, actiuam prius, contemplatiuam deinceps. Præcipue Doctor ex amplexibus Fenennę tranſeat ad amplexus Annæ: vtrique partes tribuat virtutes virtutibus ſubnectens. Addamus: Primogenitum ex Anna Samuelem, id eſt poſtulatum à Domino eidem iure commodati, ac titulo, quam quo optimo conſecret. Pro puero iſto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulaui eum, & idcirco ego eum commodaui Domino.

Primogenitus Deo commendandus.

D. Gregorius Papa legit, *commendaui*, & ad mores non inutilia ſubiungit in hæc verba: Diuina gratia ad hoc ſanctæ Eccleſiæ filios tribuit, vt eos doctrina veritatis inſtituat, bonis moribus exornet, pia ſuper eos cuſtodia vigilet: à malo declinare perfecte faciat, & ad æternam patriam ſufficienté bonorum operum copiam præ-

parer

patet. Hæc profecto miniſterii paſtorali s ſunt, ſed electus Prædicator ea ſuis viribus implere poſſe diffidit. Quia igitur nec ſua virtute aliquos per Euangelium poteſt gignere, nec quos generat cuſtodire, recte per Annam in Eccleſiæ typo nunc dicitur: Oraui & dedit mihi Dominus petitionem, quam rogaui eum: idcirco & ego commendaui eum Domino. Nam vt gignere poſſit obſecrat, & vt hi quos orando obtinet in ſancta conuerſatione permaneant eos item omnipotenti Deo precibus commendat. Et quia ab iiſdem precibus nunquam deſinit, cunctis diebus ſe commendare filium Deo dicit. Cunctis namque diebus Domino filium commendare eſt, ei pro ſalute, quos generat, omni huius vitæ tempore ſupplicare. Dies namque, quibus Domino commẽdamur, tempora præſentis vitæ ſignificant. In quibus profecto diebus tanto validioribus diuinæ protectionis auxiliis indigemus, quanto grauioribus ſpirituum malignorum tentamentis impetimur.

Qvia vero, addit idem Pontifex in pleriſque codicibus, non commendatus, ſed commodatus legitur, à bono intellectu non vacat. A matre quippe Eccleſia in hac vita filii commodantur. Quicquid vero commodamus id reddi nos in fide excipientis expectamus. Dies vero virtutum ſpiritualium claritates ſunt. Quibus profecto diebus Annæ filius Domino commodatur, quia ei ſancta Eccleſia electos offert in claritate virtutum, vt eos poſtmodum ad augmentum ſui æterni gaudii ſibi Omnipotens Deus exhibeat in ſplendoribus præmiorum. Et notandum, quia omnibus diebus commodandus aſſeritur, vt ei de eo, quod habendum eſt de ſpirituali conuerſatione nihil deſit, quem Prædicator electus in æterna vita recipere tenebroſum ex aliqua parte non poterit. *Eccleſia commodat filios.*

Sed quem terminum habebit hæc Deo facta commodatio? Commodatum enim apud Legumperitos diuiditur ratione temporis. Aut enim datur ad certum tempus expreſſum: vt ſi tu mihi commodes equum ad tres dies; aut ad certum tempus quidem, ſed tacitum vel implicitum: vt, commodabo tibi librum vt eum transcribas. Tempus, quo Deo commodatum relinquendum, certum eſt, & expreſſum eſſe debet: videlicet quam diu Deo placuerit. Ita ab Anna factum videmus, quæ hanc formulam præſcripſit: Ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino: id eſt, omnibus diebus quibus Deus voluerit eum eſſe ſibi commodatum, nimirum, vt Domino miniſtret. Siquidem eo tempore, quo Dominus voluerit eum viuere, ei commodatus manebit. Anna enim vouit ac obtulit filium pro tota vita. Deus ergo ſciebat, vt Epiſcopus Abulenſis commentatur, quod quamdiu vellet dare vitam tamdiu eſſet illi commodatus, nec volebat amplius eſſe commodatum, hic ampliſſimus eſt terminus. *Quamdiu Deo commodandum* *Abulenſ. Quæſt. 29.*

Angvsti autem eſſet animi, & diuinarum rerum prorſus ignari, vel Deo in commodato leges præſcribere, liberalis ac periti ſine vlla conditione, modo, limite ad ipſius voluntatem omnia offerre. Nouit ipſe probe quamdiu vti conueniat, nec diutius, quam tibi expediat, vſuram rerum tuarum capiet. Quam tibi expediat dico. Eſt enim illud inter cõmodatum, quod nos Deo offerimus, & quod ille nobis tribuit diſcrimen. Quod commodatum Dei in gratiam eius tantum qui accipit, dirigatur: id eſt, hominis, non in dantis: At commodatum hominis in Deum tralatum vtilitatem ſolius dantis ſpectet. Quare ſiue tu Deo commodes, ſiue Deus tibi, ſemper tua res agitur: tibi ſeritur, tibi metitur. Magno itaque liberalique animo ſine vlla reſtrictione primogenitum tuum Deo offer ſolenni *Ad voluntatem Dei commodandum.*

illa

Digitized by Google

illa votum perſoluentis Annæ formula Ego commodaui eam Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino, nimirum in perpetuas æternitates.

NOTÆ

DE CONTRACTV COMMODATI.

§. MVNERA Deos placant.] Plato lib. 3. Polit. Δῶρα θεοὺς πείθει καὶ αἰδοίους βασιλῆας.

Cum Diuis flectunt venerandos munera Reges,

Sed tu, ne de te dicatur.

Dum me captares mittebas munera nobis:
Poſtquam capiſti das mihi Ruffe nihil.
Vt captum teneas capto, quoque munera mitte,
De cauea fugiat ne male paſtus aper.

Martial. L. 9.

Sed & munera excæcare prudentes, ac ſubuertere verba iuſtorum habes Deuter. 23. 8.

§. PRIMOGENITVM *excellentiſſimum.*] Lege Tiraquellum de iure Primogenituræ in Præfat. à num. 19. Ioann. Lecirier, de Primog. Q. 13. Lib. 1. Gulielmum Barclaium lib. 3. contra Monarchomachos.

§. PRIMOGENITVS, *Primarius*, *Princeps.*] Iob. 18. 13. *Primogenita mors*, ſignificat principem mortis qui mortis habet imperium. Quidam intelligunt principem præfectumque Erebi. Alii primogenitam mortis, id eſt morbum grauiſſimum, dolorem mortiferum. Caietanus mærorem, quem mors in animo gignit primo: quilibet enim triſtatur, cum ſe moriturum cogitat. Nonnulli primam infirmitatem. Cum enim omnes morbi ex pœna mortis ſint prima infirmitas videtur primogenita mortis, & maioris acerbitatis. Alii Primogenitam mortem, acerbiſſimam, funeſtiſſimam, præcipuam, principem cruciatu, ſenſuque doloris interpretantur. Lege quæ diximus Lib. 1. Symbolorum Mortis commentatione 38.

§. PRIMOGENITVS *Superiorum*, *Concionatorum &c.* Debet Concionator animas non ſecus, ac filios complecti, eas pie ac ſolicite generando, ac genitas parturiendo vt Paulus faciebat: editas educando, ornando, & ad omnem virtutis ſtatum gradumque euehendo. Non enim patris ſolum eſt generare: ſed ipſos etiam genitos educare, & multos ferre labores, quos educatio habet adiunctos. Vt parentes filiæ curam gerunt, quouſque in matrimonium collocetur. Nec parturitio eſt ſine dolore ac labore matris, quæ parit: eodem modo, haud voce ludicra ac feſſa generantur filii ſpirituales, ſed gemitibus multis ac precibus, Carolus Regius lib. 2. de Orat. Chriſtiano cap. decimo.

S. Bonauentura cap. 8. in vita S. Franciſci: Animas Chriſti Ieſu ſanguine precioſo redemptas cum cerneret inquinari aliqua ſorde peccati, tanta miſerationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam mater, in Chriſto cordie parturiret.

S. Greg. exponens illud Iobi, Nunquid parturientes ceruas obſeruaſti? quærit cur ceruas potius prædicatores quam ceruos vocet: Quia, inquit, illi vere Doctores ſunt, qui cum per rigorem diſciplinę Patres ſint, per pietatis viſcera eſſe matres nouerunt: qui labores ſanctæ conceptionis tolerant, & perferendo, Deo filios intra vterum caritatis portant, in edenda enim prole plus matres laborant.

COM-

COMMENTATIO XLIV.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM, ex Contractu Pignoratitio.

Dominica XVII. poſt Pentecoſt.

In qua demonſtratur quotuplici Pignore, ad ſpei, ac fiduciæ humanæ firmitatem Deus promiſſiones ſuas ſanciuerit. Signatè autem & copioſiùs agitur de Euchariſtiâ, Pignore Salutis, Amoris, Vnionis, Gloriæ.

Chriſtus cuius filius eſt? Matthæi 22. 42.

Accommodari poteſt Dominicæ infra octauam Corporis CHRISTI.

Lemma.

O ſacrum conuiuium in quo CHRITVS ſumitur: & gloriæ futuræ nobis Pignus datur.

PIGNORATOR DEVS.

CVM Deus non ſit quaſi homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur, improbi eſſet, ac infidelis, vel inſanientis potius, aut, vt mitiſſime dicam, nimis de Deo humiliter ſentiret, qui ab eo, dum quid pollicetur, ſeu, cum liberali promiſſione debitorem ſe conſtituit, Pignus, aut hypothecam ad debiti ſecuritatem exigeret, neque alio modo illi quicquam credere vellet. Siquidem pignoris neceſſitas, vnde actio pignoratitia, inducta eſt inter homines, de quorum veracitate, fidelitateque, ac conſtantia (Quoniam omnis homo mendax) ſemper aliqua ſuboriri poteſt dubitandi ratio, tum, vt certa, firmaque ſit creditoris ſpes de ſolutione debiti: tum, vt debitor eo faciliùs quibus indiget nanciſcatur. Quapropter pignus, in eoque fundatum contractum, vtriuſque gratia, nempe, creditoris, ac debitores celebrari leges ſtatuunt, vt conſtat ex Inſtitut. Iuſtiniani, *Quibus modis re contrahatur obligatio.* §. *Creditor.*

Deus fidelis & verax. *Num. 29. 19.* *Neceſſitas Pignoris vnde?* *Ad Rom. 3. 4.*

TAMEN, vt agnoſcas incredibilem tanti Numinis ad homines nouis ſemper titulis ſibi deuinciendos, liberalitatem, non ſat illi fuit, cauiſſe nobis adfirmatione, ſponſione, ſtipulatione, totque aliis à nobis hactenus enarratis pactionibus, & contractibus, Pignus etiam addere voluit: *Dedit pignus ſpiritus*, inquit Paulus, *in cordibus noſtris.* Et quodnam illud? CHRISTVS ipſe, de cuius excellentia, quia in hodierno Euangelio potiſſimum tractatur, vbi cum humanitate, humilitateque eius ſtabilitur diuinitas, ac maieſtas, nobis de pignoratitio inter hominem & Deum contractu, actioneque ampliſſimum commentandi campum aperuit, quem vna hac horula decurrere difficillimum erit. Ingrediemur tamen, ductore, & auſpice Chriſto, & aliquo vſque expatiabimur, metam alio tempore viſuri.

Deus off. re Pignus. *2. Cor. 1. 22.*

PIGNORE Deum ſibi homines obligare voluiſſe aſſerimus. Ad quid? dic obſecro: qua fini? Nonne *fidelis eſt* Deus? *Seipſum negare non poteſt.* Deus *multæ miſericordiæ & verax. Impoſſibile eſt mentiri Deum. Non mentitur Deus.* Quamobrem igitur, ſi deb torem ſe ſponte conſtituit, ac verbo firmauit opus eſt pignore? In ſolo Deo fidu-

Quare Deus Pi. nus offerat. 2. Tim. 2. 13. Pſ. 85. 15. Hebr. 6. 18. Ad Tit. 1. 2.

Lib. 2. Strom. fiduciam habuimus, ſapienter, inquit Clemens Alexandrinus, quem ſcimus non tranſgreſſurum ea, quæ ſunt pulcre nobis promiſſa. Sed nimirum, infirmitati humanæ ſubuenire placuit, & omnem excuſationi viam præcludere, ac immenſam ſpem, fiduciamque augere. Quod preciosiſſimo pignore nobis adſignato Deum feciſſe explicare aggrediamur.

Chriſtus Pignus multipliciter. PIGNVS illud, vt claritatis cauſſa ſcopum figam, CHRISTVM dicimus, ſed multifariam. *Primo*, in ſpecie propria, qua Dei filius erat. *Secundo*, in ſpecie aliena, quatenus ſub integumentis ſacramentalibus deliteſcit. *Tertio*, in effectu multiplici, quatenus hominibus varia chariſmata communicat. Vt primæ conſiderationis ratio innoteſcat, principium ducatur à re longe maxima, & in qua bonorum omnium, quæ humano generi obtigerunt hactenus, vel obtingere potuerunt eſt fundamentum, Amore diuino, non erga hunc vel illum particim, ſed generatim erga humanam ſocietatem, quæ omnes complectitur. Hunc Deo eſſe ardentiſſimum nulli diuina contemplanti poterat eſſe dubium: fore perpetuum æque certum erat. Quis de eius erga nos amore dubitaret cui in mentem veniebat, ab eo non niſi bonitate ac amore impellente conditam hanc mundi molem, quam vniuerſum dicimus? eandem tot tamq; diſtinctis naturarum formis locupletatam, & adornatam: iis omnibus hominem vt rerum Principem præpoſitum, intelligendi acumine, volendi virtute, memorandi facilitate ac tenacitate, dominandi potentia præditum. Hunc vero nunquam à benefico Numine derelictum, ſed perpetuo in periculis omnibus adiutum, & nouis beneficiorum auctibus locupletatum. Vt

Pignus Amoris effectus. *Ioan. 3. 16.* tamen nulla, vel in maxime peruicaci oriretur dubitandi ſuſpicio, Pignus addere voluit, quo certitudo ſtabiliretur. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, Ioannis tertio. Daret, non ſolum, vt Parentem, quo regenerarentur omnia: tanquam Reformatorem, quo refloreſcerent vniuerſa; tanquã medicum, quo ab infirmitate reſurgerent cuncta interitui obnoxia. Daret, non tantum, vt Doctorem, qui ignorantiam diſpelleret: vt mercatorem, qui perſoluto litro redimeret: vt Regem, qui inimicorum poteſtati ſubduceret. Daret non modo, ceu precium, quo emeretur: ceu cibũ quo reficeretur ceu lumẽ quo illuſtraretur: ſed etiam tanquam Pignus, quo amoris diuini firmitas comprobaretur. Dubitet nequiſpiam de Dei erga ſe amore cum filium non hominis Dauidis, ſed Domini Dauidis: non quemuis filium, aut vnum è multis, ſed vnigenitum, in quo omnem amorem ſuum collocauerat Pater æternus, Pignus dederit, primo quidem Iudæis, quibus aliquid ex fœdere debere videbatur, tum Gentibus ad fœderis ſocietatem adſcitis?

Chriſtus amoris Pignus. ATQVE ita rectè CHRISTVM PIGNVS AMORIS dixeris. Nam, vt liberi, quia videntur tanquam Pignora inter virum, & vxorem eſſe: ac proinde firmiſſima quædam inter coniuges perpetui amoris, ac indiſſolubilis coniugii quaſi vincula, idcirco dicuntur Pignora: haud ſecus Chriſto, quia inter hominem ac Deum conſtitutus eſt, tanquam indiſſolubilis quidam amoris nexus nunquam interituri (Ipſe enim eſt pax noſtra, qui reconciliauit mundum Deo: ipſe qui fecit vtraque vnum) Pignoris denominatio haud malè adſcribitur.

Pignus à pugno. ACCIPIAMVS cum gratiarum actione hoc Pignus, & non tam pugno, à quo pignus dictum, quam mente, animoque complectamur, & ſtringamus, ſecuri, quam diu eius copiam habuerimus debitam amoris ſummam nobis certiſſimè perſoluendam. Magnum profecto PIGNVS, & maius multò, quam leges hu-

mane

manæ dari permittant. Quarum conſtitutionibus homo liber, qualis Chriſtus nequit pignori ab altero dari. c. ſecundo, De pignor. L. *Qui filios.* C. *Quæ res pignori obligari poſſunt.* Sed amoris diuini immenſitas humanarum legum anguſtiis ſe circumſcribi non patitur. Quantus amor? non gemmam aliquam, vel vnionem ex lapillorum genere, ſed vnigenitum filium in hominum gratiam pignorauiſſe. Neſcio quid eximium ſe attuliſſe putauit hiſtoricus de Vitellio, quod ex aure matris detractum vnionem pignorauerit ad itineris impenſas. In noſtrum commodum è ſinu proprio emiſſum gnatum pignorauit Deus. *Pignorare, pignori opponere. Sueton. in Vitellio.*

Est igitur Pignvs Chriſtus illum in propria ſpecie imperio digna contempleris, ſiue pignus ſumas, pro nexu ipſo, ac vinculo: quomodo quæri ſolet, quibus rationibus pignus ſoluatur: eſt enim Chriſtus non tantum ſequeſter inter nos & Deum, ſed etiam nexus, ac pax noſtra: ſiue pro re obligationi oppoſita: quomodo dicitur pignus creditori traditum, venditum, diſtractum, pignus idoneum, legitimumque. Vt autem eundem in aliena forma Pignus habeas, *Chriſtus Pignus in propria ſpecie.*

Adverte: Amoris illius diuini effectum eximium, quem poſt tot collata in homines beneficia in vnicè ſibi caris operatur, eſſe vitam æternam, quam cœlorum regnum appellamus. Habet autem illæ debitæ mercedis rationem: in patuulis quidem ſolius meriti à Chriſto capite deriuati: in adultis verò propriarum etiam operationum. Sed quis miſeriarum ſuarum conſcius tantum felicitatem ſibi certò dandam perſuadere poſſet, niſi *Pignus* accepiſſet, quod *Remunerationis* non malè vocabitur. Quodnā illud autem? dicet Eccleſia, quæ ſobrie ebria myſtico illo ex vinea Engaddi ſpumante poculo, in laudes cōuiuatoris ſui quidem conuiuia acepulum, effuſa, inter alias ſuauiſſimas cœnaculi cœleſtis odas hanc etiam voce tremula ſolet accinere: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſsionis eius: mens impletur gratia, & futuræ nobis gloriæ* Pignus *datur!* *Amoris diuini effectus Vita æterna. Pignus remunerationis.*

Sed quam Pignoris rationem habet Chriſtus ſub Euchariſtica ſpecie? Hic attentionem ſingularem illorum, qui huius Sacramenti ſunt amatores eximii deſidero. Pignus ſi nomen ſpectes dictum eſt, quaſi à pugno, vel pugillo, quia res pignori data pugno pugilloue capitur: & quia, quæ dantur pignori manu traduntur. Nonne vobis Chriſtus in tantilla panis ſpecie, tanquam in niueo coriandri orbiculo deliteſcens Deus abſconditus, cœleſtis tritici tantulum videtur, vt pugillo capi, & contineri poſſit? Delitias verborum hodie non conſector, ſed rerum, illiuſque cuius ſunt delitiæ, delitiari ſub candenti frugis modicæ nubecula cum filiis hominum. Fallor, niſi hoc ſignificatum ſit à magno Pignoris huius admiratore & laudatore Dauide, qui torquens oculos ſpiritus in albicantem illam è tritici flore placentulam, verticibus Sacerdotum, vt montium cacuminibus, innatantem ſtupore penè in ecſtaſim raptus illa dulciter modulabatur. *Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei.* Pſalmo 71. *Et erit firmamentum in terra in ſummis montium: ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.* *Pignus. Pugnus. Pugillus.*

Hæc de Meſſia cantari nullum eſt dubium. Is, inquit Dauid, *viuet*: poſtquam per glorioſam mortem nos redemerit: *Et dabitur ei de auro Arabiæ*: nempe precioſis muneribus coletur. *Et adorabunt de ipſo ſemper*: hoc eſt, redempti ab ipſo adorabunt pro ſalute, quæ ab ipſo eſt, toto die: id eſt, aſſidue benedicent ei, laudabunt, & glorificabunt. Quamobrem tam aſſidua laudatio inſtituetur? Cauſſa ſubiungitur: *Et erit firmamentum in terra in ſummis montium.* Particula Et, cauſſalis eſt, valetque, *Senſus Pſalmi 71.15.* NOTÆ.

 quia,

Digitized by Google

quia, quoniam, ideo : hoc ſenſu : idcirco adorabunt, ac benedicent cotidie quia ipſe erit firmamentum in terra in ſummis montium : aut per metonymiam, erit firmamentum, pro in firmamento. Sed quid hoc ad Pignoris, pugniue, vel pugilli denominationem ? multum equidem : percipite.

Firmamentum. Fragmentum.

QVOD nos legimus, *Firmamentum* : proprie in Hebræo eſt *fragmentum*, aut particula frumenti : aliqui vocem originalem vertunt, denſitatem : erit denſitas tritici : nonnulli, varietatem frumenti : Kaldæus habet, ſubſtantificus panis. Sed ad rem noſtram facit, quod idiomatis ſacri peritiores notant, loco frumenti, recte ſubſtitui, *pugillus*, aut *vola tritici* : ſic enim vertunt Hebræam vocem. quid clarius pronunciari poſſet ? Nec deeſt è Rabbinis, qui legit, *Placentula frumenti* ; aitque Magiſtros Hebræorum expoſuiſſe, ſermonem eſſe de placentulis futuris in diebus Meſſiæ. Quæ ſit autem hæc placētula, vel pugillus, explicat Hieronymus, qui vertit, *Memorabile triticum* : nimirum, illud in quo memoriam fecit Deus mirabilium ſuorum. Et ex quo eſt panis noſter ſuperſubſtantialis, qui eſt firmamentum, non tam corporis, quam animæ, cuius vires confirmat. Belle itaque Chriſtus in Euchariſtia vere pugillus electi tritici, cum Pignore conuenit, quod pugno capitur. Quod gentilitio ritu adumbrant ſacerdotes Græci : qui cum in fermentato ſacrificent, particulam conſecratam in manus vola, tanquam pugno detinent, & inde ad os transferunt.

Pugillus Vola.

Pignoris duplex acceptio.

IAM vero pignoris nomine deſignatam rem nō minus apte Chriſto in Euchariſtia latitanti accommodari ex rei ipſius natura deſumendum eſt. Pignus autem bifariam accipitur. *Primo*, pro eo, quod emptionis, locationis, conductioniſue nomine datur, vt conſtet fides de pretio. Græci ἀῤῥαβῶνα dicunt. Verbi cauſſa, conducis equum, vel ſcapham, vel Tuſculum proficiſcaris, ne fidem fallas, locator aſſem petit, tanquam pignus contractus. Vadis ad forum : emis bouem, vel porcellum : venditor ſecuritati ſuæ numum petit, donec reliquum pecuniæ adferas. Hoc Arrha quoque Latinis dicitur ; videturque eſſe πρόδομα quoddam. & veluti ἄγκιστρον, ac ſi dicas, hamum, videlicet quo reliqua pecunia ſoluenda attrahitur. Hoc autem minoris ſolet eſſe pretii, quam quod perſoluendum ſupereſt. *Secundo* ſumitur Pignus pro eo, quod creditori traditur cautionis vice, vt in tuto habeat rem ſuam debitori creditam. Quia tutius eſt pignori incumbere, quam in perſonam agere, vt dicitur, *Inſtitut. De obligatio. Quæ ex delicto naſcuntur.* §. *Furti.* Et plus cautionis in rem eſt, quam in perſonam, *Leg. plus cautionis* Digeſt. De regulis iuris.

Arrhabo. Caparra.

Arrha.

ITAQVE Pignus vocatur omnis illa res, quæ creditori pro debito obligatur, & traditur. Vnde ſicut depoſitum datur ad cuſtodiam, ſic Pignus creditori ad cautionem, vt in tuto ſit debitum contractum, *Inſtitut. Quibus modis contrahatur obligat.* §. *vlt.* Differt autem Pignus ab hypotheca. Quod hypotheca in iure Cæſareo, proprie ſit res obligationi ſubiecta, quamuis non ſit creditori tradita poſſeſſio : Pignus ſit res non ſolum obligata, ſed etiam tradita creditori, L. *Si rem alienam*, *Digeſt. De pignoratitia actione.* Et L. *Plebs*, §. *Pignus.* Digeſt. *De reg. iur.* & *Inſt. De actionib.* §. *Item ſeruus.* Quocirca Pignus conſiſtit in rebus mobilibus, vel ſe mouentibus, quæ tranſeunt ad creditorem : hypotheca in immobilibus, quæ manent penes debitorem, ſed creditori ſunt obligatæ ac obnoxiæ. Aliquando tamen pro eodem capiuntur. Exempli gratia. Indiges centum aureis, nec ſpes eſt habendi, niſi oblata re aliqua : detrahit tibi annulum, vadit ad trapezitam : dicis, da mihi mutuo centum ; hunc anulum

Pignus Creditori datur. Pignus & Hypotheca differunt.

anulum pignori oppono. vel ædes tuas illi adſignas: & da mihi, ais, ſuper his centum: reddam fideliter definito tempore. Vnde in L. Si res *hypothecaria*, §. *Inter pignus*. Digeſt. *De pignor. & hypoth.* habetur; inter pignus & hypothecam tantum quoad nominis ſonum eſſe diſcrimen. Eſt autem *Pignus* & *Hypotheca* ferè maioris precii, quam id quod à debitore perſoluendum eſt.

Chriſtus quomodo Pignus.

QVOD ſi priorem Pignoris acceptionem ſpectemus: Notandum, Deum omnium ſuorum bonorum ſe debitorem homini ſponte conſtituiſſe. Sed cum totam hanc ſummam ſimul dare haud conueniret, dediſſe vnam quandam illius partem, tanquam Pignus, vel arrham, quæ reliquas ceu hamus facilè attraheret. Et hoc eſt Chriſtus in Euchariſtia. Præclara ſunt ad huius rei intellectum illa Pauli Apoſtoli: *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam omnia cum illo nobis donauit?* Rom. 8.32. Et alibi, *Omnia veſtra ſunt*, inquit. 1. Cor. 3. 22. Certè nondum beatitudinem, in qua donorum eſt maxima portio conſequuti ſumus, quomodo ergo omnia donauit? Donauit profectò omnia, dum Filium, tanquam in aureo numo incluſum precium infinitum, Pignus obtulit. Donauit in Pignore: S. Thom. 1. 2. q. 114. non actu, ſed virtute, diceret Theologus. Sic emiſſe dicitur equum, qui arrham tantum ad ſtabiliendum contractum obtulit.

Chriſtus Pignus creditori datum.

ALTERA Pignoris acceptio non habet minus iucundam contemplationem: ſi reducatur in memoriam, quod alibi à nobis eſt demonſtratum: Chriſtum Dominum, iuſtæ emptionis titulo, perſoluto etiam precio, futuram gloriam hominibus obtinuiſſe, illamque fidelibus propriorum quoque operum intuitu deberi. At quoniam illa non ſtatim datur, Pignus interim relinquit Deus Eccleſiæ vniuerſæ, in eaque ſingulis, quo pleniſſimè nobis cautum ſit, nulla nos ſolutionis parte defraudandos: nempe, viuificum Euchariſtiæ pugillum. O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur & futuræ gloriæ nobis pignus datur. In tuto eſt noſtrum debitum, quam diu hoc Pignus conſeruamus: nam illud ipſum debito eſt precioſius, & excellentius: neque enim futura gloria, nobilitate, aut præſtantia, cum Euchariſtiæ excellentia comparari poteſt, cum in hac auctor gloriæ contineatur: & ſit totius bonitatis ſumma, ac infinitæ poteſtatis compendium. Idem hic concipe, quod fieri ſolet, cum tibi debitor pro minuta pecunia aureum numum pignori opponit.

Quanta ſecuritas ſit in hoc Pignore.

Ex his collige magis cautum mortalibus hoc Pignore, quam vlli creditori re quauis precioſiſſima caueri poſſit. Eſt enim inter hoc & reliqua Pignora diſcrimen: quod alia, licet vim habeant moralem, vt loquuntur Theologi ad cogendum debitorem, vt tempore ſignato exſoluat: quæ vis eſt etiam in ſyngraphis, & iuris aliis inſtrumentis: tamen ipſa phyſicè id, quod debetur, nequaquam poſſunt efficere. Quod ſi poſſent, non minus pignoris traditione, quam debiti ſolutione, quilibet contentus eſſe deberet. At Euchariſtia ita eſt futuræ gloriæ Pignus, vt illam ipſam vere realiterque efficiat: illum enim continet, qui bonorum omnium cum ſit auctor, futuræ quoque largitor eſt felicitatis.

Pater quando poſſit filium pignori opponere.

SED quomodo Pater æternus filium pignori opponat, cum Leges vetent pignus liberi hominis? Hic mihi in mentem venit Lex illa Cod. De patribus, qui filios diſtraxerunt, eſtque prima: vbi dicitur, patrem in graui famis neceſſitate poſſe filium vendere, aut pignori dare.

Profectò numquam in orbe terrarum fuit tam obſcœna fames, tum panis cœleſtis, tum diuini verbi, quam olim ante Chriſti aduentum: tota ſummi Patris fa-

milia de vita periclitabatur: vnicum erat remedium, panis affatim ſubmittere & verbum infinitum mittere. Quid itaque mirum, Filium, qui & verbum, & panis tam fuiſſe venditum, quam pignori oppoſitum?

Obligatio dantis pignus. L. Quamdiu Cod. De diſtract. pign. L. Debitoris C. Debitorem venditionem impedire non poſſe.

Felices nos Pignoratores, quod tali pignore nobis auctorem beatitatis noſtræ obſtrictum teneamus. Eſt enim inter obligationes, quæ ex pignore in debitore oriuntur, quod pignus repetere non poſſit, quouſque integrum debitum perſoluerit. Neque ſufficit, ſi ſoluerit ex maiore parte: poteſt enim creditor retinere pignus pro minima etiam parte ſortis, vt leges definiunt. Hinc actio hypothecaria, quæ conuenit creditori ad pignus poſſidendum, quia eſt ſibi iure obligatum. Vnde agit in iudicio creditor, vt illud retineat acceptum, recuperet ſibi ablatum.

L. Solutum. §. Si creditoris ff. De pign. act. Inſt de actio. §. item Seruiana.

CERTI ſumus non prius à nobis bonorum omnium liberaliſſimum largitorem, ſacramentalibus integumentis obuolutum, ex pignoris lege, auferendum eſſe, quam vultus ille pulcherrimus, illa illa facies, theatrum felicitatis, cuius vnius intuitu beantur cælitum ſpiritus, nunc tanquam arca olim pellicularum tegmine velata, tandem aliquando retegetur, & perſoluto gloriæ debito, promiſſam nobis, & Chriſti, ac noſtris partam laboribus felicitatem perfectam obtineamus. Ad hoc ſpectabat Chriſtus illis verbis, quibus Apoſtolos digrediens, conſolabatur: *Ecce ego vobiſcum ſum cunctis diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Erat futurus haud dubie, etiam poſt ſeculi conſummationem cum iis: ſed non velata facie, tanquam *Pignus*: at reuelata, tanquam merces & præmium. Ideo monet, vt metum ponant, in pignoris lege ſecuri, cum illud nonniſi adnumerato precio auferendum ſit.

Matt. 28. 20.

Prima obligatio pignoratoris. Cuſtodia.

VERUM ENIMVERO, vt debitorem obligat pignus, ne illud ante tempus auferat: Ita prima obligatio eius, qui pignus accepit, eſt, vt diligenter curet, ne pereat: aut deterius fiat. Cogitur enim damna pignoris compenſare. Leg. *Si cum venderet.* §. *venit autem.* Digeſt. *De pignorat. act.* L. *Prætor.* §. *Præterea.* Digeſt. *De bonis auctor. iud. poßiden.* Pignus accipis futuræ gloriæ, Adoleſcens, quoties ad diuinam Euchariſtiæ menſam accedis, & communicas de corpore & ſanguine Domini: adhibe diligentiam, vt Pignus tam precioſum retineas: cura ſolicite, ne pereat, aut deterius fiat. Conſeruatur autem cordis munditia, & puritate: ſingulari in Deum, diuinaque affectu: orationis fragrantia: meditationis aſſiduitate: obſtinata ſenſuum omnium; ſed maxime oculorum ac oris cuſtodia. Euaneſcit illico, & ipſum Pignus, & eius fructus, qui alioqui diutiſſime remanere ſolet, commiſſo in Deum crimine, ad quod diſponitur poſt ſynaxin participatam ſalutis ſuæ negligens, mentis ac ſenſuum euagatione: ocioſa, & multo magis inhoneſta colloquutione: fabulamentis inutilibus, riſu, cachinnis, in templis præſertim, in quibus pignoris huius diuini eſt thronus & cuſtodia.

Quorundam negligentia.

Improbitas.

Hic acriter ac ſeuere illa adoleſcentum caſtiganda eſſet vanitaſne, an improbitas, qui vix à ſacra menſa regreſſi, oculos in omnes partes curioſe coniiciunt: nullam temporis particulam internæ recollectioni donant: nihil mentali precationi, vocali nihil: quieti quid parum. Nec ſatis eſt, circumſpexiſſe: circumeunt etiam, ſociis ſe adiungunt, fabulantur, cachinnantur: vel è domo Dei illico ſe proripiunt. Quid ſi etiam ante ipſam aram in conſpectu ſui iudicis omnia intuentis obſcœna meditentur, aut nefaria verſent? Eodem certe quo Deo ſunt pacti, die, quod horrendum dictu, & non ſine gemitu, ac lacrymis proferri deberet; eodem die, quis cre-

credat? Tu Deus miſericordiarum, Pater ignoſce, quo Deo ſuo ſaginati, blaſphemiis in illum ipſum Deum linguis, vt arcubus benè curuatis, conuitia tanquam ſpicula vibrant: nec in vanum Dei nomen ſumpſiſſe contenti, eodem die, quo medulla Diuinitatis nutriti ſunt (vix me contineo, quin vindictam à Numine flagitē, & funeſta capita diris deuoueam) eodem die, repeto, quo deiformes effecti: quis diſſimulare Deum amplius poſſe exiſtimet? eodem die, quo cœleſtibus epulis admoti, donorum diuinorum participes ſunt facti, in Deum conuerſi, vt rabioſi canes Dominum ſuum iurando, peierando, maledicendo: ſcurrilia, turpia, nefanda, ſcelerata proferendo, ac perpetrando dilacerant.

CLAMET licet Chriſtus vix conſumptis in ſtomacho ſpeciebus, tamdiu enim corporaliter poſt ſumptionem nobiſcum remanet: clamet dico, & miſerabiliter clamet, vt ille inter moloſſos ſuos antiquus venator *Quam indigne tractetur Chriſtus ab aliquibus.*

Chriſtus eheu ego ſum, Dominum cognoſcite veſtrum:

nihil moti, dente, lingua, vngue, calce, morſu, rictu, Dominum ſuum, quantum in ipſis, peccando dilaniant. Foris canes, porci, nebulones, venefici, impudici, homicidæ, idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium. Hoc non eſt æternæ gloriæ, ſed damnationis ſempiternæ pignus accipere. *Apocalyp. 22. 15.*

PIGNORIS lex præſcribit, vt quàm diligentiſſimè conſeruetur. Huic-ne obligationi ſatisfacere putandi, qui diuinum Pignus ſua incuria: & non ferenda negligentia ſponte perire patiuntur? Quinam illi? ſuis nominibus exprimendi ſunt: ignaui curiones, parochi, ſacellani, æditui, ſacriſtani, qui hoſtias, vt vocamus, myſtica benedictione conſecratas, & in ſacrario reconditas, ab araneis, tineis, muribus, vermibus rodi, cōminui, deuorari ſinunt, digni, qui & ipſi quamprimum vermium pabulum fiant: vel, qui, eo vſque eaſdem conſeruant, donec vermes è ſpeciebus generantur. Quod Deus interdum in tantæ deſidiæ deteſtationem, ac condemnationem permittit. Non tamen iſtiuſmodi beſtiolæ ſacramentaliter Euchariſtiam manducare ſunt cenſendi: quoniam ſpeciebus non vtuntur tanquam ſigno. Vt ſi bibat aſellus aquam baptiſmi, non bibit baptiſmum. Exiſtimat autem S. Thomas, pertinere ad veritatem Sacramenti ac fidem, quod bruta non comedant ſacramentaliter: contra quod ſentientem damnauit Gregorius Pontifex, vt refertur in Directorio Inquiſitionis. Tantoperè verò Eccleſiæ eſt curæ, vt Pignus illud ſumma cum diligentia conſeruetur, vt præcipiat, ſi hoſtiam celebrantis mus abſtulerit exenterari, atque extractas ſpecies in ſacrario reſeruari. *Negligentes in cuſtodia Euchariſtia.* *Vide S. Thom. 3. p. q. 77. art. 4. & 5.* *S. Thom q. 80 artic. 3. ad 3.* *Opuſ. 59. c. 9.* *Sot. in 4. D. 12* *Greg. 11. Directl. 3. p. q 10.* *S. Thom. q 83. art. 6.* *Rubrica Miſſal. Heinriquez lib. 8. cap. 28. & 40.*

ALTERA eius, qui pignus accipit obligatio eſt, quæ quidem ad conſiderationem noſtram ſpectet: vt ſi pignore vtatur, id non faciat, niſi cum conſenſu debitoris, & quatenus id illi gratum eſſe agnoſcit: illoque modo, vt pignus neque pereat, neque fiat deterius *L. Creditor.* Digeſt. *De pign.* Reliquit Deus Eccleſiæ Pignus futuræ gloriæ: eius vſum ſæpe non inhibuit, ſed ſuaſit, imò præſcripſit. Sic enim pignus ipſum melius redditur: non quidem ſibi, ſed nobis: id eſt plures nobis, maioresque fructus progignit. Quare ſicut concedunt Leges, vt creditor locare queat prædia ſibi titulo pignoris obligata, quia prædia reddi ſolent meliora per culturam, & vtiliora: pari ratione domus hypotheca ſuppoſita locatur, quoniam ædificia, niſi habitentur deformantur. Ita Deus vſum nobis euchariſtici pignoris permittit, modo tamen à ſe præſcripto. *Secunda Pignoratoris obligatio.*

QVIS autem iſte modus? Docet eum breuiter Paullus: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*: id eſt, pignore vtatur, 1. ad Corinth. 2. Quo præſcribitur, *Modus vtendi pignore Euchariſtico.* *1. Cor. 2. 28.*

bitur, Interprete Theodoreto, vt quilibet ſuiipſius iudex ſedeat vitam ſuam accuratè expendat, conſcientiam luſtret & exploret, ſcruteturque ſagaciter. Addit Chryſoſtomus nefas eſſe, pignore ſacramentali vti, niſi quis prauas cupiditates, aut fregerit aut edomauerit. Quamobrem communis eſt omnium Patrum ſententia, ante huius vſum pignoris, id eſt, ſacræ Euchariſtiæ perceptionem, neceſſariam eſſe ei, qui ſit lethalis criminis conſcius, pœnitentiam. Quocirca Leo Pontifex epiſtola ad Theodorum Foroiulenſ. *Mediator*, inquit, *Dei & hominum homo Chriſtus* IESVS *hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent*. Ac Cyprianus ſermone de lapſis, cum multa in hanc ſententiam diſputaſſet, concludit tandem. *Ante expiata delicta ante exomologeſim factam criminu, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidem verbis fallacibus venditant*. Eodem modo loquuntur DD. Baſilius *a*, Chryſoſtomus *b*, Auguſtinus *c*, Gennadius *d*, Anſelmus *e*. Itaque Concilium Tridentinum Seſſione 13. c. 7. & Can. 11. grauiſſimis verbis declarat, ante Euchariſtiæ vſum conſcientiam pœnitentia ac confeſſione expiandam eſſe.

S. Leo Epiſt. 91.

Cyp. Ser. ad Lap. libr. 3. Epiſt. 14. 15. 16. 18.

a In qq. breuior. 172. lib. 1. de Bap. c. 3.

b Hom. 30. in Gen. Hom. 10. & 83. Matth. Hom. 3. ad Eph.

c Epiſt. 118.

d De Eccleſ. dogm. cap. 53.

e Anſel. 1. Corinth 2.

f Confeſſio communioni præmittenda.

f Quæ fuit ſemper antiquiſſimorum Patrum ſententia, ac totius Eccleſiæ traditio. Quamobrem ſcribit Euſebius *g* lib. 5. hiſtoriæ, cum Philippus Imperator ipſo Paſchatis die Euchariſtiæ particeps fieri vellet fuiſſe illum ab Epiſcopo reiectum donec inter pœnitentes more ceterorum pœnitentiam ageret. Idem accidiſſe Theodoſio adſirmant Theodoretus, *h* in hiſtoria, & Paulinus in Ambroſii vita: ipſeque Ambroſius *i* in Epiſtolis: idque apud Romanos ſanctè fuiſſe obſeruatum teſtatur Sozomenus *k*. Huc pertinent plurima Patrum ſanctorum teſtimonia, quæ ad pignoris huius vſum exigunt puram & caſtam conſcientiam. In Græcis quidem liturgiis clamat Diaconus, *Sancta Sanctis*. Qua formula, vt obſeruat Chryſoſtomus *l* omnes peccatores excluduntur.

g Lib. 5. c. 17.

h T eod. lib. 5. Hiſt. ca. 17.

i Amb. Epiſt. 28.

k Soz. Lib. 9. cap. 35.

l Homil. 61. ad popul.

m Seculi noſtri ſocordia.

m Et nos è lecto vix prorepentes ſomnolenti: ex muſeo à fabulis: è foro ſine diſcuſſione, ſine cogitationum recollectione, abſque iudicio, tanquam ad rem lubricam aut menſam profanam, & vtinam ſaltem ad menſam: ad eam enim læti plerumque cum fame, affectu alacritate properamus: ad Euchariſtiam ex vſu lege impellente, conſuetudine recepta, humano reſpectu, ne aliis deteriores videamur, vel habeamur, non tam accedimus, quam cogimur; aut inani gloria, aliaue minus recta affectione raptamur.

n Quorundam inſignis probitas.

n QVOD, vt eſt maxime improbandum: ita illorum eſt cõmendanda probitas, qui antequam ad ſacram Euchariſtiam accedant, pridie facto diligenti conſcientiæ examine, & confeſſione expiati vel abſtinentia ſeueriore deuotionem excitam fouent: vel piis colloquutione amoris diuini flammas in ſe accendunt: tum voluntaria aliqua pœna, cilitii geſtatione, humi cubatione, aut flagellorum incuſſione Deum ſibi magis propitium reddunt: ac ſi mane, aut media etiam nocte expergefacti, non niſi diuina voluentes, præmiſſa, ſi opus, reconciliatione ad cæleſtes epulas accedunt: precibus, deinde, miniſtrum, ad horæ dimidium vacant: Thoma Aquinatis exemplo alteri quoque ſacrificio aſſiſtunt: & ſi detur poteſtas ſacrificanti inſeruiunt: neque ante prandium vlla alia de re, aut loquuntur, aut cogitant, niſi quo tempore aliquantiſper litteris eſt incumbendum.

Pœna male vtentu Euchariſtia.

Hoc eſt vti pignore Euchariſtico, modo, quo à Deo debitore, qui illud nobis tra-

tradidit eſt præſcriptum. Qui ſequus facit, is non tantum furti actione tenetur, ſicut ille, qui inhumanis citra voluntatem debitoris pignore vtitur. L *Si pignus. ff. De furtis.* & Inſtitut. *De obligat. quæ ex delicto naſcuntur*: Verum etiam ſi pœnitentiam non præmittat ſacrilegii reus eſt, & æternæ damnationi obnoxius: *Quicumque enim manducauerit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quibus verbis docet Apoſtolus, vt Ambroſius monet, eum eſſe diuina beneuolentia indignum, qui aliter myſterium celebrat, quam ab eo eſt traditum. Non enim, inquit, poteſt deuotus eſſe, qui aliter præſumit, quam datum eſt ab auctore. Bene autem monet Hieronymus huc multo magis referenda eſſe illa, quæ in lege antiqua præſcripta erant per Moſen. *Omnis mundus manducabit, & anima, quæ immunda manducauerit exterminabitur de populo ſuo* Exo. 30. Quid autem ſit indigne manducare & bibere recte explicat Anſelmus, qui illum id facere aſſerit, qui ſine debita reuerentia factam Euchariſtiam percipit, quique non prius per pœnitentiam purgatus ad hoc Sacramentum accedit. Breuiſſime Theodotetus: indigne percipit, ait, qui mala conſcientia percipit.

NOTÆ.

1. Corin. 11. 27

NON eſt autem negligenda grauiſſima illa comminatio *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Hoc ſignificat, inquit, Theodoretus, quod quemadmodum tradidit ipſum Iudas, ipſi autem inſultauerunt, & eum probris, ac conuitiis affecerunt Iudæi, ita eum ignominia, & dedecore afficiunt, qui ſanctiſſimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in os pollutum, ac inceſtum immittunt. In eandem ſententiam Theophylactus: Reus, inquit, erit, qui indigne ſumit, perinde ac ſi ipſe quoque ſanguinem Domini effundat. Vt enim qui tunc pupugerunt Chriſtum, ſanguinem eius non vt biberent effuderunt: verum, vt effunderent: ſic indigne bibens, nihilque inde commodi referens, fruſtra, ac temere effundit ſanguinem. Porro Iudæi dilacerauerunt Regis clamydem: at, qui indigne manducat in lutum iſtammet clamydem, id eſt, animam ſuam proiicit. Nonne igitur par, ac minime diſſimilis eſt ignominia, propterea & ipſe huius clamydis reus eſt.

Reus mortis quid? quis?

D. Ambroſius hoc ipſum grauioribus verbis explicans: Quid eſt autem, ait, reos eſſe, niſi pœnas dare mortis Domini? occiſus eſt enim ab iis, qui beneficium eius irritum ducunt. Et Anſelmus: Fit, inquit, reus corporis, & ſanguinis Domini: id eſt, non purgationem, ſed maculam culpæ; pro qua pereat trahit, ex eo quod male accipit bonum ſacramentum corporis & ſanguinis Domini. Nec male quiſpiam huc referat, quod ad Hebræos ſcribit Apoſtolus cap. 10. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.

Cap. 10. 29.

AT fortaſſe tam frequenter vterer ſacerrimo pignore, dicet aliquis, vt merito id Pignoranti diſpliceret. Non vereatis: nunquam ad illam frequentiam accedes, quæ fuit in vſu priſcis Chriſtianæ fidei cultoribus, quibus cotidiana erat pignoris diuini vſurpatio. Tibi menſtruam, vel hebdomadariam conceſſerim. Olim fuiſſe conſuetudinem frequentandæ quotidie Euchariſtiæ, non minus, quam orationis, aut verbi diuini illa Lucæ in Actibus Apoſtolicis dubitare haud ſinunt: Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Superuacaneum autem eſſet copioſius hic agere de crebræ communionis vtilitatibus cum tam multi ac excellentes ſint in manibus huius rei tractatores.

Quam frequens poſſit eſſe vſus Pignoris.

Act. 11. 42.

Lucas Pinellus Chriſtoph. Madritius Suarez. to. 3. in 3. p. Diſp. 69 Heinriquez. lib. 8. cap. 53.

Euchariſtia Pignus amoris. *NOTÆ.* *Durantus de ritibus Eccl lib.1.c.16.* *Duran. lib.2. de rit. cap.54.* *Tho. Bozi. lib. 24. de Notis, cap.5.* a *Lib de initiandis c.7.* b *Catech. myſt.* c *Lib.4. in Marcio.* d *Contra Luciſer.* e *Aug. Ep.23.* f *Dextera oblatio pignus amoris.* g *Franciſc. Remundus Orat. de Euchariſtia.*

Porro, Euchariſtia non minus eſt amoris Pignus, quam, futuræ gloriæ, ſiue pignoris nomine arrham intelligas, ſiue ſymbolum, argumentum, indicium. Quo pacto munus aliquod noſtrum, aut quid ſimile pignus beneuolentiæ dicimus. Atque idcirco olim in vaſe columbæ formam referente aſſeruabatur, vt pignus caritatis ſymbolo requieſceret. Quod etiam nomina, Euchariſtiæ, *κοινωνίας*, *συνάξεως*, pacis indicant. Idem, olim dari ſolitum in communicando oſculum exprimit. An fortaſſe ideirco primis Eccleſiæ temporibus Euchariſtia ſtatim à baptiſmate dabatur neophytis, vt referunt Ambroſius *a*, Cyrillus *b* Ieroſolymitanus, Tertullianus *c*, Hieronymus *d*, Auguſtinus *e*. Et hodieque viget in Eccleſia quidem Latina, dum adulti baptizantur: in Græca etiam cum paruuli, vt Pignus tum amoris, tum gloriæ ſtatim accipiant, qui ad amicitiam diuinam, & gloriæ participationem per baptiſmum admittuntur.

f Certivs eſt hoc dilectionis Pignus, quam dexteræ oblatio, de quo ille

Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus
Dat iuueni atque animum præſenti pignore firmat.

g Pignus amoris æquè, ac poteſtatis. Diſertè facundus huius æui Orator: Hic certat alterum cum altero, vt neſcias in hoc Sacramento, quid admirere magis: an eius Auctoris potentiam, an amorem. Hic enim ardet felici quaſi nebecula incluſus Amor: hic ſedet præpotentis Maieſtas. Et quamuis vnum in locum vix conuenire ſoleant Maieſtas & Amor: hîc tamen, ita inter ſe cohærent, vt alterius benignitas nihil de alterius diminuat dignitate. Latent illa quidem, quod Pignoris huius ratio poſtulabat, ſed ſuo fiunt integumento clariora. Niſi enim, ita vt ſunt, abdita eſſent, profectò, neque tanta crederetur eſſe Amoris vehementia, neque tantæ Potentiæ magnitudo. Nam habitare cum hominibus: illis epuloeſſe: vnum è multis animum conflare non poſſet, iſte talis Amor, niſi lateret: latere non poſſet, niſi tanta eſſet potentiæ vis, quæ & amoris voluntati obſequeretur, & non officeret amantis maieſtati. Amor igitur ſuaſit; hoc Pignus, Poteſtas effecit, tam inſigne, tam inauditum, vt cum alia omnia, quæ Deus condidit, illius, vnde manant virtutem, ac præſentiam apertè demonſtrent, hoc nouum miraculum, eum ipſum à quo profectum eſt poſſit abſcondere. O Pignus Amoris & Poteſtatis!

Euchariſtia Pignus Vnionis. *Dionyſ. Eccl. Hier. cap 3.* *Damaſ. lib. 4. cap. 14.* *S. Tho. 3. p. q. 73.* *NOTÆ.* *Epiſt. 14.* *Cypr. Epiſt. 10 29. 30.* *Euſ. lib 5 hiſt. 24. Nic. lib. 4. hiſt. ...* *Anno 1598.* *Itinera Pontif. Opus ſacr. Ceremo. 1. lib. 1. ſect. 12. c. 1.*

Pignvs item Vnionis arctiſſimæ. Quid mirum? cum maximè vnitiuus ſit Amor, qui hic tam ſuauiter hoſpitatur. An non ideò Euchariſtia dicta eſt *Communio*, *κοινωνία*, *σύναξις*? quæ omnia vnionem exprimunt cum Deo, Chriſto homine, & inter ipſos pignoratos in eandem ſpem. Hinc ortum vt diceretur Euchariſtia *Pax Chriſti*, ab Ignatio: Qua loquendi formula apud Cyprianum idem eſt dare pacem lapſis, quod admittere ad communionem Euchariſticam: ſeu Pignoris huius participationem. Atque antiquo Eccleſiæ more, pacis caritatiſque erat ſymbolum mittere Euchariſtiam ad Epiſcopos Romam venientes, vt auctor eſt Euſebius, ac Nicephorus. Ac inter Pontificios hodieque viget, vt longius proficiſcens Pontifex præmittat Euchariſtiam mediam inter ſe crucemque, vt pacis, vnionis arrhabonem. Quod dum Romę agerem feciſſe recordor Clementem VIII. proficiſcentem ad recipiendam Ferrariam. Et de Petro Luna, quam Anti-Papa, qui nomen habuit Benedictus XIII. idem proditum eſt, cum iter faceret. Significabant quoq; vnionem hanc, & coniunctionem, quæ à caritate cognominabantur *ἀγάπαι*, conuiuia modeſta, & pia cum Euchariſtia celebrari ſolita, quæ ab Apoſtolo indicantur nomine cœnæ Domini.

Ceterum hæc coniunctio cum Deo & Chriſto duplex per diuinum Euchariſtiæ Pignus exſtit: duplex item inter nos. Nam licet quicunque percipit Chriſti Domini corpus, realem coniunctionem cum eius corpore habeat: tamen in eo, qui dignè id facit, coniunctio iſta eſt per modum amici complexus: indeque excitatur ſacramentum ſuſcipiens, vt Chriſtum amet, & adfectu complectatur, quem habet corporaliter præſentem. Atque poſt realem præſentiam reſtat moralis quædam habitudo, prout cenſetur is, qui recipit moraliter aliquid Chriſti: & hic illius ſpecialem habere curam: non tantum quantum ad animam, verum etiam quantum ad corpus, vt id ſanctificet & gloriæ participes efficiat. Ad quod explicandum valet coniugum exemplum, qui dicuntur vna caro, per commixtionem actualem. Non latebat hoc Chryſoſtomum, qui Homilia 88. in Matthæum ſcribit nos per coniunctionem cum Chriſto, eiusque corpore fieri vnam maſſam. Alia ſimilitudine id explicat Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioann. cap. 17. adducens ceram igni liquefactam: & igne candens ferrum.

Coniunctio cum Chriſto per Euchariſtiam.
Vide Maldon. cap. 26. Matt. Bellarm. lib. 5. de Euchar. c. 1. Heinriquez lib. 1. de Euchar. cap 10. Lib. 8. cap. 36. & 37.

Eſt prætetea Euchariſtia ſignum innocentiæ & eius PIGNVS, non ſolum quod illam ante ſui ſumptionem requirat, neque tantum idcirco, quod illam efficiat, adeo, vt attactu quoque fomitem in nobis tantoperè radicatum imminuat. Quod docet S. Thomas, & cum eo antiquiores ſcholaſtici: verum etiam quod innocentiam exterius prodat. Vnde fuit olim canonica probatio in Eccleſia vſurpata per Euchariſtiæ ſumptionem, qua vel culpa vel innocentia accuſati probabatur. Quæ probatio fuit in antiquis Germaniæ Eccleſiis recepta. Decretum enim in iis, vt ſi furtum in monaſterio committatur, fratres ita purgentur. Nec deſunt exempla Pontificum optimorum, qui hanc purgationem exegerunt. Vt Nicolai apud Sigebertum Anno DCCCLXX. Gregorii VII. apud Schaffnaburgenſem, & aliorum quos recenſet Martinus Delrius in Diſquiſitionibus Magicis.

Pignus innocentiæ.
S. Thom. 3. p. q. 79. art 1. Richar. in 4. D 9. art. 1. Gabriel. ſect. 83. in Can. Cyril Ieroſoly. catech. 4. Chryſ. Hom. 4. in Matth. Damaſ. lib. 4. cap. 14.

TANDEM, eſt Euchariſtia PIGNVS immortalitatis, vel vitæ perpetuæ ideoque Reſurrectionis. Nota ſunt illa Chriſti & clara: *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto & mortui ſunt.* Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Quomodo hoc Pignore vita animæ ſignificetur, imò introducatur, cum viuificatorem Ieſum contineat, eiuſque viuificam carnem ſatis liquet; at quomodo vitæ corporalis ſit pignus ſcire fortaſſe quis aueat. Rem ita clariſſimè explicari poſſe exiſtimo. CHRISTI corpus bifariam beatam illam felicitatem, corporibus etiam, vt pignus, ac prætetea vt efficiens tribuere cenſetur. *Primo* quidem, quia dum vitam, id eſt, gratiam animo impertit, dat ſimul pignus, ac velut initium quoddam vitæ alterius: nempe beatitudinis, quæ vita æterna vocatur: animæ autem beatitudo in corpus redundat: quemadmodum & meritorum corpus fuit particeps: vt diſſerit Auguſtinus *a* Epiſt. ad Dioſcorum.

Pignus immortalitatis. Ioan. 6. 49. Cyrill. Alex. libr. 3. in Ioan. cap. 37. Nyſſ orat. catechetica. cap. Cyprian. Ser. de Serm. Dom. Ambr. Serm. 15. in Pſal. 118. Hier. Zach. 9. Vide Claudium Sanctez. & Franciſc. Suarez. a Epiſt. 56.

Deinde corpus Chriſti, cum propter hypoſtaticam cum diuinitate coniunctionem vitã in ſe infinitam, ac diuinam contineat, eam contactu quodammodo corporibus ſumentium ingenerat. Quamobrẽ videtur quaſi ſemen quoddam immortalitatis corporibus noſtris imprimere, quo poſtea, non quolibet modo ſed ſinguli: non vt damnatorum corpora ad ſupplicia; ſed vt Chriſti ad vitam ęternã reſurgant.

AN fortaſſe idcirco veteres corporum humanorum reſurrectionem probarunt, quod fideles carnem Chriſti in Euchariſtia comedant. Quo argumento vtitur

Corporum reſurrectio probatur ex Euchariſtia.

S. Ignatius Antiochenus Epiſtola ad Epheſios, dum vocat corpus Chriſti in Euchariſtia φάρμακον ἀθανασίας ἀντίδοτον μὴ θανεῖν: *Medicamentum immortalitatis: Antidotum contra mortem.* De quo fuſius agimus in THEOLOGIA MEDICA, ſeu MEDICO CHRISTIANO. D. Irenæus Lib. 4. cap. 34. & Lib. 5. Contra Valent. aſſerit: vt in grano frumenti vis quædam genitalis eſt, qua iactum in terram, ac putrefactum germinat: ita in Chriſti corpore, virtutem quandam ſeminalem inſidere, quæ in corpora ſumentium deriuetur: indeque fieri, vt quamuis in puluerem redigantur, reſurgant tamen ac quodammodo repullulent, & renaſcantur. Fermenti comparationem adhibet Gregorius Nyſſenus: Quemadmodum modicum frumentum totam maſſam calefacit, atque in aliam quodammodo naturam meliorem præſtantioremque tranſmutat: Sic corpus Chriſti carnem noſtram ex mortali immortalem efficit. Similia habet Tertullianus Libello de Reſurrectione carnis. Cyprianus Lib. De cœna Domini. Cyrillus Alexandrinus L. 4. in Ioan. cap. 14. & 15. L. 10. cap. 13. Apollinarius in catena Græca.

Ornatus corporis ex ſumptione Euchariſtiæ.

NEC defuerunt auctores minime contemnendi, qui adfirmarint, his, qui Chriſti corpus ſumpſerunt, tribuendum in corpore peculiarem quendam ornatum in ſimilitudinem aureolæ, cum immortalitas corporis, tanquam proprius effectus Euchariſtiæ cenſeatur. Recte igitur Euchariſtiam & reſurrectionis, & immortalitatis & futuræ gloriæ pignus eſſe aſſerimus.

Baptiſmus pignus regenerationis. **NOTÆ.** *Rom. 8. 30.*

VERVM quia DEVS opera ſua ordine conſummare eſt ſolitus, non ſtatim gloriam communicat, quam promittit: ſed vult iuſtum ſuum fide viuere, & ſpe remuneratorem operiri. Primo, itaque eligit hominem ad gloriam, tum prædeſtinat, deinde vocat, poſtea iuſtificat, tandem glorificat. Quos prædeſtinauit, inquit Paulus, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Quare, ne de gloria tantum, ſed etiam de intermediis effectibus nos ſecuros redderet; illorum quoque PIGNVS obtulit. PIGNVS igitur, tum electionis, tum prædeſtinationis eſt *Baptiſmus*: quem quid vetat inſuper *Pignus regenerationis* appellare. Sane, quod ſcribit Petrus Apoſtolus in Epiſtola ſua prima capite tertio: Saluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum: ἐπερώτημα εἰς θεόν, haud malus auctor. *Pignus*, & arrhabonem exponit: & vult Baptiſmum dici pignus bonæ conſcientiæ. Siquidem, qui Deo inſpirante conceperunt bonum deſiderium, illi vitam immaculatam conſectantur, eamque exquirunt vbique, ac de ea interrogant ſolicite. Quamobrem cum audierunt per Baptiſmum mundari animas, mox accurrunt ad baptiſmum, vt purgantes ſordes animi: atque hac ratione opinatur dici Baptiſmum pignus bonæ conſcientiæ.

Pignus regenerationis. *Oecumen.*

Pignus Spiritus. **NOTÆ.** *2. Cor. 1. 21.*

ALIVD bonæ conſcientiæ Pignus Paulus deſignat, ſi tamen aliud & non idem potius. Scribens enim Corinthiis: *Qui autem confirmat nos*, inquit, *vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos, & dedit* Pignus Spiritus *in cordibus noſtris.* Dixerat Apoſtolus, veras eſſe Dei pollicitationes: veriſſimam etiam, quam tradiderat ipſe doctrinam: docet igitur eam non hominis eſſe, ſed Dei, tanquam præcipui auctoris, qui duo in nobis efficit, confirmationem, & vnctionem. Quorum vtrumque pignore animis impreſſo ſtabilitur, aut fit potius. Quid enim aliud eſt vngere, & obſignare, quam gratiam ac ſpiritum largiri? Hoc autem in Baptiſmo potiſſimum contingit, in quo ſpirituale quoddam ſignum, & character animæ inditur, quo præter alia, promiſſiones diuinæ, ad firmitatem illarum ſignificandam

Digitized by Google

candam tanquam ſigillo ad preſſo obſignantur. Sic alibi Apoſtolus: *ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis* Sancto. *Ad Epheſ. 1.13.*

Hvnc ſpiritum Paulus vocat Pignus, quoniam, vt inquit Anſelmus per hoc donum anima noſtra ad interioris ſpei certitudinem roboratur. Siue, vt commentatur Theophylactus, quia magnam illorum partem, quæ ſperamus diuini ſpiritus munere percipimus. Nam, vt alibi Paulus teſtatur: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Quis ſit ille ſpiritus exprimit Theodoretus Gratiam nominans, quæ eſt effectus diuini ſpiritus, quam ceu Arrham futurorum bonorum largitur. Pignoris autem, ſiue Arrhæ nomine, eorum, quæ nobis ſunt danda magnitudo innuitur: eſt enim arrha pars exigua ſummæ, quæ poſtea offertur. *Cur ſpiritus promiſſionis dicatur pignus.* *1. Cor. 13. 9.* *Gratia eſt ſpiritus promiſſionis.*

In eadem ad Corinthios Epiſtola, eiuſque Pignoris Spiritus mentionem faciens Paulus, non diſſimilis rei certitudinem illum inducere inſinuat. Siquidem agens de corporis reſurrectione. *Qui efficit*, inquit, *nos in hoc ipſum* Deus, *qui dedit nobis Pignus* ſpiritus: hoc eſt, ille qui nos ad felicitatem ſempiternam condidit, donec ad illam euehamur dedit nobis ſpiritus arrhabonem. Deus, inquit Theophylactus dedit nobis pignus ſpiritus: quia, qui primum nos ad hoc effecit, & condidit, vt ſimus incorruptibiles, iam inde à principio creationis iſtuc ſic decreuit vt omnino fieret. Et Oecumenius: Quis hanc faciet corporis immutationem? quis? Deus, qui in hoc ipſum nos formauit, vt ſimus incorrupti, & immortales: iſque dedit arrhabonem ſpiritus. *Arrhabo ſpiritus.* *2. Cor. 5. 5.*

Vocat autem *Arrhabonem ſpiritus*, vt exponit Theophylactus, Spiritus Sancti gratiam in Baptiſmo acceptum. Quomodo Pauli verba etiam accipit Auguſtinus Lib. de ſpiritu & littera cap. 18. Hæc eſt inquit illa iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua ipſi ab eo facti. Theodoretus vero *Spiritus Arrhabonem* interpretatur Spiritus ſancti chariſmata. Anſelmus intelligit, ſpiritum illum, quo mens hominum mouetur ad immortalitatem illam, ac ſempiternam vitam appetendam. *Gratia Baptiſmalis.* NOTÆ.

Acvte Tertullianus refert pignus ſpiritus ad ipſam Chriſti anaſtaſim. Sic enim ſcribit, Libello de reſurrectione carnis cap. 5. Quemadmodum nobis arrhabonem ſpiritus reliquit: ita & à nobis arrhabonem carnis accepit: & vexit in cœlum pignus totius ſummæ illic quandoque redigendæ. Secura eſtote caro, & ſanguis, vſurpaſtis, & cœlum & regnum Dei in Chriſto. Et lib. 5. in Marcionem, Arrhabonem ſpiritus dicit nos à Deo habere, quaſi pignoratos in eandem ſpem indumenti. Et ſane, gratia ſpiritus, & Chriſti reſurrectio apte dicitur Arra, Arrhabo, & Pignus noſtræ immortalitatis, ac futuræ gloriæ. Hoc enim quod Deus ſuam nobis gratiam largitur, vt monet Oecumenius ſuam fidem obligat, ſeque beatæ vitæ debitorem conſtituit. *Arrhabo carnis.* *De reſur. c. 5.* *Lib. 5. cap 12.*

Cvm itaque hactenus demonſtratum ſit ſat multis Chriſtum titulis, tum in ſe, tum in effectibus variis pignoris rationem habere ad ſpem noſtram firmandam, *Vos, fratres, preſcientes cuſtodite*, illud, *ne inſipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. Creſcite vero in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.* *2. Pet. 3. 17. 18.*

NOTÆ

DE CONTRACTV PIGNORATITIO.

AGITVR de Pignore Lib.20. Digeſtor. cui titulus De Pignoribus, & Hypothecis in Codice Lib.8. à Titulo 14. ad 33. Lib.3. Decretal. Tit.21. De eodem tractant Antonius Neguſantius Auditor Rotæ, Franciſcus Balduinus, Hugo Donellus, Ludouicus Molina, Paulus Comitolus, Ioannes Azor: aliique ſcribentes de Contractibus, aut Iuſtitia & iure. Dicitur Pignus à pugno L. Plebi. §. Pignus. Digeſt. De verbor.& rer. ſignific. vocatur idem

ARRA, quæ vox tripliciter ſumitur: Primo, pro quadam donatione, quam vir facit vxori in dotis præmium. Secundò, pro donatione propter nuptias. Tertio, pro pignore, quod datur tum in emptione, ac venditione, in teſtimonium ac ſignum contractus: tum quod inter ſponſos traditur in ſignum complendi matrimonii, vnde Arrhæ ſponſalitiæ. Vide Thomam Sanechez Tom.1. De Matrim. Lib. 1. Diſp.35. Rebellium Lib.4. De ſponſalibus, Quæſtione 7.

Arrhabo. Affine nomen eſt Arrhabo, Ἀῤῥαβὼν: quod non tam Græcum quam Hebræum videtur. Hebræi enim ערבון *Hharabon* dicunt à radice ערב *Hharab*, quæ ſignificat oppignorare. Geneſis 38.18. ait Iudas: *Quid tibi vis pro arrhabone* dari? quod Chaldæus Pignus exponit, quod nempe meretricibus dabatur in anteceſſum. Patet id ex Plauti Truculento, vbi adoleſcens ruſticus ſyllabam priorem ſermonis imperitia detruncat, ſed acutiſſimè.

S. Tene hoc tibi, Rabonem habeto, mecum vt hanc noctem ſies.

As. Perii. Rabonem? quam eſſe dicam hanc beluam? Quin tu arrhabonem dicis? S. At facio lucri vt Præneſtinis coma eſt ciconia.

Arrhabo, inquit Varro, pecunia eſt, ſic data vt reliquum reddatur: aliquando idem quod pignus. Terent. Heaut. Reliquit filiam adoleſcentulam: ea relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento.

§. SENSVS *Pſalmi* 71.] Legendi Interpretes Pſalmorum, inter quos Bellarminus refutat opinionem exiſtimantium Hebraicum *Pirath* quod eſt in illo loco Pſalmi ſignificare particulam, vel pugillum. Sed aliorum non eſt ſpernenda ſententia. Lege Genebrar. in Pſalm. 71. Pagninum in Lexico, Nebienſem, alios.

§. POENA *male vtentium Euchariſtia.*] In horum albo ſunt imprimis ii, qui Euchariſtia indigniſſimè abutuntur, vt ſortiarii & magi: de quibus horrenda leges in ſententia lata Auinione, Anno 1582. vt refert Sebaſtianus Michaelis in Pneumalogia. Tum qui indigne ſacrum illud pignus ſumunt de Donatiſtis Euchariſtiam effundentibus, vide Optatum Mileuitanum Lib. 2. contra Parmenion. à canibus poſtea malè tractatis. Multos ob indignam Euchariſtiæ perceptionem immundis ſpiritibus fuiſſe inſeſſos, auctor eſt D. Cyprianus Sermone de Lapſis, & duo illuſtria exempla habet Gregorius Turonenſis Lib. 1. de Gloria Mar. cap. 88. Legendus Delrius Lib. 5. Diſquiſit. magicar. Sect. 6. & libro tertio quæſtione ſeptima.

§. EVCHARISTIA *Pignus amoris.*] Robertus Bellarminus Lib. 4. de Euchariſtia cap. 22. Euchariſtia tribus modis conſiderari poteſt. Primò, vt Sacrificium: Secundò, vt Pignus diuini amoris. Tertiò, vt Sacramentum. Euchariſtia

riſtia vt eſt Pignus amoris poteſt optimè in quauis ſpecie ſeruari. Nam Eucharistia eſt Pignus, quatenus ſignificat & exhibet Chriſtum præſentem: hoc autem facit quælibet ſpecies. Vnde etiam Eccleſia Catholica vnam tantum ſpeciem exhibet ſpectandam extra Sacrificium, & in proceſſione circumfert.

Apud Heſychium, & Athnæum Lib. 7. Gamelion eſt nuptialis placenta, quæ erat panis ille farraceus, aut far, quod in nuptiis, quę confarreatione contrahebantur adhiberi ſolebat: hoc ſanctiſſimum fœdus erat coëuntium.

Curtius Lib. 8. De nuptiis Alexandri cum Roxane. Rex medio cupiditatis ardore iuſſit adferri patris more panem, (hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum coëuntium pignus, quem diuiſum gladio vterque libat. Vide Alexandrum de Alexand. Lib. 2. cap. 5. Rhodiginum Lib. 24. cap. 15. Reuarchum Lib. 4. Varior. Roſinum de Antiquitat. Roman. Lib. 5. cap. 37.

§. EVCHARISTIA *Pignus vnionis.*] Plurima ſunt de hac vnione Patrum, Theologorum, & Concionatorum teſtimonia. S. Hilarius Libr. 8. de Trinitate eam vnionem naturalem vocat: quia realiter caro & ſanguis Chriſti cum ſuſcipiente vnitur, & coniungitur.

S. Cyrillus Lib. 10. in Ioan. cap. 13. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo. Conſiderandum eſt, non habitudine ſolum quæ per caritatē intelligitur Chriſtum in nobis eſſe, verum & participatione naturali. Nam, quemadmodum, ſi quis igne liquefactam ceram alii ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriuſque factum videatur: ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt & nos in ipſo.

S. Chryſoſtomus Homil. 45. in Ioann. Vt autem non ſolum per dilectionem, ſed etiam re ipſa in illam carnem conuertamur per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt: Cum enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit: hoc enim amantium maximè eſt.

S. Ambroſius Sermone 90. de S. Agnete refert illam dixiſſe: Nunc corpus Domini mei corpori meo aſſociatum eſt, & ſanguis illius ornauit genas meas.

Tractauit hanc materiam egregiè Thomas à Ieſu in Lib. de Orat. quarto cap. 27. vbi agit de vnione reali immediata fruitiua, & ecſtatica, qua puriſſimæ mentes CHRISTO Domino in Euchariſtiæ Sacramento iunguntur. Capite deinde 28. Patrum teſtimoniis diuinam animæ cum CHRISTO in Sacramento Euchariſtiæ vnionem confirmat. Poſtea cap. 29. dat pleniorem diuinæ vnionis animæ cum CHRISTO in Euchariſtiæ Sacramento contingentis explanationem cap. 30. Diſputat. De vnione corporis CHRISTI cum carne digne eum ſuſcipientis.

Ioannes Caluinus Lib. 4. Inſtitut. cap. 17. §. 33. ait impios eſſe reos corporis, & ſanguinis Domini, quod myſterium profanauerint, Pignus ſacræ cum Deo coniunctionis, quod reuerenter ſuſcipere deberent, calcando. Hoc ſcitè Caluiniſtis obiicit Ludouicus Richeomus, ex eoque probat ab illis introduci Idololatriam Cereris, cum non niſi panem in cœna ſua habeant. lib. 4. Idololatriæ Hugonoticæ cap. 16.

Concilium Tridentinum Seſſ. 13. cap. 2. Pignus eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis.

Optatus

Optatus Mileuitanus Euchariſtiam appellat Pignus ſalutis æternæ, tutelam fidei, ſpem reſurrectionis.

Eſt in Miſſali Romano Oratio poſt communionem Dominicæ quintæ poſt Epiphan. Vbi Euchariſtia Pignus dicitur: Quæſumus omnipotens Deus, vt illius ſalutaris capiamus effectum, cuius per hæc myſteria Pignus accepimus.

§. Baptismvs *Pignus.*] Dicitur Baptiſmus ἀῤῥαβὼν τῆς υἱώσεως, *Pignus adoptionis noſtræ in filios*, ſeu filiationis. Quod dum legis in Iſaac. Caſaubono Exercitatione 16. in Baronium num. 43. p. 543. Catholice intelligas, vt docebit ſequens commment.

§. Pignvs *Spiritus.*] S. Thomas P. S. Quæſt. 114. Quærens: vtrum homo in gratia conſtitutus poſſit mereri vitam æternam ex condigno: reſpondet, opus hominis iuſti, vt ab inhabitantis Spiritusſancti gratia procedit vitæ æternæ meritorium eſſe de condigno: non autem vt à libero arbitrio oritur, propter maximam inæqualitatem. Obiicit autem. Illud meritum videri eſſe condignum, quod æquatur mercedi. Sed nullus actus vitæ præſentis æquari poteſt æternæ, quæ cognitionem & deſiderium noſtrum excedit. Excedit enim caritatem, vel dilectionem vitæ, ſicut excedit naturam. Ergo homo non poteſt per gratiam mereri vitam æternam de condigno. Reſpondet S. Doctor, gratiam Spiritus-ſancti quem in præſenti habemus & ſi non ſit æqualis gloriæ in actu, eſſe tamen æqualem in virtute. Sicut tamen arboris, in quo eſt virtus ad totam arborem. Et ſimiliter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui eſt ſufficiens cauſſa vitæ æternæ. Vnde dicitur eſſe pignus hereditatis noſtræ. Et docet S. Thomas Pignus facere ſpem habendi rem & tantum valere.

Robertus Bellarminus Lib. 2. de Sacramentis cap. 10. Tres effectus ponuntur in verbis Sacramenti Confirmationis, in quo proprie vngimur, & ſignamur tum exterius, tum interius. *Primo*, vnctio, quæ ſine dubio fit per gratiam gratum facientem. Vt enim oleum ſanat morbos, reddit robuſta membra, illuſtrat, conſolatur. Ita facit quoque gratia iuſtificans. *Secundo*, eſt ſignum, ſeu obligatio quædam, qua conſecramur Deo, & deputamur ad ipſius cultum, & per hanc intelligimus Characterem, quem Patres paſſim ſignum & ſigillum appellant. *Tertio*, Pignus Spiritus: id eſt, teſtimonium bonæ conſcientiæ, quod ſequitur iuſtificationem, & eſt quaſi arrhabo futuræ gloriæ. Nihil enim in hoc mundo iucundius teſtimonio bonæ conſcientiæ: hæc eſt enim pax, quæ exſuperat omnem ſenſum.

Ambroſius libr. de iis qui initiantur c. 7. Repete, qui recepiſti ſignaculum ſpirituale (loquitur de ſacramento Chriſmatis) ſerua quod accepiſti. Signauit te Deus Pater: confirmauit te Chriſtus Dominus: dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.

§. Gratia *Baptiſmalis Pignus.* Ad Epheſ. 1. In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis Sancto, qui eſt Pignus hereditatis. Hoc loco credentes eſt temporis præteriti πιστεύσαντες: *Poſtquam credidiſtis.*

Quare loquitur de baptiſmo, qui datur poſt fidem, ac dicit: in baptiſmate dari pignus virtute Spiritusſancti: ſicque accipiunt de ſignaculo, quod datur in baptiſmo Græci ac Latini, Chryſoſtomus, Theophylactus, Hieronymus, Haymo, Beda, Anſelmus.

COM-

Digitized by Google

COMMENTATIO XLV.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM, ex Contractu Pignoratitio.

In qua declaratur, quam ob cauſſam Sacramenta, eorumque Characteres, & in iis collata gratia recte dicantur Pignora.

Dedit Pignus Spiritus in cordibus noſtris II. Corinth. 1. 22.

Sacramenti nomen multiplex.
Μυςήριον.

SACRAMENTORVM à Chriſto Eccleſiæ conſignatorum ea eſt maieſtas, tam varia & multiplex vtilitas, vt vnico nomine, quod aliquibus aliis rebus contingit, ſatis exprimi nequeant. Quocirca à Græcis μυςήρια: non quidem à μύσος, quod ſcelus es execrationem ſignificat: ſed vel à μύω, quod eſt *claudo*: & ςόμα, quod eſt *os*, quia myſteria ſilentio honoranda ſint, vel à μύειν καὶ τηρεῖν: id eſt, *abſcondere, & ſeruare*: quod res ſacræ ſint ſeruandæ occultæ: vel à μυέω, quod eſt, *initio, ſacris imbuo*: Vnde μύςης, ſacrorum antiſtes; qui alios initiat. A Latinis dicuntur, religionis ſacræ, Ceremoniæ, Ritus, Sigilla, Sacramenta. Quæ vox à profanis accipitur, tum pro quauis re ſacra, qua ſacramur, vt veſtimentum, quo veſtimur: tum pro eo, quod habet ſecretum latens ſub aliquo ſigno ſenſibili: tum pro iuramento, quomodo dicitur ſacramentum militare. Ab Eccleſiaſticis autem ſcriptoribus Latinæ linguæ peritiſſimis pro ſigno rei ſacræ. Sic Tertullianus: & in omni fere lingua vulgari, Germana, Hiſpana, Galla, Itala nomen hoc illibatum retinetur, fortaſſe propter ſanctiorem authoritatem vocis, atque ita à Catholica Eccleſia ob analogiam quandam vſurpatur proprio iure pro ſeptem Sacramentis, quæ occulta myſterii continent authoritate DEI reuelata.

Ceremonia. Ritus. Sigillum.

Sacramentum Pignus.
Var. lib. 4.
Eclo. 3.

VERVM hoc ipſum nomen innuit, non male ſacra illa religionis noſtræ ſigna dici pignora, idque non vno modo, vt hodierna commentatione demonſtrabimus. Principio igitur, ſi Sacramenti ſignificationes indagemus, ſatis conſtat primam illam eſſe, qua Pignus à litigantibus in loco ſacro poſitum denotat. Nam Varrone auctore mos erat apud Romanos, vt cum duo litigabant, tum qui adfirmabat, tum qui negabat, deponeret quingenta æris in loco ſacro apud Pontificem: finita vero lite, qui vicerat, depoſitum recipiebat; qui vincebatur, perdebat: eiuſque depoſitum ærario cedebat in pœnam iniuſti litigii. Hinc illa formula; Depoſito pignore certare. Cantatur adhuc illud Virgilii.

Ego hanc vitulam ne forte recuſes
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus
Depono. tu dic mecum quo pignore certes.

Illa ergo depoſita dicebantur ſacramenta, quod in loco ſacro ſeruarentur.

Sacramentum oppigneratio.
NOTÆ.

HANC ſignificationem rebus iis conuenire quæ nos Sacramenta dicimus non pauci adfirmant: ſed non boni omnes: peſſimus inter malos Vdalricus Zwinglius fax Heluetiæ, peſtis Germaniæ, qui in libro de vera, & falſa religione cap. de Sacramentis. Sacramentum, inquit, nihil aliud eſt, quam initiatio, & oppigneratio. Sicuti enim, qui litigaturi erant, certum pecuniæ pondus deponebant: ſic qui Sacramentis initiantur ſeſe obſtringunt, & oppignerant: Nec eſſe alienam hanc ſigni-

Digitized by Google

gnificationem à noſtris Sacramentis notauit acerrimi vir iudicii, & hæreticorum hoſtis iuratus Robertus Bellarminus Lib. I. De Sacramentis cap. 8. Verè enim, inquit, per Sacramenta nos obſtringimus, & oppigneramus Deo. Addit tamen hanc exceptionem non inueniri in Scripturis, nec eſſe ita propriam, vt ſolis Sacramentis conueniat: multa enim ſunt alia præter Sacramenta, quibus nos Deo oppigneramus, vt omnia vota.

Pignoris ratio in Sacramento.

At enim mihi aliud veniebat in mentem & demonſtrare erat propoſitum. Nimirum etiamſi Sacramentis nos Deo deuinciamur, vel, ſi ſic loqui lubet, oppigneremur: tamen, Sacramentum multis modis Pignus videri, quo ſe Deus nobis deuinciat, nobiſque ad dandum, faciendum quidpiam obligetur. Hoc autem à ſacris Scriptoribus, diuinoque adeo ſpiritu fuiſſe ſatis declaratum. Quod quidem vniuerſe de omnibus Sacramentis nouæ legis oſtendere facillimum erit, ſi Theologicæ ſpeculationi nonnihil indulgere velimus, ſed, in re ad fidei firmitatem tam neceſſaria, vt puerulos etiam, qui fidei rudimentis imbuuntur eius peritos gnaroſque optem, & eſſe deberent profecto. Itaque ſic accipite,

Sacramenta gratiam conferunt.

Religionis Chriſtianæ Sacramenta miram habere vim, virtutemque ad homines ſanctificandos, & gratiam diuinam illis communicandam: de quo apud Catholicos nulla eſt controuerſia: cum hæreticis capitale diſſidium. Licet orthodoxi Theologi de efficiendi modo nonnihil diſſideant, aliis phyſicam, aliis moralem efficientiam defendentibus. Docet tamen omnes, de quo ambigere non licet vlli, Sacramenta, vt liberalitatis diuinæ organa & viuificæ carnis Chriſti inſtrumenta gratiam efficere. Hanc gratiam appellamus iuſtificantem vel ſanctificantem, ſiue quod homini primam iuſtitiam, ſanctitatemque, ac eum Deo amicitiam tribuat, ſiue quod eandem amplificet: primam gratiam & augmentum vocant Theologi. At verò quia diuerſa Sacramenta ad diuerſos fines ordinantur: Baptiſmus ad ſpiritualem regenerationem, nouæ natiuitatis inſtar: Confirmatio ad robur, velut augmentatione retinendam, tuendamque in variis periculis fidem: Euchariſtia ad nutriendam fouendamque eſculentorum & poculentorum immodum, animam: Pœnitentia ad lethalem peccatorum infirmitatem, vt medela, & antidoto curandam, vireſque reſtaurandas: Extrema vnctio ad relliquias morborum, tanquam inunctionis beneficio diſſipandas, animæque robur ac lætitiam ad ſpiritualem luctam feliciter in eundem transfundendam: ordo ad reuerentiam in ſacris functionibus ſeruandam Eccleſiaſticam augendam: Matrimonium ad prolem piè ſuſcipiendam, & ſanctè educandam. Hi autem fines ſine peculiari Diuinitatis dexteram porrigentis auxilio obtineri non poſſunt. Hinc fit, vt præter gratiam, quam ritè ſuſcipientibus Sacramenta conferunt, auxilia etiam eiuſcemodi communicent.

Sacramenta conferunt auxilia particularia.

Hoc tamen diſcrimine, quod gratia, quam ſanctificantem vocamus, ſtatim quam primum Sacramentum perficitur, tribuatur, & infundatur animo: auxilia autem illa peculiaria non dentur niſi certis temporibus & occaſionibus, in quibus ad ſacramentalem finem obtinendum iis indigent fideles. Exemplo fiet res manifeſta. Dum quis ſacro chriſmate perungitur, quod in Confirmationis Sacramento contingit, ſiquidem debita cum præparatione acceſſit, nulla interpoſita mora, ipſo illo temporis punctulo, quo Antiſtes verba ſacra profert, Sacramenti virtute, diuinæ vicaria, confertur gratia ſi antea non fuit: ſi præfuit, augetur.

At

AT verò, quia iſtud Sacramentum prima ſua inſtitutione ordinatum fuit ad augendum robur, vel dandam vim ſpecialem qua iuuetur confirmatus, vt intrepide CHRISTI fidem coram tyranno confiteatur, ac viriliter certet: huius autem certaminis non ſemper ſeſe offerat: hinc dum quis raptatur ad tribunal iudicis infidelis, dum in manus Paganorum incidit, dum ab hæreticis ob pietatem auitam irridetur, à domeſticis ob Catholicæ profeſſionem patitur perſequutionem, & ſimilibus temporum opportunitatibus ſingulares quoſdam ſancti Spiritus motus in voluntate, illuſtrationes in intellectu, ſuauitatem quandam in animo admirabilem; roboris ac conſtantiæ vim incredibilem ad fidem ſuam coram inimiciſſimis hominibus ore confitendam, rationibus defendendam, viribus omnibus propugnandam: pro ſingulis vitæ capitibus mortem non ſemel ſubeundam, pro Chriſto quolibet tempore animam ponendam. Hæc atque iſtiuſmodi ſexcenta vocantur à Theologis auxilia gratiæ ſpecialia, quibus homo variorum ſacramentorum ope ſalutem conſequitur. *Finis Sacramenti Confirmationis.*

QVAMOBREM Sacramenta aptè admodum auxiliorum diuinorum Pignora cognominari poſſunt: iis enim homini legitimè applicatis oppignoratus manet Deus & obſtrictus, vt certis temporum & occaſionum momentis, ea, lege ſemel à ſe lata, largiatur. Qua ratione, ipſa etiam gratia quæ ſacramentorum interuentu hominibus obuenit Pignoris rationem vendicat. Hoc eſt, quod multis ad hanc rem adductis acutè ac grauiter docent Theologi, dum diſceptant, An gratia ſacramentalis reapſe à iuſtificante diſtinguatur: cenſentque, eandem eſſe planè gratiam ſacramentalem, & iuſtificantem habitualem, vel illius augmentum, accidentali tamen diſcrimine ab illa differre, per ordinem, habitudinemve ad peculiarem quendam effectum, & ad diuerſa auxilia gratia poſtea danda homini intuitu ſacramenti ſuſcepti, receptæque gratiæ ad ſacramenti proprium finem, ad quem talis gratia per tale ſacramentum fuit collatum. Atque haud diſpari modo ipſas diuerſorum ſacramentorum gratias diſtingui adfirmant: nempe ordinatione ad diuerſos ſacramenti fines: ac ideo illas dari tanquam Pignora ad finem proprium ſacramenti. *Sacramenta auxiliorum pignora.*

ADDERE lubet, ſacramenta etiam ipſius reſpectu gratiæ, quam conferre ſolent munus Pignoris exercere nonnunquam. Ad cuius effati declarationem, *Animaduertite.* Quamuis in paruulis dum ſacra baptiſmi vnda perfunduntur, nulla alia requiratur præparatio ſiue diſpoſitio ad gratiam baptiſmalem obtinendam, tamen hominibus rationis vſu præditis non ſatis eſſe ad ſui vel regenerationem ſpiritualem, vel confirmationem internam, aqua aſpergi prolata etiam à baptizatore forma: aut chriſmate inungi, ſed præterea præparationes exigi, quæ niſi adfuerint, licet verum ſacramentum ſuſcipias (quod validum vocant Theologi) gratiam tamen tibi non conferet, ideoque informe appellabitur. Ergo nullus ſacrorum illorum ſignorum in homine remanebit effectus? In tribus quidem, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, quæ repeti ab eodem non poſſunt character imprimitur certus ac indelebilis. Ex aliis illud manet in homine, vt ſuſcepiſſe dicatur.

IAM autem certum habeo: ſi quis Sacramenta ſuſcipit, non illa tantum, quæ repeti non poſſunt, ſed & reliqua, verum cum impedimento, quod infuſioni gratiæ ſit obſtaculo (quod Theologica phraſi dicitur cum obice, aut fictione ſacramento initiari,) tunc gratiam quidem ſacramenti virtute non effici: poſtea *Sacramentum ablato obice operatur.*

Digitized by Google

tamen, ſi eandem quam Sacramenti ſuſceptioni præmitteret debuiſſet diſpoſitionem animo concipiat, vi ſacramenti, quod catenus, tanquam Pignus habuit conſequendæ aliquando gratiæ ipſam gratiam obtinere. Itaque Sacramentum ipſum ſuſceptum in eoque collatus character pignus eſt gratiæ ex pacto Dei perſoluendæ.

Pœnitentia informis Pignus gratiæ.

a S. Thom. 4. Diſt. 23. Q. 1. Art. 4. Qta. 2. Palud. in 4. Diſt. 16. Q. 4. capr. ead. Diſt. Q. 2. A. 3. Anton. 3. P. tt. 14. cap 19. §. 5. Couarruu. 6. cap. Almai. P. 5. 4. Num. 13.

b S. Thom. 4. diſt. 17. Q. 3. Art. 4 Qta. 1. Palud. ead. diſt. Q. 8. conc. 4. capr Q. 2. Ar. 1. & 3. S. Thom. in 4. d. 17. Suarez. diſp 20 Sect. 5. Num. 14. Valen. diſp. 7. Q. 2. P. 2.

EXEMPLO res hæc clareſcet magis. Accedis ad Sacramentum Confeſſionis, ſeu pœnitentiæ, nulla præmiſſa conſcientiæ diſcuſſione, nullo de peccatis commiſſis dolore concepto, nulla de vitæ emendatione cogitatione ſeria formata: valoris non eſt vllius iſtiuſmodi confeſſio, gratiam neque confert, neque vnquam conferet, cum ſacramentum pœnitentiæ ſine peccatorum dolore confici non poſſit: ideoque non ſolum ſit informe, ſed plane inualidum, ſæpe etiam Sacrilegium. Aliqua enim criminum deteſtatio omnino ad illius ſacramenti validitatem requiritur *a*. Habeas ergo aliquam, adeo tamen imperfectam, vt ad ſacramenti rationem eſſentiamque conſtituendam ſit ſatis; non autem ad illius effectum; id eſt ad peccatorum remiſſionem cauſſandam, gratiamque tribuendam. Quod fieri poſſe ego cum magnis Doctoribus ſentio *b*. Certum eſt, tali confeſſione, pronunciata etiam abſolutionis forma, gratiam eo quidem momento, vt alias ſolet, dum bona inſtitutum ſui accuſatio non conferri. Quod ſi deinde ad maiorem animi ſui dolorem concipiendum vires intendat, illamque in diſpoſitionem à ſeſe amoueat, Deus illi, virtute ſacramenti, tanquam pignoris antea collati peccatorum gratiam facit, ac in amicitiam recipit ſuam.

QVOD quidem obſcurius, quam vt à vulgo capi commode poſſit hac verborum complexione ſacri Doctores enunciant. Sacramentum Pœnitentiæ informe cauſſat tempore ſequenti effectum, ſi tollatur indiſpoſitio, quæ cauſſa fuit cur in principio effectus non fuerit ſequutus. Et ita ad illud comprobandum ita ratiocinantur. Nullum peccatum mortale poſt baptiſmum commiſſum remittitur niſi per Sacramentum pœnitentiæ, ſiue reipſa ſuſceptum, ſiue ſaltem voto, ac propoſito, quum non ſit actu ſuſcipiendi copia. Itaque peccata manifeſtata in tali confeſſione informi, remitti debent virtute alicuius ſacramenti pænitentiæ: profecto non alterius quam ipſiuſmet, quod dicebamus informe (ſuppono etenim neque reipſa in alia confeſſione aperiri, neque haberi alterius confeſſionis propoſitum. Poteſt enim quiſpiam habere formale propoſitum illa nunquam amplius confitendi, & nihilominus illorum remiſſionem conſequi) quare conſequetur remiſſionem ratione illius Sacramenti, quod fuit informe. Nimirum quoniam illud Pignoris inſtar fuerat, quo ſe Deus ad perſoluendum gratiæ debitum obligarat, cum homo creditor requiſitis ad debiti ſolutionem circumſtantiis illam petiiſſet.

Character Pign. gratiæ.

L. 1. de Bap. cap. 2.

MANIFESTIVS hoc contingit, & maiori certitudine, quando ſacramenta characteres imprimunt. Docent namque communi conſenſu Theologi fieri poſſe ad Baptiſmum requiſitæ (eademque eſt ratio in Confirmatione, & Ordine) vt Sacramentum illud valide quidem, tamen ſine effectu gratiæ recipiatur: poſtea autem fictione recedente, id eſt obſtaculo illo ſeu indiſpoſitione, effectus conſequatur. Exerte Auguſtinus: Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit. Peccatum enim originale & alia quæ ante baptiſmum committuntur, tolli nequeunt lege ſemel ſcripta ſine lauacro regenerationis, aut eius propoſito, vt definitum in Synodo Tridentina Seſſione 6. cap. 4. Quando autem baptiſmus ſuſcipitur ſine legitimis præparationibus, deindeque remittun-

tur

tur peccata commiſſa ante Baptiſmum: ea non condonantur ratione alicuius voti ad Sacramẽtum Baptiſmi poſtea ſuſcipiendum: tunc enim tale votum concipi non poteſt: Sicut neque poſtea ſacramentum iterari: ac proinde remittuntur vi ſacramenti ante recepti, quod cum characterem impreſſerit, Pignus dedit, quo oppignoraretur Deus ad gratiam ſacramentalem ſuo tempore conferendam.

Et ſane non eſt alienum à ſcripturæ diuinæ phraſi characterem qui in Baptiſmo, & Cõfirmatione imprimitur pignoris nomine ſignificare. Nota ſunt illa Pauli Apoſtoli. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit Pignus Spiritus in cordibus noſtris. Quo loco, Pignus vel characterem deſignat, vel quod ex charactere, & vnctione ſequitur, vt ſuperiore commentatione eſt demonſtratum. Vbi etiam probauimus, Gratiam, quæ variis in Sacramentis communicatur, Pignoris officium exercere.

Pignus ſpiritus.
2. Corin. 1. 21.

Et hæc quidem vniuerſe omnes ſpectant. Sed eſſe quoſdam ceteris cariores, quibus peculiaria quædam futurorum bonorum, quæ Deus pollicitus eſt conceduntur Pignora negari non poteſt. Tales imprimis ſunt Religioſi, qui ſe totos diuinis obſequiis manciparunt. His Deus centuplum promiſit in hac vita, in altera vitam æternam. Sed quo ſecuriores redderet, Pignus adſignauit, nimirum integram peccatorum omnium condonationem. Precioſum vtique Pignus, de quo tam certo nunquam adfirmaſſem niſi Patrum grauiſſimorum conſenſu id in ſcholas quoque, vbi omnia exactius, atque ſubtilius exanimari ſolent, inductum animaduerterem. Nempe homini, quamprimum mundum deſerit, & ſe in religione emiſſis votis Deo deuouet, omnium criminum, quæ in vita ſeculari quocumque modo ſunt commiſſa, gratiam fieri. Quod vnum eſt ex iis, quæ diligenti conſideratione expenſa, mundum merito euacuarent: & ſi non omnes, certe quam plurimos ad vitæ mutationem perducere deberent.

Pignus religioſorum.
Vide Hierony. Plat. L. 1. de ſtatu Religioſ. cap. 13.
S. Anton. p. 3. tit. 16. c. 3. §. 3. Silueſt. 5. Religio 3. dub. 23. Angel. Num. 47. S. Thom. 22. Q. vlt. Art. 3.

Ac profecto, Pignus illud ſpiritus, eiuſque ampliſſimam gratiam, quam qui noſtris ſacris initiantur, accipiunt in Baptiſmo, Religioſis in ingreſſu ſacri ordinis communicari vix amplius poteſt dubitari. Quod Waldenſis grauiſſimus auctor confirmat teſtimonio viri ſancti, qui viſione quadam ſe hoc edoctum oſtendebat: cum narraret, eandem ſe gratiam vidiſſe dimitti ſuper veſtimentum Monachi cum Sanctum habitum indueret, quam viderat ſuper baptiſma. Idem demonſtrat Anſelmus Libro ſimilitudinum extremo Oſberti exemplo. Cui pene geminum eſt, quod in Vita Magni Antonii habet S. Athanaſius. Fidem quoque meretur, quod in Annalibus familiæ S. Franciſci narratur, Chriſtophorum quendam Sacerdotem eius ordinis religioſum Angeli apparentis reſponſo in eadem fuiſſe ſententia confirmatum. Eſtque iucundum & notabile in hoc genere, quod Leontius Cyprius Epiſcopus antiquus auctor narrat in vita Simeonis Abbatis. Quæ omnia, & alia non pauca ad huius perſuaſionis confirmationem adducit. Hieronymus Platus libro primo de bono ſtatus Religioſi.

Pign. baptiſmale.
De Sacr. Tit. 9. cap. 80.
Refertur ab Antonino 3. P. Tit. 16 c. 10. §. 7.

Non diſſimulabo me intima quadam ſpiritus dulcedine perfuſum hiſce diebus dum laborioſam imitatus apiculam, per varios Doctorum flores melleum ſuccum colligens, incidi in mihi notum, & à me auditum olim, dum ad hos labores pararer, concionatorem egregium, qui poſt quadraginta annorum in hoc campo experientiam libros conſcripſit aliquos de Oratoris Chriſtiani officio, in quorum primo, præmia enarrans, & aureolas boni Concionatoris, idem illi Pignus ſalutis

Pignus concionatorum.

tribuere non veretur, quod nos ſacra lympha recens tinctis adſignamus; nimirum peccatorum commiſſorum veniam.

Peccatorum condonatio. Carolus Regius Lib. 1. cap. 22.

Inter cetera præmia, inquit, ei, qui conuertendis animabus ſtrenuam operam nauauerit, videtur ſingulari dono promiſſa ſuorum venia peccatorum. Oſtendunt id non ſolum priuilegia eleemoſynæ corporalis, quæ extinguit peccatum: & caritatis, quæ operit multitudinem peccatorum in has quoque eleemoſynas ſpirituales merito, & magis conuenientia, ſed apte, ac proprie postrema verba

Epiſt. Iacobi cap. 5.

Epiſtolæ Sancti Iacobi: Fratres mei ſi quis à vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum; ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum: nempe, non ſolum eius, qui conuertitur; ſed etiam, vt multi interpretantur, & habet Syrorum paraphraſis, ſuorum. Eſtque plane æquum, vt ei, qui ſe totum exterminandis peccatis deuouit, quod facit bonus concionator, condonentur quæ ipſe commiſit.

Pſal. 50.

Atque hoc officium maximè pollicebatur Dauid cum veniam ſuorum peccatorum precabatur: Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te conuertentur. Permagni autem æſtimandum eſt hoc ſuæ ſalutis & argumentum & Pignus, quod confirmant verba Pauli Apoſtoli in priore ad Timotheum cap. 4.

1.Tim.4.16.

Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt. Huc facit illud Eccleſiaſtici 24. Qui elucidant me, vitam æternam poſſidebunt. Breuiter, ac ponderoſe, ad Apoſtoli ſenſum Chryſoſtomus Homil. 18. in Acta. Si quis ſcandalizauerit tantum vnum, tantas pœnarum minas audit: qui tot ſeruat non ſeruabitur? Faxit Deus, vt tot laborum, quos ad Academicos erudiendos, iuuentutem inſtruendam, Sapientiæ diuinæ præcepta elucidanda multis annis ſubiuimus, præmium habeamus in hac vita Pignus ſalutis in pleniſſima peccatorum condonatione, & in altera beatitudinem ſempiternam.

NOTÆ

DE CONTRACTV PIGNORATITIO.

§. Sacramentvm *Pignus.*] Hæretici libenter vſurpant hanc appellationem, vt negent effectum gratiæ. Lutherus Lib. de captiuitate Babylonica cap. vlt. Sacramentum eſt promiſſio ſigno externo adnexa. Melanchthon in Apologia Confeſſ. Auguſtanæ art. 13. Sacramentum eſt ritus qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio gratiæ & remiſſionis peccatorum. Caluinus Lib. 4. Inſtitutionum cap. 14. §. 1. Sacramentum eſt ſymbolum externum, quo beneuolentiæ erga nos ſuæ promiſſionem conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem, & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram tam coram eo & Angelis, quam apud homines teſtamur. Pleſſæus Lib. 4. de Euchariſtia cap. 1. Sacramentum eſt ſacer ritus à Deo inſtitutus, promiſſioni gratiæ à Chriſto factæ adiunctus, quo, tanquam arrhabone & teſtimonio fidelis quiſque certus ſit promiſſionem illam gratiæ quæ in verbo diuino explicatur, ſibi particulatim exhiberi, ratificari, applicari.

Alia multa habent rationem pignoris præter hactenus recenſita.

Verbvm Dei eſt Pignvs. Deus cum aliquid promittit, impignorat ſuum

ſuum verbum Pſalmo 88. 19. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Adfirmat impignorando verbum, quod Teſtamenti promiſſio nullatenus ſit defectura. Dum autem Deus verbum ſuum impignotat, totum ſuum theſaurum tradit, Verbum enim Dei eſt ipſe Deus. Legendus Bartholomæus Scobar Sermone ſecundo de Teſtamento Chriſti in fine, vbi pluſcula de hac re.

Eſt veluti PIGNVS Gaudium ſpirituale. Conſolatur ſuos Spiritus Sanctus, & dat Pignus in cordibus eorum ad ſpem futurorum bonorum in quo gaudemus. Vide Carolum Regium Lib. 7. de Oratore Chriſtiano. cap. 19.

CRVX eſt PIGNVS. In feſto Inuentionis S. Crucis III. Maij in Reſponſ. ſecundi Noctur. Dum ſacrum Pignus cœlitus reuelatur, Chriſti fides roboratur: adſunt prodigia diuina in virga Moſi primitus figurata. Ad crucis contactum reſurgunt mortui & Dei magnalia reſerantur. Ambroſius de obitu fratris Satyri. Qui depoſuit Pignus recepit. Nihil intereſt, vtrum abiures depoſitum, an doleas reſtitutum, An ſi pecuniam neges culpa eſt, ſi hoſtiam negas impietas non eſt? Cum pecuniæ fœnerator illudi poſſit, naturæ auctor, & neceſſitudinis creditor fraudari non queat. an dominis ius eſt quo voluerint transferre mancipia, DEO non eſt?

In Reuelationibus B. Mechtildis cap. 38. ſic inſcribitur: Quod Dominus dedit ei cor ſuum in PIGNVS. Feria quarta poſt Paſcha dum intonaretur in Miſſa: Venite benedicti, ineffabili quadam, & inuſitata replebatur lætitia, dixitque ad Dominum: ô ſi eſſem vna ex illis nimium benedictis, qui hanc tuam audituri ſunt vocem! Reſpondit ei Dominus: hoc pro certo ſcias, doque tibi COR meum in PIGNVS, quod tecum ſemper habeas, & in die illa, cum hoc tuum deſiderium impleuero in teſtimonium illud mihi reconſignes. Do tibi etiam cor meum in domum refugii, vt in hora mortis tuæ ad nullam viam, præter quam in cor meum perpetuo pauſatura declines. Hoc donum fuit ex primitiis donorum Dei, cæpitque ex illa hora mira deuotione circa diuinum COR Domini IESV affici: & verè quoties cumque illi Dominus apparebat, aliquod ſpeciale donum à Corde illius accipiebat: ſolebatque ſæpe ipſa dicere. Si omnia ſcribi deberent, quæ à benigniſſimo Dei corde mihi collata ſunt bona, matutinalis libri excederent quantitatem.

LIBER

LIBER SEXTVS.

DE OBLIGATIONE HOMINIS ERGA DEVM,

Ex Contractu

MATRIMONII.

SEV

Ex titulo, ac iure CHRISTI *Sponſi, & Mariti.*

COMMENTATIO XLVI.

DE MATRIMONIO INTER VERBVM, & Humanitatem.

In qua, facta partitione Matrimonii generatim, demonſtratur in Incarnatione intercesſiſſe ea, quæ in connubiis apud mortales ſunt præcipua.

Dicite filiæ Sion Rex tuus venit tibi manſuetus.
Matth. 21. 5.

Tempus aduentus, tempus expectationis.

SACRVM tempus Aduentus DOMINI, cuius hac crepera luce diem inirialem auſpicamur, ſi Chriſtiane philoſophari volumus recte dicitur Expectationis & parafceues. Nam ſiue eo repræſentetur magnus ille dies, quo ab orbe condito ad Incarnationem, ac Natiuitatem Domini, fidelium cætus Meſſiam expectauit: ſiue, non longa annorum ſeries, qua ab eiuſdem incunabulis, ad occaſum viuorum mortuorumque Dominum, ac Iudicem præſtolamur, non alio fine tanto rituum ac ceremoniarum appa-

apparatu in Eccleſia celebratur quam vt animæ Deo caræ, vel tanquam quinque prudentes virgines, Sionis filiæ, acceptis lampadibus, iiſque operum bonorum oleo ſpumantibus, ſeſe præparent, vt deſtinata, ad occurſum hora exeant obuiam ſponſo, & ſponſæ, paratæque, cum eo, ad nuptias ingrediantur: vel tanquam deuota Chriſto turba, ſtratis in terra ſuperfluitatis veſtimentis, & cæſis maledictæ arboris, proprię voluntatis, ramis, iiſque in via, pedibus ad conculcandum ſubiectis, aduenienti manſueto Regi obuiam procedat: illudque lætabundi occinunt vniuerſi, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis!*

SED nemo, ſe, qua oporret, præparatione, ad nuptialem ſolennitatem diſponet, qui ignorabit connubii celebrandi naturam ac conditiones. Quocirca, cum id à nobis expoſcat Eccleſia Marer noſtra; in eaque deſudare deberet hoc brumali algentique cœlo concionatorum omnium induſtria, vt quam optime ad ſponſum cœleſtem recipiendum parati ſint Chriſtiani, nihil opportunius hoc tempore diſputari poteſt, quam de ſpiritualibus iſtiuſmodi Nuptiis: vt intelligatur, quis ſponſus, quæ ſponſa, qui Paranymphi, quis Thalamus, quæ proles, ac poſteritas huic Matrimonio ſint propria. *Notitia Matrimonialis contractus neceſſaria.*

DE quo cum nobis agendum fuiſſet nupertime, quando contractus inter Deum & hominem ſacris commentationibus illuſtrabamus; tamen, vt verum fatear, data opera in hoc tempus totam illam materiam reiecimus: tum vt nihil alieno tempore intempeſtiue ingereremus: tum vero, vt plenius totum hunc locum de contractu Matrimoniali, inter Deum & Creaturam, diebus à Republica ſacra ad illius contemplationem deſtinatis, pertractaremus: Quod modo Patre luminum auſpice aggredimur. *Matrimonij tempus Aduentus.*

ERVNT igitur commentationes noſtræ hoc ſacro Aduentus tempore de Matrimonio ac Nuptiis. Suauis profecto, atque amœna ad meditandum, ac dicendum materia. Sed quibus nuptiis? inquis; Non laſciuis profanorum, quibus nihil æque ac carnis ſordida voluptas in votis ac precio eſt. Abſit, vel cogitare de impudicis inceſtæ Cypridis ignibus. Nihil hic niſi ſacrum, ſanctum, diuini amoris plenum, ad illumque incentiuum proferre eſt animus. Et dignus profecto ſeruili ſcutica eſſet, qui hoc tempore, quo ad caſtimoniæ profeſſionem Eccleſiæ matrimonium & nuptias celebrari vetat, magnum alioqui ſacramentum, profanas ipſe nuptias, vel quid aliud, quod deterius eſt, animo agitaret, aut voce, ſanctitatis parum memor, exprimeret.

Lubet hic præſcribere & auditorem poſcere ad hæc nuptialia, non quem Hebræi lectorem volebant idoneum Cantici Salomonis: dum à nuptiali carmine, quod Rex pacificus ſponſæ Eccleſiæ, & ſponſo Chriſto haud dubie panxit, & Canticum Canticorum inſcripſit, arcebant triginta annis minorem, rectius facturi, ſi ad virtutis potius, quam annorum perfectionem attendiſſent. Sed illum petimus, quem Orthodoxi Patres ad Canticorum lectionē iudicarunt aptum: hi enim non tam quibus annis, quam quibus animis & moribus talium lectione, vel auditione ſint initiandi, ſapienter docuerunt. Sobrium & temperatum requirit Origenes, cuius iam paſſiones deferbuere, auulſaque eſt cogitatio, & amor à terrenis deſideriis, ac cœleſtium cupidini adhæreſcit. Gregorius Nyſſenus Lectorem deſignat, qui lumbos impaſſibilitate ſuccinxerit, & veterem concupiſcentiæ hominem exutus, nouum innocentiæ induerit. *Cantici Lector 30. annor. NOTÆ.* *Homil. 1.* *Homil. 1.*

Beſtiales affectus, inquit Richardus Victorinus, exuendi ſunt iis, qui ad ſactum *Praf. in Cant.*

hunc montem deſiderant accedere. Siquidem beſtiæ accedentes, lapidum grandine obruuntur, aut cœleſti incendio conſumuntur. Mihi abundè ſatis factum erit, ſi tales eſſe velint, ac conentur, qui me audiunt, vt noſtris his audiendis velint proficere, & enitantur. Vt igitur quibusnam de Nuptiis nobis agendum ſit, aperiam

Matrimonii quadruplex.

PRÆMITTO, quod habet Honorius Auguſtodunenſis, eximius Deiparæ cultor commentario in Cantica: Nuptias, quarum mentio fit in Salomonis carmine, quattuor modis contingere, Hiſtoricè, Allegoricè, Tropologicè, Analogicè. *Hiſtoricum.* Iuxta *Hiſtoriam*, fiunt Nuptiæ dupliciter, aut carnis commixtione, aut ſola deſponſatione, quæ interceſſit inter Mariam & Ioſephum. Carnis commixtio etiam inter Salomonem, & filiam Pharaonis, quam ſibi iure matrimonii copulauit, cui & domum auro, gemmiſque decoratam ædificauit.

Allegoricum.

Iuxta *Allegoriam* quoque fiunt Nuptiæ bifariam. Primò in coniunctione Verbi cum carne humana: ſeu, in aſſumptione humanæ naturæ, quam ſibi Verbum Dei intimè copulauit, & ad dexteram Patris eleuatam in ſolio gloriæ collocauit. Rurſus quando Chriſtus Deus-homo vniuerſam Eccleſiam: id eſt, totam fidelium multitudinem per commixtionem corporis ſui ſibi ſociauit: quam, & ſanguine ſuo ſubarrhauit, & lauacro baptiſmatis lauit, & variis Spiritus Sancti chariſmatibus donauit.

Matrimonii Tropologicum.

Iuxta *Tropologiam* Nuptiæ etiam duobus modis accidunt, vno, quo anima Chriſto per dilectionem copulatur. Alio, quo anima quæ eſt hominis interioris vis inferior, ſpiritui, qui eſt virtus ſuperior, per conſenſum diuinæ Legis coniungitur. De quo coniugio ſpiritualis proles: id eſt bonum opus gignitur.

Matrimonii Anagogicum.

Iuxta *Anagogen* denique Nuptiæ binis modis celebrantur. Vno, quo Chriſtus à morte reſurgens nouus homo cœlos aſcendit, & multitudinem Angelorum ſibi ſociauit. Altero, quo adhuc poſt reſurrectionem totam Eccleſiam in viſione Deitatis ſuæ gloriæ copulauit.

Dei cum creaturis Nuptiæ.

Ex quibus colligere licet, non ſemel, neque vno modo Deum, cum creatura rationali Nuptias celebrare, ſibique illam matrimonii vinculo arctiſſimè adſtrinxiſſe. Nos triplex potiſſimum Matrimonium conſideramus. Primum, Allegoricum: idque duplex: Nempe, Verbi diuini cum Humanitate: & Chriſti Domini cum Eccleſia. Secundum, Tropologicum DEI Chriſtique cum anima viatoris. Tertium, Anagogicum Dei cum anima, corporeque comprehenſoris, ac beati.

Affectus pii Amoris.

Ex horum contemplatione concitandi ſunt in nobis, quos ſubiungam, affectus, ne infructuoſa ſit rerum altiſſimarum commentatio. PRIMVS eſt Amoris in DEVM, & CHRISTVM particulatim, eiuſque ſanctiſſimam humanitatem. Non reperio ſanè meditationem, quæ accuratiores ſtimulos amoris ad amandum admoneat, dicam equidem, quod ſentio, quam Nuptiarum, ſiue verbi diuini cum humanitate in Chriſto: ſiue Chriſti cum Eccleſia: ſiue eiuſdem cum ſingulis nobis Eccleſiæ membris. Non ſua, ſed noſtri cauſſa tot impendiis ſuis hoc matrimonium cum ancillulis ſuis iniit Dominus, vt nos illum feruentius amemus, & religioſius colamus. Et ego in flammis thori genialis rigeam, ac in igne congelaſcam?

Stimulus Amoris.

QVIS non inflammetur, ac colliqueſcat, cogitans, tanti ſe fuiſſe Domino cœli & terræ, vt non dicam, Rex eius, Dominator, Caput, ac Pontifex: ſed frater,

ſponſus,

Digitized by Google

ſponſus, amaſius, procus dici voluerit? vt de ſe cantari iuſſerit, quæ ardentem, imò, quibuſdam, impotentem amorem præ ſe ferant? Et hunc ego non amem? ad huius amplexus non aſpirem? in huius ſinum non ruam? ad huius ego protectionis tas non euolem? Huic ego putidam, carneæ voluptatis vomicam, viliſſimas mundi illecebras, diabolicos fauores, peccati familiaritatem præferam? Phy! apage, anathema. Ego tibi amorique tuo, Animarum Sponſe, res infra te omnes, ac quicquid vbique creatum poſthabere ſtatui. Tu mihi Deus eris in poſterum: Deus meus & omnia.

Secvndvs affectus ſit Gratitudinis. Nam, dum tam ſingulariter amauit te, non ſolum ad amoris pariationem, atque hoſtimentum, vt in hac re antiqui dicebant, inuitat: ſed etiam gratitudinis adfectum poſtulat, qui cum illo amoris necti debet. Non eſt gratus, qui de amante rarò cogitat: qui beneficiorum obliuiſcitur: cui non ſæpe illud in corde, & in ore; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi*? qui, quæ poteſt agreſtia ſaltem dona ſponſo ſuo non offert. *Gratitudinis.*

Sed viuam maximè memoriam Sponſi commendo, quæ hoc potiſſimum Aduentus tempore coli debet: in quo nihil ferè aliud, quantum humanarum patitur occupationum varietas, cogitandum eſſet, quam de diuinis illis nuptiis: id eſt, Filii Dei Incarnatione: aliarum etiam, quamtuis piarum de ſanctis, rebusque cœleſtibus meditationum, ſepoſita exercitatione. Certè Eccleſia in Aduentu commemorationes conſuetas Mariæ Virginis & Apoſtolorum, ac aliorum Sanctorum tutelarium, in precum horariarum officio, prudenter ſeponendas cenſuit, vt mens tota in Sponſum venturum feratur, de aliis minus ſolicita. Et ne ante Domini in mundo exortum, imploret opem ac patrocinium eorum, quos conſtat, tanquam eos famulos, ab ipſo Incarnationis merito, gratia & ſanctitate donatos: quique per Chriſtum noſtram tutelam ac patrocinium ſuſceperunt. Imò, nec Pacis, nec Crucis, per anni ferias fieri ſolitam commemorationem induxit hoc tempore, vt expeditius ſponſi debitis vacemus. Et ne videatur Christvs ante paſſus, quam natus: & nobis pacem prius attuliſſe, quam venerit. *Memoria Sponſi.*

Huc etiam ſpectat, Nuptiarum carnalium in Aduentu interdictio: videlicet, vt ab omni alia ad carnem ſpectante cogitatione expediti ad vnius cœleſtis Heri connubium anhelemus: & ad illum dignè recipiendum, præparandumque tantæ Maieſtati habitaculum, vires omnes noſtras conuertamus. *Nuptiæ non celebrantur in Aduentu.*

Verum omnia hæc eo diriguntur, vt, (qui fructus eſt piorum adfectuum maximus) ita Sponſo Chriſto adhæreamus: ita gratiæ glutino copulemur Deo, vt nunquam ab eius amplexu, vllius peccati mortalis malignitate ac violentia auellamur. *Vnionis cum Deo.*

Hic ſcopus ac finis, concionum, exhortationum, commentationum, laborum omnium ſponte ſuſceptorum. Quamobrem ſi qui forte lethalis alicuius culpæ ſibi ſint conſcii, illi ſacra exhomologeſi, iterum in gratiam Sponſi venire quantocyus conentur: certi alioqui ſe non animarum Sponſo, Chriſto, ſed inſidiatori & peremptori maligno Dæmoni Aduentum celebraturum. *Allegoricum connubium.*

Iam verò inter tria illa Nuptiarum, ſeu connubiorum genera, primum, quod Allegoricum vocauimus, eſt huius temporis, & ab *Incarnatione*, ſiue, vt Damaſcenus vocat, ἐνανθρώπησει, vt Hilarius, *Inhumanatione*, vt alii, *Incorporatione* Verbi diuini non eſt diuerſum. Nimirum, Deus ante omnia tempora ſecularia, cum *Incarnatio. Damaſ. lib. 3. cap. 6. Hilar. in Prol. Pſal.*

cum ſtatuiſſet bonitatis ſuæ radios, in aliqua, quæ ipſe non erat, communicatione transfundere: & hinc inde amoris æterni miſſilia extra ſe iacere: ad quod bonitate ipſa, quæ ſui ſemper communicatiua eſt, incitabatur; placuit ſupra omne id, quod infra Deum erat, Humanam naturam, quam vnice, nullo eius merito, iam tunc pene deperibat, euehere.

Angelorum dignitas. S E D duo quædam maxime obſiſtere videbantur. Vnum quidem, ſpirituum quorundam ab omni corporis, fœdique coaguli concretione ſeparatorum, quos Angelos vocamus, naturalis eminentia, & nobilitas: qua in altiori gradu conſtituti, humanum genus, tanquam infra ſe poſitum, deſpectabant, eximiis naturæ prærogatiuis ſuperiores. *Hominum fœditas.* Alterum vero, quod obeſſe poterat, eſt turpiſſima amari huiuſce generis præuaricatio, à mente diuina in illa omniſ. ia æternitatis ſpecula, ac ſi præſens eſſet, præconcepta, qua fore videbat, vt tota ſtirps capitis ſui, & propriis demeritis, bono omni naturæ ſuperaddito, ſpoliata, in miſerrimam ſeruitutem abduceretur: ibique mancipii inſtar, detinenda eſſet, famulatura viliter, omnibus obſcœnæ turpitudinis notis defœdata, opprobrium Dæmonum, ludibrium aduerſariorum, odium Dei.

Decretum Dei de exaltanda natura humana. Huc enim genus hominum Protoplaſti ſcelus, & inde in poſteros deriuata lues natalitia adduxerat. Fixum tamen erat ſupremo Monarchæ, ipſam illam nihilominus vſque adeo deturpatam naturam non in priſtinum ſolummodo ſtatum, ſanitatem pulcritudinem reſtituere, ſed additis quoque innumeris dotibus, omnibus aliis à ſe conditis naturis anteponere: & puris illis mentium beatarum ſpiritibus: non æquare modo, ſed & præferre. *Conſilium Altiſſimi.* Id conſilii ſtabat, Quid faceret? Quod ſupremus Princeps, cum deliberatum eſſet, ad amoris, ac potentiæ oſtenſionem, ancillulam aliquam, vilis, ſeruiliſque generis, quam omni fœditatum turpitudine conſpurcatam non ignoraret, ad thronum thorumque ſuum euehere. quod Aſſuerus fecit, vt Eſtherem Vaſthi Reginæ arrogantiſſimæ præponeret: Videlicet coniugio ſibi ſtabili iungere conſtituit. quis credat? ita tamen ſe res habuit, & vt credamus, ſacra fides imperat.

Modus liberandi generis humanum. D E V M in arcano illo Trinitatis Sanctiſſimæ conſilio decreuiſſe, vt conſtituto à ſe tempore altera è Trinitate perſona, eiuſdem cum duabus ſubſtantię humanam naturam Matrimonii vinculo indiſſolubili ſibi deuinciret. Hic vnicus erat ſeruam liberandi, ac euehendi modus, vt in ſponſam electam adſumeretur, & ſic illam Reginam, ac Imperatricem pronunciaret. Atque ita, quotquot ſummo Imperatore inferiores erant, Auguſtam illam agnoſcerent, & vt ſuperiori caput inclinarent, ac venerarentur. Magna dignitas, & qua poſt diuinam maior excogitari non poteſt: imo diuinæ par, ac plane diuina: ſi addas, Matrimonii huius nexu æterno factum, vt idem, qui homo, ſit D E V S, humana natura diuinæ perſonæ copulata.

C O M P L E X V S eſt, quæ diximus, Apoſtolus breui ſententia, ſed longa conſideratione digna, ſcribens ad Romanos de Chriſti Domini exinanitione, indeq; exaltatione. *Ad Rom. 1. 34.* *Qui factus eſt*, inquit, *ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem: qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum Sanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti*: Hoc eſt, vt humanum genus à miſera Dæmonum ſeruitute in libertatem filiorum Dei vindicaret, illudque ſuper creatam omnem dignitatem eueheret, ex progenie regia Dauidis humanam naturam diuinitus aſſumpſit, & vinculo Matrimonii æterno copulauit. Cum autem vere homo inter mortales natus eſſet:

ante

ante omnem tamen ęternitatem prędeſtinatum fuerat, vt per eam copulam humanæ libertatis aſſertor Dei filius eſſet; Item vt ille ipſe homo, qui de virgine Spiritus Sancti virtute naſceretur vna cum Deo Patre vere Deus eſſet, eadem poteſtate præſtans, & eiuſdem naturæ ſpiritualis particeps, eademque Sanctitate præditus. Quod ſane ipſemet ſe à mortis vinculis eximens, & ſe ab inferis excitans comprobauit IESVS CHRISTVS Dominus noſter.

Tempus contractus Matrimonii.

Ex quibus, quod ad chronologię ſacrę fidem ſtabiliendam imprimis ſpectat: & in dotalibus tabulis, quas ſuo tempore dabimus, ſcrupuloſe notari ſolet, colligendum eſt tempus, ac locus, in quibus de nuptiis inter Verbum diuinum, ac Humanitatem eſt actum, non neglectis perſonis, quarum intererat, & à quibus contractus ille eſt ſtabilitus.

Hodie æternitatis.

TEMPVS fuit dies hodiernus æternitatis. Quid miraris hodiernum dici? Vbi dies nec heſterni fine inchoatur, nec initio craſtini terminatur ſemper hodiernus eſt: Is autem, cum ſit indiuiſibilis, & ſemper idem, cauillationibus illum vel contrahere, vel producere, vel mouere volentium minime eſt obnoxius.

Locus contractus.

LOCVS autem non fuit alius, quam auguſtiſſimum Diuinitatis palatium; in quo ante mundum fabricatum Deus ſibi, ſuiſque cogitationibus tanta maieſtate dignis indulgebat. Quod nam illud, & vbi? dicere id non habeo. Memini tamen alicubi docere Philoſophum, ſi granum coriandi, extra vniuerſum conſiſteret, non in alio loco, quam in ſe fore. Et DEVS vbinam fuiſſet? apud ſe, & in ſe. Ipſe ſuum eſt palatium, ſedes, perfectio.

Cui eſſe ſibi ſufficit, efficitque cuncta:
Regnabatque potens in maieſtate creandi,
Et facienda videns, gignendaque mente capaci
Secunda diſpiciens, & quicquid tempora voluunt
Præſens ſemper habens immenſum mole beata
Regnum erat ipſe ſuum.

Canebat olim Chriſtianus Poeta.

Claud. Vict.

Itaque tribus perſonis diuinis in vnum coactis, ſi ſic loqui fas, ipſo æternitatis die decretum eſt factum de connubio inter Verbum ac Humanitatem, deſtinatumque tempus, quo nuptias celebrari, & Martimonium peragi placuit.

Denunciationes ante Matrimonium.

QVOD quidem primo à Præconibus ad id ſelectis, ac præordinatis, Prophetis, Patriarchis, Patribus ſtatim à mundi naſcentis exordio publicari iuſſit DEVS, & fideles omnes ad fauſtiſſimas concelebrandas nuptias, vel inuitari, vel voto deſiderandas, & expetendas accendi. Quod egregie ab iis præſtitum repetitis frequentiſſime vocibus, quibus, & ſe, ſponſum vehementiſſime expetere ſignificabant: & populorum deſideria, ad eius Aduentum ſolicite exſpectandum accendere conabantur. Quamobrem & in hiſce nuptiis obſeruatum videmus, quod poſtea ab Eccleſia ſapienter fuit ſancitum: vt Matrimonia non niſi denunciationibus, aut proclamationibus, de eo in populi congregatione præmiſſis, ineantur, ac celebrentur: vt ſi quis forte impedimentum aliquod perſpectum habeat, illud detegat.

NOTÆ.

Proclamationes variæ.

VVLTIS proclamationis nuptialis formulas? vnam, eamque antiquiſſimam protulit Iacob Patriarcha: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*, Geneſis 49. 10. Alteram formauit

maui Moſes: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Deuteronomii 18. 15. Aliam compoſuit Abakucus: *Apparebit in finem & non mentietur: ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Diuerſam ab his concinnauit Aggæus: *Ad huc modicum, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes & veniet deſideratus omnibus gentibus.* Ita fine factum denunciationibus finitis.

Abak. c. 2.

Agg. 2. 7.

Coniunctionis tempus.
Annus Incarnationis.
NOTÆ.
4051.
65.

EXORTA eſt enim tandem lux illa exoptatiſſima: aduenit tandem tempus ab æternitate deſtinatum, in quo Nuptias inter Verbum ac Humanitatem celebrari, & Matrimonium compleri debere temporum Domino eſt viſum. Id fuit annus ab orbe condito, probabili multorum ſententia, nam nihil hic eſt omnino irrefragabile, nihil apodicticum: fuit, dico, annus quater milleſimus quinquageſimus primus, ſextæ mundi ætatis ſexageſimus quintus. Quo quidem tempore, menſe Martio, eius die vigeſima quinta, ne quid ſine ſolenni ritu perageretur, vti iam olim ſancitum fuerat.

Procuratio nuptialis Gabriel Conciliator Prodromus Metator Procurator

MISSVS eſt ad virginem Hebræam, in Nazaretico conclaui delitеſcentem ex Dei dulcis, charus in paucis, Gabriel Angelus. Quem, vtrum huius Matrimonii Conciliatorem, aut Prodromum, & hoſpitii nuptialis Metatorem, aut Paranymphum appellare deberem, dubitatum eſt à me aliquando: nunc certum, genialis thalami Procuratorem dicere. Cum enim Deus caſtiſſimæ virginis vterum Filio ſuo vnigenito thalamum deſtinaſſet, in quo abdita huius Matrimonii ſecreta, ac myſteria peragerentur, noluit id ſine virginis conſenſu fieri. ablegat ergo fidum ſibi, qui nutum Dominæ impetret. Id fideliter factum à Gabriele, colloquio inter Sponſam & Procuratorem habito: quod à vobis ſæpe auditum ac lectum hic retexere non attinet.

Spiritus S. Pronubus.

IMPETRATO virginis conſenſu, quoniam maioribus, quam quæ creatæ ſunt, viribus opus erat, adfuit Spiritus Sanctus, qui paratis omnibus, quæ ad ſummi Regis connubium, quanta cum pompa, & celebritate fieri par erat, conficiendum neceſſaria, ac opportuna videbantur, Pronubi officio functus, Virgini diuina quadam nube obumbrando, ac obnubendo comitem ſe præbuit Sponſo cœleſti, è Patris ſinu, eum tamen minimè deſerendo, in Matris Virginis dilabenti: Patre quoque, eundem locum, præſentia ſua cohoneſtante.

In Virginis vtero initur Matrimonium.

IBI tunc, mirum dictu, verum tamen, ex puriſſimis Virginis ſanguinibus, cooperante abdito mortalibus modo, incognita nobis, ac ineffabili Spiritus Sancti virtute, formauit Deus, punctulo temporis, humanum fœtum, virileque corpuſculum, vndequaque elegantiſſimum, ac perfectiſſimum. Et eodem pariter tempore, ſummus ille Opifex, qui cotidiè tot animarum rationalium millia creare, corporibuſque aptatis infundere conſueuit, vnam aliquam, omnium præſtantiſſimam, cunctorumque donorum, ac gratiarum, tam naturalium quam ſupernaturalium plenitudine cumulatiſſimè refertam ac ſuperefflluentem produxit, & organis ſuis bellè exornato corpuſculo indidit. Nec alio momento, ſi tempus ſpectes, tamen naturæ ordine poſteriori, in eodem humano, animatoque conceptu, diuinam, humanamque naturam, perſonaliter, vinculo prorſus indiſſolubili vſque adeo copulauit, vt, quod omnem humanam, Angelicamque ſuperat comprehenſionem, vna eademque vnigeniti, ac coæterni Filii Dei perſona ſimul Deus, & Homo ſit, & dicatur.

Serm. 7. de Natiuit.

Ita vt, quemadmodum eleganter diſſerit Leo Papa, in vtraque natura, diuina ſcilicet,

ſcilicet,& humana, idem ſit Dei Filius, noſtra ſuſcipiens, & propria non amittens: in homine hominem renouans, in ſe incommutabilis perſeuerans. Deitas enim, quæ illi cum Patre communis eſt, nullum detrimentum omnipotentiæ ſubiit: nec Dei formam, forma ſerui violauit: Quia ſumma, & ſempiterna eſſentia, quæ ſe ad humani generis inclinauit ſalutem, nos quidem in ſuam gloriam tranſtulit: ſed quod erat, eſſe non deſtitit. Vnde, cum vnigenitus Dei minorem ſe Patre confitetur, cui ſe dicit æqualem, veritatem in ſe formæ vtriuſque demonſtrat, vt, & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas. Hîc iam ſuauiſſimæ ſpeculationi indulgeamus, & quicquid ad nuptialem apparatum pertinet: Matrimoniique rationes penſiculatius contemplemur.

IN coniugio hominum naturali hæc ferè ſpectari poſſunt. *Primum*, Colligatio quædam. *Secundum*, Colligationis iſtius effectus, qui eſt vinculum quoddam perpetuum, ac inſolubile Sponſum & Sponſam vinciens. *Tertium*, Conſenſus amborum mutuus. *Quartum*, Communis habitatio. *Quintum*, Fides, quam alter coniugum alteri ſeruare tenetur. *Sextum*, Liberorum procreatio. Ad quam requiritur in coniugibus, quod eſt *Septimum*, Habilitas. *In coniugio ſpectantur 6.*

ATQVE vt hinc potiſſimum auſpicemur, & oſtendamus habilitatem procreandi inter coniuges, de quibus agimus: nimirum inter Verbum diuinum, ac Humanitatem: Supponatur: aliam liberorum procreationem hic attendi non debere, quam actuum liberorum ac meritoriorum, qui huius connubii ſunt fructus, ac filii. Hi autem illius ſunt conditionis, vt ſine Dei cum creatura libera coniunctione prodire non potuerint, ideoque vocantur actiones *Theandricæ*, ſeu, Deo-viriles, ad quarum productionem, ideoque ad huius connubii conſummationem habilis fuit Dei Filius, eiuſque ſponſa Humanitas. De qua à verbo diuino ſemine fœcundata, & infiniti pretii operationes, tanquam prolem nobiliſſimam profundente, dici potuit: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Qui nam illi filii? humilitatis, obedientiæ, miſericordiæ. caritatis, ſimileſque operationes plane diuinæ: quæ niſi Deum habuiſſent in humanitate operantem, non fuiſſent infiniti valoris: niſi hominis eſſent, non vocarentur humanæ. *Habilitas ad procreationem liberorum.* *Theandricæ operationes.* *Pſal.127.3.*

CVM ergo Verbum diuinum, & Humanitas, tanquam Sponſus & Sponſa, habiles ſint ad hoc connubium, facta eſt inter illos Colligatio quædam, quam Theologi Aſſumptionem vocant, qua Verbum Humanitatem, tanquam Sponſam, ad ſe aſſumpſit: id eſt, illam ſibi: illi ſeſe colligauit. Acutè enim S. Thomas diſtinguit vnionem ab Aſſumptione, quod Vnio ſit aliquid, vt loquimur in ſcholis, in facto eſſe: videlicet modus ille ſubſtantialis coniunctionis, quo Humanitas copulata fuit verbo, aut relatio fundata in iſtiuſmodi coniunctione: Aſſumptio verò ſit aliquid in fieri, ac in via, nimirum, actio illa, qua Deus coniunxit ſibi naturam humanam ad vnitatem in hypoſtaſi Verbi: quæ actio reuera non eſt aliud, quam productio illius modi, quo extrema illa vniuntur. Connotat tamen ſimul in ipſa vnione eſſe reſpectum ad illud ipſum, quod eſt principium illius actionis. Eſt enim Aſſumptio, quaſi ad ſe ſumptio. Etpropter, quamuis tres perſonæ diuinæ effecerint vnionem, vna tamen tantum, videlicet, Verbum, dicitur adſumſiſſe naturam humanam. *Colligatio.* *Aſſumptio.* *Vnio.*

APPREHENSIONEM Paulus vocat. Quod nuptiale eſt vocabulum: apprehendendo namque manum, Sponſa ducitur. *Nuſquam Angelos apprehendit; ſed ſemen* *Apprehenſio.*

Abraha

Digitized by Google

Hebr. 2.16. *Eccl. 15.2.*

Abrahæ apprehendit, inquit Apoſtolus. Vtitur eadem voce Eccleſiaſticus, agens de nuptiis ſapientiæ, quæ vera iuſtitia eſt. *Qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendit illam:* hoc eſt, facilem ſe præbebit, vt conuenire in manum ſine vlla difficultate poſſit, & ſine magno labore ei ſociabitur. *Et obuiabit illi, quaſi mater honorificata*: id eſt, quaſi ſponſa præcipua, quæ apud Iudæos erat mater familias, in primo ac ſummo honore, non vt ancilla, & concubina, qualis fuit Agar Abrahæ, cum mater honorificata eſſet Sara.

Beneficium Aſſumptionis.

PORRO, iſta ſiue Apprehenſione ſiue Adſumptione, ſiue coniunctione maritali, tantum eſt humano generi collatum beneficium, vt mente nequaquam concipi, nedum verbis exprimi, aut vlla mortalium eloquentia, pro dignitate, exornari poſſit. Quicquid adferre, dicere, cogitare, valet humana imbecillitas, eſt infra eius magnitudinem. Quamobrem quicquid tandem gratitudinis ergo, à nobis excogitatum fuerit, nunquam illius immenſitatem æquabit. Vt ingratiſſimus merito habendus ſit, qui nunquam, aut raro, grata ſaltem memoria tanti muneris amplitudinem celebrat: Sed multo magis, qui illum ipſum, à quo tot beneficiis eſt cumulatus, ſæpiſſime ac grauiſſime offendere non veretur. Si tu te ipſe, quantus quantus es, non ſemel, ſed infinities, ſi fieri poſſet, offerres: bona, corpus, vitam, animam cotidie conſecrares, illius vnius doni magnitudini non ſatisfaceres: & tu, nulla illius cura, in Donatorem, manu, calce, gladio, toties, quoties mortaliter delinquis, voluntarie incurris, bipedum ingratiſſime?

Chriſtus non potuit æquales gratias reddere pro vnione hypoſtatica. NOTÆ.

MAGNVM aliquid proloquar, quod ad gratitudinem ob tantum beneficium merito plurimum valere debet. Exiſtimo Chriſtum ipſum, cuius tamen opera erant valoris infiniti: ideoque, modo quodam infinita grata DEO, pro beneficiis humanitati collatis, & particularim, beneficio hoc Aſſumptionis, ſeu Vnionis cum increata perſonalitate, gratias æquales agere non potuiſſe. Et Deum patrem potuiſſe à Chriſto exigere, titulo gratitudinis, omnia illius toto vitæ tempore exhibita opera. Tam fidenter id non auderem aſſerere, niſi Theologos, & in antiqua Magiſtri, & recenti Thomæ Aquinatis cathedra exercitatiſſimos, eius ſententiæ patronos laudare poſſem; & niſi me ratio ad id dicendum impelleret.

Quid ſit beneficium Aſſumptionis.

Nam Aſſumptionis illud beneficium, ſiue Incarnationis, non eſt aliud, quam perſona increata Verbi, vnita Humanitati. Quod donum, haud dubie, eſt maius, quam omnia Chriſti Domini opera, quæ valorem ſuum habuere ex illo ipſo beneficio, quod idcirco virtute continet valorem omnium illorum operum, quæ Chriſtus in gratiarum actionem offerre potuit.

Opera Chriſti æqualia ad ſatisfactionem.

NEQVE tamen ex his inferri permiſerim, vt olim quidam male collegit: Itaque opera Chriſti non fuere æqualia ad ſatisfaciendum Deo, ſi minora fuerint, quam Aſſumptionis beneficium. Friuola collectio. Potuerunt ſane eadem opera minora eſſe Aſſumptionis beneficio, & maiora peccatorum debitis, pro quibus exigebatur ſatisfactio. Siquidem beneficium Vnionis cum Diuinitate, multo fuit maius in ratione beneficii, quam debitum peccatorum in ratione debiti: atque ita valor operum Chriſti, quamuis minor eſſet, quam beneficium Aſſumptionis, maior tamen eſſe potuit, quam debitum peccatorum: ideoque æqualis ad ſatisfactionem omnium criminum ab humano genere perpetratorum.

Chriſti opera variarum virtutum.

Ex quibus ita philoſophemur. Chriſtus Deus-homo, tanto beneficio, in noſtri gratiam, eius humanitati collato, tot laboribus in vita mortali toleratis, tam adſtricta paupertate, tam arcta caſtimonia, tam perfecta obedientia, tot corporis affli-

afflictationibus, ieiuniis, peregrinationibus, vigiliis, contumeliis, ſpinarum coronatione, flagellorum caſtigatione, ſputorum defœdatione, illuſione, blaſphematione, condemnatione patientiſſime tolerata: morte denique ipſa longe acerbiſſima & ignominioſiſſima, ſufficientem ac æqualem gratiam referre: aut diuinis verbis, & oratione agere non potuit. Et ego terræ filius, vermis, vmbra, vanitas, nihil, me plus ſatis in gratiam tam munifici Benefactoris facere arbitrabor, ſi, quod ſerui quoque inutiles agunt Dei mandatis quomodo libet obedierim. Et vtinam ſaltem hoc ab omnibus impetretur! Sed maiora profecto à nobis exigit generoſus: id eſt, Chriſtiana dignus nobilitate animus. Offeramus beneficentiſſimo Donatori, fortunæ, naturæ, corporis, animæque facultates omnes, nunquam gratitudinis debito vel minima ex parte huius ſolius beneficii intuitu ſatisfaciemus.

In Aduentu Ieiunium.

Qua conſideratione ducti fortaſſe maiores noſtri, non minus in Aduentu, quam in quadrageſima, ieiunandi conſuetudinem ſeruarunt. quod etiamnum Monachi, & religioſi ordinum mendicantium fratres colunt. Vobis, quibus fortaſſe non eſt tantus pietatis ardor, ieiunium ſaltem à peccatis, comeſſationibus, ebrietatibus, immodeſtia, graſſationibus nocturnis, ac diurnis contentionibus indictum, ſciatis.

FRATRES, *hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus.* Nox *præceſſit: dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Ecce Rex tuus, filia Sion, venit tibi manſuetus.* Maieſtas terrebat? eſt poſita: nil niſi amor, benignitas, clementia auditur in terra noſtra. Dominum metuebas? nunc amicum, fratrem, dilectum, ſponſum habebis. Bellipotentem horres? aliis eſt; tibi pacificus, & mera ſuauitas. Fortem times? pone metum: ſaucius eſt, ſed amoris penna, eandem in te figet. Pro ineffabili, experieris amabilem; pro terribili dulcem; pro Rege, ſponſum, qui humanitatem Adſumptione, ſiue apprehenſione ſibi copulauit. cuius copulationis effectus eſt

Vnio hypoſtatica.

VINCVLVM indiſſolubile, quo in perpurgata Mariæ matris aluo, dum Verbum caro factum eſt, maritali nexu Filius Dei Humanitati coniunctus fuit. Hoc *vinculum* vocatur à Doctoribus VNIO HYPOSTATICA. Auditum ſæpius nomen, inquis, ſed nunquam ſatis intellectum. credo equidem: ſed quo pacto rem clarius exprimam, ignoro: nam vacillant Theologorum ingenia, noſtri hi caligant oculi, vt noctuæ ad clariſſimum cœli iubar, cum de hac vnione inſtituitur diſputatio. Ita tamen, vt reor, clariſſime res maxime abdita fidelium animis poteſt ſubiici.

Qualis ſit vnio hypoſtatica.

VERBVM in vtero virginis humanitati, & hanc illi hypoſtatice vnitam fuiſſe certum eſt. Vniri autem hypoſtatice Verbum Humanitati, nihil eſt aliud, quam naturam humanam non habere propriam ſubſiſtentiam, vel hypoſtaſim: ſed adſumptam eſſe à Verbo ad ipſammet Verbi ſubſiſtentiam, quæ, cum dicatur hypoſtaſis, nomen inde habet Vnio hypoſtatica.

Triplex vnio Eſſentialis.

QVOD, vt facilius percipiatur, OBSERVANT Theologi trifariam poſſe aliqua plura vniri. *Primo, eſſentialiter*: nempe, quando ex pluribus fit vna eſſentia: quomodo vniuntur materia & forma: genus & differentia. Hoc modo non vniuntur, Verbum & Humanitas in Chriſto. Tum quia alioquin vna eſſet in Chriſto natura, & illa, nec diuina, nec humana, ſed tertia quædam. Tum, quia vnio eſſen-

tialis nunquam eſt niſi inter naturas imperfectas: aut, ſi in perfectis conſtituatur, ſit hoc per corruptionem, aut conuerſionem aliquam. In Chriſto autem ſunt naturæ perfectæ ac integræ. *Secundo*, vniri poſſunt aliqua *Accidentaliter*, vt cum accidentia ſubiecto adiunguntur: vel ſubſtantiæ ſubſtantia copulatur: ſed ex coniunctione non exſurgit niſi forma accidentalis. Quemadmodum quando ex lapidibus, vel lignis fit domus. Et hoc etiam modo, non eſt facta vnio hypoſtatica: quia Deus non poteſt eſſe accidens, nec accidentium ſubiectum. *Tertio*, itaque vniuntur nonnulla *Subſtantialiter*: & cum ſubſtantia, quæ alioqui per ſe ſubſiſteret, trahitur ad eſſe alterius ſuppoſiti, & ab illo pendet, tanquam pars illius. Hoc autem modo facta eſt Incarnatio.

Accidentalis.

Subſtantialis.

Vnio hypoſtatica maxima vnionum.
Ex vi vniendi. 3. p. q. 2. art. 9.

I AM illud ſatis conſtat apud bonos Theologos, arctius eſſe hoc vinculum inter Verbum & Humanitatem, quam ſit vllius connubii inter mortales celebrati. Primò quidem: quia maiorem habet vim vniendi. Vt non immeritò doceat Thomas Aquinas, Vnionem duarum naturarum in Chriſto eſſe dicendam maximam Vnionum omnium. Quod non ſolum reor verum eſſe, ſi attendatur id, in quo fit illa coniunctio: quoniam fit in termino communi omnium ſimpliciſſimo: videlicet perſona increata Verbi. Verum etiam in virtute vincendi, ac faciendi vnum ex pluribus. Eò enim eſt maior Vnio, ſi vim vniendi ſpectes, quo habet efficaciam maiorem vniendi ea, quæ magis inter ſe diſtant. Hæc autem Vnio coniungit ſubſtantialiter duo extrema maximè omnium diſtantia, videlicet, Humanitatem cum perſona increata.

Ex inſeparabilitate.
NOTÆ.

DEINDE verò, quia vinculum iſtud minus eſt ſeparabile, ac diſſolubile, quam Matrimonii. Non poteſt enim diſſolui vllius cauſſæ creatæ virtute: quo nulli alteri inter homines Vnioni conuenit. Lego quidem de naturalis connubii vinculo: *Quos* Deus *coniunxit, homo non ſeparet.*

Matrimonium ratũ diſſolubile.
Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 3.
Cap. 22. Num. 21.
Tom. 1. tract. 28. q. vna.
Cap. 8. Num. 11. lit. F.

Verum, admodum probabile eſt, Matrimonium inter homines ratum, ſummi Pontificis diſpenſatione, ſolui, ante cõſummationem, poſſe. Quod cõmuniter docent Iuris Pontificii Interpretes, & ex iunioribus Theologis ſummæ auctoritatis non pauci adfirmant, quos impellunt Pontificiæ conceſſiones. Siquidem, & D. Antoninus adſerit, ſe vidiſſe bullatas litteras Martini V. & Eugenii IV. qui diſpenſarunt: & Nauarrus in Enchiridio ſuo, refert, ter vel quater, ad petitionem ſuam, Paulum 3. & Pium 4. diſpenſaſſe. & Caietanus opuſculo de Matrimonio ſcribit ſuo tempore ſæpe Pontifices diſpenſaſſe: & Heinriquus Heinriquez Libro 2. De Matrimonio narrat Gregorium 13. Optimum Pontificem vno die cum vndecim diſpenſaſſe.

Matrimonii omnis vinculum morte diſſoluitur.

SED ſint hæc dubia, illud tamen eſt certum, ac indubitatum; morte naturali vinculum matrimonii non rati modo, ſed & conſummati diffindi. *Mulier alligata eſt legi*, ait Paulus, *quanto tempore vir eius viuit: quod ſi dormierit vir eius, libera eſt, cui vult nubat: tantum in Domino.* 1. ad Corinthios 6. 39. nempe, quia mortuo viro à prioris connubii vinculo eſt expedita. Et ad Romanos 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi ſit cum alio viro.* At verò, vinculum inter Humanitatem ac Verbum diuinum, ne morte quidem interueniente diſſolui poterit: manſit enim & cadauer in ſepulcro, & anima apud inferos Verbo vnita. Quare plane Theologice Bernardus ad Eugenium Papam ſcribens, pronunciat: Solam vnionem trium perſonarum in Diuina eſſentia huic vnioni naturarum in Chriſto antecellere.

Lib. 5. de Conſid.

IMO,

Imo, idcirco cuiuſdam Matrimonii apud homines, nimirum, illius, quod *Ratum* dicimus ſolubilis eſt nexus: cuiuſdam autem alterius, nempe, quod *Conſummatum* vocamus, inſolubile eſt vinculum: quoniam poſterius hoc, Vnionem Verbi cum Humanitate: illud prius non item eam repræſentat. Notum eſt enim in Theologorum ſcholis illud inter vtrumque diſcrimen quo ad ſignificationem: quod *Ratum* matrimonium ſignificet vnionem diſſolubilem Chriſti cum Anima exiſtente in gratia: vel, ſi repræſentet vnionem Chriſti per caritatem cum tota Eccleſia, non, niſi qua diſſolubilis eſt, eam refert, quo ad membra Eccleſiæ, per culpam lethalem, quam admittunt: quamuis, quoad totam Eccleſiam, in qua neque macula, neque ruga, indiſſolubilis ſit. *Conſummatum* autem matrimonium ſimpliciter, ac primario ſignificat indiſſolubilem vnionem Verbi cum Humanitate, vel Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. Cuius quidem diſcriminis in ſignificatione hæc eſt cauſſa, quia per Matrimonium conſummatum tantummodo fiunt coniuges vna caro, vt dicitur *Cap. ſecundo de conuerſat. Coniugatorum &c. Lex.* vigeſima ſeptima. *Quæſt.* 2. Atque idcirco ſolum Matrimonium conſummatum ſignificat eam coniunctionem, per quam Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia per Incarnationis myſterium.

Quare Matrimonium ratum ſit ſolubile. Conſummatum inſolubile.

Significatio Rati.

NOTÆ. Significatio conſummati.

Qvod non obſcurè inſinuat S. Paulus, qui illud ad Epheſeos 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, non ante pronunciauit quam præmiſiſſet: *Erunt duo in carne vna*: quod fit per copulam maritalem. Cum itaque indiſſolubile ſit Matrimonii vinculum, ob ſignificationem vnionis inter Verbum & Humanitatem, quid de illa ipſa cenſendum? Vulgare eſt illud: A quo vnumquodque tale, & illud magis. Vrit ferrum igne candens: magis ergo ferrum ipſum.

Matrimonii Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia.

Accedit his, quod maior quoque & arctior ſit vnio hypoſtatica, quam Matrimonii vinculum, ſi conſideres id, quod ex vnitis reſultat: nimirum, Chriſtum Dominum vnam perſonam in duabus naturis ſubſiſtentem. Matrimonii nexus iungit duos accidentali tantummodo, vel morali coniunctione: vnio in Chriſto Humanitatem ac Verbum planè ſubſtantialiter. Eſt enim iamdudum reprobata in ſcholis illa Durandi opinatio: in Chriſto Humanitatem verbo adueniſſe accidentaliter: quia aduenit enti completo. quamuis nunquam is ipſe adfirmare auſus fuerit, coniunctionem humanitatis, cum perſona Verbi eſſe formam accidentalem, aut non eſſe modum ſubſtantialem. Quocirca iure damnatur in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Qui non confitetur propriè, & ſecundum veritatem, ex duabus naturis ſubſtãtialiter vnitis eſſe vnum Dominum Iesvm Chriſtum anathema ſit. At vero, tantum abeſt, vt vinculum, quod coniuges nectit, ſit ſubſtantiale, vt non improbabiliter philoſophentur, qui exiſtimant, Vinculum illud, quo formaliter coniuges ſunt vniti, quod oritur ex mutua traditione, & in quo eſſentia matrimonii conſiſtit, eſſe tantum relationem quandam rationis, quoniam conſurgit ex contrahentium conſenſu, qui, cum ſit immanens, nihil in re ipſa ponit, atque ita non poteſt producere relationem realem.

Vnio hypoſtatica maxima ob terminum reſultantem.

Concil. Latera. Mar. 1. Conſul. 5. Can. 6.

Matrimonii vinculum relatio rationis.

NOTÆ.

Itaqve quanto eſt maior coniunctio inter illa, quæ ſubſtantiæ ſi nexu copulantur, quam inter ea, quæ accidentario ſolum reſpectu, tanto eſt arctior & ſtrictior in Chriſto inter Humanitatem, diuinamque perſonalitatem. Oritur enim ex iis verè compoſitum ſubſtantiale. Siquidem placet illa ſummi Theologi ſententia: Perſonam Chriſti, Chriſtumque eſſe compoſitum. Quocirca magis quid

S. Thom. 3. p. q. 2. art. 4.

vnum hic reperitur, quam de quibus dictum eſt. *Erunt duo in carne vna.* Ideo, cum variis imaginibus ac comparationibus Patres antiqui coniunctionē in Chriſto, indeque reſultantem compoſiti rationem illuſtrare conati fuerint: nullam tamen magis rem tam arcanam oculis ſubiicere, plurimi exiſtimant, quam vnionem inter animam & corpus maxime ſtringentem, & arctiſſime copulantem.

Vnio hypoſtatica mutua. SED obiicit fortaſſe Theologus non videri mutuam hanc vnionem. Poſſe quidem hunc nexum in Humanitate, adiuncti alicuius capace, concipi: in Verbo tamen, cum creatum nihil poſſit recipi, nec vnionem quidem poſſe. Ita acute quidam, ſed minus ſolide. Vnio quidem hypoſtatica, ea parte, qua inuoluit modum ſubſtantialem creatum, eſt in humanitate, tanquam ſubiecto: non autem in perſona Verbi, quod negari non poteſt: eſt tamen commune, ac mutuum vinculum, vt in coniugio naturali, & Humanitatem Verbo diuino, vt ſponſo: Verbum viciſſim Humanitati, vt ſponſæ deuincit. Vtinam etiam nos omnes, quos ſibi, ceu ſponſas deſignauit hominum amator æterno amoris reciproci vinculo, eidem, arctiſſime, quod Auditoribus meis precor, deuinciremur.

NOTÆ.

DE MATRIMONIO ALLEgorico.

LEGENDI ad lucem huius commentationis, qui ſcripſerunt de Matrimonio, Heinriquez, Rebellius, Coninck, ſed præcipue Caſpar Sanchez tribus tomis.

CANTICI *Lector triginta annorum.*] Conſule interpretes Cantici: nominatim, Delrium: qui prudenter monet, humanis ſimilitudinibus diuina adumbrari: per amoris terreni verba ad cœleſtis amoris effectus eleuari. Dum carnea audiuntur membra, ſpiritualia, quæ his ſunt adumbrata, eſſe cogitanda. Et in iſtis corporeis, atque exterioribus, interna & ſpiritualia perſcrutanda: ac de corpore loquentem audientes, à corporeis auolare debere, & extra corpus rapi. Obſeruandum diligenter, quod humani amoris paleæ, diuini frumentum tegant. quod paleæ belluis relinquendæ ſint: hominibus rationabilem cibum quærendum. Cauendum autem imprimis, ne, ſi ſecundum animalem tantum hominem, ea, quæ de nuptiis, & nuptialibus dicuntur, audiamus: & nihil ſecundum ſpiritum capere valeamus, magis grauet & opprimat, vt loquutum Gregorius & Richardus: quod poſitum eſt, vt nos leuet. Aut vt diſſerit Philo, mens grauata crimine, & quod voluptuoſum eſt cogitans, inde lethale vulnus accipiat, vnde ſalutarem medicinam & animæ refectionem capere potuiſſet.

Notat idem vti Spiritum Sanctum comparatione Amoris terreni, quia hominibus, quos inſtituebat iſte notior erat: & eſt diuini quædam imago & vtriuſque proprietates adeo ſunt conſimiles, ac conſonantes, vt diuino amori explicando, nullæ magis idoneæ ſimilitudines, nulli poſſint luculentiores colores adhiberi. Quod intellige de amore honeſto, & ab omni obſcœnitate remoto. Huius & cœleſtis ſimilia ſunt, quamuis inæqualia principia: ſimilia fomenta, & alimenta, ſimiles motus, affectiones, progreſſiones, termini, fines. Vt pulchri ſpecies, quæ in corporibus amorem excitat ſui, tantum modo eſt vmbra quædam ſpeciei, quæ ab intelligibili manans pulchritudine flammas in anima deuota accendit: ſic terrenus

renus amor, cœleſtis amoris eſt quædam adumbratio; illum vbique & ſemper inuitans: ac conſectans.

Annus Incarnationis.] Variant chronologi. Legendus Baronius Notis ad Martyrol. Romanum: & Tom. 1. Annalium. Auguſtinus Torniellus in Annalib. Pag. 358. Bellarminus in chronolog. qui adſignat annum 3984.

PROCLAMATIONES nuptiales.] De his accurate Sanchez. Lib. 3. à Diſp. 5. ex Concil. Lateranenſi 2. cap. 51. habetur capit. finali de clandeſt. deſponſ. & Conc. Tridentino Seſſ. 24. cap. 1.

CHRISTVS *non potuit æquales gratias reddere pro beneficio Incarnationis.*] Capreol. 3. Diſt. 20. Q. 1. Art. 3. Dur. Contra ſecundam concluſ. Bartholom. Medina 3. P. Q. 1. Vide Vaſquez 3. P. Diſp. 5. Suarez. Tom. 1. in 3. P. Q. 1.

MATRIMONIVM ratum diſſolubile.] Bellarmin. Lib. 2. de Monach. cap. 38. Rebelli. Lib. 2. de Matrimon. Q. 15. Sect. 3. contrarium ſentit: additque Adrianum 6. cum ab eo talis diſpenſatio peteretur, adducta in fauorem Caietani opinione primo miratum fuiſſe, virum Theologum id ſibi perſuaſiſſe: deinde reſpondiſſe, ſe dare quod poſſet: credere autem quod non poſſet. Sanchez. Tom. 1. Lib. 2. Diſp. 14. à Num. 2.

MATRIMONII *ſignificatio.* Ratum ſignificat vnionem per caritatem: conſummatum, vnionem hypoſtaticam. Quod facit, quod habet Auguſtinus, & refertur cap. Non eſt dubium. 27. Quæſt. 2. Non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium cum qua commixtio ſexus non docetur fuiſſe. Vbi Gloſſa, illud, ad matrimonium explicat, quod habeat in ſe coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ. At quid id explicatur C. Cum ſocietas: & eſt S. Leonis Papæ ead. diſtinct. Cum ſocietas nuptiarum ita ſit à principio inſtituta, vt præter commixtionem ſexuum non habeant in ſe coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum.

Imo, Innocentius 3 Cap. Debitum, *De bigamis*, expreſſe definit: Matrimonium ratum ſignificare Vnionem per caritatem: Conſummatum vero, vnionem per carnem adſumptam. Atque idcirco, defunctæ maritus, ante conſummationem, ſi iterum vxorem ducat, non fit bigamus. Quod illo ipſo cap. dicitur, & ratio ibidem adſignatur: quia Matrimonium ante copulam non ſignificat vnionem filii Dei factam cum carne humana. Hanc enim ſi ſignificaret, eſſet bigamus: quia non eſſet vnius vnus ſponſus, ſicut Chriſtus Eccleſiæ. Hæc enim irregularitas contrahitur ex defectu Sacramenti, id eſt, ſignificationis.

VINCVLVM *Matrimonii relatio rationis.*] Ita Scotus in 4. Diſt. 26. Q. vna. Palatius ib. Q. 1. Art. 2. Quæſt. 4. Art. 3. Sotus in 4. Diſt. 21. Quæſt. 1. Art. 1. Vide Heinriquez lib. 11. cap. 8. & Sanchez lib. 2. Diſp. 1. Num 7.

Vnionem hypoſtaticam eſſe ſubſtantialem docent omnes Theologi. Vide Vaſquez in 3. P. Diſputat. 16. & 17. & Suarez eod. lo.

COMMENTATIO XLVII.

Dominica II. Aduentus.

DE CONTRACTV MATRIMONII INTER *Verbum & Humanitatem.*

SEV

DE MATRIMONIO ALLEGORICO.

In qua repetitis prius antiquorum Patrum votis, ſuſpiriis, querelis diſſeritur de conſenſu Sponſi ac Sponſæ: de cohabitatione vtriuſque & Fide maritali perpetuò ſeruatâ.

Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus? Matth. 11. 3.

Piorum vota. HABVERAT quattuor annorum millibus, ante humanatum Dei Filium, pia fidelium congregatio deſiderium tam vehemens, & inflammatum, Meſſiam ſuum videndi, fruendi ſponſo: vt nullis illud verbis enarrari, nullis figuratum pigmentis exprimi, nullo ſimilitudinum colore ſatis illuſtrari poſſe *Conatus.* videretur. Laborabat in hoc multum, proficiebat parum: adhibebat omnia, efficiebat nihil: expectabat ſemper, accipiebat nunquam. Gemebat tanquam paſſer ſolitarius in tecto: anhelabat, tanquam hians ceruus ad limpidiſſimum aquæ fon- *Suſpiria.* tem: ſuſpirabat vt mediis in vndis deſertus nauita ad portum: præſtolabatur, tanquam infirmus auxiliatricem Medici opem: exoptabat, velut peregrinus, deſideratiſſimam patriam, illum cunctis gentibus deſideratum ſponſum.

Anxietates. Erat profectò mœſta, anxia, ac penè exanimis humana omnis ſocietas, cui aliquid fidei illuxerat, quod non videret toties ſibi promiſſum, tot annis expetitum, & votis omnibus ſupplicationibusque euocatum. Hunc affectum, prodebant illæ voces, oculis lacrymantibus, ex imo pectore deductæ, & toties inge- *Pſal.* 79. 4. minatæ: *Oſtende nobis Domine faciem tuam & ſalui erimus. Deus meus ne tardaueris. Veni Domine & noli tardare:* & quas Eccleſia, à Spiritu Sancto edocta in perſona antiquorum Patrum, vt illorum fidem, ac vota declaret, efformat, & toties occinit:

O Sapientia quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti attingens à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterque diſponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

Adonai, *& Dux domus Iſrael, qui Moſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti, veni ad redimendum in brachio extento.*

O Radix Ieſſe, qui ſtas in ſignum populorum ſuper quem continebunt reges os ſuum: quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos: iam noli tardare.

O clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperis, & nemo claudit: claudis & nemo aperit: Veni, & educ vinctum de domo carceris: ſedentem in tenebris & vmbra mortis.

O Oriens ſplendor lucis æternæ, & Sol iuſtitiæ, veni & illumina ſedentes in tenebris, & vmbra mortis.

O Rex gentium & deſideratus earum, lapisque angularis, qui facis vtraque vnum, veni & ſalua hominem, quem de limo formaſti.

O Emma-

O Emmanuel Rex & Legiſer noſter, expectatio gentium & Saluator earum veni ad ſaluandum nos Dominus Deus noſter.

Sed nihil magis hos ardentis pectoris igniculos effundit, quam diuinum illud drama nuptiale, compoſitum à Sapientiſſimo Regum Salomone, plenum entheis imaginibus & diuinorum amorum cantilenis, vt loquitur diuiniſſimus Areopagita. In eo inducit Salomon, rurali fictione, colloquium paſtorum duorum ſibi iam pridem deſponſatorum, nuptiis in futurum dilatis, ardenter ſeſe amantium. Vos genus humanum cogitate, vel piorum cœtum, ceu ſponſam, & promiſſum tot ſeculis ad nuptialem thalamum Meſſiam. Fingitur Sponſa ex amoris vehementia, & deſiderii cruciatu, animi deliquium pati: aduocare ſponſum, adiurare comites, obteſtari cœlum, implorare opem hominum: morbum animi prodere, mortem certo certius prædicere, maciem, pallorem, vitalium functionum defectum præ ſe ferre; vita ipſa quodammodo priuari: vnum autem horum omnium remedium eſſe proteſtari, præſentiam ſponſi, qui fugitiuam animam facile ſpiritu oris ſui reduceret. *Canticum Canticorum. NOTÆ. Nuptiale drama. Fictio perſonarum.*

ITA languebat fidelium ſocietas: hic ardor erat Synagogæ, tale deſiderium venturi ſponſi Meſſiæ in piorum cœtu. Sed quæ cauſſa tam impatientis moræ? Facta erat promiſſio nuptiarum Verbi cum Humanitate, Chriſti cum Eccleſia iam ab initio mundi in paradiſo, Eccleſiæ tenellæ, & velut in cunis vagienti. Oblata fuerat deſponſatio humani generis, principi illius Adamo, tunc, cum DEVS ipſe, Euam ex coſta ſopotati fabricatam, Adæ coniugem in matrimonium, velut paranymphus, ſtitit: illeque, viſa muliere, gnarus myſterii, admirabundus exclamauit: *Hoc nunc os de oſsibus meis: & erunt duo in carne vna*: quæ de Chriſto & Eccleſia dicta Palus intellexit. *Languor generis humani. Incarnatio promiſſa Adæ.*

Promiſſa fuerat eadem primæ credentium matri Euæ, dum DEVS, poſt peccatum ad maleſuadum conuerſus anguem, primum mali fabrum, poſt ſententiæ fulmen vibratum, illa adiecit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Intelligunt autem SSti Patres, per mulierem Mariam: per ſemen eius Ieſum: per Serpentem Diabolum: per illius ſemen infideles, & Eccleſiæ hoſtes. Promiſſa fuerat deſponſatio eadem Noë in fœdere: Abrahamo in femore; Iudæ in ſemine, & cui non promiſſa ex antiquis illis patribus? *Eua promiſſa Incarnatio. Geneſ. 3. 15. Gen. 6. 18. Gen. 22. 12.*

Exſpectabat ergo Sponſa, fidelium congregatio: ſed exſpectabat: iam epithalamium cecinerat optimus Pſaltes: eſt enim amœniſſimum epithalamium Verbi & Eccleſiæ, Pſalmus quadrageſimus quartus: iam drama, & nuptiales odas compoſuerat eius filius, Salomon: iam menſas aptauerat ad conuiuium Iſaias, multis Prophetiæ ſuæ locis: iam tabernaculum Dauidis erexerat Amos: iam vario emblemate ornauerat genialem thalamum Ezechiel: iam flores ſparſerant alii: diem & penè horam indixerat Daniel: hoc enim deſignabant hebdomadæ ſeptuaginta, id eſt anni CDXC. iam eiecerat è Synagoga fornicariam Oſeas. Sed cum nondum appareret Sponſus, & paullatim vacillaret aliquorum fides, ſpem dabant zelo pleni Eccleſiaſtæ: noua promiſſa accumulabant Sacerdotes, quibus antiqua deſideria acuebant, breui adfore certiſſimis addicebant ſignis. *Exſpectatio communis Verbi Incarnati.*

Prope eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur, dicebat Iſaias. *Apparebit in finem* clamabat Abacukus, *& non mentietur: ſi moram fecerit, exſpecta illum: quia veniens veniet & non tardabit. Adhuc modicum* accinebat Aggæus, vel per illum ipſe *Prophetarum promiſſa. Iſaia 14. Cap. 2. 3. Cap. 2. 7.*

ipſe DEVS, *& ego commouebo cœlum & terram, & mare, & aridum, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus omnibus gentibus.* Addebant pollicitationes gratiæ, pacis, liberationis. Pax erit in terra noſtra, cum venerit. Ad faciendam fidem apponebantur ſexcentæ figuræ, quæ iam iam aduentantem repræſentarent, & quaſi præſentem Synagogæ exhiberent. Quæ non flammas concipe. et ſponſa, tot tamque appoſitis ſignis, & promiſſionibus excit ita?

Querela expectantium. VERVM, interea quattuor annorum millia effluxerant. Quamobrem Prophetis illis internunciis, prænunciantibus pacem, moram autem faciente auctore pacis, nutabant etiamnum in fide plurimi: nam non comparebat, qui redimeret, neque qui ſaluum faceret, ſui copiam faciebat. Itaque cauſſabantur homines moras, inquit ſuauiſſimus Bernardus, quod ille toties nunciatus, nec dum veniret, *Serm. 2. in Cant.* Princeps pacis, ſicut loquutus fuerat per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius: & ſuſpectas habentes promiſſiones, ſignum promiſſæ reconciliationis, quod eſt *oſculum* aduenientis Meſſiæ efflagitabant, ac ſi nunciis pacis vnus *Ioan. 10.* quilibet reſponderet de populo. *Quo ad vſque tollitis animas noſtras?* Iam olim prædicitis pacem, & non venit: promittitis bona, & adhuc turbatio. Ecce hoc ipſum multifariam, multiſque modis, & Angeli Patribus, & Patres noſtri annunciauerunt nobis, dicentes: pax pax, & non eſt pax. Expectauimus pacem, & non erat *Ierem. 8. 15.* bonum: tempus medelæ, & ecce formido. Si mihi vult eſſe perſuaſum Deus, quod de ſuo beneplacito voluntatis tam crebra iam legatione ſpondet, nec exhibet, *oſculetur me oſculo oris ſui*: ſicque in ſigno pacis faciat de pace ſecurum. Nam verbis iam quomodo credam? opus magis eſt opere verba firmari. Probet veridicos nuncios ſuos DEVS, ſi tamen eius ſunt nuncii, & eos ſequatur ipſe, vt ſæpius pro- *Ioan. 1.* miſerunt: quia ſine ipſo facere poſſunt nihil. Miſit puerum, tulit baculum, & nec dum eſt vox, neque vita: non ſurgo: non ſuſcitor, non excitor de puluere, non reſpiro in ſpem, ſi non Propheta ipſe deſcendat, *& oſculetur me oſculo oris ſui.*

Voces deſperantium. HÆC verba erant, non tam ſponſæ, quam diffitentium aſſeclarum, quæ belle illis adfingit Bernardus. Alia autem irridentium, aut murmurantium, & de longa *Iſa. 28. 10.* expectatione conquerentium ſunt apud Prophetam Evangelicum Iſaiam: *Manda, remanda: manda, remanda: expecta, reexpecta*: modicum ibi, modicum ibi. Quid facerent amici ſponſi, ac voluntatis diuinæ intepretes, dum plebs murmuraret, fides nutaret, ſocii ſubſannarent, tanquam Angeli pacis amarè flebant, non diffidebant tamen: ſed pertinacibus votis apud Deum inſtabant, & per promiſſi fidem, quod poterant, orabant Deum Altiſſimum, ne tardaret: & anxie preces ingemi- *Eccl. 36.* nabant: *Da mercedem, Domine ſuſtinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur.* Oſtende *nobis faciem tuam, & ſalui erimus.*

Bernar. Serm. 2. in Cant. Sonet, clamabat ſponſa, non amplius vox turturis, raucæ enim factæ ſunt fauces gementium Prophetarum: ſed ſonet vox tua in auribus meis. *Oſculetur me oſculo oris ſui* Meſſias. Quo mihi ora ſemiverbia Prophetarum? Ipſe potius ſpecioſus forma *Exodi. 4.* præ filiis hominum *oſculetur me oſculo oris.* Non audio iam Moſen, ſiquidem impe- *Iſaia 6.* ditioris linguæ factus eſt mihi. Iſaiæ labia immunda ſunt. Ieremias neſcit loqui; *Ier. 1.* puer eſt: Prophetæ omnes elingues ſunt: ipſe ipſe, quem loquuntur, ipſe loqua- *Pſal. 17.* tur: ipſe me *oſculetur oſculo oris ſui.* Non in iis, aut per eos loquatur mihi amplius, quoniam *tenebroſa aqua in nubibus aëris*: ſed ipſe veniat. *Mitte Domine, quem miſſurus es, quem vnxit Pater oleo lætitiæ, præ conſortibus ſuis.* Viſiones & ſomnia non recipio: figuras & ænigmata nolo: ipſas quoque Angelicas faſtidio ſpecies, quippe & ipſos

longe

longe ſuperat IESVS meus, ſpecie ſua & pulchritudine ſua. Nec ſat habens ſponſa ad Deum preces mittere, vt Meſſiam ex paterno ſinu, vbi humanis oculis inconſpicuus latuerat, elicere poſſit, cœlum etiam inuocat, nubes appellat, terram obteſtatur, creaturas omnes aduocat, vt pro deſiderato intercedant: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

Deſtinato tempore venit.

TANDEM, deſtinato ab æternitate tempore, venit, & fauſtiſſimas in vtero virginali nuptias celebrauit, ſponſam Humanitatem indiſſolubili Matrimonii vinculo ſibi coniungens. Incarnationem enim Verbi, nihil aliud eſſe, quam eiuſdem connubium cum natura humana nuper demonſtrabamus. In Matrimonio autem, & nuptiis quædam ſubſtantiam illius ſpectant, aut proxime ad illam accedunt: quædam annexa ſolum ſunt, & adiuncta. In ſubſtantia conſiderari dicebamus, *Primo*, habilitatem contrahentium: *Secundo*, contractum ipſum maritalem, ſeu coniunctionem: *Tertio*, huius effectum, indiſſolubile vinculum: *Quarto*, liberorum procreationem: de quibus ſatis ſuperque tractatum eſt nuperrime: *Quinto*, conſenſum: *Sexto*, communem habitationem. *Septimo*, fidem maritalem.

Matrimonii ſubſtantialia.

Cennexa Matrimonij.

Connexi ſunt, *Primo*, tempus anni: *Secundo*, diei hora in qua nuptiæ celebrantur. *Tertio*, Paranymphi. *Quarto*, Faces, ac tædæ nuptiales. *Quinto*, Dos. *Sexto*, Donatio propter nuptias. *Septimo*, nuptialia munera. *Octauo*, Vnctiones ſponſi ac ſponſæ. *Nono*, Diademata. *Decimo*, Arrhæ. *Vndecimo*, Parapherna, aut præter dotalia. *Duodecimo*, Thalamus. Quæ in Incarnatione quoque interueniſſe, iam nunc explicare aggredimur.

Conſenſus Sponſorum.

ITAQVE, quod quinto loco inter ſubſtantialia poſuimus, *Conſenſus* erat. Sine conſenſu enim vtriuſque Matrimonium non perficitur. Siquidem connubium conſenſus facit, non copula. Hic autem ſponſus eſt Verbum diuinum: Sponſa Humanitas. Sed quomodo huius potuit eſſe conſenſus in vtero materno? Nam in eo, quamuis ratio inſit homini, tamen ſepoſita deliteſcit Sed non eſt tam abiecte de Dei ſponſa ſentiendum. Fuit magnum inter Chriſti, & reliquorum cõceptuum diſcrimen. Nos terræ tubera, vt animalcula quædam, rationis expertia, denſiſſimis ignorantiæ tenebris merſa, hæremus in materna aluo. Chriſti Domini Humanitas, quemadmodum non poſt quadraginta dies, vt communiter fœtus humanus, ſed momento temporis fuit formata, & organizata, atque anima illi communicata, ita omnem ilico cognitionem habuit, ac quanto poſtea ad virilem maturitatem peruenit: quocirca conſenſus deeſſe non potuit. Crediderim equidem Chriſtum, qua hominem, in primo ſuæ productionis inſtanti, magnum illud communicatæ perſonalitatis diuinæ beneficium agnouiſſe: gratoque in illud voluntatis affectu conſenſiſſe: deindeque, totos illos nouem menſes in continuis ad Deum orationibus tranſegiſſe, tum gratias Deo immenſas agendo, quod ſe, ac ſecum, genus humanum ad tantam altitudinem, qua ſublimior nulla, euexiſſet: tum ipſi DEO commendando opus noſtræ redemptionis, quod perficere in animo habebat.

Chriſtus in inſtanti Incarnationis beatus.

QVA, vt nemini incredibilia videantur: ſunt enim admirabilia plane, enarranda ſunt nonnulla, quæ ſponſæ Verbi, ſanctiſſimæ Chriſti Humanitati fuerunt peculiaria. Inter quæ merito primum locum obtinet, quod Chriſti Humanitas à Principio conceptionis, dum ei anima infundebatur, primo ſtatim momento creationis viderit Deum clare, ſine ænigmatis velo: ſicque habuerit omnem illam ſcientiam beatam, quam cœlites modo habent.

Fœmina virum circumdat. *Cap.31.* Id indicatum ſuſpicari licet à Ieremia, ænigmatica illa propoſitione. *Fœmina circumdabit virum.* quomodo *virum*? Sapientia, vt interpretatur Hieronymus, Qua ratione vir non audit in Sacra-Scriptura, qui Deum non videt: reliqui enim omnes, vt paruuli habentur Pauli Apoſtoli ſenſu, 1. ad Corinthios 13. *Poſtquam factus ſum vir, euacuaui quæ ſunt paruuli.* Chriſtum ſpectant illa Pſalmi vigeſimi *Lib.10. demonſtr. cap. vlt.* primi: *In te protectus ſum ex vtero.* Quæ de Domino intelligit Euſebius: & introducit Chriſtum dicentem Patri: *Ex tunc te Deum meum iam videbam,* CHRISTVM *Pſal.65.* fortaſſe reſpiciebat, cum Pſaltes caneret: *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti.* Quod de Humanitate Chriſti exponit Auguſtinus, indicans in ipſa aſſumptione plenam fuiſſe gloria, & beatitudine. Sed idem apertiſſimè docet Libro 83. Quæſtion. Quæſt. 65. & lib. de conſenſu Euangeliſt. cap. vlt. vbi, cum dixiſſet, nullum hominem mortalem poſſe in hac vita videre Deum, ſubdit: *Qua maximè proprietate diſtat à ceteris homo, cuius ſuſceptione Verbum caro factum eſt.* Et præclarè Richardus de S. Victore Lib. 2. De Emmanuele cap. 22. *Quod nos exſpectamus in conſummatione, illi datum eſt in ſua conceptione.* Quid mirum? Fons enim atque primaria ratio illius ſcientiæ, ac viſionis, quam beatam dicimus fuit in Chriſto ab exordio conceptus; nimirum vnio hypoſtatica. Quocirca, ſi aliquo tempore, quo vitam mortalem agebat, Dei viſionem habuit, quod negari non poteſt, in primo ſtatim momento ei concedere oportet. Siquidem viſio beata, non magis impediri poterat infantili corpore, quam paſſibili, cum ſit ſupra vtriuſque ſtatum, & à neutro corporis ſtatu pendeat.

Gloria Vnigeniti. *Ioan.1.* VIDIMVS, inquit Ioannes, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Qua ſententia indicatur, vt animaduertunt Theologi, gloriam ac plenitudinem gratiæ & veritatis datam eſſe Chriſto homini, quia erat vnigenitus Patris: & ita eſſe veluti proprietatem manantem ab vnione. Quemadmodum igitur à primo inſtanti conceptionis ille homo fuit vnigenitus Patris, ita ab eodem habuit gloriam & gratiam conſummatam viſione Dei. Quod colligitur ex S. Athanaſio Oratione 4. contra Arianos, & libro de ſalutari Chriſti Ad- *Lib.3. de Fide. cap.22.* uentu ac Humanitate. Conciſe, & acutè infert Ioannes Damaſcenus: Propterea eos qui dicunt, Chriſto verum incrementum in ſapientia acceſſiſſe, conſequenter negare vnionem eſſe factam à primo carnis ortu. Nam, ſi tunc, inquit, facta eſt, quid tandem obſiſtere potuit, vt non illicò prorſus omnibus gratiæ ſapientiæque opibus affluxerit. Ratio idem perſuadet, quam diuina Scriptura ſuggerit. Chriſtus enim ſemper fuit Filius Dei naturalis. Ergo heres. Ergo beatus. Ergo videns Deum. Neque enim tempore indigebat, vt poſſeſſionem hereditatis caperet, & ea frueretur: neque interuentura erat mors Patris, vt filius in poſſeſſionem mitteretur: neque denique propter ætatem impediri poterat. Et profecto, mihi nullo modo fit credibile, Perſonam diuinam non ſtatim ditaſſe Humanitatem ſuam omnibus gratiæ ac gloriæ dotibus & omnem contrariam imperfectionem ab anima illa ſanctiſſima remouiſſe. Carere autem viſione beata eſt magna imperfectio, quæ nec nobis erat neceſſaria, nec diuinam perſonam decebat.

Scientia infuſa Chriſti. ADDO his, diuini Verbi Sponſam, Humanitatem, ipſo conceptus primo puncto præter ſcientiam illam beatam, quæ in viſione Dei conſiſtit, habuiſſe aliam quandam cognitionem à Deo infuſam, de qua eſt plurima apud Doctores Theologos diſputatio. Ea percipiebat, vti ego quidem exiſtimo, magnos in hac diſcipli-

na pa-

na patronos ſequutus, cognoſcebat, dico, non ſolum obiecta omnia naturalia, quæ virtute intellectus agentis per humanas ſcientias labore acquiſitas poſſunt percipi: verum etiam illa, quæ pertinent ad ſcientiam naturalem Angelorum: præterea, occultas cogitationes cordium, futura contingentia, myſteria omnia ſupernaturalia creata: imò ipſum Deum, abſtractiuè tamen: denique, myſteria ſupernaturalia increata, quæ ex rebus ſupernaturalibus creatis poſſunt colligi.

Liberum arbitrium in Humanitate Christi.

Illvd etiam minimè omittendum: quemadmodum in intellectu Sponſæ diuinæ tam perfectæ fuerunt operationes cognitionis: ita voluntatis quoque, ad quem conſenſus pertinet, fuiſſe omnibus numeris completas & abſolutas. fuit enim in Chriſto ſtatim perfectiſſimus vſus liberi arbitrii. Quod adeo verum eſt, vt cum in primo conceptiones momento humanitati infuſa fuerit gratia habitualis, vt loquuntur Theologi, illam non recepiſſe dicatur ſine libero motu voluntatis. Quod docet S. Thomas in tertia P. & congruebat ſane perfectioni Sponſæ. *Ter. p. q. 84. art 3.*

Invita minimè ducta Humanitas.

Sine conſenſu Matrimonium.

Itaqve, cum minimè decuerit, Verbum diuinum, inuitam ac reluctantem Sponſam adſumere, facile eſt colligere, non niſi conſenſu mutuo vtriuſque interueniente fauſtiſſimas haſce nuptias fuiſſe celebratas. Poſſet quidem Deus, quoniam eſt omnium Dominus, ſibi ſponſam, quam vellet eligere, conſenſu illius, nec exſpectato, nec requiſito. Non enim conſenſus contrahentium ita ad Matrimonii conſociationem eſt neceſſarium, vt per nullam omninò potentiam poſſit verum, ac eſſentiale vinculum, ſine illo conſiſtere. Quicquid enim eſt hominis, magis eſt Dei, quam ipſiuſmet hominis: & maiorem auctoritatem, ac poteſtatem habet Deus in hominem, quam homo in ſe ipſum. Et ſunt, qui putent, haud improbabiliter, ita aliquando contigiſſe: ſiue cum Euam Adæ iunxit Deus: ſiue dum Oſeæ mulierem fornicariam copulari voluit. Eſt tamē id planè inſolens, & ab agendi modo, quo Deus cum creaturis vtitur, alienum: magiſq; veriſimile arbitror, Deum, qui diſponit omnia ſuauiter, Adamo ac Euæ: Oſeæ quoque ac mulieri fornicariæ inſpiraſſe, vt in matrimonii vinculum conſentirent. Quare, neque Humanitatem in Sponſam, niſi conſentientem aſſumere Principi cœleſti placuit.

Chriſtus mūdum ingrediens obediens Patri.

Præclare hæc omnia formant illa Pauli ad Hebræos 10. vbi explicans de Chriſto verba Pſalmi 39. inquit, *Ideò ingrediens mundum, dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi: ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam* Deus *voluntatem tuam*. Ex quibus liquet, Chriſtum ſecundum illam naturam, ſecundum quam fuit obediens Patri à principio conceptionis cognouiſſe non ſolum Deum, cui obedire voluit: ſed etiam legis veteris, ac antiquorum ſacrificiorum finem: tum corporis ſui ſacrificium: promptoque voluntatis adfectu in paterna mandata conſenſiſſe. Cur non ergo, eodem momento, quo Verbo diuino placuit Humanitati connubio vngi, illam in Matrimonium conſenſiſſe dicamus, non quidem antequam celebraretur, ſed ipſo celebrationis punctulo?

Conſenſus noſter expetitur à Deo.

Hic iam vos conuenire lubet, & voluntatem paſcere, vt facere ſoleo, poſt intellectus epulum, ac ſciſcitari: Num, coties nuptias cum animabus veſtris expetit celebrare Sponſus cœleſtis, ei conſenſum veſtrum ſponte offeratis? Ille, à primo tempore, quo vti ratione cœpiſtis, ſtetit ante oſtium, & pulſauit: petiit ſibi animam deſponſari gratia, & amicitia. Repulſam paſſus, rediit. Quotus enim quiſque eſt, qui primo illo momento, quo ratione vti incipit, ad Deum ſe conuertat, illumque in animæ ſponſum accipiat? Et tamen, ſi vera eſt

Prima S. Q. 89. Art. 6. doctrina S. Thomæ, niſi puer in primo inſtanti vſus rationis (quoniam tunc ei promulgatur lex naturalis per ſynderefim naturaliter inditam, incitantem ad bonum ſecundum rationem, in quo virtualiter continetur DEVS) niſi, dico, puer ſe conuertat ad bonum illud, proindeque ad DEVM, illum reiicit, ac peccat mortaliter: quam perſuaſionem puerulis cum lacte inſtillari vellem.

Sponſi cœleſtis conſtantia. Hoc igitur tempore ſponſus reiectus, quoties rediit, renuentem blanditiis deliniuit, indignantem muneribus placauit, aufugientem funiculis Adæ retraxit: & tamen conſenſum à multis impetrare non potuit. Diceres tu, carum mihi caput, conſenſiſſe in nuptias ſponſi cœleſtis, cui arridet terra, ſordet cœlum, terrena ſunt in precio, cœleſtia faſtidio? Cui vnica voluptas illa cogitare, dicere, agere, quæ abominationi ſunt ſponſo? Huic placet fides, tibi perfidia: huic religio, tibi impietas: huic caſtitas, tibi impuritas: huic demiſſio, tibi ſuperbia: huic obedientia, tibi rebellio: huic facilitas, tibi obſtinatio: huic grauitas, tibi leuitas: huic manſuetudo, tibi furor: huic modeſtia, tibi effuſio ac petulantia: huic liberalitas, tibi auaritia: huic vigiliæ, tibi ſomnus: huic diligentia, tibi ignauia: huic caritas, tibi odium: huic miſericordia, tibi durities: huic clementia, tibi crudelitas: denique huic iuſtitia, tibi iuris violatio. Hoc non eſt conſenſum præbere in nuptias Dei, ſed in connubium Diaboli: non ambire Matrimonium Verbi, ſed Maligni: non

Quando Deus expetat noſtrum connubium. coniugium optare Filii Altiſſimi, ſed primogeniti cacodæmonis. Nolite errare, Dilecti, magnum eſt beneficium, quod Verbum æternum Patris, Sapientia increata idemque Deus, animarum veſtrarum connubiũ expetat: expetit autem, quoties vos ad gratiam & amicitiam ſuam inuitat: quoties ad confeſſionem: per ſe, per cuſtodes Angelos, per animarum præſides, confeſſarios, per voluntatis ſuæ interpretes, concionatores, per reconciliationis, & pacis arbitros, ac ſequeſtros ſuperiores, doctrinæ ſanæ ſeminatores, per magiſtros, contubernales, verbo exemplo, librorum ſpiritualium lectione, aliiſque modis innumeris allicit: ad Euchariſtiam pertrahit, ad contritionem, doloremque de peccatis verum mouet, ad deteſtationem criminum, emendationem vitæ, odium omnis laſciuiæ, ac turpitudinis, amorem puritatis, mundi mundanorumque deſpectum, religionis deſiderium efficaciter impellit. Sed multi aures, pauci animum, quot, qui ne aurem quidem ſaltem interiorem tam ſalutaribus monitis, & inuitationi accommodant? Quæſo vos, ſi ſalutem vos amatis veſtram, hodie ſi vocem ſponſi audieritis nolite obdurare corda veſtra ſicut in exacerbatione. Væ illi, qui in hac vita, ſponſum cœleſtem, amatæ ſibi amplexus animæ expetentem repulerit.

Mirantur quidam fame, peſte, bello Chriſtianorum ditiones tam conſtanter vexari, deleta vna in vrbe imperiali paucis menſibus, ad nouendecim millia capitum: bello abſumpta non multis annis, vix vno luſtro, centena aliquot millia. Nihil in his mirandum ſapienti; illud admirationis pleniſſimum eſt, non integras vrbes hiatu ſorberi ſtare regna, cinerem non eſſe Imperium, Chriſtianis Chriſtum, non amplius diſſimulanter, ſed ex profeſſo, data opera, impudentiſſime proſcribentibus, & in exilium pellentibus. Sed de vobis Aud. opt. Sperare iuuat meliora, & viciniora ſalutis, nec conſenſum vos veſtium. Sponſo expoſcenti vnquam negaturos, ſanctiſſimæ Humanitatis exemplo, quam ſic in manum conueniſſe Verbo diuino docuimus.

Indiuidua vitæ ſocietas. Poſt cõſenſum vero, coniunctionemque, & inde ortum vinculum inter vtrumque coniugem eſt in Matrimonio indiuidua vitæ ſocietas: quod vel pueris ex Catechiſmo

chiſmo notum eſt, in quo Matrimonium definitur, Sacramentum, quo vir & mulier legitime contrahentes indiuiduam vitæ ſocietatem ineunt : id eſt, perſeuerantem. Quæ quidem particulæ continent finem aliquem Matrimonii, quæ eſt mutua cohabitatio, ac in ea, duorum reciprocum auxilium : & docent non eſſe ſolubilem talem nexum, ſicut alia vincula contractuum, quæ mutuo conſenſu tolluntur.

Quomodo ſeparata ſit in connubio Verbi.

HANC conditionem multo perfectius, quam in vllo naturali Matrimonio, reperiri in connubio Verbi cum Humanitate inde liquet, quod coniuges tunc indiuiduam vitæ conſuetudinem colere putantur, quando communem habent habitationem, ac domicilium, in quo illorum more, qui eodem conuictu gaudent, conuerſentur : quamuis alter non ſemper in eodem, cum altero, ſit loco : imo ſemper, ſi Philoſophice loquamur, locis ſint ſeiuncti. At vero, tam arctum fuit inter Verbum & Humanitatem cohabitationis ius, ac vitæ conſuetudo, vt in eodem plane loco, in quo ſponſa, ſponſus fuerit. Sponſus ſponſam neque in præſepio, neque in patibulo : imo, neque in ſepulcro : addo, neque apud inferos, quo excurrere viſum fuerat, deſeruit. Vbi Humanitas, ibi Verbum erat, nulla intercapedine media. O felix contubernium, & nunquam deſociata vitæ conſuetudo!

Humanitas non vbique.

VERVM, illud huic maritali cohabitationi obeſſe plurimum quis dicat, quod etiamſi ſponſus ſequeretur ſponſam, Verbum, Humanitatem, in eademque domo morarentur, tamen ſponſus in remotiſſimis regionibus ipſos triginta tres annos, ſine ſponſa, egerit. An-non enim ſatis conſtat, Verbum diuinum in cælo fuiſſe, dum Chriſtus in terra ageret? Imo ſponſum, immenſitate ſua, quicquid vbique eſt, occupaſſe. Sponſam autem, Humanitatem exili admodum ſpacii circumſcriptione, quantum videlicet corpuſculo commenſurabatur, fuiſſe terminatam! Niſi fortaſſe inſanire iuuat, cum inſcitis quibuſdam, ab omnique doctrina deſtitutis homuncionibus : qui, quoniam Humanitatem Verbi vbique, non ſequus, ac ipſum verbum, ponunt, Vbiquetarii appellantur. Sed ſcio vobis, vel nomen ipſum inuiſum æque eſſe, ac barbarum videri. Quocirca non vos moueat imperitorum ruditas. Non fuit vlla inter Verbum, & Humanitatem diſſociatio, licet iſtiuſmodi non fuerit reciprocatio. Non fuit vel minima inter ſponſam & ſponſum in hoc matrimonio diuulſio.

Vbiquetarii.

Cur non ſit Humanitas vbicumque eſt diuinitas.

PERFECTA quoque illa inter homines eſſet vitæ conſuetudo, ſi vbicumque eſt ſponſa, ibi ſponſus non deſideraretur : licet alio commigraret ſponſus, à ſponſa minime diſcedendo, quo ſponſa non ſequeretur : ſi hoc vtriuſque ferret conditio, vti in matrimonio Verbi cum Humanitate accidit. Eſt enim verbum infinitum, immenſum, interminum ; Humanitas, finita, limitata, circumſcripta. O feliciſſima æque, ac indiuidua vitæ ſocietas! ô optatiſſimum, in quo tales commorantur coniuges, diuerſorium!

Contubernium maxime optandum.

QVÆRVNTVR ſæpe à nonnullis commoda ad viuendum honeſte, ac ſuauiter contubernia : & conſilium à me quoque interdum poſtulatur : quamobrem peregrinatus nuper cogitatione, quo pedibus non licebat, diſquirere cæpi curioſe, quodnam homini ad magna nato, & ſeria tractanti, non moroſo tamen, & miſanthropo, ſed liberalis ingenii, atque ab humanitate minime abhorrenti, ac optime inſtituto : tum adoleſcenti litterarum ſtudiis dedito, & in ſpem patriæ enutrito eſſet opportuniſſimum hoſpitium.

Hoſpitium ſolitariorum.

Incurri primo in domum amplam illam quidem, ſed in qua mera erat orbitas, ac ſo-

ac ſolitudo: nec pater, nec materfamilias, nec vllius alterius conſortium. Non placuit, illud Philoſophi animo verſanti: hominem in ſolitudine, aut beſtiam eſſe, aut Deum: facilius autem ibi adoleſcentem, niſi habeat, à quo inſtruatur, & coërceatur, in beſtiam, vſitata multis metamorphoſi, quam in Deum transformari, exiſtimo: paucos ex iis deiformes videre contigit. Migro in aliam: vbi rixabantur domeſtici: nec à iurgiis ſibi temperabant vxor & maritus: diſceſſi memor, vbi eſt contentionum, ibi eſſe non poſſe ſtudioſorum contubernium. Vicinum adeò hoſpitium: ibi pax erat, donec ſobrietas in menſa: at illa diſparente, hac remota, poſtquam vinum in cerebrum, bilis in naſum commeauit, Perſici clamores, perpetua erant litigia: hoſpite hoſpitaque flammam non extinguentibus, ſed nutrientibus acrimoniæ pabulo: exhorrui. dictitans, perpetuam eſſe debere in bonorum contubernio concordiam. Ad aliam domum ſors me detulit, in qua abſente patrefamilias, mater turbabat omnia: excuſſo pedum puluere, me eripui, ſciens nullibi peius habitari, quam vbi litigioſa mulier imperat. Cetera deinde orbis pene vniuerſi luſtraui hoſpitia.

Hoſpitium rixantium. *Hoſpitium tumultuantium.* *Hoſpitiũ mulierum.*

Nullum fuit, mihi credite, in quo eam inuenerim vitæ indiuiduæ ſocietatem, quam expectabam, & quam Verbum Sponſus, ac Humanitas Sponſa excoluerunt iugiter. Quocirca in eorum contubernium vos admitti, eius familiæ domeſticis vos accenſeri votis omnibus deſidero. Hoc vobis curandum hoſpitium cenſeo, prece, precio, interceſſoribus, fautoribus, ac patronis enitendum, vt ad eorum ſocietatem admittamini. Nullibi iucundior, ſuauior, dulcior habitatio: nullibi tractatio melior: nullibi recreatio delectabilior: nullibi maior, ſiue ſtudendum honeſtè, ſiue ociandum ſtudioſe, commoditas. Non habet amaritudinem huius patris, matriſque familias conuerſatio. Si ſemel admiſſus fueris, nunquam hoſpitium mutare in animum inducas tuum. væ, ſi feceris.

In nullo mundi hoſpitio firma pax.

Vbi, inquis, tam amica Muſis, & picta domus? vbinam adeo expetendum contubernium? Recordamini fortaſſe ſuauiſſimi illius colloquii, inter Chriſtum, & duos diſcipulos Ioannis, qui cum audiuiſſent à Ioanne: *Ecce Agnus Dei*; ſequuti ſunt Ieſum: conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dixit, quid quæritis? reſponderunt illi: *Rabbi, quod eſt interpretatum. Magiſter, vbi habitas?* Dicit eis, *Venite & videte.* Venerunt, & viderunt, vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo. Regnum Dei intra vos eſt, Dilecti, non opus eſt tranſcendere montes, transmeare maria, diſcurrere per vrbes ad hoc hoſpitium inueniendum. In Chriſto eſt Diuinitas & Humanitas: Sponſus & Sponſa: in eo eſt ſuauiſſimum illud contubernium. Chriſtus eſt in ſacra altaris hoſtia, & in anima per gratiam Deo coniuncta. Ad Chriſtum facta peccatorum confeſſione, & deteſtatione accedite, Chriſtum ſumite: cor veſtrum, habitaculum Diuinitatis, nunquam peccato mortali commaculare: ille in vobis, vos in ipſo manebitis: intrabitis in gaudium, ac contubernium ſponſi, ac ſponſæ. Venite tantum, ac videte, & guſtate quia ſuauis eſt dominus.

Domicilium ſponſi & ſponſa. *Ioan. 1. 36.*

Summa hic pax eſt, conſpiratio in vnum admiranda. Magna exiſtimatur concordia coniugum, ſi illorum tumulis inſcribi poſſit: *Viximus ſanctè in matrimonio: pacatè, ſine lite: peperit tandem litem mors vnius: ſuſtulit litem mors alterius: nam quos mors ſeiunxit primò, illos illa mox coniunxit, tam arctè, vt vnius mentis duo corpora cœperit hic locus: duorum corporum vnam mentem, cœlum.* At tanta inter Verbum & Humanitatem fuit conſociatio: vt ne mors quidem illud diſſidium parere potuerit,

Coniugalis concordia.

quod

quod inter coniuges ſolet, dum vxor maritum gaudet ſuperſtitem: maritus vxorem dolet extinctam.

Animorum & voluntatum conſpiratio in Matrimonio Verbi.

Quid de animorum conſenſione ac Vnione dicam, quam Matrimonium imprimis poſtulat, & ſine qua nullibi eſt iucunda habitatio? Certè nullo matrimonio fuit maior voluntatum conſenſio, quam in Chriſto inter Verbum & Humanitatem. Audiuiſtis ſæpè, quod ad fidei dogma pertinet, & ab omnibus eſt ſanctè credendum: In Chriſto duas fuiſſe voluntates; vnam humanam: alteram, diuinam Verbi. Inter has nulla vnquam fuit pugna, nulla diſcordia, nulla contrarietatis ſignificatio. Adde neque in voluntate creata fuiſſe illam actuum repugnantium, quæ in humana reperiri alioqui ſolet. Veriſſimè à Chriſto dictum eſt: ***Non quæro voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me.*** Quare, quod ſepulchralibus tumbis coniugum, qui pacificè æuum tranſegerant, inſcribi inſculpique ſolebat, CONCORDITER. idem Verbo, & Humanitati magis conuenit, & omnibus Chriſti Dei-hominis imaginibus vnciali charactere addendum eſſet.

Duæ in Chriſto voluntates.

Ioan. 5. 30.

In Chriſto quomodo voluntatum concordia.

VERVM, quomodo hæc voluntatum concordia intelligenda ſit, ſubtilius inquirunt Theologi. Expeditiſſimum eſt, ſi dicas, voluntates poſſe eſſe conformes bifariam. Nimirum vel ex parte rei volitæ, quando per vtramque res eadem eligitur: vel ex parte obiecti tantum alterius voluntatis. Quod contingit, quando voluntas inferior eſt obiectum voluntatis ſuperioris, tametſi obiectum voluntatis inferioris, non ſit obiectum volũtatis ſuperioris. Vt cum inferior vult id, quod ſuperior vult, vt inferior velit. Tunc autem actus voluntatis inferioris eſt obiectum volitum per voluntatem ſuperiorem. Iam verò, voluntas humana in Chriſto, aut vtroque modo, aut ſaltem altero fuit ſemper conformis Diuinæ Verbi. Siquidem voluntate efficaci nihil voluit, quod à verbo non eſſet volitum, & quod verbum, non vellet eligi à coniuge ſua Humanitate. Fuit igitur voluntas omnis efficax Humanitatis duobus modis ſemper conformis voluntati diuinæ Sponſi: vno, ex parte rei volitæ per vtriuſque voluntatem: altero, ex parte ipſius actus: quia actus omnis voluntatis efficacis Humanitatis fuit volitus à voluntate Verbi. Voluntas autem inefficax Humanitatis, licet non ſemper conueneri cum diuina Sponſi, ſi rem volitam ſpectes. Sic enim Humanitas mortem refugiebat, vt naturæ contrariam: diuina autem voluntas acceptandam efficaciter decernebat. Semper tamẽ erat conformis voluntati Verbi, ratione obiecti: quoniam hæc volebat Humanitatem velle quædam inefficaciter, quorum voluntatem talem Verbum non haberet. Ex quo, & illud inferunt Theologi, nullam inter voluntates Humanitatis ac Verbi fuiſſe contrarietatem. Quod pluribus declarare alterius eſt ſubſellii.

Fides matrimonialis.

IAM verò, quod hinc ſequitur, non potuit in Matrimonio Verbi cum Humanitate deſiderari Fides matrimonialis, ad quam ſpectat aliquo modo cohabitatio: quæ quã fuerit concors, & ininterrupta iam diximus. Cœpit in vtero Virginis primo vtriuſque domicilio: quam autem ibi pacificè habitarunt? id lingua mortali explicari ſatis non poteſt. Eadem cohabitatio fuit triginta tribus annis in omnibus iis locis, in quibus Chriſtus domicilium habuit. Quin etiam in cruce, in qua Sponſus Sponſæ conſortium non horruit: imò in ſepulcro non fuit diſſociatum contubernium: apud inferos, quoque, vt antea dicebam, placuit indiuidua ſocietas. In cœlo idem hoſpitii ius, ſicut nexus nunquam diſſoluendus, perſeuerat.

Fides vni dãta ſeruetur.

SED ad fidem connubialem magis peculiariter pertinet, vt durante matrimonio, neuter alteri coniungatur, aut aliud connubium ineat: alioquin enim com-

committitur adulterium. Hanc fidem coniugi ſuæ ſeruauit DEVS VERBVM, quamuis non obligaretur. Seruauit eandem ſponſa Humanitas, cuius illud erat ſemper ſponſo inhærentis: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Dubitatum aliquando fuit à ſapientibus: An Verbum diuinum aliam quoque Sponſam ſibi copulare potuerit arctiſſimo illo nexu, quem vnionem hypoſtaticam appellamus? Potuiſſe nullus dubito, cum S. Thoma Aquinate: imò non vnam aliquam, ſed plures, & plures in quolibet finito numero: neque in humana ſolum ſpecie, ſed & Angelica, &, quod mirandum magis, in irrationali quoque. Quoniam Perſona diuina, tam vt efficiens, quam vt terminus illius vnionis, eſt ſimpliciter infinita, & ad hunc effectum ſufficientiſſima. Quod tamen ſi fieret, vnica illa perſona habens ſibi vnitas plures humanitates, vnus eſſet, ac diceretur homo.

An potuerit aſſumere alias naturas Verbum. Ter. p. q. 3. art. 7.

Porro Humanitatem in Chriſto diuinæ copulatam perſonalitati Verbi nunquam alterius Hypoſtaſis, ſiue perſonæ experiuiſſe conſortium, perfectiſſimeque ab illa fidem matrimonialem eſſe ſeruatam, inde apertum fit, quod nulla fieri potuerit Humanitatis illius à verbo diſſociatio: neque vnquam Mariti ſui conſpectui ſubtrahi. Adde, illam iam non potuiſſe peccare: quam non potuit verbo non eſſe coniuncta. O felix Matrimonium, fides, ſupra omne aliud ſecurum!

Humanitas, Verbi hypoſtaſi plenè terminata.

AD hanc fidem noſtra exigenda eſt, vt, ſi par eſſe non poſſit, ſaltem accedat, quantum humana conditio permittit, proximè. Contrahit maritus cum vxore: magnum eſt Sacramentum, ſanè, in Chriſto & Eccleſia ſerua fidem. *Adulteri regnum Dei non poſſidebunt. Qui viderit alienam ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt,* & adulterauit *in corde ſuo.* Noli aliam ſuperinducere. Vna ſit vt Verbo diuino, columba tua, perfecta tua. Ea mortua, nubas, cui voles, modo in Domino.

Fides Deo debita. Fides Matrimonialis.

Matrimonium init Religioſus cum Religione: fit vtriuſque traditio per profeſſionem. Serua fidem. Quid tibi, & mihi, tum carne, ſanguine, voluptate, ambitione, vanitate, mundo, & concubinis aliis? Vni viro virginem caſtam Chriſto exhibeamus. Semel vouimus, perpetuo obligati manemus. hæc lex eſt iſtius Matrimonii.

Fides Religioſorum.

Nectitur Magiſtratus, tanquam coniunx, & Paterfamilias Reipublicæ. Princeps ſubditorum communitati, Regno ſuo Rex, Imperio Cæſar: illis ſe, vt propriis ſponſis obſtringunt. Serua fidem, alienæ non adhinnias: propriam ama, & excole: non licet tibi habere vxorem fratris tui: proximi principatum, regnum, imperium non concupiſcas, male cedit iſtiuſmodi cum alieno regno adulterium

Fides Magiſtratus.

Nuptias celebrat cum Eccleſia ſua Canonicus, Curio, Parochus, Prælatus, Epiſcopus, ideo annulum gerunt. Serua fidem, ſi coniunctus es vxori, noli quærere ſolutionem. Ama tuam ſponſam, vt Verbum amauit ſuam Humanitatem: Chriſtus Eccleſiam. Chriſtus neque fuit bigamus, neque polygamiam, viuente prima coniuge, in Republica à ſe optime fundata, tolerari voluit. Qui habet aures audiendi audiat.

Fides Eccleſiaſticorum.

Quilibet Chriſtianus ad maritalem thalamum adſumpſit orthodoxam fidem: certe adſumere debuit. id nos qui hic ſumus, ſinguli libere profitemur: Serua fidem Chriſtiane: noli, tanquam equus, & mulus alienæ te iungere. Zelum habeas fidei, vt Sponſus Sponſæ. Si quis illam fœdare conetur, lingua, ſtylo, corpore, animo, caſtimoniam tibi deſponſatæ tuere. Omnes denique DEO, vt animarum ſponſo, ſunt obnoxii. Serua fidem. Poſt Deos alienos ne abeas: non fornicetis in idolis alienigenarum.

Fides cuiuſlibet Chriſtiani.

Fidem,

Fidem igitur non ſeruat, quam ſponſæ ſuæ addixit, qui traditam ſibi religionem, Ecclesiam, Rempublicam, adulterare eam volentibus, impuriſſimis leonibus proſtituit. Qui verbis, moribus, conuerſatione, vili etiam fortaſſe, honoris, fauoris, aut pecuniolæ precio, tanquam meretriculam exponit. Qui illam in pueritia amatam: in adoleſcentia domum ductam, in ætate virili cultam, maturus ac inueteratus dierum malorum, velut ſcortum, eiicit, & apoſtaſiæ manifeſtæ, vel occultæ, cum aduerſariis colludendo, ſacrilegium adulterio coniungit. Qui inter pocula cum amiculis, & ſodalibus, pellicem, errorem, hæreſim, ſuperſtitionem, impietatem ad vnum thorum cum Religione, coniuge vera admitti poſſe conſentit. Non ſeruat fidem, cui nulla, niſi in perfidia, fides. Qui deſponſatam ſibi virginem flocci facit: qui illius honori non conſulit: qui extraneæ amoribus inhiat: qui alienæ cõuerſatione capitur: qui inſidiatricis Daſilæ ſinum, & amplexus appetit: Religioſus mundi: Eccleſiaſticus vanitatis: Catholicus ſectæ ac hæreſis. Fidem non ſeruant, qui non abſtinent ſe à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam. Qui non fugiunt, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. Qui carnis curam faciunt in deſideriis.

Fœdifragi.

1. Petri 2. 12. *2. Petri 1. 4.* *Rom. 13. 14.*

Ad tales nunquam tot votis expetitus, & tot ſeculis expectatus, vt in iis hoſpitetur Meſſias, deſcendet. Quamobrem, ſi hoc humani generis delitium in cordibus veſtris, tanquam geniali thalamo, recipere ac fouere optetis, præbete conſenſum nuptias veſtras ambienti ſponſo: parate viam aduenienti hoſpiti: remouete obſtacula, per pœnitentiam, confeſſionem, miſericordiæ opera: multiplicate preces, vota accumulate: dicite ex imo corde, magna voce vnanimes. O Rex gentium, & deſideratus earum, lapiſque angularis, qui facis vtraque vnum, veni, & ſalua hominem, quem de limo formaſti.

NOTÆ

DE MATRIMONIO ALLEGORICO.

§. CANTICVM CANTICORVM.] Plenum eſt iſtiuſmodi affectibus, quos illius Interpretes diducunt. Sed nemo ſuauius Bernardo integris ſermonibus. Plenum abdito ſenſu eſt illud Iſaiæ 28. 10. Expecta reexpecta. De quo præter Interpretes Delrio Tom. 1. Adag. 747.

§. CHRISTVS primo conceptionis inſtanti beatus] De hoc Theologi Titulo, *Incarnatio*: Vide Franciſcum Suarez Tertia Par. Diſp. 25. Sect. 1. Vaſquez. 16. & alii.

§. SINE CONSENSV MATRIMONIVM.] Requiſitus etiam conſenſus à virgine Maria, quamuis abſque illo omnia perfici potuiſſent. Quod notauit Bellarminus Concione 1. ſuper, Miſſus eſt Angelus Gabriel. In more, inquit, eſt poſitum, vt cum nuptiæ celebrandæ ſunt, non ante matrimonium concludatur, quam ſponſæ conſenſus requiratur. Ita quondam cum ſeruus Abrahæ Rebeccam pro Iſaaco vxorem poſtularet, parentes & fratres reſpondiſſe legimus: vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem. Sic igitur & nunc, cum eſſet humana natura Verbo Dei matrimonio copulanda, miſit Deus Angel. ſuum ad virginem, vt eius quodammodo conſenſum & voluntatẽ requireret. Poterat quidem Deus etiam virginis nõ expectata voluntate matrimonium iſtud concludere. Sed tamen & maiore cum merito Mariæ, & cum illuſtriore gratia ac dignatione Dei eiuſmodi volũtas expectata eſt.

De conſenſu ad Matrimonium requiſito lege Sanchez integro libro.

Digitized by Google

COMMENTATIO XLVIII.

Dominica III. Aduentus.

DE CONTRACTV MATRIMONII INTER Verbum & Humanitatem.

SEV

DE MATRIMONIO ALLEGORICO.

In qua expoſitis primùm variis Incarnationis imaginibus, diſputatur de Dote, Paraphernalibus, ac Muneribus nuptialibus Humanitati liberaliſſimè à Patre Æterno, tanquam dilectiſſimæ filiæ, adſignatis.

Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.
Ioan. 1. 27.

Incarnationis imagines. Damaſ. lib. 3. cap. 6. Hil. Prol. in Pſal.

INENARRABILEM Verbi diuini ἐνανθρώπησιν, ſiue Inhumanationem, vt loquuntur Ioannes Damaſcenus, ac Hilarius, Incorporationem, vt alii, Incarnationem vt paſſim omnes, docti, æquè ac indocti, qua in vnam coëunte perſonam, vel ſuppoſitum, diuina, & humana natura, prodit illa infinitæ dignitatis Maieſtas, cuius titulos, tanquam puræ ſimplicique creaturæ minimè conuenientes, tot tamque ſeriis conteſtationibus à ſe remouere nitebatur humilitatis amantiſſimus Ioannes: Incarnationem dico comparant quidam, haud inconcinnè, Inſitioni arboris, cui ramus alterius ſpeciei immittitur. Pirum cogitate, quæ in humato ſurgit è ſemine: huic inſeratur mali ſurculus: Illa certè Pirus, cum ſit prima ſubſtantia, eſt verum ſuppoſitũ: nec pendet ab illo mali ramo inſito. Poſt inſitionem autem ſuſtentat ipſa mali ramum, quæ alioqui per ſe exiſteret: & vocatur pirus ac malus, producitq; pira ac mala. Quod ſi ramus inſitus fortaſſe ſiccetur, ac deinde reuiuiſcat, non idcirco arbor piri mutatur, ſed omnis mutatio in ramo illo exiſtit. Haud ſequùs, Verbum diuinum, inſtar proceræ, ac felicis arboris, ſuſcepit ramuſculum humanæ naturæ, trunco ſuo à cœleſti agricola mirabiliter inſertum. Inde fuit Verbum Deus & Homo: & opera diuina ac humana efficiebat: nec Verbum ab Humanitate, ſed Humanitas pendebat à Verbo. Et cum paullò poſt, per paſſionem & mortẽ, Humanitas illa quodammodo exaruiſſet, ac deinde per reſurrectionem refloruiſſet, nulla fuit facta mutatio in Verbo, ſed ſolum in Humanitate.

Inſitio Arboris in 3. Diſt. 1.

Diſſimilitudo inter ramum & naturam Chriſti.

Bella rei incomparabilis imago, quam arriſiſſe video Doctoribus Thomæ, & Bonauenturæ, vtrique Angelico. Sed negari non poteſt, eſſe in hoc ſimili diſſimilia non pauca: duo potiſſimùm. Nam ille ramus, eſt quidem arboris pars, non tamen perfecta arbor: nec enim habet radicem, truncum, ramos, & reliquum arboris ſuggeſtum: antequam autẽ inſereretur, per ſe exiſtebat. Natura autem humana perfecta eſt, ac fuit ſemper: nunquam verò habuit propriam ſubſiſtentiam. Quod ſi diuina virtute, aliquis ramus ſimul produceretur, & insereretur, maior eſſet ſimilitudo. Sed hoc exemplum nondum vidimus.

Vnio in ferro ignito.

Quocirca antiquioribus quibuſdam Patribus, in œconomiâ Chriſti contemplanda

planda egregiè verſatis, alia placuit eiuſdem rei comparatio. Coniunctionem enim inter Verbum diuinum, ac Humanitatem conferebant arctiſſimo illi nexui, quo Ignis, ac ferrum candens copulantur. Eſt enim quid vnum, Ferrũ ignitum: & tamen ferri, ac ignis proprietates habet. Ita philoſophantur, Origenes lib.2. De Principiis. S. Baſilius Oratione in ſanctam Natiuitatem. Ioa. Damaſcen. Libro de fide tertio, cap. 11. Sed & hic vacillat comparatio. Vt enim taceam, calorem non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens: præterea, ex hac coniunctione non ſequi transfuſionem reciprocam proprietatum, ſiue idiomatum, vt in Chriſto Domino, in quo idem erat Homo & Deus. Profectò, calor non dicitur ferrum: nec ferrum calor. Sed nec trahitur hic calor ad ſubſiſtentiam ferri: quod potiſſimum in Incarnatione eſt admirabile, in qua Humanitas adſumitur ad ſubſiſtentiam Verbi, qua terminatur.

Eapropter aliud proferunt exemplum Patrum plerique, qui Incarnationẽ comparant coniunctioni, qua anima rationalis corpori colligatur. Anima enim rationalis extra corpus, per ſe ſubſiſtit: & corpus etiam, antequam animetur per ſe ſubſiſtit: attamen, quando vniuntur, vna tantum eſt vtriuſq; ſubſiſtentia, atque vnum reſultat inde ſubſtantiale compoſitum. Hanc imaginem inducunt, Iuſtinus Martyr, Libro, De recta fidei confeſſione, Athanaſius in Symbolo, Auguſtinus Epiſtola 3. ad Voluſianum. Cur impoſſibile videatur, inquit Magnus Leo Papa, *vt verbum & caro, atque Anima, vnus Dei, & hominis ſint filius, ſi caro & anima, quæ diſſimilis naturæ ſunt, faciunt etiam, ſine Verbi Incarnatione, perſonam?* Et Synodus Alexandrina in Epiſtola ad Neſtorium ita definit: *Verbum caro factum, talem ferè carni vnitum, in ea habitationem conſtituit, qualem in ſuo corpore hominis anima efficere conſueuit.* Eadem habet D. Cyrillus Alexandrinus in Scholiis de Incarnatione; & referuntur Tom. 4. in Concil. Epheſino. Ante quod clariſſimè, S. Athanaſius: *ſicut anima rationalis, & caro, vnus eſt homo: ita Deus, & Homo, vnus eſt Chriſtus.* Quamuis enim vt hoc addam, Verbum non ſit vnitum Humanitati, tanquam forma: eſt enim ſubſtantia integra & completa: in reliquis tamen vnio ipſius, cum Humanitate bellè conuenit cum vnione animæ & corporis. Quare S. Thomas, Libro quarto contra Gentiles, cap. 41. non dubitat pronunciare; ad explicandam vnionem Incarnationis, nihil in rebus creatis eſſe tam idoneum, quam vnionem animæ rationalis cum carne, qua res corporea cum incorporea ſubſtantialiter iungitur, & quodammodo indiſſolubiliter copulatur.

Vnio animæ cum corpore.

Leo Epiſt. 11.

S. Cyrill. Alex. in Schol. c.7.

Lib.4. cont. Gen.cap.41.

Atenim, & hæc coniunctio in multis à perfectiſſima illa inter Verbum ac Humanitatem deficit. Nam & morte diſſoluitur: & corpus, atque anima, quæ illa vniuntur, naturæ ſunt imperfectæ: & vnum trahit alterum ad ſuam ſubſiſtentiam; ſed vtrumq; pendet à tertia quadam ſubſiſtentia, quæ eſt compoſiti totius. In myſterio autem, Verbum in ſe perfectè ſubſiſtens, trahit ad ſe humanam naturam.

Deficit ſimilitudo.

Quamobrem S. Auguſtinus, qui epiſtola tertia ad Voluſianum dictam ſimilitudinem exornarat: epiſtola deinde nonageſima nona aliam adducit, cùm docet: Propoſitionem iſtam, *Deus eſt mortuus*, eſſe perſimilem huic: *Philoſophus eſt mortuus.* Vt enim Philoſophia non eſt capax mortis, & tamen Philoſophus dicitur mortuus, quando homo ille perit, qui erat Philoſophus. Sic, licet Diuinitas non poſſit mori: tamen verè Deus mortuus dicitur, quia ille homo mortuus eſt, qui erat etiam mortuus.

Vnio inter duo accidentia.

Adprobat hanc comparationem ſubtilitatis titulo, in ſcholis celebratus, Scotus: quaſi quid ſimile ſit Chriſto cum homine, in quo ſunt duæ formæ accidentales,

Scot. in 3. Diſt.1.Q.3.

Digitized by Google

les, verbi cauſſa, Theologia, & Iuris prudentia. Vnum namque eſt ſuppoſitum, quod varias ſuſcipit appellationes, variaque opera facit: ac communicantur idiomata. Siquidem ille idem, & Theologus, & Iuriſperitus dicitur: ac vere adfirmari poteſt: Theologus agit cauſſas: Iuriſperitus de diuinis diſputat. Verum quis hic non animaduertit diſcrimen ingens, cum binæ illæ formæ ſint accidentales: nec trahantur ideo ad ſubſtantiam hominis, quod in Incarnatione maxime ſpectatur?

Vnitas in Trinitate.

His fortaſſe permotus mellitiſſimus Bernardus, audacter ſane, non tamen temerarie, Myſterium Incarnationis confert cum arcano Trinitatis: quod ante ipſum fecerat Damaſcenus, vt ex vna re ſingulari, ac incomprehenſibili, illuſtrent aliam æque ſingularem. Quemadmodum enim per quam ſingulare eſt, quod ſint in Deo tres hypoſtaſes perfectæ cum vna ſola ac ſimpliciſſima natura: ita ſingulare admodum eſt, quod ſint in Chriſto tres naturæ, Deitas, Anima, Caro, cum vna ſimpliciſſima hypoſtaſi. Tres autem naturas in Chriſto, Deitatem, animam, & carnem, ne quis fortaſſe miretur, numerat S. Auguſtinus. Sed quis non videt in re, aliquo modo, ſimili maximam diſſimilitudinem.

Lib. 13. de Trinit. c. 17.

Vnit Corrigia calceum cum pede.

Itaqve antiquus & ingenioſus Auctor ex hodierno Euangelio commentus eſt comparationem, illamque Ioanni adſcripſit, quod is, dum ſe indignum aſſerit, qui ſoluat corrigiam calceamenti Chriſti, per hanc ipſam *corrigiam*, indicarit coniunctionem humanæ, diuinæque naturæ in Chriſto, quam nemo ſoluere, nemo enodare, nemo poſſit explicare. *Generationem eius quis enarrabit?* Perplacet ingenium hominis minime ſtupidi. Vt enim Corrigia duo nectit, calceatus pes, tanquam tertium quid, exſurgit, ceu compoſitum è duobus: ita vnio hypoſtatica, humana, diuinaque iunxit: ex quo ineffabile illud compoſitum, quod, Chriſtus, aut Meſſias dicitur. Vilis comparatio, dicis, & plebei ſucci. Quid calceo cum tanto myſterio? rem totam an non ſordidum nomen collutulat? Nequaquam, ſi Bernardum audias, cuius ſunt iſta Sermone primo de Paſchate: *Venit ad nos calceata Maieſtas: Diuinitas incarnata.*

Incarnatio Matrimonium.

Lavdo equidem & veneror tantorum Patrum, ac Doctorum, quibus, ne minima quidem in parte ſumus comparandi, induſtriam: ingenium quoque admiror, & inuentiones approbo illorum, quorum veſtigia reuerenter lambimus, nec digni ſumus, vt corrigiam calceamenti ſoluere, vel portare. Sed me nunquam pœnitebit, miſſis aliis ſummi Myſterii Symbolicis imaginibus, vnam, præ reliquis celebrare, & coloribus ſuis illuſtrare conatum, in qua Matrimonii arcana depinguntur, & Incarnationi applicantur.

Est enim Incarnatio, Verbi cum Humanitate Connubium. Cuius quidem comparationis non mortalem aliquem ignorantiæ obnoxium, ſed immortalem ipſum Devm, à ſuſpicione quoque omnis inſcitiæ liberum laudare ſolemus, ſecuri hoc Doctore, errare nos non poſſe. Porro, eius eſſe hanc ſimilitudinem tot teſtes adferre licet, quot auctores ſacratiſſimum Salomonis Canticum Spiritus diuini fœtum agnoſcunt, & vere, Verbi, ac Humanitatis Epithalamium eſſe, abdito quodam ſenſu, deprædicant. Qui ſane, ſunt plurimi: quibus adiungo, extra ordinem, Ioannem Caſſianum, cuius ſunt iſta, Libro V. *De Incarnatione: Sicut vir & mulier vnum corpus ſunt: ita Maieſtas Diuinitatis, & caro hominis vniuntur, & facti ſunt ij idem Deus, & anima in carne vna. Quæ, ſicut caro illa, habitationem in ſe habuit Deum, ita animam quoque cohabitantem* Deo. Verum, quam apte, quæ ad Matrimonii ſubſtantiam

tiam

Digitized by Google

tiam ſpectare videntur, Incarnationi conueniant, hactenus demonſtratum eſt: nunc de adiunctis quibuſdam inſtituetur diſputatio.

INTER adiuncta primum ſit Dos; quod vocabulum, ſiue ſit Græcum, à δίδωμι, vel διδόω, dono, largior: vnde poëtice ſit δῶς, idem quod δόμα, ſeu δόσις: ſiue Latinum à Do, das, ſignificat donationem factam à patre mulieri, aut etiam ab extraneo: vel factam à muliere viro pro oneribus matrimonii ſuſtinendis. Non ſpectare autem Dotem ad ſubſtantialia connubii, inde liquet, quod multæ indotatæ ducantur. Imo, Lycurgus, antiquus Legiſlator, commendationem apud Sapientes habuit, quod ſanciuerit, vt indotatæ nuberent: addita cauſſa; vt ſic vxores eligerentur, non pecuniæ: ſeueriuſque viri ſua matrimonia coërcerent, cum nullis allatæ dotis frenis tenerentur. Itaque illud dotis rationem habebit in Humanitate Chriſti, quod illi quidem donatum, ſiue à Deo, tanquam Patre, ſiue à virgine Maria, tanquam Matre ad Matrimonii huius diuini ſeu functiones, ſeu onera, rite decenterque obeunda: tamen ad ſubſtantiam non omnino pertinuerit, ſed potuerit abeſſe.

Dos vnde? Quid? NOTÆ.

Dos ad ſubſtantiam matrimonii non ſpectat.

TALIS eſt Gratia, quæ Theologis dicitur HABITVALIS, eiuſdem generis cum illa, qua mortales ceteri Sanctitate perfuſi, iuſtificantur: Vnde Sanctificantis, & Iuſtificantis nomen obtinet. Habuit Chriſtus Dominus triplicem omnino Gratiam: ſed non quælibet Dotis nomine ac titulo donari potuit, cum aliqua ad intimam huius Matrimonii naturam neceſſaria fuerit. Et hæc eſt *Prima* GRATIA, quæ dici ſolet VNIONIS, qua duæ naturæ in vnum ſuppoſitum diuinum, ſiue ſubſiſtentiam, vnitæ fuerunt, quæ erat plane huius Matrimonii eſſentia. *Secunda* eſt Gratia, quæ ſcite Capitalis appellari poteſt: Siquidem competebat Chriſto, vt Eccleſiæ, qua Triumphantis, qua Militantis ſupremo capiti, de qua poſtea non nihil diſſerendum. *Tertia*, non male nuncupabitur PERSONALIS, quæ Chriſto, vt ſingularis eſt homo, fuit peculiaris ac propria, animæ illius inhærens: hæc autem Humanitatem illam excellentiſſimam ad miraculum plenitudine bonorum ſpiritualium exornabat.

Dos Humanitatis Gratia habitualis.

Gratia vnionis.

Gratia capitalis.

Gratia Perſonalis.

HANC adfirmo fuiſſe Dotem Humanitatis. Cur ita? quoniam à Spiritu Sancto, tanquam filiam elocante, ei eſt data, non velut aliquid ad matrimonii eſſentialia neceſſarium: ſed, vt onera ſuſtinerentur facilius: hoc eſt, vt commodius, ac decentius in hoc ſtatu operationes propriæ huius coniugii exercerentur. Myſticum eſt, quod dico, aut parabolicum: loquar itaque planius, & efferam clare hoc loco, quod Theologi obſcure, & inuolute.

Quo fine data fuerit Gratia habitualis.

POTVISSET Verbum diuinum copulare ſibi Humanitatem indiſſolubili vnionis hypoſtaticæ vinculo, etiamſi nullam ei extraneam gratiam, præter illam ipſam Vnionis contuliſſet. De quo nulla in ſcholis eſt concertatio. Quippe cum naturam gratiæ alterius incapacem, & inſenſibilem adſumere ad ſuam hypoſtaſim in poteſtate illius fuerit. Quapropter S. Thomas negat vnionem duarum naturarum in Chriſto factam eſſe per gratiam: nimirum habitualem ac inhærentem Humanitati; quaſi hæc fuerit neceſſaria; vel vt efficiens, vel vt diſpoſitio ad hoc matrimonium. Quod vſque adeo verum eſt, vtlicet communi conſenſu doceant Doctores Scholaſtici; fuiſſe in Humanitate Chriſti Gratiam iſtiuſmodi habitualem, ſicut in aliis hominibus: ideoque contrarium opinari eſſet temerarium, & errori proximum: tamen non eſt omnino etiamnum in confeſſo apud graues Theologos: an id fide Catholica credere teneamur. Mihi illorum haud improbabilis.

Incarnatio non eſt facta per gratiam.

S. Thom. 3. P. Q. 2. Art. 10.

babilis videtur ſententia, qui aſſerunt, id explorare è fidei decretis certum non eſſe: neque hactenus ab Eccleſia, vt fidei dogma, ſancitum, verum, vtvt ſe res habeat, illud negabit plane nemo: illius ſortis Gratiam ad incarnationem minime neceſſariam fuiſſe, ideoque Dotis ſuperadditæ rationem habere ad onera ſuſtinenda: id eſt, functiones huic Matrimonio conuenientes perfectius, commodiuſque exercendas. Quod alterum in Dote ſpectari debere notabam.

Gratia dotalis. PORRO id Gratiæ huic dotali peculiari quodam modo conuenit. Nam, non poſtulat hanc Gratiam Humanitas, vt eſſet grata Deo, quo fine nobis conceditur: neque vt ſanctificaretur per illam vt in hominibus aliis contingit. Siquidem Humanitas Chriſti ex vi vnionis hypoſtaticæ fuit ſubſtantialiter ſancta, ac grata Deo, vt nulla alia Sanctitate indiguerit. *Illud quod virgo genuit*, inquit Bernardus, *ſanctum fuit per Spiritus Sanctificationem, & per verbi adſumptionem: nimirum, dixerat Angelus: Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quæ conſequutio innuit, ſanctificationem ſubſtantialem conſtituentem Filium Dei. Neque fuit neceſſaria illa Gratia, vt opera Chriſti eſſent meritoria. Nam Deitate ita ſanctificabatur Humanitas, vt operationes infiniti meriti rationem punduſque haberent. Ea itaque de cauſſa ſolummodo Gratia habitualis fuit Chriſto Domino conceſſa, ac neceſſaria, vt in ſe haberet principium proprium exercendi operationes, ordinis tranſnaturalis, & operaretur, vti cauſſa principalis per formam aliquam inhærentem. Quod egregie docet Doctor Angelicus. Onerum igitur matrimonialium ſuſtinendorum gratia, hanc Dotem collatam conſtat.

Bern. Hom. 4. ſuper Miſſ. Luc. 1.

Chriſti Gratia infinita. QVAM cum diligentius examino, cogor infinitam pronunciare, idque ſine exaggeratione, non oratorie, ſed Theologice. Ita enim exerte adfirmant eximii Magiſtri Noſtri: Gratiam Chriſti habitualem in ratione gratiæ, ac modo operandi fuiſſe infinitam: neque hac ratione potuiſſe, acceſſione aliqua, augeri, quod infinitatem arguit. Atque idem perſuadet hæc ratio. Quia vim habuit iſthæc Gratia efficiendi opera Deo infinite grata, ac proinde virtutem operandi infinitam. Quamuis autem quoad entitatem certis circumſcripta fuerit terminis: amplior tamen fuit, ac maior, quam vllius alterius, ſiue beatarum mentium, ſiue hominum. Superabat nempe omnium creaturarum gratiam: atque idcirco, iuxta ſtatam Dei legem, creſcere non valebat.

Gratia plenitudo. QVO ſpectat, quod adiungit Scholaſticæ Princeps Aquinas: In Chriſto fuiſſe gratiæ plenitudinem, tum ſecundum quantitatem intenſionis, tum ſecundum virtutem & efficacitatem gratiæ. Hanc autem plenitudinem Chriſto fuiſſe propriam ex parte ipſius gratiæ: ſiue eam, quæ eſt ſecundum ſummam gratiæ intenſionem: ſiue eam, quæ eſt ſecundum virtutem, & efficacitatem ad omnes effectus. O! quam vere dictum à Ioanne, non eſſe Chriſto datam gratiam *ad menſuram*! Merito adfirmat Apoſtolus: *In eo eſſe omnes theſauros Sapientiæ, & ſcientiæ DEI abſconditos: in ipſo inhabitare plenitudinem Diuinitatis corporaliter*; nimirum, vere, reapſe, ſolide, conſtanter: non apparenter, & fugaciter. Iam intelligo cur *diuitias* Chriſti Paulus appellarit *inueſtigabiles*: Dotem reſpiciebat Sponſæ Humanitati adſignatam. Profecto gloriari potuit ſponſus, vt noſtro modo loquamur, illudque vſurpare: Coniugis Dos immenſa eſt: ditiſſima mihi vxor obtigit.

P. 3. Q. 7. art. 9. 10. 11.

Ioan. 3.

Ad Coloſſ. 2. 3. 9.

Ad Epheſ. 3. 8.

Magnæ dotes. [illegible] *Capitoli* VARIAS ſane Dotes datas diuerſis ſponſis me legere memini: infinitam [illegible] dum: aut, quam augere poſſet, ditiſſimus. Maxima dos fuit Fauſtinæ vxoris M. Antonini, qui Philoſophi cognomen ne quidem in Imperio amiſit: attulit enim

enim viro, Dotis titulo, Imperium Romanum. Sed eo is fuit calamitoſior, quo magis dotatam accepit. Nam, cum Fauſtina vulgo male audiret, noſſetque ipſemet vxoris adulteria, amicis, vt eam repudiaret, ſi nollet occidere, hortantibus; reſpondit: Si vxorem dimittimus, reddamus & Dotem. Sed quid tantilla orbis portio ad immenſitatem? At incircumſcripto Dos minime limitata debebatur. Non, quid Humanitati, ſed quid Verbo, eiuſque coniugi conueniret, quidque deceret Deum dare, cœleſtis Pater attendit, in Dote hac conſtituenda.

Auditum vobis fortaſſe aliquando de Alexandro, quod ſcribit Curtius. Per illo amicorum cuidam dotem pro filia petenti, quinquaginta dedit talenta: eo dicente, decem ſatis eſſe; tibi, reſpondit munificus Princeps, accipere quidem ſatis eſt, at mihi dare nequaquam ſatis. Satis fortaſſe fuiſſet Humanitati, accipere gratiam ad menſuram: Sed non fuit ſatis diuinitati ad menſuram conferre. Infinito infinita conferre conueniebat. *Alexandri liberalitas in dote adſignanda.*

Doti affinia ſunt, qua *Parapherna* vocantur, ſiue *Paraphernalia*, quaſi dicas, *præter-dotalia*. Quo nomine ſignificantur bona ſponſæ, aut coniugis, aliunde, quam ex dote ſibi aduentitia, quæue in dote non fuerunt, data. Galli vocant, peculium, vel dona peculiaria. De quibus Vlpianus, L. *Si ego* 10. §. *Dotis autem.* De iure dot. docens, poſſe vxorem, extra dotem, res alias habere. Iam vero in Chriſto Dotis rationem habuiſſe Gratiam hactenus demonſtrauimus: tanquam Paraphernalia, adiuncta fuere, præter ſcientiam tum infuſam, tum beatam, de quibus dictum in ſuperioribus, virtutes quam plurimæ: de quibus ita vniuerſe pronunciant rerum diuinarum periti. Virtutes omnes, quæ conuenire potuerunt perfectioni Humanitatis, cumulatiſſime illi fuiſſe traditas. Diues ſane peculium, Paraphernalia diuina! Infinitum eſſet hic diſputationem de virtutibus Chriſti inſtituere, aut ſolum catalogum inſtituere. In quod mare ſi ſemel immergamur, nunquam emergendi poteſtas dabitur: & ſingulæ plures vna commentationes poſtulant: quas, ſuo tempore, per ocium, adornabimus. Nunc ſat ſit dixiſſe, nullam omnino fuiſſe deſideratam, circumciſis imperfectionibus. Quod addo, propter quaſdam: nominatim, fidem, ſpem, pœnitentiam, quæ cum ſumma Domini perfectione minus conſiſtere potuiſſe Doctores opinantur. *Parapherna Paraphernalia. Scientia infuſa Beata Virtutes. In Chriſto non fuit fides, ſpes, Pœnitentia.*

Inter Paraphernalia refero *Dona Spiritus Sancti. Requieuit* enim ſuper Chriſtum Dominum *Spiritus ſapientiæ & intellectus: Spiritus conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, repleuitque eum ſpiritus timoris Domini*: vt eſt apud Iſaiam Prophetam. Quibus verbis, vt ait Cyrillus, manifeſte ſignificatur, Chriſtum, ſecundum humanitatem, accepiſſe Dei ſpiritum multis virtutibus, ac viribus pollentem. *Dona S. Spiritus. Iſa. 11. 2. Cyrill. L. 2. in Iſa.*

Nec à Paraphernalibus ſeiungo Dona illa, quæ *Gratiæ gratis datæ* nuncupantur. Siquidem ad plenitudinem Gratiæ, quam in humanitate fuiſſe certum habeo, pertinebant quoque hæc munera. Erat Chriſtus ſummus Paterfamilias, ſimulque diſpenſator, & largitor horum omnium chariſmatum. ipſe igitur nequaquam carere debuit iis, quæ in alios tam large effundebat. Erat nobiliſſimus Doctor, & Euangelii Prædicator nulli conferendus: Gratiæ autem gratis datæ, vel ſunt neceſſaria, vel conuenientiſſima ornamenta in perfecto Doctore requiſita, in quo præter exactam rerum intelligentiam, facultas ad explicanda, & clare ac diſtincte proponenda myſteria fidei, eaque ſuadenda ac confirmanda neceſſaria eſt. Ad hunc autem finem potiſſimum gratiæ gratis datæ ordinantur. *Gratia gratis data.*

Hinc iam ne infructuoſa ſit rei altiſſimæ contemplatio, concitetur in volun- *Affectus Amoris.*

tate

tate affectus ille, qui erga Humanitatem Chriſti eſſe deberet ſemper feruentiſſimus, ac tenerrimus, Amoris. Illum hoc modo inflammari poſſe exiſtimabam.

Humanitas quomodo mēti obiicienda. Propone tibi ante mentis oculos, benedictam illam ter & amplius, Animulam, diuini Verbi ſponſam, delitium Patris, Spiritus operam. Illam ingenii diuini curam, molitionis diuinæ reginam, afflatus diuini receptaculum, liberalitatis diuinæ hæredem, Diuinitatis arcam, Animulam Chriſti, corpuſculo ad miraculum exornato, vt gemmam annulo inpalatam, talem, qualem paullo ante deſcripſi. Ah! erro: ignoſce ſponſe, ignoſce. quid ego deſcripſi, qui detriui laudes, & dotes innumeras ſponſæ, qui ne milleſimam quidem partem ornamentorum attigi? Alia fuit Chriſti Humanitas, quam ego deſcripſi, quam humanum poſſit delineare artificium. Propone ergo tibi illam, qualis erat, infinita præditam Gratia. Non poſſum, dicis: ſat ſcio. Propone, qualem mens, agitante calefacta ſpiritu, ſuggerit. Illam intuere attentius, cœli terræque Dominum, tot donis, muneribus, chariſmatibus cumulatam. Suſpira, admirare. ad illam arrepe adfectuum poplitibus: adplica internos oculos: manum admoue: guſtatum accommoda: odoratum appone; æſtuabis primo, tunc ſolueris in lacrymas, mox colliqueſces, diuina paſſus, ſi agas, vti debes, cum candido candide: & extra te poſitus, exclamabis, DEVS meus & omnia!

S. Franciſci ardor & amor in Humanitatem Chriſti. VIDEOR videre Franciſcum, Seraphicum illum hominem: cui iſtiuſmodi ſapiebant epulæ, deſerto amicæ quietis latibulo, foras egreſſum, plenum cœleſti enthuſiaſmo, diſrupto, præ ardoris vehementia, pectoris integumento, diſſecto capitis inuolucro, nudis pedibus, in crucis modum aptatis manibus, ore hiante, cetera ſicco, & cilitio vix bene tectum, currere per ſaxa, ſtirpes, dumeta, induere ſe in ſpinas, ſubire antra, ſuperare montes, labi in imas valles: iterum, iterumque moliri colliculos, ingredi ſyluas, prodire rurſus in apertum æquor: vbique quærere, nullibi morari: ſuſpicere cœlum, intueri terram, compellare arbores, alloqui ſorores auiculas, teſtari ſidera, ſe ſe ipſe non ferre: exclamare frequenter: *Num quem diligit anima mea vidiſtis? Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat:* apprehendam te & ducam te in domum matris meæ, nec dimittam te. O voluptas!

Franciſci delitiæ cum puerulo Ieſu. VIDEOR videre eundem Franciſcum, Humanitatis Chriſti, ſi quem alium, amatorem flagrantiſſimum, incredibili amantis feruore, ac beneuolentia, illam tam deſideratam Humanitaté, ſuauiſſimi pueruli ſpecie, ipſa Natalis Dominici nocte in ſinu fouentem, amplectentem vlnis, admouentem pectori, irretortis, ſed, præ dulcedine, torantibus aſpicientem oculis, nunc humili geſtu ante ſe poſitum adorantem, nunc iterum adpectorantem, nunc ruentem in oſcula, nunc contrectantem, cum reuerentia peduncuIos: nunc à pede ad pectus, ab hoc, ad manus, ab his, ad ſuauiſſimum os proreptantem, clamantemque, vt iam apud dilectum, non apud ſe habitantem, *Oſculetur me oſculo oris ſui.* O delitiæ!

Franciſci ſpiritualis ebrietas. VIDERE videor Franciſcum, illum cœleſtis Sponſi ſodalem, & paranymphum, amore Humanitatis Chriſti ſobriè ebrium, verè languentem, vt verè amantem, & ægritudine non corporis, ſed animæ in terram deiectum, fateri morbum, ſebrim prodentem, non ferentem ardores, palpitantem, in omnes ſe verſantem partes, nullam quietis partem capientem, ſuſpirantem, gementem, anhelantem: nullum, niſi de dilecti Humanitate, ſermones admittentem: huius vnius contemplatione, & aſpectu ſeſe opipare reficientem. O amores! ô igniculos cœleſtes! Quibus

ſi cor-

Digitized by Google

ſi corriperetis, ſorderent illico, quæ nunc ſunt in precio, & prima ad felicitatem putantur, vno verbo, mortalia omnia; opes, honores, voluptates, amici, ſeruitia, clientelæ, fauores, pompæ, laudes. Non te raperet vana mulierum ſpecies: non titillaret efficaciter ſenſualitas: non tranſuerſum ageret creaturæ vllius elegantia. Ad vnum Chriſtum tenderent vota, gemitus, ſuſpiria. Ad vnum vigilans anhelares: vnum ſomniares dormiens, corde minime ſoporato. Vnus tibi in oculis, auribus, affectu eſſet CHRISTVS. Hanc, tanquam ſponſum, deſideraret anima: cum hoc tanquam Dilecto priuatim ageret: huius amplexus, non mortalis vllius, appeteret: hoc vno contentus, & occupatus, cetera omnia flocci faceret: mundo, carni, dæmoni res ſuas habere iuberet: clamaret identidem: *Vnum petii, hunc requiram: Deus meus, & omnia.*

SED cur mihi, cur tibi, adhæc frigent præcordia? nimirum, quia amamus terrena, inhiamus caducis, inhæremus vanitatibus, reiicimus diuini Spiritus ad perfectiora afflatus: hoc ſacroſancto tempore, vacamus nugis, facetiis, ludicris: quid ſi etiam ebrietati, comeſſationibus, cubilibus, impudicitiis, rixis, contentionibus, æmulationibus, detractionibus? Non ſunt hæc flabra ad ignem cœli, ſed ad inferni ventilandum; his fomentis tartareus alitur. *Cur non omnium idem ardor.*

Dandum eſſet ſacro Aduentus tempore aliquid amplius pietati; minus aliquid ſecularibus deſideriis ac negociis: amplius vigiliis, minus ſomno: amplius abſtinentiis, minus poculis: amplius modeſtiæ, minus leuitati: amplius ſolitudini, minus euagationi: amplius largitioni, minus tenacitati: amplius taciturnitati, minus garrulitati: amplius fletui, minus riſui: amplius animæ, minus corpori: amplius DEO, minus Dæmoni.

Oſtendenda eſſet Eccleſiaſticis pietas ſingularis in templis, non vanitas per niues in trabis, hæc bacchanalia ſapiunt non Chriſti natalia. Relinquenda eſſent Laicis improba commercia: adoleſcentibus inhoneſta colloquia; Studioſis iuuenibus malorum irritamenta; omnibus peccata. Et, haud dubie, in nobis etiam arderet ignis, qui inflammauit Franciſcum erga Sanctiſſimam CHRISTI Humanitatem, cuius, vt ſponſæ, Dotem hactenus expoſui, & commendaui. *Statuum diuerſorum officia.*

A Dote vero, & Paraphernalibus diſtinguo Munera Nuptialia. Ea tam apud profanos, à vera religione alienos, quam apud Dei cultores fideles dare moris fuit: Græcis dicebantur Ἀνακαλυπτήρια, quæ ſponſæ à marito offerebantur. Traditque Suidas, Græcorum morem fuiſſe, vt poſt triduanum nuptiarum diem, pater ſponſæ, non ſine pompa perferret munera ſponſo ac ſponſæ: puerum autem præire ſolitum, veſte candida, cum lampade accenſa: poſt hunc, puellam caniſtrum gerentem: alias deinde cum donis, quæ plerumque erant aurea, pelues, veſtes, ſmygmata, pectines, alabaſtri, ſandalia, thecæ, myralyptra. In ſacris litteris Geneſis 34. Sichem non offerebat ſolum dotem, ſed etiam munera, vt Dinam Sponſam poſſet accipere: *Augete*, inquiebat, *dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis.* *Munera nuptialia.* *NOTÆ. Ἀνακαλυπτήρια.* *Gen. 34. 12.*

MVNERIBVS autem iſtiuſmodi, quæ à nuptiis nomen habent, Humanitatem ſponſam, à Verbo ſponſo, illiuſque Patre, fuiſſe largiſſime dotatam, ex Epithalamio Canticorum habemus, in quo ſparſim ſponſa ab iis commendatur. In iis autem præcipuæ fuere, *Pulchritudo & Sanitas*. Quæ nuptialia munera vocare lubet: habent enim magnam cum illis ſimilitudinem: & magis, quam vllis gemmis, veſtibus, ac monilibus ſponſa iis decoratur. *Pulchritudo Chriſti et ſanitas Munera.*

Chriſti pulchritudo.

DVBITARI non poteſt, vt ego quidem exiſtimo, quin Chriſtus Dominus eam habuerit corporis totius, & oris dignitatem, ac pulchritudinem, quæ maxime deceret illius conditionem, munus, ac perſonam. Quod egregie docet S. Thomas in Pſalmum 44. ad verſiculum illum, quo ſponſi venuſtas mirifice commendatur. *Specioſus forma præ filiis hominum.* Vbi ſignificat imprimis, pulchritudinem non eſſe eandem in omnibus, neque reſpectu eiuſdem finis. Sicut igitur alia eſt pulchritudo pueri, alia virginis, alia viri, alia ſenis: ita alia eſt pulchritudo Doctoris, alia Principis, alia Prophetæ, ac morum Magiſtri. Pro diuerſitate igitur perſonarum, & officiorum, decent diuerſi vultus, vultuumque diuerſus habitus, color, diuerſa oris conformatio, vocis diuerſitas. Tum affirmat, ad eum finem, quem ſibi Chriſtus propoſuerat, perfectam, maximeq; decentem illi fuiſſe pulchritudinem.

Variæ pulchritudo.

Omnes cauſſæ pulchritudinis in Chriſto.

Integritas.

Proportio.

Et ſane, fuerunt in Chriſto, quæcumque pulchritudinem in homine cauſſare ſolent, & ad tria ferè reducuntur. Quorum primum, eſt membrorum integritas, qua excelluiſſe Chriſti corpus certiſſimum eſt. Quis enim dicat, illum accepiſſe corpus mutilum, aut monſtroſum? Alterum eſt, membrorum debita proportio: quam fuiſſe in Chriſti corpore quis dubitat? Certe tale corpus debebatur nobiliſſimæ illius animæ: ac decebat, vt corpus illud aptiſſimum eſſet ad omnia vitæ exercenda: quæ aptitudo exactam quandam proportionem exigit. Tertium, eſt conveniens color natiuus, qui oritur ex optatiſſimo temperamento ac complexione, quam omnes Chriſto adſcribunt.

Cauſſa efficiens corporis.

Eandem pulchritudinem ſtabiliunt, tum Chriſti corporis per Spiritum Sanctum, cuius perfecta ſunt opera, formatio: tum comparatio, quam ex Paulo Patres inſtituunt, ſecundi Adam cum primo. Adam primus pulcherrimus, quia immediate à DEO factus, & non ſecundus Adam, quia à Spiritu Sancto? tum quia futurum eſt Chriſti corpus obiectum ſecundarium beatitudinis: tum quia conformes fient beati ſecundum proportionem claritati, ac perfectioni corporis Chriſti, ex Paulo ad Philippenſ. 3. tum quia corpus illud, præterquam, quod habuerit peritiſſimum artificem, formatum fuit ex puriſſimo Virginis ſanguine: tum quia, qui de Chriſti rebus hiſtoriam texuerunt, præclaram illius formam commendant. Nicephorus Calliſtus Libro primo, cap. vltimo, & libro ſecundo cap. 23. & Cedrenus in Hiſtoriæ compendio, nec non Epiphanius, egregiam Chriſti; ac Matris ſpeciem deſcribunt. Ioſephus quoque Lib. 19. Antiquit. cap. 15. Et Pilati apud Hegeſippum, & Lentuli epiſtola apud Antoninum, & Eutropium. Quas etiam pinxit Lucas imagines, vt traditio habet, Matris, cum puero Ieſu, elegantiam præferunt: Vt, & vultus, quem Chriſtus impreſſiſſe fertur Sindoni Veronicæ: ac imago ad Agabarum miſſa. Me etiam multum mouet optima, temperantiſſimaque Chriſti educatio, mores ſuauiſſimi, aliorum in illum, vel ad primum conſpectum, affatumque adfectus.

Chriſti vultus ſydereus.

Hieron. Epiſt. ad Principiam.

In cap 9. Mat.

Ioan. 18.

Chryſ. Hom. 18. in Matt.

Comment. in Pſal. 44.

Niſi virgo de virgine (verba ſunt Hieronymi) *& ex Deo natus, id eſt, opera Spiritus Sancti, habuiſſet & in vultu quiddam oculiſq; ſidereum, nunquam eum ſtatim ſequuti fuiſſent Apoſtoli:* nec qui ad comprehēdendum eum venerant, corruiſſent: nec quod Chryſoſtomus docet, ingenti deſiderio exarſiſſent homines, faciem, oſque Chriſti conſpiciendi: quoniam, vt in faciendis ſignis erat, ſic viſu gratioſiſſimus. Quod multò antè clamaſſe Prophetam, dum *ſpecioſum forma præ filiis hominum* promulgauit Chriſtum Dominum exiſtimat S. Thomas, laudatque Auguſtinum, & tradit Chriſti pulcritudinem fuiſſe veram, ſolidam, maieſtate plenam, quæ competebat ad

ſtatum

ſtatum ac venerationem perſonæ, quam ſuſtinebar, repræſentandam, ac commouendam: non vanam, mollem, cynædicam, quæ laſciuiam, imbecillitatem, effæminatum animum, ac nequitiam ſpirat: quam abeſſe, quam adeſſe frequenter eſt optabilius. benè ille quod multis ego voueam:

O quam te fieri Catulla vellem
Formoſam minùs, aut magis pudicam.

SED hoc ſcire fortaſſe quiſpiam deſideret: An munus iſtud nuptiale Chriſti, tam fuerit perfectum in genere pulchritudinis, vt nullus hactenus hominum extiterit, quem Chriſtus forma externa non ſuperarit. Nec illi conferri potuerit, Apollo, Adonis, Atis, Cypariſſus, Crocus, Aranthus, Amaracus, Ganymedes, Hippolytus, Hylas, Narciſſus, Niſus, Paris: Dauid, Abſolon, Salomon: Helena, Atalanta, Ariadna, Antropa: Iudith, Heſter, Abigail, vel alii quicumque ob ſpeciem externam celebres. Quod dicendum videri poſſet, ob celebre encomium, *Speciosus forma præ filiis hominum.* Cardinalis Caietanus commentario in Pſalmum 44. diſtinctiunculis aſſuetus ſcholaſticis, ſcribit, Chriſtum ſecundum corpus, fuiſſe *ſpecioſum præ filiis hominum*, negatiuè: hoceſt, quod nullus illo fuerit ſpecioſior: & fortè etiam poſitiuè, præ filiis hominum: vt excludatur primus homo, qui non fuit filius vllius hominis. Subtilis diſcriminatio: quæ tamen nunquam apud me efficiet, quin credam, Chriſti Domini os habitumque, ac totius corporis decus, fuiſſe multò conuenientius, ac perfectius ad finem, ac officium humanato verbo propoſitum, quam fuerit Adami, ac conſequenter, vllius alterius hominis, ad proprium cuiuſque ſtatum, ac munus. Quamuis itaque admitteretur, fuiſſe in rerum natura aliquos, qui ſymmetriâ membrorum, concentuque proportionis, ac ſuauitate coloris, oculos alliciente Chriſtum ſuperauerint: non conceſſerim tamen pulchritudinem vllam à mundo condito fuiſſe ad finem ſuum magis idoneam, decentiorem, & ad dignitatem perſonæ tuendam perfectiorem. Veriſſimè dixit Auguſtinus, *Pulcherrimum eſſe, ac videri etiam Ieſum Chriſtum diligentibus illum, ac ſummam oris dignitatem, & maieſtatem ſpectantibus.*

Quam perfecta Chriſti pulchritudo. Pulchri vtriuſque ſexus.

Chriſti conuenientiſſima ſpecies.

ALTERVM inter Munera nuptialia erat corporis *ſanitas*, de qua plenius agimus in MEDICO CHRISTIANO: nunc dixiſſe ſufficit, fuiſſe exquiſitiſſimam: adeò, vt nullum vnquam morbum, aut ægritudinem paſſus ſit. Quod tam eſt certum apud bonos Theologos, vt contrarium dicere temerarium iudicetur. Cauſſam huius rei conſideratione dignam S. Thomas adſignat. Quoniam morbus aut ægritudo non oritur, niſi vel ex imperfecta corporis formatione, quæ in Chriſto locum non habuit, cuius caro, Spiritus Sancti opera coaluerat: vel ex immoderatione cibi ac potus: vel alia ſimili cauſſa, quæ à Chriſto longiſſimè abfuit. Et quamuis ex cœli inclementia, ac intemperie: & aliis, quæ extrinſecus accidunt moleſtiis, nonnunquam morbi proueniant: tamen corpus optimè temperatum, quale fuit Chriſti, facillimè reſiſtit, ac ſuperat iſtiuſmodi iniurias atque intemperiem. Erat etiam facillimum Domino euitare quæcumque nocumentum aliquod corpori adferri poſſunt: Quod decebat maximè perſonam diuinam, & contrariam nobis nec erat neceſſarium, nec vtile. Non deſunt autem, qui adfirment, adeò fuiſſe alienum Chriſti corpus à morbis, vt ne quidem illud fuerit ſubditum neceſſitati incidendi in morbum: quemadmodum ſubditum erat neceſſitati moriendi. quod alibi examinandum eſt.

Munus nuptiale Sanitas.

S. Thom. 3. p. q. 14. art. 4.

Origo morborum.

Aſſ. ſtus Amoris. NVNC finem huic commentationi imponamus, & iterum triumphet Amor. O Chriſtiane! rapit te pulchritudo corporum? Chriſtum reſpice, *Speciosum præ filiis hominum*? ama. placet cutis venuſtè colorata? non pallida, vt morbidorum: non rubicunda nimis, vt ebrioſorum: ſed decora temperie, ruboris, candoriſque? *Cant. 5. 10.* Chriſtum intuere: ama. *Dilectus tuus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Arridet aurea cæſaries, & humeris inuolitantes comæ? Chriſtum conſpice: ama: *Caput eius aurum optimum, coma eius ſicut elatæ palmarum.* Delectaris nitidis oculorum *Cant. 5. 11.* orbibus? Chriſtum adi, ama: *oculi eius, ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte* *Cant. 5. 12.* *ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Genarum decus, purpuram adamas: *Genæ illius, ſicut aureola aromatum conſita à pigmentariis.* Labiorum gratiam poſtulas? *Labia eius, vt lilia, ſtillantia myrrham primam.* Manuum elegantiam cupis? *Manus eius tornatiles, plenæ hyacinthis.* Quid guttur? Suauiſſimum. Quid ipſe totus? *Totus* ipſe *deſiderabilis*: in originali idiomate eſt: *totus, deſideria*: S. Hieronymus legit: totus concupiſcentia: LXX. Interpretes Hebræi, totus ἐπιθυμία.

Amor ad interiora tendit. SED noli in ſuperficie ſubſiſtere ô anima! Littera occidit, ſpiritus viuificat: ad interiora velaminis penetra. Ama in Dilecto tuo, candorem Diuinitatis, ruborem Humanitatis: candorem innocentiæ, ruborem iuſtitiæ: candorem caſtimo- *Chriſti virtutes amandæ.* niæ, ruborem vſque ad ſanguinem, conſtantiæ. Ama illam incredibilem ſubmiſſionem, qua, qui in forma Dei erat, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Ama tenerrimam illam, erga calamitoſos, affectionem: viſcera pietatis, benignitatis, miſericordiæ. Illam exactiſſimam erga Deum Patrem, Virginem Matrem, Ioſephum nutritium ſubiectionem, & obedientiam. Singularem illam in aduerſis patientiam: modeſtiam in proſperis: æquanimitatem in contumeliis: magnanimitatem in opprobriis, fortitudinem in paſſionibus. Ama illam aſſiduitatem in orationibus, diligentiam in vigiliis: ſeueritatem in corporis afflictationibus. Ama in Sponſo & Sponſa concordiam, fidem, amorem.

Amor imitationem exigit. SED non amat, qui non imitatur. Imitari oportet, ſi amare deſideres. Imitanda humilitas, manſuetudo, modeſtia, caſtitas, caritas. Imitanda vanitatis omnis abdicatio: rerum humanarum deſpectus, cœleſtium deſiderium. Imitanda beneuolentia, ſuauitas, liberalitas, longanimitas; peccati deteſtatio, voluntaria pœnarum ſuſceptio, præceptorum diuinorum exequutio, intemerata puritas.

Imitatio moram neſciat. Imitabor, ais, dum iuuentutis ille flos emarcuerit, dum ſanguis ebullire ceſſauerit: dum à ſenio propius abero: nunc amare ſat eſt, & admirari; vt imiter, aliud tempus iubebit.

Erras, Dilecte, non amat, qui moras nectit. Amanti omnis eſt moleſta, & prolixa, quamuis breuis, mora. Qui amat habet in mente, ac in ore *Ecce nunc cœpi: Hæc mutatio dexteræ Excelſi: Domine quid me vis facere? Ecce adſum, audit ſeruus tuus. Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Rumpe moras, vt ames. Pondus meum, aiebat ille, Amor meus. Nimirum, quæ motu aguntur ſpontaneo, quo termino ſuo approximant magis, eo vehementiore ac celeriore impetu feruntur. Lapis, quò terræ propinquior, voluitur pronius: flamma, quò tecto vicinior, eo agilior per trabes volitat. Si pondus amoris vrgeat, non ſubſiſtes, donec ſponſum comprehendas: Amor meus non patitur moram dicebat feruens amator: dicere poteſt Chriſtus, Amor mei moram non patitur. Non eſt illa inepta cuiuſdam ſpeculatio, *Amor. Mora.* quod iiſdem litteris *Amor*, & *Mora*: tamen hæc ita ſibi eſſe aduerſa, vt vnius generatio, ſit alterius corruptio. Si gignatur Mora, interit Amor: Si ſoluatur Mora, naſcetur

ſcetur Amor. Feſtinate igitur, & Sponſam per viam mandatorum Dei currentem inſequimini: vel in occurſum venienti, pergite: ſi in vobis vetus erit amor, nulla reliqua erit mora. Ecce Sponſus venit, ſaliens per montes, tranſiliens colles: exite obuiam ei cum lampadibus: Ecce iam propior eſt noſtra ſalus. Expectat Sponſus, nos moremur? Nam amat qui moras nectit, qui non currit: quid? non amat, qui non volat. Curramus, volemus, dicamus. O Sapientia! ô Adonai! ô Radix Ieſſe, veni ad redimendum nos, iam noli tardare.

O Oriens ſplendor lucis æterna, & Sol iuſtitiæ, veni, & illumina ſedentes in tenebris, & vmbra mortis. Veni, & ſi amas, noli tardare.

NOTÆ

DE MATRIMONIO VERBI ET HVMAnitatis.

§. DOS.] Δῶς Poëticè à διδόω indeclinabile Laſcaro. Dicitur etiam Dos φερνὴ, à φέρω. Hinc Antipherna quaſi contra-dotalia, vel dotalibus oppoſita. Donatio videlicet propter nuptias ad æqualitatem doti præbendam facta à marito vxori. L. final. De Donat. propter nupt. Hinc etiam Parapherna. Vide Petrum Toloſanum Syntagmate Iuris Lib. 9. cap. 17. vbi ita definit. Dos eſt res omnis tradita, vel promiſſa à patre, aut alio marito pro ſubeundis oneribus matrimonii.

Mariti dabant dotes vxoribus apud Cantabros. Polydorus Virgilius Lib. 1. de Inuentione rerum cap. 7. Matrimonium poteſt eſſe ſine dote L. final. C. de repud. L. fin. de donat. an. nupt. tamen Dos non eſt ſine Matrimonio L. 3. de iure dotis.

Optima Dos virtus. Hor. L. in Car. ode 24.

Dos eſt magna parentum
Virtus: & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas.

Plaut. Aul. *Dummodò morata rectè veniat, dotata eſt ſatis.*

Bias apud Auſon.

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.

Conſultius quidam maritum agere exiſtimant, ſi indotam vxorem accipiat, atque à diuite abſtineat. Recte Petrarcha Lib. 1. De re media vtriuſque fortunæ Dial. 64. Dos & forma ſuperbiæ coniugalis ſunt ſtimuli: & vnde dos ingreditur magna; inde libertas ingreditur mariti: quæ ſi cara illi fuiſſet, vllo precio vendita non fuiſſet. Mutuatum id ex Plaut. in Aſinar. vbi ait.

Argentum accepi, dote imperium vendidi.

Sapitæ populus Indicus in matrimoniis contrahendis neque dotis, neque magni apparatus, ſed formæ tantum, ac proceritatis corporeæ rationem habebant. Diod. Sicul. Lib. 12. Biblioth.

Solon in legibus, dotes ex matrimoniis abſtulit, tres ſolummodò veſtes, & quædam paruò empta vaſa, præterea nihil, ſecum importare volens. Exiſtimabat enim, viri ac mulieris conſortium, non precio, ac mercede; ſed liberorum caritate, gratia, beneuolentiaque coniugi debere. Plutarch. Solone.

Ælianus Lib. 6. Variar. cap. 6. tradit legem fuiſſe Spartanis vt matrimonia nulla dote intercedente contraherentur.

Arrianus de Indorum nuptiis libro Ἰνδικῶν ſcribit. Nubunt nihil dantes, neque accipientes: ſed quotquot iam maturæ viro fuerint, adducuntur à parentibus in publicum, vt is qui lucta vicerit, aut pugillatu, vel alia quapiam virtute reliquis antecelluerit, eam ſibi, quam volet, deligat.

§. Dotes *magnæ.*] Apud Maſſilienſes ampliſſima dos centum erat aureorum: ad veſtem quinque, ad mundum quinque, nec quicquam amplius conferre licebat. Strabo Libr. 4. Geog. Franciſcus I. Galliarum conſtituit, vt qui pecuniæ regiæ quærendæ inſeruiant, dotes filiabus conſtituant, quæ decimam partem bonorum paternorum excedant. Petrus Toloſan. Lib. 9. cap. 18.

De Paraphernis lege eundem Lib. 9. cap. 17. dicuntur à παρὰ, præter, & φερνὴ dos.

§. Mvnera *nuptialia.*] Vide Tiraquel. in L. connubial.

Lis de Pulchritudine Christi. §. Pvlchritvdo *Christi.*] De Chriſti pulchritudine non omnes conſentiunt. Videtur ſanè dici, *Speciosus forma præ filiis hominum*, Pſalmo 44. quo verſiculo, prædicari Meſſiæ ſpeciem adfirmant, tam Chriſtiani, quam Iudæi. Kaldæus habet: *Pulchritudo tua, ô Rex Meſſia! maior filiorum hominum.* Sed lis eſt, an de corporea ſpecie, & pulchritudine, an potius de ſpirituali commendetur.

Negant pulchritudinem corpoream. De corporali Pſalmiſtam loqui, negant Euſebius, Baſilius, Heſychius, Apollinaris, Theodoretus, Euthymius, Nicephorus, Græci denique omnes Pſalmi illius enarratores; quibus, ex Latinis accedunt Caſſiodorus, Remigius, Arnobius, & nonnulli alii.

Christus pulcherrimus Diuinitate. E quibus aliqui ad Diuinitatem id referunt, non enim, inquit, Baſilius, pulchritudinem carnis commendat. Quod etiam adfirmat Cyrillus in Iſaiæ caput 55. B. Vigilius Lib. 2. contra Eutychetem: Auguſtinus Præfatione in Pſalmum 103. nec diſſentire videtur Ambroſius Lib. 1. De Virginibus, poſt medium: & Lib. 3. epiſtolar. Epiſt. 10. ad Irenæum: & De interpellatione Dauid, poſt initium: & in caput tertium prioris ad Timotheum.

Christus pulcherrimus virtute, Gratia, Sapientia. Alii verò eandem ſpeciem in ſuſcepta humanitate conſiderant ſpiritualiter: quippe *Diuinitas*, vt ait Hieronymus, *non habet comparationem.* Et, vt ſcribit Auguſtinus, ac poſt illum Ruffinus: Cur non dixit Pſaltes, *præ Angelis*: &, quid voluit dicere, *præ filiis hominum*, niſi quia homo? *Formam eius*, inquit Theodoretus, *vocat, non corporis, ſed virtutibus, & totius iuſtitiæ adimpletionem, quæ nullam peccati maculam contraxit.* Cui conſentiunt Euſebius, ac Nicephorus, qui pulchritudinem gratiæ ſanctificationis accommodare videntur. Laxius Chryſoſtomus, qui *ſpecie* ac *pulcritudine* indicari docet, gratiam, ſapientiam, doctrinam, miracula. Vniuerſim Auguſtinus, Epiſtola 112. ad Paullinum, De videndo Deo: *Si nulla*, inquit, *ſpecies eſſet mente contuenda, non diceret ille: Speciosus forma præ filiis hominum: neque enim hoc ſecundum carnem dictum: ſed ſecundum ſpeciem ſpiritualem.*

Michael Medina. Ex recentioribus Theologis, Michael Medina Libro 2. de recta in Devm fide, diſertè adfirmat: Christvm, corporis elegantia, venuſtate aut pulcritudine præditum nequaquam fuiſſe: verſiculum autem prolatum, tametſi de Chriſto loquatur, vel ad diuinitatem ſpectare; vel ad virtutum ſpeciem, ac formam. Addit idem Auctor: corporali ſpecie Chriſtus haud fuit pulcrior Apolline, Ado-

me, Adonide, Narciſſo, Hippolyto: aut fœminis, Helena, Ariadna, & reliquis vtriuſque generis ob ſpeciem celebribus.

QVÆ quidem opinatio probationibus nititur minimè friuolis. Nam imprimis grauiſſimi Patres, non ſolum negant, verſiculum illum de ſpecie, ac pulchritudine conuenire in Chriſti Domini corpus, & externam formam: ſed præterea adſerunt, exteriorem Saluatoris faciem non fuiſſe ſpectabilem: imò deformem.

D. Cyrillus in cap. 53. Iſaiæ Prophetæ, vbi de Chriſto dicitur: *Non eſt ei ſpecies, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus: & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum:* ſcribit, Chriſtum fuiſſe *facie inhonorata:* & quo ad Diuinitatem dictum fuiſſe. *Formoſus pulchritudine præ filiis.* Idem, ἐν γλαφύροις, explicans Pſalmum 44. dicit, neminem poſſe dubitare, quin ſic debeat intelligi, de pulchritudine, quæ eſt in gloria, & natura Deitatis: nec eſſe quemquam, qui Chriſto adſcribat σαρκὸς αὐχήματα, *carnis gloriationes.* Deinde per exclamationem. *Abſit,* inquit, *hoc: nam totum Incarnationis myſterium eſt exinanitio:* ſicut ſcriptum eſt ab Iſaia: *Vidimus enim eum, & non habebat ſpeciem, neque pulchritudinem.* Iſa. 53. 2. 3.

Baſilius quoque in catena Barbari, pulchritudinem carnis Chriſti, ait, non commodari, quoniam ſpecies illius inhonorata fuerit.

Clariſſimè Tertullianus Lib. aduerſus Iudæos, cap. 14. ſpeciem Chriſti *inhonoratam* appellat, *deficientem citra filios hominum.* Et ſordida illa indumenta Zachariæ tertio, carnis paſſibilis ac mortalis indignitati tribuit. Poſt reſurrectionem verò, ſpeciem honorabilem, ac decoram habiturum aſſerit, indeficientem ſupra filios hominum.

Clemens Alexandrinus Lib 3. Pædagogiæ cap. 1. quod inſcribit, *De vera pulchritudine,* aſſerit, Iſaiam teſtari, Dominum aſpectu fuiſſe deformem. Addit: *Quis eſt autem Domino præſtantior, ſi non carnis pulchritudinem, quæ viſu apprehenditur, ſed veram animæ, & corporis concipias: animæ quidem beneficentiam, carnis verò immortalitatem?*

His adiungatur Athanaſius, qui oratione, De humana natura ſuſcepta contra Apollinarium: *Poſtea vidit Iſaias,* inquit, *formam ſerui indutum, & in ſimilitudinem hominis effigiatum: non habebat autem pulchritudinem, quippe cuius ſpecies contemptibilis eſſet.*

Tandem poſt alios Caſſiodorus, exponens Chriſti ſpeciem, illam commendat: non quia formæ decore lactei coloris eluxit, aut flauo crine lampauit, aut inſigni ſtatura præeminuit, inquit, ſed quia peccata non habuit. Quod confirmat ex illo Canticorum 1. vbi Eccleſia, quæ Chriſti geſſit perſonam, fuſca dicitur, corpore carnali; formoſa, cœleſtibus meritis.

Quod ſi rationem conſulas: Pulchritudo videtur eſſe ex illis corporis externis ornamentis, quæ Chriſtus Dominus diuino conſilio contempſit: quippe, vt Cyrillus ait, Non fuit inter homines dignitatis quodam ſplendore fulgentes, diuitiarum, quaſi ſatellitio, ac comitatu elatos vel amplos, aut alio modo in terrena dignitate conſtitutos. Quod eloquenter exornat Chryſoſtomus in Pſalmum 44.

Illud quoque obſeruatum: non ſemper eximiam pulcritudinem cum optimis moribus, atque cum optima internarum virium, & ingenii compoſitione ac pulchritudine conuenire. Quod plurimis ab antiquitate petitis exemplis, ſed & experimento probari poſſet.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Accedit:

Accedit:quod in officina ferraria vel ſanri à iuuenture Chriſto,& incudem aſſidue pulſanti cum Ioſepho: ſiquidem Faber ferrarius fuit Ioſeph, quod admodum probabile eſt, ex multorum ſenſu: non lignarius, vt paſſim circumfertur, pulchritudo minus conueniire videretur, nec poruerit commode conſeruari.

Patroni Pulchritudinis Chriſti. *Hieronymus Chryſoſtomus.* VERVM, ex aduerſo, pro Chriſti pulchritudine corporea non pauci pugnant: qui verſiculum Pſalmi 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, de corporis elegantia forma accipiunt. Hieronymus Epiſt. ad Principiam: Chryſoſtomus Homilia 28. in Matth. qui in Pſal. 44. dicit. agi de ea gratia, quæ venit ad carnem: Iſaiam autem capite 53. minime agere de deformitate; abſit: ſed de contemptione, ſeu de contemptibilis vitæ ratione, Origenes Lib. 1. & 6. contra Celſum cum animæ, corporis quoque pulchritudine Chriſtum præſtitiſſe aſſerit.

Nazianzenus Oratione 2. de Paſcha ſcribit, Chriſto reſtitutam in reſurrectione pulchritudinem: quo indicat, prius quoque eum habuiſſe: ſed perfectiorem ſtatum illum eſſe conſequutum, ac per nouam corporis gloriam magis fuiſſe illuſtratum. Athanaſius Orat. De Incarnatione Chriſti in fine: Pulchritudinem vel gloriam corporis Chriſti, ait, non eſſe fas exprimi humano intellectu.

Anſelmus Lib. 1. Cur Deus homo ſcribit ſe indignari prauis pictoribus, cum ſpecioſum forma præ filiis hominum informi figura pingi viderer.

Bernardus ſermone 70. in Cant. Et Serm. 1. De omnibus Sanctis: Prædicantem Chriſtum, ait, populos ſequutos de ciuitatibus, & caſtellis, eique adhæſiſſe affatu pariter, & aſpectu illius delectatos.

Ioann. Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 17. appellat Chriſti Domini faciem diuinam, ac viuificam.

Nicephorus Lib. 1. Hiſtor. cap. 40. egregium, viuidumque vultum, & ex cuius oculis ſufflorescentibus mirifica prominebat gratia.

Adrianus Papa ex viſione ſacrarum imaginum ſpecioſam Chriſti formam colligit.

Iſidorus in Geneſ. Cap. 30. & 31. Comparat pulchritudinem Chriſti cum pulcritudine faciei Ioſephi.

L. 1. Reuelat. cap. 10. B. Brigittæ reuelatum fuit, ex aſpectu pulchritudinis Chriſti cæpiſſe multos conſolationem.

L. 4. cap. 70. *Lib. 6. cap. 1.* Qua propter deformitas, quam Iſaias cap. 53. Chriſto tribuit, vel ſpectatur in humanitate collata cum diuinitate in ipſa latente: vel in paſſionis cruenta deformatione, liuidiſque tumoribus: vel in tenui victu, ac veſtitu, quo vſurum ſignificare voluit: vel opinione Iudæorum, qui deſpiciebant Chriſtum, vt indicat Nazianzenus Orat. 1. De filio.

Certum illud videtur: Pulchritudinis eam partem, quam Cicero Lib. 1. officiorum dignitatem virilem vocat extitiſſe in Chriſto: non item, quam nominat virilem venuſtatem, quæ vulgo placet, non Sapienti. Dignitatem virilem commendat Seneca in Hippolyto Actu 2.

Quam grata eſt facies, torua virilitas
Et pondus veteris triſte ſupercili!
Phœbo colla licet ſplendida compares
Illum cæſaries neſcia colligi
Perfundens humeros ornat & integit.

Idem de eodem iam mortuo. Actu 3.

Vli

Vbi vultus ille & ficta maieſtas viri
Atque habitus horrens priſca & antiqua appetens
Morumque ſenium triſte, & aſpectu graue?

Placet mihi præceptio Arriani Lib. 4. Diſſertat. Epicteti cap. 11. de moderatione ſeruanda in pulchritudinis æſtimatione ac cultu: vbi etiam præſcribit, quis corporis ornatus ac cultus deceat ſapientem. Quod etiam Apuleius Apologia 1. vindicans à reprehenſione Philoſophum formoſum, docenſque, vultu liberali, & excellentiſſima forma Pythagoram fuiſſe. Zenonem decorum: multos Philoſophos ab ore honeſtiſſimos, qui gratiam corporis morum honeſtamentis ornarint.

Quod de Mariæ V. Pulchritudine tradunt Ambroſius de institut. Virg. cap. 6. S. Thomas in 3. Diſt. 2. Q. 1. Art. 2. Quæſtiun. 1. ad 4. Bonauentura Diſt. 3. p. p. ar. 2. Gabriel. Q. 2. Gerſon. ſerm. de Concept. Maior in cap. 1. Lucæ Carthuſian. De laudibus virg. cap. 39. Alenſis 3. P. Q. 9. Memb. 3. Art. 1. Titelmannus in Pſalmum 44. & alii, fuiſſe caſtitatis conciliatricem multo procul dubio magis conuenit pulchritudini filii.

Legendi Rutilius Benzonius Lib. 3. in Magnificat cap. 34. Berradius Tom. 1. Lib 6. cap. 9. Suarez Tom. 2. in 3. P. Diſp. 32. Sect. 1. Deltium in ſpeculo mariano, & Lectione 2. de Paſſione: Ioann. de Pineda Lib. de rebus Salomonis Lib. 4. cap 4. Baronium Tom. 1. Anno 31.

De ſanitate Chriſti Suarez Diſp. 32. Sect. 2. Vaſquez 3. P. Q. 14. Art. 4.

Pulchritudini Chriſti aliquid obeſſe potuerunt ieiunia, vigiliæ, orationes, peregrinationes, quas frequentabat, ob quas cauſſas fortaſſe grandior ætate iudicatus fuit ab his qui dicebant Ioannis 8. 57. Quinquaginta annos nondum habes. Quemadmodum Dauid fractus laboribus, bellis, ærumnis habitus eſt ſenior L. 3. Reg. 1. & cum vtre in pruina ſe comparat Pſal. 118. 83, licet ſeptuagenarius ſolum obierit.

Regi Meſſiæ ac Imperatori cuius laus in primis à fortitudine apte pulchritudo adſignatur Pſal. 44 quæ inſtar gladii deſcribitur vt indicetur vincendi ratio per ſpeciem ac pulchritudinem, quoniam rapit violente, ac ſumma tyrannis à Socrate apud Platonem: ſine ſatellitio regnum à Carneade vocata eſt.

COMMENTATIO XLIX.

DE CONTRACTV MATRIMONII INTER *Verbum & Humanitatem.*

Dominica IV. Aduentus.

SEV

DE MATRIMONIO ALLEGORICO.

In qua agitur de Arrhis, Donatione propter nuptias, Tabulis dotalibus: corona, vnctione, velo nuptiali. Item, de conuiuio. De nuptiarum tempore: Tædis nuptialibus: Tædifero: Lucernis: Thalamo Sponſi ac Sponſæ. Denique, De Epithalamio.

Videbit omnis caro ſalutare Dei. Lucæ 3. 6.

HODIE compendio nobis agendum eſt: multa leuiter percurrenda: aliqua ſaltuatim tranſilienda: nonnulla ne attingenda quidem: pleraque leui paſſu,

Nnnn vix

vix impreſſo veſtigio notabimus. Cur ita? ad finem tendimus: metam proſpectamus

In manibus terra, non hic vos carmine longo,
Atque per ambages & longa exorſa tenebo.

Reliquias hæc commentatio coget: non quod exhauſta ſit materia, ſed quod tempus vrgeat. Circumſpicio non tam quid dicam, quam, quid non dixerim. Vobis tamen quicquid ſuperfuit, cedet, veſtris eſt reſeruatum vſibus, quod eatenus dici non potuit. Si voluiſſem lenocinari mihi, creuiſſet opus, & in menſes aliquot fuiſſet extractũ tempus luxuriante rerum copia. Sed placuit Natali termino natalitiam qua expectationem, qua præparationem claudere: & ideo ocyſſime properandum. Spontino motu agimur, ideo, quo magis metæ propinquamus velociore impetu ferimur. Poſt biduum cantabimus: Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam eius: Paullo poſt videbit omnis caro ſalutare Dei. Cantauimus hodie Prope eſt iam Dominus, venite adoremus. Ille progreditur vt ſponſus, currit vt gigas. Ecce iam venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis capreæ, hinnuloque ceruorum, & nos teſtudineo gradu non tam curramus, quam moremur? Feſtinare nos monet paratos in occurſum. Impatientis flammæ ſcintillulæ ſunt, quas Matre noſtra ſuggerente, eructamus quotidie, ô Sapientia! ô Adonai! ô Radix Ieſſe! veni, noli tardare. Itaque celeri verborum remigio Matrimonii cœleſtis decora peruolitemus.

Arrha nuptialis. NOTÆ.

PERVENIMVS, ni me fallat memoria, ad ARRHAS. Quod vocabulum trifariam apud Iuriſconſultos accipitur. *Primo*, pro donatione quadam, quam vir facit vxori in dotis præmium. *Secundo*, pro donatione propter nuptias. *Tertio*, pro pignore, quod inter ſponſos mutuo traditur in ſignum complendi matrimonii. Sicut in aliis contractibus, dum inter partes conuenit de ipſis perficiendis, ſolet aliquid offerri, tanquam ſymbolum, & ſignum perficiendi contractum. Differt autem hoc modo, vt cuilibet eſt manifeſtum, *Arrha* à Dote, & Muneribus nuptialibus.

An in Matrimonio Verbi fuerint Arrha.

AT enim difficile eſt adſignare aliquid in Matrimonio Verbi cum Humanitate, quod *Arrhas* nuncupare poſſis. Quia eodem plane momento, quo Humanitas eſt producta, celebratæ ſunt nuptiæ, & matrimonium conſummatum, vt nihil omnino dari potuiſſe videatur, in ſignum futuri matrimonii: quod imprimis eſt neceſſarium, alioqui, ſi quid detur, exiſtimatur ſponſalitia largitas. Huius rei gratia,

Actio Incarnationis diuerſa à Generatione. NOTÆ.

OBSERVO, Actionem Incarnationis, qua Verbum caro factum eſt, ac Humanitati vnitum, fuiſſe reipſa diuerſam ab illa actione, quam generationem vocamus, per quam producta fuit Humanitas. Quod manifeſtum eſt. Separari enim poſſunt actiones iſtiuſmodi: atque humanam naturam formare non fuit difficile Deo, & non vnire eam alteri. Imo, natura humana prius formata, & completa per propriam ſubſiſtentiam, potuiſſet nouo quodam modo vniri deinde perſonæ diuinæ, amiſſa propria perſonalitate. Præceſſit autem ordine naturæ, actio productionis, ipſam Incarnationem, licet fuerint eodem temporis puncto. Siquidem Chriſti anima producta fuit per creationem, vt animæ hominum aliorum: Humanitas etiam Chriſti in conceptu eſſe cæpit, per actionem ſubſtantialem eiuſdem rationis, cum conceptione aliorum hominum. Cuius quidem actionis terminus, cum non potuerit eſſe vnio hypoſtatica cum Verbo, adfirmandum eſt, eodem temporis puncto, aliam fuiſſe actionem vnitiuam Humanitatis cum Verbo, per

Generatio humanitatis prior actione Incarnationis.

quam

quam producta fuerit Vnio hypoſtatica, & ſubſtantialis inter Humanitatem, ac Verbum.

Quam vim ſu-rint Arrha in Matrimonio Verbi & Humanitatis.

Bonitas naturæ.

Hoc ſi verum eſt, potuit in Humanitate eſſe aliquid, quod cum natura præcederet vnionis vinculum: id eſt, Matrimonii huius diuini conſummationem, habuerit magnam ſimilitudinem cum iis rebus, quas, quia, tanquam pignora matrimonii conſummandi dantur, Arrhas vocare ſolemus. Quodnam illud? verbulo poteſt indicari, ſed, quod infinita complectitur; BONITAS, non gratiæ, ſed naturæ. Eximium illud & excellens, quod Sponſam Humanitatem, tali expetitam Sponſo decebat. Illud, finitum quidem, ſed quod infinito tamen reſpondebat: cinnus ille, vel compendium donorum naturalium, quod neque explicari, nec concipi ſatis poteſt. Cum enim idem ſit Deus, naturæ auctor & gratiæ, vt ſcite alicubi dixit Tertullianus, ita naturam diſpoſuit, vt ea aptiſſimum eſſet gratiæ fundamentum. Quocirca, quia Humanitatem Filio Vnigenito Sponſam deſtinarat, quibus non illam muneribus adornaſſe cenſendus eſt, vt quo ad fieri poſſet, eſſet, aliqua inter Sponſum, Sponſamque, quantum conditio mortalis permittit, proportio?

Indoles Humanitatis Chriſti.

Nannius.

Εὐφυής.

Lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 18.

INDOLES itaque illa præclara, illa ingenii, memoriæ, iudicii, voluntatis quædam diuinitas, tanquam *Arrhæ* ſunt Humanitati datæ in pignus conſummandi cum verbo diuini matrimonii. Chriſto magis, quam Salomoni, Sapientiæ Sponſo, conueniebat, quod eſt Sapientiæ octauo 19. *Puer ingenioſus eram, & ſortitus ſum animam bonam. Et cum magis eſſem bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Vbi præclara ſe præditum indole dicit: vt non male tranſtulerit, qui vertit ex originali: *Puer dextræ indolis*: & alius: *dextro ingenio preditus*. Reſpicit autem vox Græca naturam quandam, artem, acutam, induſtriam, ad rem quampiam habilem, & natam, vt optime reddi poſſit: *Bene natus: natura habilis, bene formatus, bene à natura compoſitus, naturali quadam ingenii dexteritate ad omnia comparatus.* Quod haud male exprimitur per *Ingenioſum*. Quippe Ingenium eſt ingenita cuique natura: ea autem in pueris indolis dicitur: eſtque non ſolum probitatis, ſed induſtriæ, iudiciique index. Chriſtus Dominus, qua homo, ſortitus erat animam bonam. Ad auferendam autem ſuſpicionem præcedentium meritorum, ſortis nomen acceſſit, inquit Auguſtinus: quaſi dicat: Mihi tribuit ſupremus Artifex, & rerum arbiter optimam corporis & animæ portionem, quæ mihi Arrhæ inſtar eſt collata ad nuptias cum verbo conſummandas.

Arrha adoleſcentibus optanda.

TALES *Arrhas* opto hoc anni ad occaſum præcipitis crepuſculo, iis, inter auditores meos qui ſunt pueri, ſiue ætate, ſiue malitia, quales iuſtum eſt me credere eſſe non paucos: quamuis dubitare poſſet non ſine ratione aliquis. Nam profecto hoc mundi ſenio, quo omnia in peius videntur vergere, qui pueri ſunt annis, nequitia ſunt ſenes: parentibus, ac præceptoribus inobedientes, moleſti æqualibus, graues promiſcue omnibus, diſcoli, mendaces, petulci, caprarum inſtar, & hircorum: in templis garruli, certe, ſine pietate, & affectu: domi immorigeri ac pigri: in plateis clamoſi, contentioſi in ſcholis, fortaſſe etiam impudici: vt apti nati videantur ab incunabulis ad omnem immodeſtiam, improbitatem, & impietatem. Sed non ſunt ita nati: non; animam & ipſi acceperunt bonam, probam indolem, ingenium ad virtutem accommodatum: ſed voluntate tales facti ſunt: ſponte ſua ad omnem vanitatem ſe effingunt, quam deinde, neque virga magiſtri, neque parentum caſtigatio, neque magiſtratuum leges ſatis emendant,

donec tandem carnifex fune, vel enſe, amputet, aut exſcindat ſub patibulo. Nolite, quæſo vos, boni pueri, dilecti filii ad tam deteſtandum finem gradum facere. Obedite parentibus veſtris, ac præceptoribus, amate pietatem, colite Deiparam, & cuſtodem Angelum: paruulum Ieſum in oculis, ore, corde geſtite: cum illo, ceu fraterculo veſtro in precibus tractate: illius veſtigiis inſiſtite: nouos Thomas, Bernardinos, Hermannos vos præbete: & Dei benedictio nunquam vos deſeret, quam precor: vtinam Deus æternam largiatur.

Donatio propter nuptias.
NOTÆ.
Ius Imperii.

IAM vero eſt aliud donationis genus, quod *propter nuptias* dicitur, confertúrque vxori ad dotis ſimilitudinem. Hæc non minus, quam donationes reliquæ, tanto dignæ ſponſo fuere. Quid autem donatum propter nuptias Humanitati exiſtimatis? IVS REGIVM, ac IMPERATORIVM, etiam temporale ſuper omnes orbis Reges, ac Monarchas. Hoc DEI Filium Sponſæ ſuæ Humanitati contuliſſe adfirmo: & temporale quidem, de quo multi ambigunt: nam de ſpirituali nullum eſt apud Sapientes diſſidium: cum id illi conuenire omnes conſentiant. Hoc vt aſſeram, præter ſcientiæ huius Patronos egregios, Antoninum *a*, Almainum, *b* Turrecrematam *c*, Nauarrum *d*, Durandum *e*, & his antiquiorem Hoſtienſem *f*, Ratio perſuadet. Nam ſi accurate inueſtigemus, quid ſit dignitas Regis, ſeu Principis ſupremi in regno aut republica, comperiemus Humanitati Chriſti eam conuenire, hoc ipſo, quod verbo, tanquam ſponſo vnita fuerit, abſque vlla alia electione, conceſſione, aut ſucceſſionis iure.

a Par. 3. tit. 3.
b De poteſt. Eccl. cap. 8.
c Lib. 2. ſum. cap. 116. ad 2.
d In cap. Nouum, de iudicijs Notat. 3.
e Tract. de Iuriſdict. Ecc. q. 3.
f Cap. Quod ſuper his de voto col. 4.

Humanitati Chriſti competit ius regium.

OBSERVANT autem graues Theologi hic non eſſe controuerſiam de Humanitate Chriſti, quatenus nutu voluntatis diuinæ gubernabatur: ſed quatenus in ſe ipſa ratione Vnionis deificationem conſequuta, digna effecta eſt, quæ nutu voluntatis humanæ imperet, vt Rex. Eſt autem dignitas, & poteſtas Regis in rempublicam, ius ac poteſtas imperandi in iis, quæ ad politicam gubernationem ſpectant, leges ferendi, ſententiáque, & ſanctione controuerſias dirimendi. Humanitas autem Chriſti per coniunctionem cum Verbo, & quæ inde conſequebatur, deificationem ex Sponſi conſortio digna erat, vt ſi vellet imperitaret omnibus, leges ferret Regibus, contendentium diſſidia componeret. Et obnoxii fuiſſent eius imperiis quicumque agnouiſſent, tale Humanitatis illius cum Diuinitate conſortium. Siquidem vt ipſa vnione ad eam eſt euecta dignitatem Chriſti Humanitas, vt nõ manſerit, nec dici poſſit ſerua, etiam Dei: ſic ad illum ſupremi honoris apicem conſcendit, vt à Regibus & Principibus omnibus, cuius cuius ſint excellentiæ, adorari debeat, poſſitque obſequendi officium exigere. Quemadmodum etiam Chriſtus ſecundum humanitatem, ſepoſito quamuis titulo Redemptoris, non erat ſubditus Principibus ſecularibus, vt eis tributa perſolueret: ita ex aduerſo, omnes illi ſubditi erant, & mandata eius omnia exequi tenebantur, tanquam ſupremi rerum Domini.

Non eſt vſus Chriſtus poteſtate ſua.

NOLVIT quidem vti hac poteſtate Dominus. Quod ſolum probant, quæ in cõtrarium adferuntur. Sic enim verè pronunciauit; *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Ioh. 18. Et Lucæ 12. Cum quidam illi dixiſſet: *Magiſter, dic fratri meo, vt mecum diuidat hereditatem*: reſpondit; *Homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos.* Nimirum, indignum ratus in rebus iſtiuſmodi vilibus occupari. Ioannis autem ſexto, cum vellet turba ipſum in Regem eligere, fugit in montem. Sed haud opus erat electione: ex ipſa ſubſtantiali ſanctificatione ſua, & donatione propter nuptias ſibi facta, regiam dignitatem, & ius ſupremi Principis habebat. Erat *Princeps*

Regum

Digitized by Google

Regum terræ, Apocalypſis primo: & in femore ſcriptum legebatur, *Rex Regum, Dominus Dominantium. Hic eſt omnium Dominus*, dicebat de Chriſto Petrus Actuum Apoſtolicorum decimo. Vbi notat Chryſoſtomus, Petrũ perſpicuè ac ſublimiter Chriſti dominationem expreſſiſſe. Chriſtum ſpectat illud Pſal. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Et de ſeipſo Dominus enunciat: *Data eſt mihi poteſtas in cælo & in terra*, Matthæi vltimo. Quo teſtimonio conuictus haud contemnendus auctor, adfirmat, contra ſcriptutam eſſe, aſſerere: Chriſtum non eſſe Regem. *Actor. 10. 36.*

Idem autem colligunt plures alii ex Ioannis 18. vbi Dominus fidenter Præſidi Romano in os dicit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Putant ex eo loco Chriſtum non negaſſe, ſe eſſe Regem: ſed ingenioſe confeſſum, ſe eſſe Regem, dicendo, *Regnum meum.* Neque enim regnum aliquod ſuum diceret, niſi Rex eſſet. Cum autem addit, *Non eſt de hoc mundo*, ſignificat non eſſe ad modum Regum aliorum in hoc mundo imperitantium. Quod docuiſſe videtur D. Cyrillus Lib. 12. in Ioannem, & Auguſtinus Tractatu 115. tandemque M. Gregorius Homilia 8. in Euangel. Sed hæc alibi copioſius pertractantur. *Quomodo regnum Chriſti non ſit de hoc mundo.*

Porro aliam huic donationem adiungunt graues Theologi, qui exiſtimant, Humanitati, præter Ius regni, & imperii, collatum fuiſſe ius dominii in ſingulas res Vniuerſi. Quod quidem dominium non fuerit omninò humanum, quale eſt illud, quod hominum quilibet in res ſuas habet: neque plane diuinum, quod Deo conuenit iure creationis, ſed medium quoddam genus dominii, inferius diuino, excellentius humano, quod Chriſti Humanitati fuerit communicatum ratione vnionis hypoſtaticæ. Cum quo dominio non pugnat Chriſti paupertas abſolutiſſima. Quamuis enim vulpes foueas haberent, & volucres cœli nidos, filius tamen hominis non habebat vbi caput ſuum reclinaret. Siquidem paupertas illa referebatur ad rerum vſum, & humanum dominium, quo res creatæ ad vitam tuendam, atque ornandam vſurpari conſueuerunt. Dominium autem illud, excellens quædam erat poteſtas, altioris ordinis, neque leges aut iura dominii humani ſequebatur. Reſpiciebat enim quidquid eſt infra Deum, etiam beatas Mentes, illarumque facultates, atque actiones, quibus pro imperio quoque ſupra naturam vti poterat Chriſtus, quamuis ratione dominii humani omni ſe rerum proprietate abdicaſſet. Qui cum eſſet diues (quippe Deus, rerumque omnium dominus) pro nobis factus eſt egenus. Quamobrem ſcitè dixit Gregorius Papa: veniſſe Chriſtum in hunc mundum, tanquam in alienum, non quidem ſecundum poteſtatem, ſed ſecundum naturam: nam ſecundum poteſtatem in propria venit. *Ius dominii in res ſingulas. Non humanum. Non diuinum. Sed medium. Paupertas Chriſti. 2. Cor. 8. 9. Homil. 8. in Euang.*

Ex hoc dominio ſequebatur, niſi ſit omnino idem, poteſtas vtendi rebus omnibus pro voluntate: ſicut quibuſdam eſt vſus, quæ ſub aliorum erãt dominio. Quomodo dæmones ex hominibus eiectos miſit in gregem porcorum, quem ſtatim præcipitem dederunt in mare Matthæi 8. & Marci 5. Quod profecto facere non potuiſſet, niſi dominium altioris ordinis habuiſſet in porcos. Alioqui, iure, vel furti, vel damni illati inſimulari atque argui potuiſſet. *Poteſtas vtendi rebus omnibus.*

Ex hactenus enarratis concinnauimus dotales tabulas, quas nimis longum eſſet ad Iuris antiqui formulas, adnumeratis verbis, date. quare his omiſſis, coronatam Sponſam contemplemur, ſi hoc, moribus accommodatum, præmiſerimus. Quærunt multi Dominos, potentia, imperio, diuitiis, rebus aliis magnos: aſpirant ad aulas Principum, Regum, Imperatoris. Si in Monarchæ alicuius clieute- *Tabula Dotales. Quis Dominus quærendus?*

 lam

Digitized by Google

lam admittantur, quantum familiæ totius tripudium? quibus id impendiis, moleſtiis, ambitione, multorum annorum ſeruitute obtinetur?

O curuas hominum mentes! ô pectora cæca!

Maiorne aliquis illo eſt, qui ſine vlla electione, conceſſione, ſucceſſione natura ſua eſt Rex Regum, Dominus Dominantium? Ad huius, ſi ſapitis, adſpirate familiam: in huius vos familiaritatem inſinuate: huius limen terite, fores obſeruate, clientelam ac patrocinium ambite. Repulſæ nemo poteſt eſſe metus, modò velitis. In hoc negocio omnibus me ſequeſtrum & internuncium offero, nec vacuus redibo: nulli non, quod volo, impertabo; modo velitis vos. Volumus, dicitis. At velle non poteſtis, ſine mendacio, niſi ad eius voluntatem vos accommodetis, peccatorum deteſtatione, vitæ ſequioris emendatione, virtutum functionibus, ſacramentorum perceptione, terrenorum deſpicientia, amore cœleſtium. Quæ omnia, vtinam! per modum donationis propter nuptias in vos conferre poſſem: voueo ſanè. Deus votorum Præſes Opt. Max. annue!

Corona in nuptiis.
NOTÆ.
Iſa. 61. 10.
Plin. lib. 21. cap. 9. cap. 3. cap. 4.
Cant. 1. 13.
Athenæ. lib. 12. Lib. 15.
Iſa. 61. 10.

Ego ad nuptias redeo, & coronatam Sponſam. Multus ſanè olim fuit vſus coronæ in nuptiis, & re omni amatoria. Coronabatur Sponſus, & Sponſa ſerto nuptiali. *Coronant nuptiæ Sponſos*, inquit Tertullianus, elegantiſſimo libello de corona militis. Et Iſaias cap. 61. *Quaſi Sponſum decoratum corona.* Conficiebatur id ſertum ex floribus, foliiſque odoratis, ex caſia, croco, meliloto, ex nardo, roſis, & vnguento madidis foliculis. An non ita coronatus Salomon Sponſus Sapientiæ, de quo Sponſa Canticor. 1. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, lectulus noſter floridus.* LXX. *Ecce es bonus fraternus meus, & quidem es ſpecioſus, ad cubile noſtrum vmbroſus.* Aquila vero legit: *Ad cubile noſtrum viridis*, vel, *floridus.* Et iterum, *Faſcilus myrrhæ dilectus meus mihi.* Contexebant enim ex myrrha potiſſimum nuptialem coronam Hebræi. Porrò in nuptiis Verbi cum Humanitate coronationem fuiſſe, ambigere non ſinit Propheta Euangelicus Iſaias, qui *Gaudens*, ait, *gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.*

In quæ dum commentatur Cyrillus, inſinuat coronamentum hoc nuptiale floridum fuiſſe. *Sicut*, inquit, *terra profert germen ſuum: & ſicut hortus germen ſuum germinat: ſic Dominus* Deus *germinabit iuſtitiam, Chriſto affulgente gentibus, iuſtitia, & exultatione veluti florida quadam herba coronabit orbem.* De qua corona illud recte accipias, *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*: Canticorum 3. Videtur profecto Sponſa Verbi ad coronam ex floribus, myrrha, aliiſque odoratis herbulis vocata, cum audiit ex Sponſo: *Veni de Libano: veni coronaberis*: quaſi diceret, habeo ego iam collectos flores, & herbas, ex quibus tibi texui corollam. *Veni in hortum meum, meſſui myrrham cum aromatibus meis.*

Corona Humanitatis.
Triplex in Chriſto gratia.
Chriſtus caput Eccleſiæ.
Epheſ. 1. 22.

Sed quidnam fuit in Chriſto eximium, quod Coronam & Diadema referebat? Meminiſtis me in Chriſto triplicem gratiam conſtituere, Vnionis, perſonalem, & capitalem. Hęc Gratia fuit illa Corona, quæ Chriſtum, tanquam Capvt, non Angelorum minus, quam hominum exornauit; & tanquam imperiali ornatum diademate, omnibus ſpectandum adorandumque propoſuit. Norunt Theologiæ periti, Chriſtum, ſecundum Humanitatem eſſe caput Eccleſiæ. Ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam. Dedit*, inquit, id eſt conſtituit. Quoniam id antea non habebat. Itaque ſecundum Humanitatem, nam Diuinitati nulla fieri poterat acceſſio.

Digitized by Google

ſio. Eſt autem Chriſtus caput Eccleſiæ, quia non ſolum dignitate, atque excellentia plenitudinis gratiæ eſt ſuperior Eccleſiæ: ſed quia etiam per illammet dignitatem influit dona gratiæ, per quæ Eccleſiæ vigor accedit & conſeruatur: *De plenitudine enim eius omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

CETERVM haber hanc dignitatem capitis per ſingularem quandam Gratiam, quæ Gratia capitis à Theologis appellatur, & complectitur, tum gratiam Vnionis, tum alteram illam habitualem, quam ſine menſura voluntatem accepiſſe, ſupra demonſtratum eſt. Sed quomodo, dicis, hanc illi coronam Mater impoſuit? Nimirum impoſuiſſe cenſetur, quia ad vnionem hypoſtaticam eſt cooperata: quatenus puriſſimum, quem habuit, ſanguinem, ad Humanitatis conceptum, ac formationem ſubminiſtrauit. Hoc enim pacto iudicatur meritò ad omnem illam dignitatem, atque excellentiam, quæ Chriſto, vt Homini competebat collaboraſſe. Quod maximè verum in illorum ſententia, qui opinantur B. Virginem Mariam, ſicut fuit cauſſa concipiendi humanitatem: ita fuiſſe inſtrumentalem cauſſam Vnionis hypoſtaticæ. Quod eſſe pium credere ac probabile magni Theologi ſentiunt. Itaque coronatam habemus Sponſam florum nuptiali ſerto. *Gratia capitis.* *B. V. ad Vnionem concurrit.*

Ex iiſdem floribus corollam ſibi vellem conficerent, quibus tam eſt volupe, crinibus calamiſtro inuſtis, & puellari prorſus cura, meretricia fere dixiſſem, intortis, ac criſpatis frontem, & tēpora cingere. Quibus, cum monachalis corona fortaſſe ſit ludibrio, eccleſiaſtica oneri, Satyrorum, Faunorumque propriam ſibi ſumunt: &, vt ornamentum capitale habent, quæ, ſi vllis, certe ſtudioſis, Deoque in Eccleſia dicatis eſt dedecori. Quid adoleſcenti ſtudioſo cum cincinnis in fronte, cum antiis in temporibus, cum calamiſtrata coma in occipite, quæ, ſi, quorum olim propria fuerint, vel ex mediocri antiquitatis notitia cognoſcerent, puderet illos in publicum hoc cynedico habitu prodire. *Corona quanam adoleſcentibus conueniens.* *Cincinnatuli Eccleſiaſtici, ſtudioſi &c.*

SED inſanire iuuat, & hæc ſimiliaque reprehendenti obiectare. Hoccine peccatum, tantam vt acerbitatem mereatur? Non diſputo: ſed ſi luberet, & alia vos coactos haberem in exedra, illa quæ quotidiè committuntur, & peccati ne vmbram quidem aliquibus habere videntur, probarem in conſpectu Dei, tam eſſe enormia, vt ambæ veſtræ aures tinnirent: & ſi Deum ex animo, vt boni filii timeretis, ac diligeretis, cor palpitaret, comæ erigerentur. *Vaniſſimorum hominum exceptio.*

Non eſt peccatum præclarè. Peccatum non erat, videre pomum. vidit Eua, accepit, deuorauit: ſe noſque omnes, & quidquid poſteritatis futurum eſt, perdidit. Non eſt peccatum fœminam intueri, belle. Intuitus eſt Dauid, vir ſecundum cor Dei, appetiit, cecidit, periit, quamuis iterum deinde ad mentem & ſalutem redierit. Non eſt peccatum, nudum incedere. Eia, ſodes, perfrica frontem, abiice veſtes: aude aliquid Giaris & cauere dignum iam furente Germaniæ canicula: nudus in niuibus ambula, teque magnificè circumſpice. Non eſt peccatum arma geſtare: gymnaſii tamen noſtri leges ſcholaſticos diſcingunt, neque quemquam telo inſtructum frequentare ſcholas permittunt: quid mirum, ſi forcipem etiam cincinnis admoueant? Non eſt peccatum choreas interdum viſere, ſpectaculis intereſſe: ſi tamen in numerum ſtudioſorum ordinis ſacrati cenſeri velis, illud tibi præſcribetur: Exeſto. Niſi feceris, exeſſe è gymnaſio iubeberis. At, non eſt peccatum. Friuola exceptio, puerilis obiectiuncula. Princeps pro familia legem condit: Nemini ad aulam pateat acceſſus, niſi bene ſit tonſus & pexus: tu Fauni inſtar hirſutus, portæ te infers: exclu- *Ridicula ex opinione populari.* *Eua.* *Dauid.* *Braſilei nudi.* *Diſcinguntur ſtudioſi.* *Regula Scholaſticorum.*

excluderis illico protruſus à limine, excipis: non eſt peccatum: cachinnis aſtantium te exſibilandum propinas, dorſum cedendum haſtili. Non hic tantum, quid ſit peccatum diſputatur, & prohiberi decet: Sed etiam quid cuius'ibet ſtatui conueniat, præcipiendum. Eccleſiaſtico cum ſumma grauitate, maturitateque diuinorum amor & religionis cultus: vanitatis omnis abdicatio: fuga occaſionum & ſcandali. Religioſis rerum ſecularium, curarumque remotio. Coniugibus, fides, diligentia, ſuorum cura. Studioſis, modeſtia, pietas, temperantia. Omnibus Chriſtianis capitis ſui imitatio. Cui contraria ſunt, quæ ex Chriſtiana logica ſimul in eodem ſubiecto eſſe non debetent. Sed pro dolor! Ariſtotelicæ regulæ obtinent: Chriſti conculcantur. Contraria tamen ſunt, concupiſcentia carnis, concupiſcentiæ oculorum, ſuperbia vitæ, ebrietas, laſciuia, iracundia, ira, inuidia, ſectæ, ſexcenta ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam, qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt. Sed neſcio quomodo mihi hæc talia tempore fortaſſe minus opportuno excidant. tantum hoc dicere volebam: omnibus me corollam gratiæ donorumque cœleſtium floſculis exoptare, qualem ſponſam accepiſſe probauimus.

Vnctio nuptialis. NOTÆ. CVI neque VNCTIO defuit, ſine qua olim nō celebrabantur connubiales epulæ. Mirum eſt, quanta priſcis temporibus fuerit profuſio, vt quam vnctiſſima eſſent Sponſorum conuiuia. Sed ſponſus ac Sponſa maxime vnguentorum delitiis delibuti ſuauiſſime redolebant. Vngebatur pectus, pedes, caput, mammæ, vbera. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, aiebat Sponſa, *quia meliora ſunt vbera eius vino fragrantia vnguentis optimis*, Canticorum primo. Innuit nimirum, vbera & pectus vnguenta redolere: quin & ſtrata ac veſtes vnguentis conſpargebantur: quod in his nuptiis factum Pſaltes ſuauiter canit. *Pſal. 44.* *Myrrha & gutta & caſſia à veſtimentis tuis. E quibus delectauerunt filiæ regum in honore tuo*: id eſt, in die nuptiarum, cum nobiliſſimo, pulcherrimoque virorum pariter, ac virginum comitatu cohoneſtatus vxorem duxiſti. Porro flagrantiſſimum fuit vnguentum, quo vnctam his in nuptiis reperio ſponſam Humanitatem: à qua vnctione nomen traxit Chriſtus: qui licet ſæpius vnctus fuerit, vnctione ſacerdotali, prophetica, regali, ſiue in prædeſtinatione æterna, ſiue dum ad prædicandum Euangelium ſeſe accinxit: nulla tamen fuit ſolennior, nulla maiorem circumquaq; ſparſit fragrantiam, & ſuaueolentiam, quam nuptialis in vtero Deiparæ facta.

Oleum Spiritus & Diuinitas. Lib. de fide ad Theodoſ. fine. PRÆCLARE Cyrillus: *Verbum caro factum eſt: tunc & nominatum dicimus ipſum Chriſtum Ieſum. Nam quoniam vnctus eſt oleo exultationis, hoc eſt, Spiritu Sancto à Deo, & Patre, idcirco Chriſtus nominatur.* Et D. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. de Theologia: *Diuinitas Humanitatis vnctio eſt, non operatione, vt in aliis Chriſtis, ſiue vnctis: ſed totius vnguenti præſentia, cuius is eſt effectus, vt id, quod vngit, homo vocetur & quod vngitur, Deus fiat.* Breuius Gregorius Magnus Lib. 9. Regiſt. Epiſtola 61. *Hoc ipſum*, inquit, *de carne virginis concipi à Spiritu ſancto, vngi fuit.* De hac vnctione nuptiali canitur in epithalamio Sponſi ac Sponſæ: *Vnxit te* Deus *Deus tuus oleo lætitiæ præconſortibus tuis*, Pſalmo 44. *Pſal. 44. 8.* Quod quidem lætitiæ oleum Diuinitatem, ac Spiritum ſanctum eſſe ſiue ipſum per ſe, ſiue per operationem ipſius peculiarem, qua Diuinitas Humanitati eſt iuncta, Patres conſenſu docent. *Cyrill. Lib. 3. in Ioan.* *Oleum*, ait Cyrillus Alexandrinus, *ab omni fæce remotum, atque mundiſſimum Spiritus ſancti naturam ſignificare mihi videtur, quæ ineffabiliter, quaſi oleum, animas ingreſſa noſtras, nutrit, conſeruat, auget illuminationem nobis conceſſam.* Nullibi precioſius vnguentum ſparſum legi, in nullo vberiorem

tiorem vnctionem factam. Cedit vnctioni huic veterum profuſio prodiga, nec cum hac vna conferrri poteſt vlla. Quamuis legerim Antiochum Syriæ Regem in pompa, quam in honorem Daphnes inſtruxit, ducentas fere puellas induxiſſe, qui vias vnguentis conſpergerent. Et Alexander Macedo vnguentis pauimenta inungi voluerit, addito vino odorifero. Sed quid hæc ad vnicam ſtillam vnguenti Diuinitatis? *Athen. Lib. 5. cap. 4.* *Athen L. 12. cap. 8.*

Qvo ſine menſura delibuta fuit non foris modo, ſed intus quoque quam maxime Sponſa Humanitas: indeque qui olim Meſſias, *Chriſtus* deinceps eſt denominatus. Itaque vnctio Humanitatis eſt ipſa Deificatio, vel coniunctio cum Verbi perſona, quæ dicitur ſubſtantialis ſanctificatio. Ab hac enim & non ab accidentali aliqua Chriſti nomen deductum eſt. *Vnctio Humanitatis*, vt recte ſcribit Ioannes Damaſcenus, *eſt Diuinitas*. Quod etiam adfirmat Auguſtinus Lib. 15. De Trinitate. Huius Vnctionis guttulam emendicate à cœleſti ſponſo, & nullus vos mundi hic vnus odor, aut peccati nauſea delectabit. Ab hoc vnguento, qui bene ſemper olet, quod non fit in mundano, is bene ſemper olet. O ſi vel ſtillulam accepiſſetis, quam bonus Chriſti odor eſſetis omnibus nullis ſcandalo, aut offendiculo: ædificationi cunctis. Nemo Eccleſiaſticorum faceret blaſphemare nomen Dei, ob nota in tonſtrinis flagitia, quæ quia in angulis abdite perpetrantur, vt occulta habentur. Sed hæc alias inculcanda ſunt. *Chriſtus ab vnctione dictus.* *Damaſ. lib. 3. d. fide cap. 3. Lib. 15. de Trin. cap. 26.*

Nvnc fortaſſe admirari ſubit animum, quod cum toties nuptias inter Verbum & Humanitatem celebratas dixerimus, nulla etiamnum Veli nuptialis mentio facta fuerit: cum nuptias tamen ita vocatas velint, quod qui coniugarentur caput obnuberent. Quam etymologiam, poſt profanos, obſeruauit Tertullianus, Libro, quem inſcripſit, *De velandis Virginibus*: Ambitioſius quoque & alii Patres libenter recipiunt. Quodnam hic velamen, ſeu Flammeum nouæ nuptæ? Id ex capitis, quod in ea eminet, ſignificatione deſumendum eſt. *Nuptiale velam n, Caro. NOTÆ.*

D. Paulus Corinthiis ſcribens, docet omnis mulieris caput eſſe virum: omnis viri caput, Chriſtum: Chriſti caput eſſe Deum. Quomodo hoc caput in nuptiis Verbi fuit obuelatum? Nimirum, quia, qui in forma Dei [illegible]at, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Itaque illa ſerui forma, caro illa imbecillis, ac paſſibilis, corpus tot mutationibus obnoxium, velum fuit nuptiale, quo Sponſæ caput obnubebatur, quo tegebatur Diuinitas, vt vere eſſet, ac diceretur Deus Abſconditus: quo obvelabatur luminis diuini fulgor: vt merito commendauerit Sponſus elegantiam ſponſæ, abſque eo, quod intrinſecus latet. *O quam pulchra es amica mea! quam pulchra es! oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecus latet*: nempe, quod tegebatur velo carneo capiti & faciei Diuinitatis inducto. Cuius iterum fit mentio Canticorum *6. 6. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.* Quod Symmachus vertit, *tectæ operimento*: quia, nimirum, occultabantur velamine. Et in epithalamio Pſalmo 44. *Omnis gloria*, id eſt, pulchritudo, venuſtas, decor, *filiæ Regis*: hoc eſt, Humanitatis ſponſæ, *ab intus*, quia vultum caputque Diuinitatis carnis flammeo obnubilatum habebat. Et Canticorum 4. aiebat Sponſus: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum.* Oculus eſt ratio & intellectus: humanus apparebat in ſponſa, & ſcintillabat: diuinus abſcondebatur corporeo velamento, tanquam nuptiali peplo. Sic Arabicæ fœminæ olim, more gentis, vnum oculum conuelabant, alterum relinquebant liberum. *Chriſti caput Deus.* *Velum, forma ſerui.* *Cant. 4. 1.*

Alivd Velum ipſi Humanitati adſignandum, quatenus per ſe, tanquam ſponſa conſideratur, a Verbo diuino, velut ſponſo, diuerſa: ne non tam ſponſæ, quam *Humanitatis velum, vilitas.*

Digitized by Google

Caput in homine interiore Mens. ſponſo velum induxiſſe videamur, quod olim probro erat. Huius rei gratia, animaduertite: Humanitatis caput fuiſſe Mentem illam excellentiſſimam, quam DEVS ei indiderat; Etenim Mens, capitis voce non raro ſignificatur: quia mens in hoc microcoſmo, vt caput in corpore, pro arce eſt, ac rege. Quo ſenſu *Iob. 29. 3* dictum fortaſſe à Iobo: *Quando lucebat Lucerna eius ſuper caput meum*: id eſt, vt exponit vir doctus: Quando illuſtratio diuina mentem meam illuminabat. Et à *Pſal. 104. 5.* Dauide Pſalmo 104. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*: hoc eſt: adulantium ſuauitas mentem meam ſuperbiæ tumore non diſtendat. Sic *ſapientis oculi* dicuntur eſſe *in capite eius*: hoc eſt, in ſuperiore animæ parte, quæ vacat contemplatione, ac cœleſtium deſideriis. In hac mente habitabat *plenitudo Diuinitatis corporaliter*, ad Coloſſ. 2. hoc eſt, verè, ſubſtantialiter, perfectè. In hac erant immenſi illi gratiæ infinitæ, & gloriæ incomparabilis theſauri. Hic hærebat illa inenarrabilis prioritas: hic poteſtas illa Regis Regum, & Domini Dominantium: hic cum perfecta libertate, quod mirum valdè, impeccabilitas abſcondebatur.

Velum, Exinanitio. Et verè abſcondebatur ſub velo nuptiali, quod fuit, Apoſtoli vocabulo, EXINANITIO. In exterioribus, reliquorum inſtar, vultus, victus, habitus, totiuſque vitæ ad communem popularium conſuetudinem accommodatio. Deſponſatio matris, quæ admirabilem illum ex Spiritu Sancto conceptum ita velabat, vt ne quidem acutiſſimis Dæmonum oculis pateret. Infantile corpuſculum: ætas, profectus, oculis hominum apparens, in gratia, ac ſapientia: gemitus deinde, vagitus, lacrymæ. Omnia hæc velabant caput Humanitatis: nempe, Mentem donis omnibus cœleſtibus cumulatiſſimam, & nullius ad ſapientiæ, bonitatiſque perfectionem, & complementum indigam. Flammeum erat illa ſimilitudo carnis peccati, cum tamen eſſet innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus. Hoc velo ita Caput illud auguſtum obnubebatur, vt cum iniquis *Ioan. 9. 24.* *Ioan. 18. 30.* reputatus ſit. Vt audierit: *Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Si hic non eſſet maleſactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Velum nuptiale erat Mentis illius gaudiis omnibus refertiſſimæ, à cœlo, angor, triſtitia, agonia à terra. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Illa paupertas extrema, perpeſſio doloris, incommodorum, *Thren. 3. 1.* ærumnarum, opprobriorum illatio. *Vir erat dolorum,* inquit Propheta: *vir videns paupertatem ſuam, in virga indignationis* Dei.

Conuiuium nuptiale. IAM coronatam velatamque ſponſam comitemur ad conuiuium. Nam non memini me legere, vel audire, referri apud gentem vllam nuptias celebrari ſine epulo: quod inde nuptiale dicitur: quale in nuptiis Verbi diuini deſideratum fuiſſe minime exiſtimo. Lautiſſimum igitur, & plane diuinum datum oportuit: quale ſponſum ac ſponſam, & amicorum agnatorumque nobiliſſimam cateruam decebat. *Conuiua Pater æternus.* Adfuit enim imprimis in hoc nuptiali conuiuio Pater æternus, qui dilectiſſimi filii nuptias ſingulari quodam præſentiæ ſuæ modo, vti etiam Spiritus Sanctus, cohoneſtauit.

Spiritus Sanctus. Siquidem, vt ſubtiliter docent ſacri Theologi, licet Pater ac Spiritus Sanctus non fuerint, cum Humanitate, ſeu in illa, ſubſtantialiter terminando, ſicut Verbum diuinum: hoc enim fieri non potuit per illammet Vnionem, qua Verbum Humanitatem ſibi copulauit. Quoniam exercitium alicuius actus, vt loquimur in Scholis, non poteſt conuenire his, quibus non conuenit ratio immediata talis exercitii. Perſonalitas autem reſpectiua eſt immediata ratio

tio terminandi Humanitatem, quæ ſanè haud conuenit Patri & Spiritui Sancto: atque idcirco necterminatio, aut adſumptio Humanitatis. Nihilominus, negabit nemo, niſi temerarius, Patrem & Spiritum Sanctum fuiſſe in hoc nuptiali conuiuio cum Humanitate, & in ea, modo magis peculiari, quam in aliis creaturis.

Primo quidem, per potentiam: quia efficiebant in Humanitate effectum quendam alterius, ac ſuperioris ordinis, quem in nulla alia creatura operabantur. Deinde, per ſpecialem quandam concomitantiam. Nam identitas Patris, ac Spiritus Sancti cum diuina eſſentia, cum qua perſona etiam Verbi identificatur, cauſſa eſt, vt ratione magis ſpeciali Pater ac Spiritus Sanctus fuerint in Humanitate Verbi. Quocirca, ſi per impoſſibile, Perſonæ iſtæ diuinæ non eſſent vbique ſua illa immenſitate, neceſſario per vnionem Humanitatis cum Verbo, & conſequenter cum Diuinitate, fieret, vt Pater & Spiritus Sanctus, qui à Diuinitate, ſubſtantia non diſtinguuntur, eſſent intimè præſentes in Humanitate toto illo tempore, quo duraret Vnio Verbi cum Humanitate. Veriſſimeque dictum eſt ab Auguſtino: *Impleuit carnem Chriſti Pater & Spiritus Sanctus, ſed maieſtate, non ſuſceptione.*

Pater & Spiritus S. in Humanitate Chriſti, quomodo? Potentia. Concomitantia.

Serm. 3. de Tempore.

Itaque, in cœna nuptiali Conuiuæ fuerunt, primò, Perſonæ diuinæ: tum cœleſtium Spirituum numerus innumerus, quos omnes aduolaſſe, & lautiſſimum hoc epulum præſentia, fauſtiſque apprecationibus concelebraſſe quis ambigat? De his Mentibus omni ex parte puriſſimis accipe illud ex epithalamio: *Adducentur Regi virgines poſt eam; proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regis.* Quodnam illud templum? Vterus virginis. Hic *prævenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.*

Conuiuæ, alij caliteſ.

Pſal. 44. 15.

Pſal. 67. 26.

Divino conuiuio nonniſi dapes diuinæ conueniunt, neque aliæ hic concipiendæ. Vnius edulii, aut boli mentionem facit, qui ſponſis epithalamium cecinit Pſaltes regius. Inducit ille Sponſum, inuitantem Sponſam, alioſque comites ad nuptiales cibos delibandos: *Comedi fauum meum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: Comedite amici mei, & bibite.* Vbi Septuaginta Interpretes: *Manducaui panem cum melle meo.* An fortaſſe hic inſinuatum aliquid de placentula nuptiali: quæ erat panis ſimilagineus, ac mellitus, cui accedebat vinum optimum quæ propria erant cænæ nuptialis? Hunc panem comediſſe Sponſam clariſſimis verbis Ezechiel Propheta affirmat, vaticinii capite decimoſexto. *Similam & mel & oleum comediſti, & profeciſti in regnum*: hoc eſt, huius delibatione, ac communione panis melliti, ac oleati, in regni conſortium, quia in connubium Regis aſſumpta es. Quiſnam iſte panis? Explicat vir Sapiens, qui Sapientiam diuinam, id eſt, Verbum increatum, atque incarnatum, Sponſum ac conuiuas cibare refert, *Pane vitæ ac intellectus.* Sed æque hoc obſcurum eſt. Quis enim, iterum interrogo, panis vitæ, quis intellectus? Clariſſimè enuncio: eſt volitio, & intellectio, actiones vitales: Intelligere, & velle. Hic fuit primus cibus, quem Sponſus delibatum Sponſæ obtulit, & cuius deguſtatione ad ſolium regale eſt euecta. Hæc placentula nuptialis, quouis gamelio, ſeſamo, mellitoque libo ſapidior.

Dapes conuiuii nuptialis Verbi.

NOTÆ.

Cant. 5. 1.

Placenta nuptialis.

Ezech. 16. 13.

Simila, Mel oleum.

Eccl. 15. 1.

Devs aliis ab æterno cibis paſtus non erat, quam ſuis & intellectionibus & volitionibus. Hic erat Verbi æterni panis. Hunc igitur in nuptiis primum eſſe

Panis vitæ & intellectus.

Digitized by Google

eſſe voluit, quem ſponſa & conuiuæ deguſtarent. Vere panem cæli, panem Angelorum, panem Dei! Hoc eſt, quod nupertime demonſtrauimus: Humanitatem, Verbi ſponſam à primo conceptus ſui momento, Deum, diuinamque voluntatem, intellectu cœlitus illuſtrato cognouiſſe, ſeque illius voluntati exactiſſime accommodaſſe. Ita exponit Paulus Apoſtolus illa Pſalmi 39. *Ideo, ingrediens mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: tunc dixi*; *Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam* Deus *voluntatem.* Deus *meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Ex quibus liquet, promptiſſimo voluntatis affectu ad omnia mandata diuina exhaurienda ſponſam cæleſtem conſenſiſſe. Quod eſt: panem vitæ ac intellectus deguſtaſſe. Et huius cibi dulcedine ſemper deinde in omnem vitam fuit delectata: cuius eſt illud ad comites. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.*

Ioan. 4. 32. 34.

Tempus nuptiarum. NOTÆ.

Vernum.

Non eſt autem abſque contemplatione noſtra prætermittendum tempus in quo Connubium hoc fauſtiſſime eſt celebratum, quod fuit & ipſum nuptiale. Menſe enim Martio eiuſque die 25. Humanitatem Verbo copulatam fuiſſe nuper præſcripſimus. Is primus eſt Verni temporis, quod opportuniſſimum nuptiis celebrandis natura docet. Tunc enim tellus, tanquam noua nupta, cyclade herbulis, ac floſculis, multo elegantius, quam ſi gemmulis eſſet exornata, prodit: & cum ea luminum pater, ac generationum ſublunarium auctor ſol, exoptatiſſimo ſuo acceſſu nuptias celebrare videtur; vt ex illa, tanquam communi, ac fœcundiſſima matre, plantarum ac animalium longam ſeriem, vt variegatam prolem gignat.

Cant. 2. 11.

Hoc tempus, dubio procul, ſignabat ſponſus, cum dilectam inuitaret: *Propera, amica mea, columba mea, & veni. Iam hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit: flores apparuerunt in terra noſtra. Vineæ florentes dederunt odorem.* Eſt hoc fœcunditatis tempus.

Tunc fœcundus ager: pecoris tunc hora creandi:
Fertilis occultas inuenit herba vias.

Salomon tempore verno celebrat nuptias.

Martius.

Gamelion.

Et ſane, Salomonem, illuſtrem Verbi diuini, cum ſponſum egit, typum vernum captaſſe nuptiis ſuis tempus, quia opportuniſſimum circumſpiciebat, viri docti exiſtimant. Melius profecto nobis in poſterum à fauſtiſſimis illis ſponſi cœleſtis nuptiis Martius, quam olim Athenienſibus Gamelion nuncupari poterit.

Nox nuptiis celebrandis dicata.

Quando Incarnatio facta.

At horas fortaſſe nuptiales, aut temporis momentum exprimi poſcitis, in quo Verbi & Humanitatis facta eſt coniunctio. Nuptias noctu celebrari ſolitas in Palæſtina ex decem virginum parabola deducimus. Idem fuit tempus Incarnationis Verbi. Non me fugit diuerſas de hoc ipſo circumferri opinationes. Volunt quidam Gabrielem conueniſſe virginem initio diei, aurora appetente. Quos mouet auctoritas Athanaſii ſermone De Deipara in fine, vbi ſcribit, ab Angelo ſalutatam fuiſſe Mariam diei exordio: atque eadem hora, qua ſol inchoat diurnum ſuum curſum, ac incipit in noſtro hemiſphærio apparere, ſolem iuſtitiæ, tanquam gigantem, iter ſuum inchoaſſe, & in noſtro hemiſphærio ſecundum carnem eſſe cœpiſſe. Alii aſſerunt, aduolaſſe appetente nocte, & tunc ſalutauiſſe virginem: habuiſſe autem ſermonem cum illa vſque ad mediam noctem: tunc vero Mariam præſtitiſſe conſenſum, & Filium Dei in eius vtero carnem copulaſſe ſibi. Quod ſi verum profecto, *media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit: exite obuiam ei*: moram, nempe faciente ſponſo, donec virgini, quæ volebat, perſuaſiſſet internuncius Gabriel.

Mea

Digitized by Google

Nocte facta Incarnatio.

Mea ſententia eſt, quæ grauiſſimorum Theologorum: Incarnationem factam nocte quidem, quod tempus eſt nuptiale, non tamen ea incipiente, vt profanis erat ſolenne, qui ſub veſperam, & ſole deficiente, ſtelliſque iam micantibus inchoabant ſolennitatem: ſed deficiente nocte, die inchoante. Siquidem, cum Chriſtus proceſſerit ex hoſpitio Virginali, natus media nocte finiente, cum dies inciperet: nimirum 25. Decembris. quod perſuaſum habent fideles, vt Eccleſiaſtica traditione firmatum: dicere rationi maxime conſentaneum eſt, conceptum eadem noctis hora, vt habeantur integri ac perfecti nouem menſes, à die, qua conceptus, vſq; ad diem, qua eſt natus Dominus. Quo pertinet illud Sapientiæ 18. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus, Domine, à regalibus ſedibus venit. Durus videlicet debellator in medio exterminii tempore exiliuit.* Nimirum, nocte iam declinante, vigeſima quinta Martii, venit verbum Dei in vterum virginis ex ſinu Patris, & die vigeſima quinta Decembris proceſſit in mundum ex eodem vtero. *Iſa. 9.* Ad hoc etiam facit quod Angelus Dei media nocte iuſſu Domini venit ad occidenda primogenita Ægyptiorum, & ad liberandum populum Iſraëliticum, Exod, 12, vt ad terram promiſſam perueniret. Haud ſequus, Chriſtus magni conſilii Angelus, media nocte conceptus, natuſque dicatur, vt populum ſibi dilectum à poteſtate dæmonis liberaret, & in libertatem filiorum Dei perduceret, tandemque adoptatam promiſſamque patriam proueheret.

Nocte egreſſa Sponſa.

In epithalamio autem à Salomone conſcripto clara fit mentio noctis. Nam cum egreſſa domo ſponſa duceretur ex more in ſponſi domum, obuiam fit ſponſo ſolicite quærenti: deinde cum ſponſo introducitur in thalamum genetricis: id eſt, in ipſum ſponſi lectulum.

Tædæ nuptiales. NOTÆ.

Neque vero in tam læta nocte deſiderabantur faces, & lumina nuptialia, quibus nihil æque ſolenne in antiquorum nuptiis. Nuptiales autem lucernæ præferebantur à puellis innuptis, lætitiæ documento. Quod vel ex parabola decem virginum diſcimus. Veterum Græcorum ritu, nuptiarum matres id officii pręſtabant, vt habet Euripides in Phæniſſis. Iuno quoq; in Argonauticis Apollonii Theridi ſe facem prætuliſſe, ait, amoris ergo, perinde ac ſi parens eſſet. Pronubarum idem fuit munus apud Romanos, quæ vni ſemel nupſerant, & quidem vt Feſtus refert, ante cōgreſſus nuptiales. Hebræis, Virgines Sponſæ comites tædas nuptiales præferebant. Pſalmo 44. *Virgines poſt eam in lætitia & exultatione.* *Pſal. 44. 15.* Quare autem adhiberentur lumina, ſignificabit Salomon, ſi animum aduertas ad ea, quæ ſcripſit de Lampadibus, quas in Verbi nuptiis præferri vidit. *Cant. 8. 6.* *Lampades eius, lampades igniu atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam:* *Significatio tædarum.* Nimirum denotabant tædæ illæ nuptiales, & accenſæ lampades, mutuam coniugum caritatem, quæ nullam difficultatum, calamitatum, ærumnarum, aut perſequutionum vim timeret: imò flabris aduerſitatum, & incurrentium damnorum creſceret. Significabant etiam eædem tædæ coniugii perpetuitatem: quæ tædis accenſis de manu in manum traditis exprimitur.

Eſt illic lethæus amor, qui pectora ſanat: *Ouid.*
Inque ſuas gelidam lampadas addit aquam.

Ioannes Baptiſta tædifer.

Sed quis faces in nuptiis Verbi, dum incarnaretur, prætulit? Angelos nominare poſſem, puros, caſtoſque ſponſi comites. At vnus inter illos eminebat, non natura, ſed vita, ac moribus Angelus, de quo dictum eſt: *Ecce ego mitto Angelum*

Digitized by Google

Ioan. 5. 35. *meum ante faciam tuam, qui preparabit viam tuam ante te.* Is fuit Ioannes Baptiſta, *Lucerna ardens, & lucens*: vt ſcribitur Ioannis 5. Dubitaui ſæpe, cur Chriſti prodromus, *Lucerna* dicatur. Graues Scripturæ Interpretes, Ammonius, Leontius, Cyrillus, Theophylactus Rupertus, Euthymius, Ambroſius, ſic vocatum exiſtimant, quia non ex ſe, ſed ex Chriſto lumen habebat: & quoniam apparente Chriſto, quaſi ſole Iuſtitiæ, eſt obſcuratus, quod vtrumque lucernæ conuenit. Difficilè eſt creditu hanc illius denominationis fuiſſe cauſſam: cum Chriſtus non id ageret eo loci, vt minueret Ioannis gloriam, aut extenuaret teſtimonium; ſed potius, vt commendaret. Ad extenuationem autem pertinet ea denominationis ratio: quod non niſi abſente ſole Lucerna luceat: quod alieno lumine ſit conſpicua: quod ſit illuminationis ac ſplendoris modici.

Ioannes Lucerna.

Comment. in Ioann. Ambr. Serm. 14. in Pſal. 118.

Ioannes B. Lucerna. QVARE in mentem mihi veniebat, ideò *Ioannem*, *Lucernam* dictum, quod Sponſo ac Sponſæ, Verbo & Humanitati, cum nuptias celebrarent, facem luxerit: Imperiumque ſponſorum ac principatum hoc veluti ſymbolo profeſſus fuerit. Eſt tamque Lucerna Regni ac Principatus inſigne.

Thalamus Sponſi ac Sponſæ. Hoc præcedente tædifero, in medio iuuencularum tympaniſtriarum procedamus ad *Thalamum*, qui indubiè fuit caſtiſſimus Virginis Mariæ vterus: idem, triclinium, cubile, lectus floridus Sponſi Verbi, Sponſæ Humanitatis. Ex hoc thalamo, vti Sponſus proceſſit deinde Chriſtus, quando de virgine natus eſt:

Sedul. Lib. 2. Carm.

Tunc maximus infans
Intemerata ſui conſeruans viſcera templi
Illæſum vacuauit iter. Pro virgine teſtis
Partus adeſt, clauſa egrediens, & clauſa relinquens.

Audi eundem Poëtam:

Chriſtus ab aluo
Proceſſit ſplendore nouo, velut ipſe decoro
Sponſus ouans thalamo, forma ſpecioſus amœna
Præ natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labiis diffuſa eſt gratia pulchris.

In Lucam. Venerabilis Beda ſequutus Sedulium, *Credendum eſt*, ait, *iuxta fidem Catholicam clauſo virginis vtero, quaſi Sponſus ſuo proceſſiſſe de thalamo.* Et Eccleſia vniuerſa in Hymno.

Dom. Aduen. Veſp.

Vergente mundi veſperis,
Vti Sponſus de thalamo
Egreſſus honeſtiſſimæ
Virginis matris vtero.

Pſal. 18. 6. 7. Quam illuſtre illud de huius Sponſi thalamo: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.* Pſal. 18. Trita eſt hypallage, *In ſole poſuit tabernaculum*: pro, *Solem poſuit in tabernaculo.* SOL

Ioan. 8. 12. Dei filius eſt, qui ſe mundi nominat lucem, Ioannes 8. vtpote omnem hominem illuminantem, Ioannis 1. Et eum appellat Iuſtitiæ ſolem Malachias: & Origenes *Fontem Solis*, de quo Ioſue 18. Illum autem miſit Deus Pater: ſicque poſuit, ac præparauit vterum B. Virginis, tanquam tabernaculum, aulamque vt Eccleſia occinit. Spiritus Sanctus alia quadam ratione idem fecit, quatenus virgini dicitur obumbraſſe, & quaſi vmbraculum conſtruxiſſe. Hoc vmbraculum ſanctificauit Altiſſimus: idque operuit nubes & gloria Domini, *Ille Sol*, inquit Auguſtinus, *ante Luciferum*

Ioan. 1. 9. Mal. 4. 2. Orig. Hom. 19. in Ioſue. In collecta. Luc. 1. 35. Pſal. 45. 5. Ex Vlt.

Lucif..um genitus vt videretur oculis carneis, qui Solem vident, ipſum tabernaculum ſuum in Sole poſuit: id eſt, carnem ſuam in manifeſtatione huius lucis oſtendit. Et illius Sponſi thalamus fuit vterus virginis, quia in illo vtero virginali coniuncti ſunt duo Sponſus & Sponſa: Sponſus, Verbum: Sponſa, caro. Sempiternum lumen, ait eodem ſenſu, Ioannes Damaſcenus, *quod ex ſempiterno lumine antiquiorem ſeculis exiſtentiam habet, ex ipſa Virgine Maria corporatur, & tanquam Sponſus de thalamo prodit.* *Tract. in Epiſt. Ioan.* *Orat. 1. de Nat. B. V.*

Prodeunti cecinit Rex Pſaltes ſuauiſſimum illud Epithalamium, quod eſt in ordine Pſalmorum, quadrageſimus quartus, in cuius elegantiſſimo procœmio, cum propoſuiſſet, ſe non ſolum fauſtatiſſima cantaturum Sponſo ad illius gloriam: ſed etiam omne ſui cordis, linguæ, manus, facultatumque, tum corporis, tum animi promptiſſimum obſequium conſecraturum, cogitando, ſcribendo, loquendo: & vniuerſis, quibus poſſet modis fortunatiſſimas nuptias celebrando. Deinde, toto illo nuptiali carmine matrimonii huius abdita, ſponſi ſponſæque dotes, ac denique ritus omnes, & nuptialem apparatum vniuerſum amœniſſimo dicendi genere exornat. Vtinam & nos hoc ſacro tempore omiſſis ludicris, toti in eo ſimus, vt aduenienti Sponſo, ac Sponſæ, non tam verborum, quàm officiorum, ex vero amore perfectorum, melos, corde, lingua, opere concinamus: & dum præſtolamur Saluatorem Dominum Ieſum Chriſtum qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. *Epithalamium.*

NOTÆ

DE NVPTIIS VERBI ET HVMANITATIS.

§. ARRHÆ nuptialis.] Olim, vti etiamnum apud multos triplicis generis munera Sponſæ offerebantur. Primum erat Dos, quæ dabatur vel à Sponſo, vel etiam interdum à Sponſa. Sponſi namque Dotis nomine, ſoluto precio, vel oblatis muneribus, matres familias coëmebant: tuncque coëmptione vxor fieri dicebatur. Siquidem aliæ per confarreationem; aliæ per vſum matrimonio iungebantur. Ita Iacob, laboris precio perſoluto, vxores duas emit, vt illæ ipſæ teſtantur Geneſis 31. 14. *Nunquid habemus reſiduum quicquam in facultatibus & hæreditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque precium noſtrum?* Dotis item nomen habere potuit, quod ſeruus Abraham decem onuſtus camelis detulit in Meſopotamiam quæſiturus ſponſam Abraham domini ſui, Geneſis 24. 52. *Prolatis vaſis argenteis & aureis, ac veſtibus dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque eius & matri dona obtulit.* Aliquando è contrario mulieres, precio ſoluto, Dotis nomine, viros ſibi emebant.

Secundo dabantur munera nuptialia quæ tam apud Hebræos, quam profanas gentes erant in vſu.

Tertium donorum genus erant Arrhæ. Legendi Barnabas Briſſonius Lib. de ritu nuptiar. Antonius Gubertus Coſtanus titulo eod. Tiraquell. de Leg. connubial. Deſiderius Horaldus ad Lib. 4. Arnobii, Lipſius ad Lib. 4. Taciti; Cælius Rhodiginus Lib. 28. cap. 17. Alexander ab Alexandro Lib. 2. cap. 5. Sigonius de antiquo iure Romanorum Lib. 1, cap. 9. Pontanus Lib. 1. Georgicor. ex Arnobio, Boëtio, Dionyſio.

Pulchra

Pulchra eſt, & digna recogitatu illa S. Agnetis ſententia, quam habet Ambroſius Sermo. de Paſſio. S. Agnet. Diſcede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis. Diſcede à me, quia iam ab alio Amatore præuenta ſum, qui mihi ſatis meliora te obtulit ornamenta. Et annulo fidei ſuæ SVBARRHAVIT me: longe te nobilior & genere, & dignitate ornauit me inæſtimabili dextrachero dexteram meam, & collum meum cinxit lapidibus precioſis. Tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruſcantibus gemmis. Poſuit ſignum in facie mea, vt nullum, præter ipſum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornauit me. Oſtendit mihi theſauros incomparabiles, quos mihi ſe daturum, ſi ei perſeuerauero, repromiſit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris, vel aſpicere alium, & illum derelinquere cum quo ſum caritate deuincta. Cuius generoſitas celſior, poſſibilitas fortior, aſpectus pulchrior, amor ſuauior & omni gratia elegantior. A quo mihi iam thalamus collocatus eſt: cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. Iam mel & lac ex ore eius ſuſcepi. Iam amplexib. eius caſtis adſtricta ſum. Iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt: & ſanguis meus ornauit genas meas: Cuius mater virgo eſt: cuius pater fœminam neſcit. Cui Angeli ſeruiunt: cuius pulchritudinem Sol & Luna mirātur: cuius odore reuiuiſcunt mortui, cuius tactu fouentur infirmi: cuius opes nunquam deficiunt: cuius diuitiæ nunquam decreſcunt. Ipſi ſoli ſeruo fidem, ipſi me tota deuotione committo. Quem, cum amauero, caſta ſum: cum tetigero munda ſum: cum accepero virgo ſum. Nec deerunt nuptiis filii, vbi partus ſine dolore ſuccedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur.

§. Actio Incarnationis.] Ita docemus cum S. Thoma 3. P. Q. 4. Art. 2. Q. 6. Art. 3. & 4. Alenſi 3. P. Q. 8. Mem. 2. Durando Diſt. 5. Q. 2.

§. Donatio propter nuptias.] De Regno Chriſti temporali litigant Theologi. Legendus poſt alios Gabriel Vaſquez. Tertia Par. Diſp. 87. cap. Sunt, qui exiſtiment, dominium temporale Humanitati Chriſti minime concedendum, quod arbitrentur non poſſe eiuſdem rei vel partis in ſolidum duos eſſe dominos. Quod ſumitur ex L. *Vt certo* §. *Si duobus.* ff. *Commodati.* A qua tamen Deum excipere neceſſe eſt, cui ſane competit dominium excellentiæ in omnes creaturas titulo creationis; & homini, vtilitatis. Nec idem eſſe volunt, habere ius Regis, quod Chriſto concedunt, & dominium rerum omnium. Nam Rex non eſt dominus fundi, domus, alteriuſue rei priuati ciuis. Sed ius Regis aut Summi Principis in regnum ciuile, aut politicam gubernationem, iuriſdictio eſt, ſeu facultas ſuprema ius dicendi in omni controuerſia ciuili, ferendi leges, verbo etiam præcipiendi, cui reliqui parere debeant. Quod videtur poſſe pertinere ad aliquem, ſine dominio earum rerum aut perſonarum, in quas habet prædictam facultatem & iuriſdictionem.

Verum de ratione dominii Chriſti Domini non ſolum Theologi digladiantur. S. Thomas opuſ. de relig. vitæ defenſ. Bonauentura in Apologia pauper. Turrecremata Lib. 2. De Eccleſ. cap. 112. Dominicus Sotus Lib. 4. de Iuſtit. Q. 1. Art. 1. Bellarminus Lib. 4. de ſummo Pontif. cap. 14. Sed Romani ipſi Pontifices non ſatis inter ſe conſentire nonnullis ſunt viſi. Nicolaus 4. in cap. *Exiit.* De verbor. ſignific. in 6. Ioann. 22. *Extrauagan. Ad condit*, caput. *Et cum inter nonnullos. &* *Quia quorundam.* De verbor. ſignif.

§. Co-

§. CORONA nuptialis.] Feſtus. Corolla diminutiuum eſt à Corona. Corollam noua nupta de floribus, verbenis, herbiſque à ſe lectis ſub amiculo ferebat. Collaris quoque corona ſponſorum erat. Solebant enim amantes pectora coronare, eaque vnguento perungere, quoniam ibi cor eſt ſcribit Athenæus Lib. 15. cap. 5. vocatas autem Collares coronas, quibus colla vinciebant. Quo fortaſſe ſpectant illa Canticorum 1. 1. Meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis: & totum ipſum ſponſum, qui ſit velut intertexta, & implexa corolla, ex myrrha & odoratis floribus optat ſibi, ſuoque pectori. *Inter vbera*, inquit, *mea commorabitur*: à collo enim deſcendit ad pectus & vbera. Hymenæus nuptiarum præſes totus floridus pingitur, ac coronatus.

Cinge tempora floribus — *Cat. in nupt. Iulia.*
Suaue olentis amaraci
Flammeum cape latus huc
Huc veni niueo gerens
Luteum pede ſoccum.

§. VNCTIO *nuptialis*. De hac ex antiquitate multa Martinus de Roa. Libro 3. Singulari Appendice ad cap. prim. Hierony. Prado Ezechiel. 23. Quomodo ab vnctione Chriſti nomen, docent Patres & Interpretes ſacræ ſcripturæ, Daniel. 10. Iſaiæ. 61. Canticor. 1. Tertullian. Lib. 3. contra Marcionem & Lib. de Baptiſ. Iuſtinus Dial. contra Tryphonem: Euſebius Lib. 3. de demonſtratione Euangelica Lib. 4. cap. 15. Hilarius Lib. 11. de Trinit. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 3. & 10. Nyſſenus Lib. de profeſſione Chriſtiana. Auguſtinus Lib. 12. contra Fauſt. cap. 44. Nazianz. Orat. 4. de Theologia: & orat. 4. in Iulian.

VELVM *nuptiale.*] Olim Virgines aperto capite incedebant: nuptæ, meretrices, adulteræ, non niſi opertæ, ac velata facie. Tertullia. Apud Ethnicos etiam velatæ ad virum ducuntur. Plutarchus in Laconicis eum morem Spartanis quoque adſcribit.

Tertullianus. Arabicæ fœminæ non caput, ſed faciem etiam ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ ſint, dimidiam potius frui lucem, quam totam faciem proſtituere. Idem Auctor, quod illa ipſa conſuetudo ſacris exemplis ac teſtimoniis conteſtata eſſet, dixiſſe videtur: Chriſtus eſt, qui alienas ſponſas, & maritatas velari iubet: vtique multo magis ſuas. Libro de velandis virginibus cap. 16. & 11. eleganter verſat illud Rebeccæ Geneſis 24. 65. Rebecca conſpecto Iſaac non amplius ſe vt virginem liberam, ſed, vt ſponſam velauit: *Tollens cito pallium, operuit ſe.* Deſponſatæ, inquit, habent exemplum Rebeccæ, quæ cum ad ſponſum ignotum ignota perduceretur: ſimul ipſum cognouit eſſe, & confeſſa, quod ſenſerat: id eſt, ſpiritu nuptam, negauit virginem velatam.

Tertull. lib. de corona mil. cap. 4. Apud Iudæos tam ſolenne eſt fœminis eorum velamen capitis, vt inde noſcantur. Rebecca conſpecto procul ſponſo velamen inuaſit. priuatus pudor legem facere non potuit, aut cauſſæ ſuæ fecerit. Tegantur virgines ſolæ, & hoc nuptum venientes, nec antequam cognouerint ſponſos. Sic & Suſanna in iudicio reuelata argumentum velatæ præſtat Danielis 13. At iniqui illi ſenes iuſſerunt, vt diſcooperiretur: erat enim cooperta.

Geneſ. 20. Abimelech Saræ dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris: memineris te deprehenſam: nimirum, aperto capite incedebat, vt ſoluta viro. Mo-

Pppp net

net igitur ne deinceps virginum more incedat, ſed cum nupta ſit, conuelet ſe: ac ne defectum cauſſetur, dat ad emendum 100. argenteos.

Martialis Lib. 8. Epig. 12.

Vxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.

Dicebantur nubere ſuis vxoribus, quaſi velum ipſi acciperent, tanquam effœminati: & ſub iugo vxoris Velamen enim, vt loquitur Tertullianus, fœminarum iugum eſt. Quod ſi vir orans, aut prophetans velet caput ſuum, quod monet Apoſtolus ignominia eſt illi, quia oſtendit ſe, vxori quaſi ſubditum. Lege Iſidorum Lib. 2. offic. cap. 15.

§. DAPES *conuiuii.*] apud Heſychium & Athenæum Libro 7. Gamelion eſt nuptialis placenta: hanc ſponſus ac ſponſa prægustabant: deinde conuiuis porrigebant. Curtius Libro 8. de nuptiis Alexandri cum Roxane: Rex medio cupiditatis ardore iuſſit adferri patrio more panem (Hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum coëuntium pignus) quem diuiſum gladio vterque libat. Vide Alexandrum ab Alexandro Lib. 2. cap. 5. de Græcor. ritu. Rhodiginus Lib. 24. cap. 15. Reuardus Lib. 4. varior. cap. 12. Roſinus de antiquit. Rom. L. 5. cap. 37.

Vocabant iſtiuſmodi placentam ſeſamon, quod ex Plinio Lib. 18. cap. 10. genus eſt frumenti Indici. Dicitur fuiſſe placenta ex Seſamo, melle, oleo, & inter bellaria numeratur ab Athenæo Lib. 14.

§. TEMPVS *nuptiarum.*] Temporis ac menſis opportunitas ad nuptias captari ſolet inuitante natura. Athenienſibus Gamelion menſis, quem dicunt reſpondere noſtro Ianuario, dictus videtur à ſtatis nuptialium dierum feſtiuitatibus. Romani autem menſem Maium nefaſtum, & inauſpicatum nuptiis habebant. Ouid. in Faſt.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis aptæ
Tempora, quæ nupſit non diuturna fuit.
Hac quoque de cauſſa: ſi te prouerbia tangunt:
Menſe malos Maio nubere vulgus ait.

Forte, quod cum anno vellent illud initiari, quod perpetuum eſſe volebant. Sicut de Kalendis Iani canit idem Naſo quibus Romani rerum toto anno gerendarum primordia auſpicabantur Lib. 3. Faſt.

Poſtea mirabar quod non ſine litibus eſſet
Prima dies: cauſſam percipe, Ianus ait:
Tempora commiſi naſcentia rebus agendis
Totus ab auſpiciis ne foret annus iners.

Vernum tempus nuptiis aptiſſimum natura demonſtrat, & canunt paſſim Poëtæ Luc. Lib. 5.

It ver: it venus, & veneris prænuncius ante
Pennatus graditur Zephyrus.

Apud eoſdem veſpertinum tempus eſt celebre. Catul.

Veſper adeſt: iuuenes conſurgite: veſper olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollet:
Surgere iam tempus iam pingues linquere menſas.
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenæus.

Nuptias non media nocte, ſed prima aut ſecunda noctis hora concelebrari ſolitas

litas docet Valerianus V. Faſces, & Nuptiæ. Quod autem dicitur Matt. 25. 6. Media nocte, dictum volunt, quia moram faciebat ſponſus. Sunt, qui in nuptiali nocte horam 9. ad accumbendum menſæ; duodecimam ad ſurgendum adſignent. Sed difficile eſt id idoneis comprobare teſtimoniis.

§. Tædæ *nuptiales*. De his Antiquarii. Ludouicus Viues cap. 25. Libri 4. de ciuit. Antonius Gubet Commentatio de ſponſalibus & Nupt. Martinus Roa Libro 2. Singular. cap. 14. Apud profanos ignis & aqua adhibebantur in limine nouæ nuptæ, & illa iubebatur, attingere, quaſi bono fœcunditatis omine: vt Varro ac Feſtus docent, illæque infauſtæ conquerentis Arethuſæ nuptiæ.

Quæ mihi deducta fax omen praetulit, illa
Traxit ab aduerſo lumina nigra rogo.
Et ſtygioſum ſparſa lacu nec recta capillis
Vitta data eſt; nupſi non comitante Deo.

Perſius Lib. 4 Eleg. 3.

Ignis ac lumen fœcunditatis ſunt ſymbola, vt colligitur ex Plutarcho Problem. 1. & 2. Lactantius idem docet Lib. 1. Lege Budæ. ad L. penultimam. ff. De donat. inter virum & vxor. Lucernæ quoque nomine poſteritatem ac filios deſignari in ſacro ſermone conſtat ex 3. Reg. 2. vndecimo, 36. Et cap. 14. 4. Lib. 4. Reg. 8. 19. Pſal. 131, 17.

Hæc ſcripſeram, cum incidi in conciones Cardinalis Bellarmini, qui alio modo Matrimonii conditiones Incarnationi accommodat, dignus qui legatur: nam nouæ orationis materiam ſuppeditat. Accipe puncta.

Quam apte Dominus reconditum Incarnationis Myſterium nuptias appellauerit planiſſime intelligemus, ſi ad ea quę in nuptiis hominum fiunt animum cõuertere, & ad memoriam pauliſper reuocare velimus. Initio igitur antequam nuptiæ celebrentur ſponſo fieri ſolet, & matrimonium contrahi per verba loquuntur, de futuro. Id vero nonne Deus fecit, cum tam ſæpe Patriarchis & Prophetis matrimonium hoc facturum etiam cum iuramento promiſit? Quam certus de hac ſponſione ſapientiſſimus Salomon fuit, qui tanto ante iſtarum nuptiarum tempus iucundiſſimũ cecinit Epithalamium Canticum Cãticorum? Deinde vt matrimonium rite perficiatur vtriuſq; partis conſenſio neceſſaria eſt. In his autem ſanctiſſimis nuptiis voluntatem filii ſui Deus per Gabrielem Archangelum Mariæ ſignificauit. Maria vero quę mater ſponſæ erat pro filia ſua reſpondit. Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et quemadmodum per matrimonium fit, vt vir & vxor ſint in carne vna, ita per hoc adorandum & ſacroſanctum myſterium factum eſt, vt diuina atque humana natura tam arctis & inſolubilibus nexibus coniungerentur, vt non duæ ſed vna atque eadem eſſet ambarum hypoſtaſis.

Nuptiæ Incarnatio, quæ matrimonio optime comparatur.

Ratio prima ex ſponſione.

Secunda, ex conſenſu mutuo.

Tertia ex carnis vnitate.

Et cum omnis matrimonii vinculum tale ſit, vt niſi per mortem ſolui non poſſit: hoc vnum de quo loquimur ita cæteris omnibus antecellit, vt nec in morte ſolui potuerit Cum enim aſſertor & liberator noſter cum morte ſingulari certamine dimicaret, potuit quidem Domini corpus ad tempus ab anima ſeparari, Deus tamen ab eo corpore, eaque anima, hoc eſt ſponſus à ſponſa diuelli nec ad momentum potuit. Matrimonium præterea apud homines facit, vt omnia inſignia omnes illuſtres tituli, omnes honorum appellationes, quę ſponſi prius erant, ſint deinceps ei cum ſponſa communes, id quod omnino per Incarnationem factũ eſſe videmus.

Quarta ex indiſſolubilitate.

Quinta ex bonorum communione.

Nam

Digitized by Google

Nam & homo mundi opifex, effector prodigiorum, Orbis liberator, Angelorum & hominum caput, & Rex & Princeps nominatur, quæ tamen ſolius Sponſi, antequam Matrimonium fieret appellationes erant. Et contra Deus fœminæ illius, cibi, & potus indigens morti obnoxius imo & mortuus appellatus eſt.

Sexta ex cognatione noua. Quæ omnia Sponſæ ante illud tempus fuerant. Et quomodo per Matrimonium noua quadam cognatione Sponſi & Sponſæ iunguntur affines: & Sponſi neceſſarii ac familiares amicitias ineunt: ita per hoc myſterium quicumque homines ſumus, quia humanitati illi, quæ cum Verbo copulata eſt, naturæ affinitate coniungimur, ipſius verbi affines quodammodo effecti ſumus & Angeli qui Dei miniſtri & familiares ſemper fuerunt, iam cum hominibus ita verſantur, vt eos non tanquam inferiores ſed tanquam ſocios & conſeruos habere velint.

Septima ex fine qui non vnus. Iam verò finis propter quem Matrimonia celebrantur nuptiis Verbi & Humanitatis minimè deeſt: propagatio humanæ naturæ & remedium contra peccatum. Si verò non tam nuptiarum quam ipſorum nubentium finem conſiderare volueris, eum quadripartitum eſſe videbis. Sunt enim, qui propterea iungunt Matrimonia vt pacem cum parentibus cum fratribus Sponſi vel Sponſæ componant. Sunt etiam qui non alia de cauſſa ad nuptias adducuntur, quam ne illuſtris aliqua domus ſine hærede manens penitus extinguatur. Et ſunt qui nihil aliud in matrimonio ſpectant, quam vt hereditatem Sponſæ vel Sponſi conſequantur, ſunt poſtremò qui ſolo Sponſi & Sponſæ amore incitati ad nuptias veniunt.

Propter quem horum finium Auditores nuptias Verbi & Humanitatis eſſe celebratas exiſtimatis? Si verè ſapientes iudices eſtis, non propter vnum aliquem horum finium ſed propter omnes ſimul reſpondebitis. *Primus, proles. Ioan. 1.* Nam quod huius matrimonii finis ſit proles, Ioannes Euangeliſta teſtatur cum ait: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt. Idem eſt enim ac ſi apertius dixiſſet, quotquot Dei Filii & regni cœleſtis hæredes; omnes huius Sacroſancti matrimonii fructus ſumus. Non enim ad tam ſublimem honoris gradum euehimur, quia ex viro & fœmina generati, ſed quia ex ipſo Deo nati ſumus. Et quonam tandem pacto ex ipſo Deo? Et Verbum, inquit, caro factum eſt: tanquam ſi diceret Deus verbum humanæ carni tanquam Sponſæ copulatum eſt, & nos omnes nouo & inaudito quodam modo ad vitam æternam generauit? *Matt. 9. Marc. 2. Luc. 5. Ioan. 13.* Hinc videlicet ipſe Dominus de Apoſtolis ſuis dicebat: Nunquid poſſunt filii Sponſi filii nuptiarum, quamdiu Sponſus cum illis eſt ieiunare? Et apertius alio loco eoſdem filiolos appellabat: Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum.

Secundus, Remedium contra peccatum. 1. Tim. 1. Tertius Pax. Quod autem remedium etiam contra peccatum finis huius matrimonii fuerit, nemo Chriſtianorum eſt qui neſciat, præſertim cum Apoſtolus dicat: Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. De pace verò quid dicam? Nam quis neſcit atrociſſimum illud bellum, quod humanum genus cum Deo gerebat, hoc matrimonio ſalutari ſublatum fuiſſe & pacem tam firmam ac ſtabilem inter cœlum & terrã eſſe compoſitam, vt ipſi cœlites in his noſtris regionibus, quo tempore hoc

Digitized by Google

hoc matrimonium celebratur cum cantu & lætitia dicerent: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis? Num non eſt pacis euidentiſſimum argumentum, quod nobis ad cælum ſemper aditus pateat: & Angeli tam frequenter & tam familiariter hic in terris Sanctorum hominum colloquiis miſceantur? Porro ſi nuptiæ iſtæ non fuiſſent quis non videt quam illuſtris familia funditus periiſſet. Nam genus humanum iam ſterile & infœcundum effectum totum erat interiturum, niſi hoc Sancto Matrimonio refloruiſſet, & domui tam præclaræ iam inclinatæ & plane collabenti his Sanctis nuptiis Dominus ſuccurriſſet. Nam cum aliis multis de cauſſis, tum etiam propter hoc, cum Angeli & homines perirent, Deus non cum Angelis ſed cum hominibus matrimonium iungere voluit: quia nimirum non omnis Angelorum familia perierat ſed pauci de multis. At hominum domus tota ab inferis abſorbenda erat niſi hoc matrimonium intercederet. Quare miſericordia Domini quia non ſumus conſumpti omnes nos, niſi enim Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Poſtremo ſicut humanam naturam ad has nuptias, ſponſi hereditas, & opes infinitæ incitare poterant, ita DEVM ipſum nihil niſi vehementiſſimus amor ad hoc matrimonium prouocauit. Sic enim dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Cum igitur tam multiplicia ſint harum nuptiarum bona, merito, iureque optimo, vt in nuptiis hominum fieri ſolet, tunc Angeli tripudiis, choreis, cantibus, & ſonis diem feſtum egerunt, & vſque ad aerem noſtrum deſcendentes vt idem facerent hominibus perſuaſerunt.

Luc. 2.
Quartus. Familiæ conſeruatio.
Thren. 3.
Iſaiæ 1.
Quintus & Sextus. Opes & amor.

SCRIPSIT de connubio Verbi & Animæ Laurentius Iuſtinianus, quæ pertinent ad matrimonium tropologicum. Diſputat ad mores accommodare de Creatoris & creaturarum operationibus: docetque conandum, vt homines ſuper omnia Redemptorem ſuum intelligant, recolant, diligant qui prius dilexit nos. Deinde in DEO & propter DEVM inuicem ſe diligant, virtutes imitando, ac vitia fugiendo.

Legendus etiam Bellarminus Concione 19. in qua agit de Matrimonio ſpirituali inter Chriſtum & animam. Et Hugo de S. Victore Tom. 2. Libro de Arrha animæ. Eundem in Cantica cap. 8. Conſule circa eandem materiam. Item Iacobum Aluarez de Par. Tom. 1. Lib. 1. Parte 3. cap. 25. Et Bartholomæum Scobar Sermone 4. de Tobia circa finem.

Digitized by Google

COMMENTATIO L.

De

NVPTIIS D. SOPHIÆ,

Scripta in gratiam Academicorum Herbipolenſium.

AGAM hodierna die in hoc auguſto Sapientiæ domicilio, & ampliſſimo Sapientum conſeſſu Myſtem Sapientiæ; meoſque Candidatos (quod felix, fauſtum, fortunatumque illis ac D. Sophiæ, cui hactenus, vel operati ſunt, vel famulati) vinculo iungam nexuque omnes optatiſſimæ Sponſæ pluſquam adamantino: quippe connubiali. Fauete Cœlites, ſapientiæ aulici. Tuque Diuum Parens faue Sapientum Præſes. Fauete Sapientiſſimi Academici.

QVID cauſſæ ſit, cur hiſce diebus inſolenti pompa & ornatu ciuitatem penes vniuerſam, quaſi luſtratione ſacra, obierit Philoſophorum agmen, ſceptro præcedente: hodieque tanto vocum alternantium, & dulce modulantium, muſicorumque inſtrumentorum concentu, Nobilitas, Patres, Populus, Plebs, ad hanc ornatiſſimam aulam, velut ad nuptialis, vel triumphalis conuiuii ſpectaculum catervatim accurrerit, non immeritò ignarus harum rerum, & Academicæ conſuetudinis hoſpes, amicus meus dubitauit, & ab obuio ſibi ſapientiæ ſtudioſo eſt ſciſcitatus. Cui promptum ex tempore reſponſum dedit feſtiui ingenii Philoſophus.

Paraſceuen fuiſſe elapſis diebus, candidi huius, quem ſibi ſolennem, nuptialemque voluerint Philoſophi Academici, in eoque antiquo ritu, publica lætitia, nobilitatis concurſu, populi acclamatione, omnium adplauſu, Philoſophos poſt tot ſeruituris annos, tot exantlatos labores, tot hyemis, æſtatis, autumni, veriſque incommoda ſuperata: poſt victas, fuſas, fugatas, ferociſſimas feras, inſcitiæ, negligentiæ, & complurium vitiorum pileo donari, ac cum Hera ſua, Dia Sophia indiuiduam vitæ conſuetudinem, & iuris diuini ac humani communicatione inire, illique nexu iungi indiſſolubili. Hoc Philoſophi iunioris reſponſum vti non fuit in omnibus ad libellum veritatis planiſſimè exactum: ita non fuiſſe omninò falſiſſimum, aut temerè, inconſulteque prolatum, facilè vobis æqui bonique amatoribus probauero, ſi quæ communia habet promotionum Academicarum celebritas, cum connubiorum, vel nuptiarum ſolennitate paucis oſtendero.

SVNT quædam quaſi ſpirituales nuptiæ, ac contubernii matrimonialis colligatio, publicus iſte, ex Academiarum conſuetudine nominatus actus, quo probatis, digniſque honores debiti deferuntur, qui ab aliquibus gradationes, ab aliis promotiones, vel gradus appellantur, quod gradatim, & cum doctrinæ progreſſu conferri ſoleant.

DICEBAT quondam faculis amoris caſti incenſus, Sapientiæ, aut D. Sophiæ Sponſus Salomon: Hanc amaui & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui
Sap. 8. Sponſam mihi eam adſumere, & amator factus ſum formæ illius. Præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui

illi

illi lapidem precioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua,& tanquam lutum æſtimabitur argenrum in conſpectu illius. Super ſalutem ac ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.

En verba caſti amatoris, & Sponſi Sophiæ, vel ſi magis placet, vt nunc eſt in vſu, Philoſophiæ. Nam Salomonem eum de omni illa Sapientia, ſiue diſciplina, quæ ad Deum ducit, loqui, tum maximè de ea quæ Philoſophorum eſt propria inde patet, quod eam maximopere concupierit, qua ſciret diſpoſitiones orbis terrarum, vt ibidem ſubiungit, & virtutes elementorum, & initium, & conſummationem, & medietatem temporum: viciſſitudines quoque ac permutationes: anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones: naturas animalium & iras beſtiarum: vim ventorum & cogitationes hominum: differentias virgultorum, & virtutes radicum: verſutias ſermonum: diſſolutiones argumentorum. Quibus exactius nihil dici poſſet, ad Philoſophiæ totius obiectum, vt vocant, adæquatum, conſtituendum.

Eædem ſunt voces adoleſcentum, ad Philoſophica ſtudia ſe accingentium. Tunc enim amare cœperunt Sapientiam, vt Sponſam; colere, vt Heram: admirari vt Diuinam. Tunc præpoſuerunt illam ſceptris, & regnis inſidiatricis Dominæ voluptatis: & theſauros omnes ac gazas lenocinantis carnis nihil duxerunt in comparatione illius. Lapidem precioſum libertatis, blandæ peſtis ſed multis gratæ non compararunt illi. Omne aurum, etiam obryzum delenificæ ſtrygis vanitatis, arena ipſis fuit exigua comparatione illius. Tanquam lutum æſtimarunt argentea oculorum ludibria in conſpectu illius. Super ſalutem morbidæ ac delicatæ cutis; ſuper ſpeciem faſcinantis pulchritudinis: ſuper formam fucatæ cupiditatis terrenæ, vnicam illam habuêre Sponſam.

Sed ſemperne proci officium exercuit Salomon? ſemperne in Sponſæ hæſit amoribus? Nunquamne domum illam duxit? & connubio ſibi illam iunxit ſtabili, æternoque fœdere? Duxit ſanè; ſed poſtquam circumiuit quærens, vt illam adſumeret: poſtquam intellexit, cuius hæc eſſet belliſſima filia, hoc donum: & patrem Sponſæ ſuæ adiit, eius aſſenſum extorſurus, ac deprecatus eſt illum voto ſupplici, & ex totis præcordiis ſuis dixit.

Deus patrum meorum, & Deus miſericordiæ, mitte illam (ſapientiam, Sponſam meam, de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret: id eſt, vt ad eam domum ducam, & indiuiduam cum illa vitæ ſocietatem ineam) ſciamque, quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit, ac deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potéria: hoc eſt, matremfamilias domum ducta aget. Sunt n. hæc matrisfamilias officia. Quam Octauianus, apud Dionem, cuſtodem domus vocat, adminiſtratricem, & curatricem liberorum: quę & ſanum exhilerare, & ægrum curare, lętis vtenti ſocia eſſe, in aduerſis conſolari poſſit: denique, iuuenturis nimiam animi licentiam coërcere, effœtæ ſenectutis auſteritatem temperare. Ob quam cauſſam Columella. Lib. 1. de re ruſt. cap. 8. villico contubernalem mulierem adſignari vult, quæ illum contineat, ac quibuſdam in rebus adiuuet. *Dio Caſſ. Lib. 56.*

Aſſenſus eſt Sapientiæ parens Salomoni, & filiam ſuam Sophiam poſt varia deſideriorum experimenta in manum illi dedit: ſed percipite cum qua dote. Venerunt mihi, inquit Sponſus, omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis hone-

ſtas.

ſtas: per manus illius. At qua pulchra prole felicem feciſſe illum Patrem exiſtimatis? non eſt enim infœcunda Sapientia. audite. Salomon ipſe obſtupuit. Lætatus ſum, inquit, in omnibus, quoniam, antecedebat me iſta ſapientia: & ignorabam, quoniam omnium horum mater eſt: quorumnam omnium mater eſt ſapientia? Bonorum omnium, paucis plura circumſcribi non poſſunt: imo, nec infinitis verbis plura comprehendi. Fœcundiſſima mater bonorum omnium eſt Sapientia: honorum, dignitatum, titulorum, formæ, gloriæ, poſſeſſionum, theſaurorum, pecuniarum, regnorum, imperiorum, voluptatum, amicitiarum: Nihil dixi: bonorum omnium. Poſſide Sapientiam, & cuſtodiet te: conſeruabit te: exaltabit te: glorificabit te. Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, & corona inclita proteget te. Ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: nec habebit offendiculum currens. Si dormieris, non timebis: quieſces, & ſanus erit ſomnus tuus: Dominus erit in latere tuo. Dulciſſima eſt cum hac ſponſa commoratio. Non eſt moroſa, non rixoſa, non clamoſa dia Sapientia: nec habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius: ſed lætitiam & gaudium. In amicitia illius delectatio bona. In illa gratia omnis vitæ & veritatis. In illa ſpes vitæ & virtutis. Spiritus eius ſuper mel dulcis: & hereditas eius ſuper mel & fauum.

Sap. 8. Eccl. 24.

IDEM adoleſcentibus accidit, quibus hodierno die poſt varias deſiderii fruſtrationes, poſt multarum noctium inſomnia, poſt æſtum algoremque toleratum, tandem in manum venit ſponſa hactenus expetita ſapientia. Habet itaque vt initio dicebam Promotio hæc magiſtralis quandam cum nuptiali ſolennitate ſimilitudinem. Sed plura ſunt vni alterique communia, de quibus in ſequentibus agendum.

Ætas in nuptiis.

POSTVLANT Iura omnia in matrimonio ineundo, ac nuptiis celebrandis legitimam ætatem: in qua tamen conſtituenda ex regionum conſuetudine variatur: ſed & Sapientum reſcriptis. Plato Lib. 4. ac 6. de Legibus, à trigeſimo vſque ad trigeſimum quintum annum ætatem matrimonio idoneam maſculis adfirmat. Ariſtoteles eius auditor, Politicorum 7. cap. 16. mulieres anno octauo decimo: mares circa annum trigeſimum ſextum coniungi oportere adfirmat. Apud Germanos, maſculam quandam gentem, intra vigeſimum annum fœminæ notitiam habere in turpiſſimis rebus ponebatur vt auctor eſt Iulius Cæſar. Recentiora iura non tam annorum, quam pubertatis rationem habent. Definiunt tamen pubertatis tempus, in fœminis duodecimum annum: quartum decimum in maribus: alii octauum decimum.

Iul. Cæſ. Lib. 6. de bello Gall.

Non minore religione ætatis ratio haberi ſolet in promotionibus Academicis: quam tamen non tam ex annis, & barbæ quantitate, quam morum iudiciique maturitate metimur. Parum omninò intereſt, ſi puerili quis ſit ſpecie, ſed ſenili prudentia. Et valet hic illud Varronis: Neque vetulus canterius, quam nouellus melior. Non cani, non rugæ, non effœta ſenectus doctrinam ſecum adferre poſſunt: nimis notum illud non auctoritate modo, ſed & experientia: Bis pueri ſenes. Ad Magiſterium igitur Doctoratumve promouendus, ſuis, ac propriis ornamentis idoneus iudicatur honorario illo titulo: atque ex ipſa eruditionis ſpecie, non corporis habitu: ex iudicio, non ex rugis: ex reſponſorum momentis, non annorum numero aptitudinem accipit, vt omnium appobatione, gradum quem appetit conſequatur. Ætas ſupplementum modo quoddam eſt: ſed & ornamentum

mentum, tunc æſtimandum, cum probata doctrina, ac virtutis ſpectata maturitas: animi quoque vis, & ingenii cultura, mentiſque acceſſerit. Verum, quoniam hæc ſimiliaque non è cunis nobiſcum ferimus: ſed longo tandem ſtudio, & aſſidua corporis, ſed multo magis animi contentione, mediocritatem ſaltem aliquam nanciſcimur: quod ſine temporum præterlabentium ſpatiis non contingit: Neque enim vna nocte tanquam ex putredine fungi; aut momento, velut ex fimo vermiculi docti naſcuntur: ſed naſcuntur tempore, naſcuntur ſtudio, naſcuntur laborum aſſiduitate. Ideo ſapienter à maioribus noſtris ad honores Academicos conferendos aliquam annorum rationem habitam animaduerto. Certe nunquam infantulum faſciis etiamnum inuolutum, aut in ſinu matris mammis adhærentem, aut inter amplexus nutriculæ luſitantem, Magiſtrum eſſe dictum, vel Doctorem proclamatum in vlla Academia legere, vel audire me memini. Neſcio tamen quam illud ſit verum, aut commendandum, quod ex Legum peritis nonnulli adfirmant: Ante ſeptimum decimum annum nemini lauream eſſe conferendam: quamuis illis adoleſcentibus, in quibus peculiare ingenium, egregia indoles, ac certa ſupra ceteros ſpes elucet multa concedi, poſſe velint ad illorum ingenia ſtudiaque alenda & promouenda. Prudentius illud inſtitutum eſt, vt non niſi poſt annos aliquot in diſciplinæ cuiuſque ſtudio poſitos ad culmen aſpirare liceat. Et quidem in Oxonienſi Academia Britannica olim non niſi ſeptennio abſoluto ad gradum admittebantur. Noſtris legibus, triennii fere orbem explemus. In Vbiis biennio & menſibus aliquot contenti ſunt. Alibi aliæ ſeruantur ex coſtitutionibus propriis conſuetudines.

VBIQVE temporis aliqua ratio habebatur quemadmodum in qualibet republica dum honores ſunt diſtribuendi & officia. Id ſeruatum olim ſeuere in Romana, in qua nemo niſi ad certos annos veniſſet, prætextam ponebat: nemo ad altiora aſpirabat. Idem etiamnum cernere eſt in Republica Veneta, in qua ad concilium publicum non admittitur, nec muneris eſt capax grauioris, qui non annum vigeſimum quartum exceſſerit. In Eccleſiaſtica etiam Hierarchia, qua nihil in vniuerſo eſt ordinatum magis, nonne ætas maximopere ſpectatur? Nemo ad ſacros ordines niſi gradatim promouetur: nemo Presbyterorum albo inſcribitur: nemo mytram epiſcopalem conſequitur: niſi hic trigeſimum, ſacerdos vigeſimum quintum, alii ſibi conſtitutos terminos viderint.

Notum eſt illud ex antiquitate profana: In Veſtalium collegio tres veluti claſſes fuiſſe Captarum manu virginum: Diſcentium: Exercentium: & Docentium: non potuiſſe autem promoueri Diſcentes ad Exercentium gradum, niſi prius decem annos ſolidos ad ritus ac ceremonias omnes à ſenioribus inſtructas: tunc quaſi Baccalaureatum conſequebantur. decem deinde annis operabantur ſacris: tum Magiſterii honore munereque adepto, Antiſtites audiebant: & quæ ætate reliquas anteibant, honorario titulo Maximæ vel Vetuſtiſſimæ inſigniebatur. Qui titulus in lapidibus ſepulchralibus frequenter occurrit, & ab Auctoribus vſurpatur. *Veſtalium collegium.* *VV. Maxim a.*
Pythagoreo inſtituto quinque annis in ſilentiariis libris verſandum erat diſcenti, antequam formati diſcipuli nomen honoremque adſumerent. Ac Theodoſius Imperator futuros iudices quinque annis Bononiæ literis operam dare & ab Archidiacono Bononienſi magiſtralem librum accipere voluit. Ac ne quis in Aduocatum adſciſcatur, niſi prius quinquennio diligentem operam legibus nauauerit præſcribunt Iuriſconſulti ad L. Petitiones Cod. De aduocatis diuerſ. iudic.

Digitized by Google

Quod neminem in Iure doctum fieri poſſe cenſeant: & iuuenis aduocatus litium confuſor appelletur.

Triplex illa ſeries, quam Veſtales exhibent, etiam in Academicorum ordine cernitur ac promotionibus. Siquidem aliqui, & infimi quidem ſubſellii inſignia depoſiti tyrocinii accipiunt, & Baccalaurei titulo honorantur. Quamuis horum tribum Theologi in duas rurſum claſſes ſecent: & alios Baccalaureos Biblicos ſiue currentes: alios Formatos, ſeu Sententiarum, aut Sententiarios nuncupant. Baccalaureus autem à bacca lauri denominatur: quod hunc gradum adipiſcantur illi, qui ea fundamenta iecerunt, vt ſpes ſit, à bacca ad laurum, vel coronam lauream venturos breui.

Quinct. Mando. ad Regul. Con. l. 16. Q. 2.

In Italia tamen hoc tempore Magiſterio Baccalaureatus non præmittitur. Alter ordo eſt illorum, qui Mellodidaſcali ſiue Prodoctores, vſitatiori vocabulo Licentiati, quaſi licentiam nacti conſcendendi Doctoratus gradum inſcribuntur. Qui titulus tum in aliis Facultatibus, tum in Artium nominatim pro varia locorum conſuetudine, vel ſeparatim, vt Coloniæ Agrippinæ, vel vno ſolennitatis actu, vt hic & alibi conferri ſolet. Tertius ordo in Veſtalibus erat Docentium, Antiſtitum, nobis Doctorum, ac Magiſtrorum, quorum titulus ſupremi honoris eſt index: & tribus quodammodo laureis, ſeu coronis conſtat: quibus olim athletas ante vacationem eguiſſe colligitur ex Cod. De Athletis. L. 1 o. ibidemque Bartolo ac aliis Interpretibus.

Conſenſus.

IAM verò, poſt ætatem, in nuptiis præcipuas partes, & quaſi ſubſtantiales conſenſus habet. Nuptias enim vt eſt in Legibus conſenſus non concubitus facit. L. *Nuptias.* De Regulis Iuris. Et nuptias ſolo conſenſu perfici dicitur c. cum locum: t. c. finali De Sponſal. & c. Matrimonium 27. quæſt. 2. Conſenſus autem iſte amborum eſſe debet contrahentium. Libera enim ab vtraque parte ſint oportet matrimonia, vt iura definiunt.

IDEM in Academicis hiſce cum ſapientia nuptiis, tanquam aliquid ad earum ſubſtantiam neceſſarium requiritur.

Neque enim in D. Sophiæ familiam quiſquam tranſit inuitus: neque illa nolente introducitur. Et quamuis multi illius ſocietatem ac contubernium expetant. quis enim non exoptet lectiſſimæ Reginæ cohabitationem bonis omnibus affluentiſſimam? tamen multi, vel tanquam ſeruilis conditionis homines, in quem ſtatum ſua deſidia deuenerunt, reiiciuntur: vel alias ob cauſas, vt minus digni res ſuas habere iubentur, ſpe omni in poſterum familiaritatis, ac contubernii ſublata. Atenim cum hoc nuptiale fœdus non per ſe dia Sophia inear: ſed per procuratores ſuos, vt contingit ſæpe inter ſummos Principes: nobis, quibus vices ſuas delegauit, aſſenſus ſyngrapham perſcribendi, plerumque ius ex perſona ſua contrahendi conceſſit.

QVEMADMODVM autem verbis de præſenti conſenſus vtriusque fere exprimitur: ita & in promotionibus, dicendi, creandi, proclamandi notiſſimis temporis præſentis formulis contractus perfici conſueuit.

Antiquo Romanorum iure parentum etiam conſenſus ad legitimum nuptiarum contractum exigebatur: vt habetur L. Paulus de ſtatu hominum. Et hodieque Burdegalæ Senatusconſulto cautum ſanctumque ſeruatur, vt capitali pœna afficiantur, quicumque ſine parentum conſenſu contrahunt: vt refert Arnoldus Feronius in conſuetud, Burdegal. ad titulum 4. De dote. Et ſane conſentaneum

eſt

Digitized by Google

eſt humano diuinoque iuri vt parentibus honos habeatur. Accuratè hoc in promotionibus exigitur, quas nemo inchoare audet abſque Pontificia ac Imperatoria auctoritate, & voluntatis approbatione: id eſt parentum ſummorum, verorumque conſenſu. Neque enim priuata auctoritate cuiquam vllius gradus titulum dignitatemque licet vel conferre, vel aſſumere. Hinc non niſi obtenta licentia à Cancellario aut Procancellario Doctoratus vel Magiſterii inſignia conferuntur.

Ritus ceremoniales.

Porro tametſi ſubſtantialis quaſi forma contractus matrimonialis in conſenſu contrahentium conſiſtat, vt habet Gloſſa, *Tua nos.* capit. penult. De Sponſalib. nihilominus nunquam nuptiæ celebrari ſolent ſine ritibus quibuſdam, qui adhibentur, ſiue ad coniugum ſubſidium, ſiue ad geſtorum probationem, ſiue ad conſenſus verbis, vel ſignis expreſſi confirmationem. Audiuiſtis ſæpius illa ex Plinio & aliis auctoribus de colo, fuſo, ſtamine, ſpina, nucibus iuglandibus, farreo, confarreatione, adipe ſuillo, lana, aliisque ad ritus nuptiales adhiberi ſolitis. Noſtis tres illas formulas ad vxorem domum ducendam vſitatas Romanis: per coëmptionem, confarreationem, vſum. Illa fortaſſe nondum lectione vel auditione percepiſtis, quæ ridicula nobis videntur, prima ſpecie, ſed ſuis non carent ſignificationibus, & ad rem noſtram faciunt plurimum: nimirum, ad ritus in promotione adhibere ſolitos, arcano plenos ſenſu. Cimbri vbi depactum erat matrimonium vngues reſecabant: & Sponſus Sponſæ, ac viciſſim Sponſa Sponſo ſegmenta dono mittebat, quæ ſi mutuò acceptarentur, matrimonium ratum erat, atque tunc ſimul, velut coniuges conueniebant, abſurdo ſane ad ſpeciem cōmento. *Cimbri.*

Apud Thuiſcones antiquos vxor marito: maritus vxori, capillos radebat. Quo ritu ſane ridiculo, ſi conſenſus acceſſiſſet, nuptias perficiebant.

Apud Armenos ſponſus extremum auriculæ ſponſæ non forabat modo, ſed liberaliſſime ſcindebat: Sponſa ſponſo ex talionis lege, extremum ſiniſtræ atque hac ceremonia, barbara equidem & inſulſa matrimonium perfectum rebantur.

Apud Elamitas ſponſus, ac ſponſa mutuo ſibi pungebant cordis digitum præſentibus inuitatis, hacque amica crudelitate, interueniente ſanguine pactum firmabant.

Apud Numidas vterque contrahentium in terram ſpuebat, indeque luto facto in matrimonii ſymbolum frontes inungebantur: tum ſe amplectebantur: & iis, qui adſtabant nouum nomen imponebant: quod ſi hilare acciperent, validum cenſebatur matrimonium.

Apud Hunnos paullo ciuilius contrahentes icunculas ſibi mittebant argenteas, quibus iucunde datis, ac receptis, nuptiæ celebrabantur.

Mos erat apud Sicionitas, vt vir futurus calceum pedis dexteri ſponſæ mitteret: ſponſa ſponſo ſiniſtri. Apud Tarentinos proximis vtrinque ad conuiuium vocatis perficiebatur matrimonium, ſi ſponſus & ſponſa eadem manu manducaſſent.

Scythæ ſibi mutuo contingebant primum pedes, mox genua, dehinc cubitos, frontes, oculos, aures: & tandem ſe ſe exoſculabantur: atque hac ſolennitate fœdus iciebant.

Apud Cardienſes ſacerdotes ad domum ibant, ibi etiam ſiſtebatur mulier: tum ignis accendebatur, qui nunquam dum viuerent extingui debebat: illo enim extincto fiebat diuortium: & erat inſtar repudii niſi quadraginta annis vna vixiſſent: vnde vetus diuerbium: Aquam igni miſcere, pro repudio.

Digitized by Google

De ritibus ac ſolennitatibus noſtris : id eſt, Chriſtianorum tam Orientalis, quam Occidentalis Eccleſiæ : de teſtibus, proclamationibus publicis, paranymphis, ſacerdotum prece, ſimilibuſque dicere non attinet, cum ſint in quotidiano omnium conſpectu : vbi nec de Franconum propria ceremonia : qua inter paranymphos muſicorum inſtrumentorum comitante ſtrepitu ſponſus ouantis ritu per plateas ducitur. diceres ſilenos bacchaſque Dionyſium euax ingeminantes deducere: aut Corybantes in Idæ montis vertice circum Iouem choreas celebrare: non malo tamen fine, vt monebam antea ad facti fidem ſtabiliendam, vitandamque inconſtantiam.

IAM ſi Promotionis Academicæ ritus ac ſolennia percurrantur, inueniemus non minus multa ac varia, quam in nuptiali pompa : ridicula tamen nulla niſi ignaris : & omnia myſterio plena. Principio PILEVS imponitur, Libertatis teſſera. Scitis enim ſeruos raſo capite, pileum accipere ſolitos dum manu mitterentur: hinc illud, ad pileum vocari. Liberi enim proclamantur Doctores ac Magiſtri, non ferulæ amplius & Scholaſticorum diſciplinæ ſubiecti, ipſi aliorum præſides ac docentes. Huius ceremoniæ ortum quidam referunt ad ſecundum generis humani parentem Noachum : quaſi ipſe ad perpetuam diluuii memoriam, à quo ipſe Deo auxiliante cum ſuis liberatus erat Latinos Italiæ gentem pileum geſtare voluerit. Hunc enim Ianum fuiſſe ferunt, qui diuinarum, humanarumque rerum ſcientiam in Italiam intulerit, libertatiſque ſymbolum, Pileum reliquerit: ſpecioſe ſane: neſcio, an æquè vero commento Theologorum Pileus vel ſubniger eſt, vel ad nigrorem vergens. Siue quod hic color graues maxime & moribus compoſitis maturos homines deceat, quales plerumque ſunt, aut eſſe deberent atrati. Siue quod niger mortuum denotet, quo ſignificato, nigros maritos dicit Satyricus : quaſi Theologi omnes mundo ſint mortui, & cæleſtia ſectentur.

Rubeus eſt Iuriſconſultorum Pileus, qui color aureus regiusque appellatur, quod Iuriſperiti Regibus ac Principibus aſſideant, & propriiſſimè Doctoris, ac Domini titulum geſtent.

Medicorum, Philoſophorumque Pileus ad cœli colorem vergit, cæruleus certè non alia de cauſſa, vt reor, quam, quod licet ſæpius in terra, & quæ ex illa, tanquam in ſubiecta ſibi materia verſentur: tamen, ſi veræ ſapientiæ, vt profitentur, amatores eſſe velint, altius paullulum oculos, cogitationem, mentem eleuare debeant. Addunt noſtræ Academiæ ritualia : eſſe coloris violacei magiſtralem pileum, vt promoti florida vita ſuauem pietatis, eruditioniſque odorem ad omnes longè diffundant. Non me fugit tradere quoſdam, Bareti, vt plerique barbara voce appellitant, impoſitionem, eſſe ſignum victoriæ, excellentiæ, coronæ ſodalitatis, quippe, cum in crucis formam, ſacerdotali ritu ſit decuſſatus. Nimirum, cum Doctor quilibet, aut Magiſter ſit ſiue Iuſtitiæ ſiue Sapientiæ Sacerdos.

Traditione libri Magiſter aut Doctor effici quodammodo videtur proprietarius & deuinctus Sapientiæ aut Iuſtitiæ. Traditur autem liber primo quidem clauſus vt ſciat, myſteria non temerè cuilibet vulganda eſſe : poſſeque occluſo libro doctorem aliorum agere; tum apertus vt poteſtatem ſe habere intelligat, artes omnes liberales, Philoſophiamque imprimis in propatulo ex cathedra tradendi explicandi, docendi.

Annulo iungitur D. Sophiæ, vt coniugi. Quamuis nonnulli equeſtrem dignitatem, & facultatem ſignandi reſponſa ſapientiæ iuſtitiæve deſignari velint. Sanè nemo ol m

mo olim Iuriſconſultus habebatur niſi fuliſſet annulus ingens in digito. Olim in *Iuuen.*
nuptiis ſponſus ferreum annulum ſine gemma ſponſæ dabat: gemma aberat, ad *Saty. 7.*
ſimplicitatem denotandam: materia conſtantiam ſignificabat: forma annuli ad perpetuam vinctionem ſpectabat.

HVMERALI ſeu Epomide ornantur Sapientiæ Sponſi, quæ Magiſtris & Doctoribus vtrumque humerum tegit, in locum Pallii, quod geſtamen fuit olim Philoſophi non profani modo, ſed & ſacri, vt ex Tertulliano diſcimus. Hic ornatus monet promotos grauitatis, conſtantiæ, moderationis, omniſque virtutis: quam non habitu ſolum, ſed & moribus, ac doctrinæ Iuſtitiæ Sapientiæque cultores referant.

VTVNTVR hoc tempore ferè Iuriſconſulti humerali ex ſerico Damaſceno. An quod Damaſci fuerit aliquando celeberrima Academia humanarum diuinarumque legum: ibidemque excellens legum diuinarum præco Paulus promotus à Deo Gentium Doctor, veram legum ibi didicerit ſcientiam, quam deinde per
orbem vniuerſum diffuderit? An à coloris formæque varietate, quod Iuriſcon- *L. Iuſtitia ff.*
ſultus diuinarum humanarumque legum notitiam profiteatur. Sic Ioſephus, qui *De iuſt. &*
in Ægypto ſapientiam profeſſus eſt veſtem polymitam à Patre Iacobo acceperat. *iure.*
Papyrius quoque prætextatus, qui tempore Tarquinii Superbi Romanorum Re- *Gell. 1. Noct. cap 23.*
gis floruit, regias quoque compoſuit leges à Veſte, Prætextati cognomen accepit. *Zaſius ad L.*
Oſculo complexuque, pacis ſignis quæ in ritibus eſſe ſolent, quid aliud deno- *2. ff. de orig.*
tatur, quam æternum pacis, ſocietatiſque nexus ac vinculum, & nunquam diſſol- *Iuris.*
uenda plus quam adamantina animorum colligatio.

CETERVM cauet Eccleſia, ne ritus ſolenneſque ceremoniæ in nuptiis prætermittantur, eo quod publice illas celebrari velit, non clam, vt ſine dolo & cum omni legitima approbatione peragantur: deteſtatur enim clandeſtina matrimonia, neque illa vt rata admittit. Euenit ſimile quid in Promotionibus. Sunt enim aliqui, qui per Bullam vel Reſcriptum principis gradum Magiſterii vel Doctoratus accipiunt, quos Codicillares, vel Bullatos Doctores vocant: clanculatios dicere
poſſes: alii publica, ſolennique ceremonia. Iſtis ſæpe numero rudibus atque ignaris occinì poſſet, quod Heliodoro aiebat Dionyſius, cum illum Adrianus Impera- *Dion in Ha-*
tor Epiſtolarum parum Magiſtrum creaſſet: poteſt Cæſar pecuniam & honores *drian. Maſon.*
tribuere, Rhetorem facere non poteſt. *in ſignat. gratia de licentia*
Sunt idcirco inferiores hi bullati Doctores aliis qui præmiſſo examine & publi- *doctorandi.*
ca ſolennitate promouentur, à ſcholis, vt docet P. Caſtrenſis L. finali C. vbi ſenatores: & clariſſime Mandoſius ſuper ſignatura gratiæ de licentia doctorandi, Zazius ad L. 2. ff. De origine Iuris. Imo bullatos non gaudere priuilegio Doctorum probat Guido Papa deciſione 88. & alii multi ICti vti neque illi priuilegiis promotorum fruuntur, qui per ſaltum, ac indecenter promouentur, vt aſſerit Scholiaſtes Guidonis Deciſione 388. per Gloſſam ac Doctores L. Nemo. De Aduocatis diuerſor. iudic.

Et ſane Venetiis Anno MDLXXXIX Auguſtino Barbadico Principe pro Academia Patauina SCtum factum reperio, vt non niſi Doctores in publicis collegiis laureati ad docendum Patauii admittantur: iis nimirum ſecluſis, qui Doctores à Comitibus Palatinis fieri conſueuerunt: vt refert Riccobonus de Gymnaſio Patauino Lib. 1. cap. 8.

Eſt quidem recepta multorum ſententia Principis illam eſſe poteſtatem, ſupre- *Princeps verbo creat Doctores.*

Digitized by Google

Iacobinus de S. Georgia. De feudis §. Quæritur etiam. Octauian. Veſtrius Introductio. in Aul. Roman: cap. 18. Grego. Toſan. … l. 49. … ſum.

mum intellige, vt verbulo Doctorem creet. Quod ius habere putantur Comites quidam Palatini, ſunt & Romæ in ſacro ſenatu ſummi Pontificis, qui Conſiſtorium appellatur Decem-viri, qui interceſſiones & oppoſitiones electionum Eccleſiaſticarum à ſede, vel conſiſtorio cognoſcendas exponunt, dicti Aduocati conſiſtoriales, quibus multa priuilegia adſcribuntur: illud imprimis, laurea doctorali in vtroque Iure, Pontificio ac Cæſareo doctos iuuenes ornandi.

Verum prudenter monent grauiſſimi I C. vt principes, & quibus id per indulta conceſſum eſt, ſint cauti, & nequaquam prodigi. Crebro enim accidit, vt iſtiuſmodi neutiquam contenti honorario Doctoris titulo & ſuperioris ſubſellii poſſeſſione, Magiſtratus etiam ambiant, qui ſingularem doctrinam rerumque cognitionem requirunt. Iidem opima ſacerdotia aucupantur honoribus, & Doctoris compellatione indigni.

Ob quas ſimileſque cauſſas Pius V. Sanctiſſimus Pontifex, conſtitutione perpetuo valitura, motu proprio reuocat, caſſat, & annullat omni conceſſi Comitibus Palatinis ac etiam quibuſuis officialibus Romanæ Curiæ, collegiis ſinguliſque aliis perſonis, cuiuſcumque ſtatus, præeminentiæ, ordinis exiſtentibus ad Docturatus, Licentiaturæ, verba bullæ ſunt, & Magiſterii gradum promouendi. Et declarat inhærendo concilii Tridentini decretis, eos, qui à Comitibus, aliiſque præfatis perſonis promoti fuerint, quoad dignitates ceteraque beneficia Eccleſiaſtica nullâ gradus prærogativâ frui & gaudere poſſe aut debere.

Seſſ. 22. cap. 2. Seſſ. 25. cap. 11.

Bullâ editâ cum anno inſequente Fridericus Staphylus ſumma in Theologia & Iuris ſcientia cognitione præditus in Academia Ingolſtadienſi Doctoratum vtriuſque facultatis conſequi non poſſet. (Negabant enim Theologi ſe matrimonio iunctum laurea doctorali donaturos) Pontifex procurante Ferdinando Imperatore Salisburgenſi Archiepiſcopo facultatem quidem conceſſit, vt Staphylum Iuris canonici Theologiæque Doctorem crearet: ſed tamen in præſentia aliquot Epiſcoporum, & Doctorum, qui rigoroſo examine præuio periurata vota adfirmarent ad gradus iſtos Staphylum idoneum eſſe. Quocirca ceteris omnibus, quæ ad ritus ſpectant adhibitis Staphylo rubrum pileum à Pontifice miſſum Archiepiſcopus in comitiis Auguſtanis impoſuit, & Theologiæ ac Iuris canonici Doctorem pronunciauit.

Valentinus Rotmarius.

Matrimonio, nuptiiſque iuncti ſunt Dos, Antipherna, Parapherna. de quibus late Doctores. Maritus inquit Paulus Iuriſconſultus, ſuum negocium gerit, cum de dote ſibi cauet, & decipiendus non eſt: quod fit, ſi cogatur indotatam vxorem accipere. Proinde in nuptiis pangendis plerumque Dos interuenit, ſine qua vix nubitur.

Paul. L. ſi donaturus. 9.

Ouid. Lib. 2. de remed.

Cur nemo Hecaten, nulla eſt quæ ceperit Irum,
Nempe quod alter egens: altera pauper erat

canebat ille. Antipherna, quaſi contradotalia, vel dotalibus oppoſita dixeris: phernin enim Græci quandoque dotem appellant, ſunt donatio propter nuptias ad æqualitatem doti præbendam facta à marito vxori. Parapherna autem ſunt dona mulieris aliundè, quàm ex dote aduentitia.

Requiritur etiam in Promotionibus Academicis ſua Dos: interueniunt Antipherna: accedunt Parapherna. Sed de Dote ac Paraphernis Sponſæ Sophiæ dictum initio, cum omnium bonorum δόμα καὶ δόσιν, & phernin Sapientiam ſecum adducere diximus. Sed non accipit illa Sponſum cui non ſit viciſſim ſua Dos:

& qui

& quia antipherna non adducat tam opimæ doti oppoſita. Hæc non ſunt alia, quàm vera in Deum fides, mores caſti, ac honeſti, nulla turpitudine aut infamia notati: demum, doctrina, ac eruditio. Arcentur enim à ſcholaſticis honoribus infames, quibus portæ dignitatum patere non debent: infideles hæretici excommunicati, ſpurii, non legitimè nati ac ſimiles: Non pauperes, qui maximè admittendi, ſi digni. Pro quibus in Concilio Viennenſi ſub Clemene V. in quo promotionum Gradus approbantur, leges præſeribuntur ſumptuariæ, ne qui propter inopiam rei familiaris & ſumpruum magnitudinem à re tam vtili abſtinerent.

Clem. 2. de Magiſt.

De fide ſingulorum certior fit D. Sophia publica profeſſione, quæ promotionibus, vt præmittatur, ſacræ leges ſanctiunt. De bonis moribus, natalium honeſtate, & reliquis ad Sponſam ſpectantibus, teſtimonio virorum grauium, quibus meritò fides habenda. Doctrinæ poſſeſſio, quaſi locuples Sponſi patrimonium exploratur à viris harum rerum gnaris, fidis, diligentibus, qui pro diuerſarum Academiarum varia conſuetudine, vel iurati adfirmant dignos eſſe honoribus candidatos: vel ſcripto, viuaque voce nullo iuramento interpoſito. Quod magis placet Menochio: quamuis Mandoſius poſt Bartolum & alios iuramentum magis probent.

Menoch. De arbit. caſ. 192. Mando. ſuper ſignat. gra. de licent. doctoran.

Non fuit quidem primis temporibus iſthæc conſuetudo: ſed poſteà, ac prudenter ſanè inoleuit. Barbarie enim paullatim ex orbe Romano profligata, cum Lothario Imperatore Bononiæ, ac Pariſiis artes liberales refloreſcerent, conſcripſit Iuris Pontificii epitomen Gratianus, Theologiæ Petrus Lombardus. Porro qui Gratiani Decretum, & Lombardi libros ſententiarum didicerant, expoſuerantque Doctores appellabantur. Sed numerum ferè iſtiuſmodi diſciplinarum Candidati ſuperarent, ſalubri conſilio ſtatutum eſt, vt non niſi auctoritate publica à ſcholaſticis conuentibus ſolenni & accurata prius facta diſquiſitione, & examine, certum virtutis ac eruditionis teſtimonium aſſequuti Doctores crearentur.

Quamuis altius res hæc repeti poteſt. Siquidem Auguſti Cæſaris tempore cum eatenus promiſcuè de iure reſpondiſſet, & lucri cauſſa parum aliquando fideliter, decretum eſt ab ipſo Cæſare ne quis ſibi eam facultatem vſurparet, niſi Principis Auctoritas accederet. Interueniente examine. Quod L. 2. §. Primus D. Auguſtus De origine iuris: ibique Zaſius. Adrianus quoque Imperator, viris quibuſdam prætoriis iuriſdictionem hanc citra examen reſpondendi, petentibus, dici iuſſit, eam non peti ſed præſtari ſolere. Principes eam conferre non ſolere, niſi prius ſe idoneos demonſtrent, & publica auctoritate promoueantur. Lege. 2. ff. eod. titulo.

TANDEM Nuptiis rite celebratis niſi altero contrahentium defuncto fruſtra ſperatur legitima connubii iteratio. In Promotionibus geminum quid conſidero: dum Candidati iurant ſe alibi eoſdem gradus iterato non accepturos. Salmanticæ autem etiam & Coloniæ Agrippinæ iureiurando adfirmare coguntur Licentiati, ſe neque gradum Licentiæ alibi repetituros, neque pileum doctoralem ſumpturos nulla diſpenſatione ſuperioris, etiamſi ſponte offeratur, cui renunciant, obſtante. Quatenus autem in vna Academia promotus Licentiatus, in altera lauream petere poſſit, diſputat Menochius & ex Iaſone refert, ibi lauream petendam eſſe vbi Licentiæ gradum accepit, ne cauſſæ inquit continen-

Lib. 2. de Arbit. Iud. caſu 371.

tia

tia diuidatur: niſi forte alibi nouum examen pro laurea ſubire voluerit. Examine enim interpoſito legitima fieret diuiſio: & ad hoc valeret, vt in vna Academia Licentiatus ritè pronunciaretur, in alia lauream Doctoratus acciperet. Quamuis iuramentum de non ſuſcipiendo alibi gradu emiſiſſet. Quod falſum reor, quum ſtatuta ac conſuetudines & iuramenta non ſint eludenda.

NVPTIAS itaque vt initio reſpondebat hoſpiti Philoſophus cum D. Sophia celebraturi ſunt hodiè, quos ſpectatis Candidati. Huic fini ſolennis iſte apparatus, applauſus, muſica. Et quoniam Sacerdos iungere ſolet contrahentes. Quod etiam à Romanis vſurpabatur, apud quos à Cereris Sacerdote per ſacram ceremoniam fœdera connubialia firmabantur, faciam, quod primis verbis promiſi, agamque hodierno die in hoc auguſto ſapientiæ domicilio, & ampliſſimo ſapientum conſenſu, ſacrum Sapientiæ Myſten, meoſque Candidatos, quod felix, fauſtum, fortunatum D. Sophiæ vinculo iungam, nexuque perpetuo. Fauete cœlites ſapientiæ propiores adminiſtri aulici. Tuque hominum parens altera faue Sapientum Præſes. Fauete ſapientiſſimi Academici. Ego nouo ducto principio rurſus exordior.

S.

D. I.

H E G.

MODVS

MODVS STVDENDI IVRISPRVDENTIÆ.

S. P.

ADOLESCENTIBVS IVRIS Studioſis.

QVONIAM Vos potiſſimùm ſpectabam, cum *Iuris-Conſultum Chriſtianum* formare erat animus, Iuris-prudentiæ Studioſi. Quos aliquando Iuſtitiæ Antiſtites, ac Propugnatores fore ſperat Reſpublica. Ad quod decus tamen multi non pertingunt: tum ob alia: tum ob eam, quam notaui in pleriſque veſtrûm, vagam, ac tumultuariam ſtudendi rationem. Quæ in omni diſciplina; ſed veſtra maximè eſt noxia. Attexam Modum ſtudendi veſtris rationibus accommodatiſſimum. Cuius auctorem, niſi ſcirem eſſe Iuriſperitum: dicerem, Theologum: tam ſcitè ad normam Theologiæ Chriſtianæ præſcribit omnia.

MODVS *CHRISTIANE, AC FRVCTVOSE STVDENDI Iurisprudentiæ.*

AVCTORE

IOAN. BAPTISTA de Gazalupis ICto.

PROOEMIVM.

CVM expurgaueritis vetus fermentum, Auditores, & iam ſitis noua conſperſio, vt opinor, in azymis ſinceritatis & veritatis, in quo ſtatu Vos conſeruet clementiſſimus Deus: viſum eſt mihi ſitienti vtilitatem veſtram, tempus eſſe conueniens, quo Studioſis anxiè diligentibus religionem Iuris ciuilis, rectum callem oſtendam, quo greſſus eorum dirigam, & viam aperiam, per quam ambulent, non in tenebris, ſed in luce, ad illam *Legalem Sapientiam* capeſſendam. Dicam igitur quæ ſentio, & pro virilitate veſtra fideliter loquar quaſi mihi ipſi conſilium dans. *Iuris Studioſo eiiciendum vetus fermentum.*

MONITVM I.

QVICVMQVE cupit IVRI operam dare hiſce Monitis ſeſe accommodet. In primis benè & diligenter præparet animam ſuam confitendo peccata ſua inte- *Iuris Studioſo Anima purgre,*

ganda & conſcientia.

gte, & ſatisfaciendo pro commiſſis: vt ſic Spiritus Sancti gratia, omnem habens virtutem & omnem ſcientiam inueniat receptaculum mundum, & tribuat plenam perfectamque ſcientiam: Nam quicquid alibi quæritur, hic perfectius inuenitur. 38. diſt. cap. *legimus* §. *Sed è contra*, in fin. Iſtud eſt potiſſimum & primum conſilium, quod dedit venientibus ad ſtudium Venerabilis Doctor *Gulielmus*. de monte Laud. *in Clemen. de Magiſtris*, ſubdens quod ſcholaſtici, qui ad quamuis ſcientiam approbatam tranſeunt, & die noctuque torquentur, in vanum laborent, niſi

Dei Gratia neceſſaria I C.

Dei gratiam habeant ſecum coadiutricem: quia, vt dicitur Sap. 1. *In malecuolam animam non introibit Sapientia.* Idem conſilium dedit recolendæ memoriæ Doctor Dominus *Simon de Burſiano* Cardinalis Mediolanenſis, in proœmio *Clement.* dicens; Quod Scholaris non confidat in ingenii perſpicacia, & capacitate, ſtudii aſſiduitate, & memoriæ tenacitate: ſed in eo ſpem ponat, qui ſcientiarum Dominus eſt, in quo ſtant omnes theſauri ſapientiæ abſconditi. Nam ſcriptum eſt, *qui confidunt in Domino, intelligent veritatem; ſuperbis autem Deus reſiſtit.* Idem conſilium ſummopere laudauit in d. *Clement. de Magiſtris, Franciſcus de Zabarellis* de Padua olim Cardinalis Florentinus: & inſignis Doctor dom. *Goffredus Caietanus*, in dicta *clement. 1. & Martinus de Fano* in epiſtola quam fecit de modo ſtudendi in quinto re-

Cauendum à peccatis ſtudioſo Iuris.

quiſito. Caueat etiam omni conatu à ſingulis peccatis, quia *delinquens in vno, factus eſt omnium reus*: vt in cap. *defleat* ext. de *Reg. Iuris.* per vnum peccatum tota gratia euacuatur 32. q. 1. *Cum renunciatur.* totum enim hominem non dimidium ſaluat Deus.

Larga Dei pietas totum non dimidiabit.
Aut nihil, aut totum te lachrymante dabit.

A Venere abſtinendum Iuris Studioſo.

Dicit etiam *Gulielmus*, quod ſpecialiter caueat idem ſtudens à Venere (quo vitio conſueuerunt facile ſtudioſi inquinari) cum per tale vitium ratio & intellectus, tanquam ſuperiores partes mentis confundantur: ſenſualitate (quæ eſt inferior pars) attrahente & prædominante. 37. diſt. c. turbat. in c. 1. *de ſacra vnct.* verſ. *In pectore.* Simile in caule, cuius ſpica, per quam emittitur ſemen, ſi permittatur luxuriari, cito creſcit. Sic eſt in Scholari: Si pinolum, id eſt ingenium permittatur defluere, virtus ſupernæ rationis, & intellectus impediuntur, & corporis paratur infirmitas. Idem dicunt præfati Doctores in d. clem. 1. vbi ſubdit D. Cardinalis.

Luxuria mortuus.

Florent. quod ipſe habuit auditorem, qui notorie obiit ex hoc: & ego cognoui plures, qui hoc vitio dediti, male vitam finierunt, vno contextu perdiderunt omnem virtutem, omnem honorem, & omnem ſubſtantiam: & inter cæteros, vidi quendam ſcholarem diuitem & ingenioſum qui fuerat Rector cuiuſdam ſtudii, captum mulieris amore (quæ eſt rete diaboli, vt inquit Hieron.) tandem propter illius meretricis amplexus vagabundum diſcurriſſe prouincias: & tandem carceratum pro mole æris contracti pro nutrienda illa diabolica fœmina. Iſte idem præ rubore, & verecundia ne cognoſcerem eum, prono in terram cultu petiit à me eleemoſynam. Ad hoc vide 38. diſt. c. *legimus. verſ. hinc etiam*; & Hieronym. in epiſt.

A ludo, & alea caueat IC.

ad Damaſum. Caueat ab alea, quæ fomes eſt & incentiuum omnium malorum: vt plene dixi in opuſculo contra luſores; quod velim omnino te videre quia ipſius lectura cum adiutorio Dei, reformabit te, ſi reformatione indiges.

A Crapula & ebrietate.

Caueat à crapula & ebrietate: nam cum vicina ſint venter & genitalia, ex vicinitate membrorum reſultat quædam confœderatio malorum, id eſt, vitiorum, ſecundum Hieron. Et Gregor. in Moral. dicit, quod *dominante gula vitio, omne quod homines*

mines

mines fortiter egerint, perdunt: &, *dum venter non reſtringitur, ſimul cunctæ virtutes obruuntur*. Et hinc eſt quod *pinguis venter tenuem ſenſum non gignit*. Ideo ſuadeo, vt mutuas comeſſationes fugiatis: nam eſcarum vſus eſt inſatiabilis, & origo vitiorum. Et eſt quid pernitioſum, & ſanitati inimicum, & quod peius eſt, inutilis conſumptio temporis, quo nihil carius ſecundum Theophraſtum. Audi Auguſtinum in lib. 2. de ordine contra Academicos cap. 8. *Adoleſcentulis ſtudioſis Sapientiæ ita viuendum eſt, vt à venereis rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab inmodeſto corporis cultu, & ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, à torpore ſomni, ac pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, inuidentia, ab honorum poteſtatumque ambitionibus, ab ipſius etiam laudis immodica cupiditate ſe abſtineant. Amorem autem pecuniæ totius ſuæ ſpei certiſſimum venenum eſſe credant. Nihil eneruiter faciant, nihil audacter. Inimicitias vitent cautiſſime, ferant æquiſſime, finiant citiſſimè. In omni vero contractu conuerſationeque cum hominibus, ſatis eſt ſeruare hoc vnum vulgare prouerbium.* Nem::i faciant quod pati nolint. *Rempublicam nolint adminiſtrare, niſi perfc:ll. Perfici autem, vel intra Senatoriam ætatem feſtinent: vel certe intra iuuentutem. Sed quiſquis ſero ad iſta ſe conuertit non arbitretur nihil ſibi eſſe præceptum. Nam iſta vtique facilius adulta ætate ſeruabit. In omni autem vita, loco, tempore, amicos aut habeant, aut habere inſtent. Obſequantur dignis, etiam non hoc exſpectantibus. Superbos minus curent, minimè ſint. Apte congruenterque viuant. Deum colant, cogitent, quærant, ſpe, fide, caritate ſubnixi. Optent tranquillitatem atque certum curſum ſtudiis ſuis, omniumque ſociorum, & ſibi quiſque poſcat mentem bonam, pacatamque vitam.* Hæc Auguſtinus.

Qualiter viuendum Iuris Studioſo.

Ab amore pecuniæ abſtinendum.

Optimum autem & ſalutare eſt remedium, ad prædicta conſequenda, frequens oratio ad Deum, de qua oratione pleniſſime loquitur Gloſſ. in Clemen. *Si dominum, de reliq. & vener. Sanct.* ſuper verbo, *Orationem*: & ſpecialiter hortatur, quod quilibet ſtudioſus, velit ſingulis diebus dicere officium Beatæ Mariæ Glorioſæ Virginis, quæ eſt inuentrix gratiæ, genetrix vitæ, & mater ſalutis, in qua qui ſpem poſuit, nunquam vacuus abiit.

Orationi inſtandum à Iuris Studioſo. Offic. B. V. recitandum.

Cæterum licet omnis quicunque adultæ ætatis teneatur credere articulos fidei: vt habetur in Symbolo, *Credo in Deum*, & Athanaſii, *Quicunque vult ſaluus eſſe*. de quo 38. diſt. c. 1. & 2. & licet laico ſimplici, & forte omnibus litteratis ſufficiat articulos fidei credere implicitè, id eſt, credere verum eſſe quicquid credit Eccleſia Catholica: vt dicit *Innocent.* in c. 1. de *Summ. Trinit.* & ſequitur Magiſter *Bernard. Compoſtellanus* ibidem: illum tamen qui ingenioſus eſt, hortatur idem Compoſtell. vt vel illos articulos fidei ſcire magis diſtinctè. Et quamuis hoc ex dono ſcientiæ, & ingenii ſibi à Deo dato, quaſi ex debito rationis, & ingratitudinis vitandæ cauſa ſcire debeant: putat tamen ibidem, quod dicti laici, etiam ingenioſi, & litterati non peccant mortaliter, ſi dictos articulos fidei neſciant explicitè. *Porro, communis eſt Theologorum & Iuris Canonici interpretum opinio, quod ſit præceptum fidei, quo quiſque cogitur expreſſim credere articulos.*

Quomodo fides excolenda.

Ioan. Azor. Tom. 1. lib. 8. cap. 6.

MONITVM II.

Convenit adoleſcenti ſtudioſo, qui ſicut dictum eſt, viuere inſtituerit, quærere Doctorem ſibi & Magiſtrum, cuius authoritas aperiat ſibi ianuam ſciendi neceſſaria magna & occulta: quam ianuam quiſque ingreſſus, ſine vlla dubitatione vitæ optimæ præcepta ſectatur; per quæ, *cum docilis factus fuerit, tunc demum diſcet, & quanta rationε prædita ſint ea ipſa, quæ ſecutus eſt ante rationem: & quid ſit ipſa ratio, quam*

Doctor idoneus adeundus.

poſt authoritatis cunabula firmus, & idoneus iam ſequitur atque comprehendit. Hæc Auguſt. vbi 5. Plinius Secundus lib. 11. Epiſtol. 18. inter cætera cuidam Mauritio, qui eum conſuluerat de præceptore eligendo pro fratris liberis dicit hæc verba. *Cum omnes, qui profitentur audiero, quid de quoque ſentiam, ſcribam: Nec ignoro ſuſcipiendas offenſas in eligendo præceptore: Sed oportet me non modo offenſas, verum etiam ſimultates pro fratris tui liberis, tam æquo animo ſubire, quam parentes pro ſuis.* Illuſtris Doctor *Martinus de Fano* in Epiſtola, quam fecit de modo ſtudendi dicit, primo quærendum eſſe de Doctore, *ſi qualia doceri oportet doceat; ſi libenter ad interrogata reſpondeat: & ſi reſpondendo dubitationes de pectore quærentis euellat: Si patitur rationabiliter contradici. Si cauſſam rationabilem ſuis dictis adiungit: ſi videatur quod aſſerit de fonte vel ſcriptura vel æquitatis, vbi iuſtitia deficit prouenire.* Idem: *quærendum, an ſit ſatis ſufficiens, an vim habeat impreſſiuam, vt exemplis intelligentibus inſtruat, quod oſtendit: nec ſit in ſua lectione pompoſus, ſed potius vtilis & fidelis: & plus veritati quam ornamento verborum inhæreat.* Dicebat recolendæ memoriæ Doctor & Præceptor meus Dominus *Ioannes Petrucii* de Peruſio, quod aliqua quæ in adulta ætate ab imperito & inepto præceptore erronea ſibi tradita didicerat, vix Sexagenarius factus dediſcere potuerit. Vnde ſua debeat in electione præceptoris eſſe propriæ vtilitati non alieno honori conſulendum. Hinc Hieronym. in epiſtola de inſtitutione Paul. monet quod non diſcamus in teneris annis, quæ dediſcenda forent: quia difficulter eradicatur, quod rudes animi didicerunt, & ſubdit: Græca narrat hiſtoria, Alexandrum potentiſſimum regem, orbisque dominatorem, & in moribus & inceſſu Leonidis Pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus adhuc parvulus erat infectus. Hinc ſumat exemplum, quiſque vt illum æmuletur, & cum illo conuerſetur, cuius mores ſunt probati: alias informabitur cohærentia. Tu intelligis quid dicere velim, quorſum tendant hæc dicta mea. *Qui habet aures audiendi audiat.* Adde, quod Macedonum ſapientiſſimus Rex Philippus Alexandrum filium ſuum Ariſtoteli in diſciplinam tradidit, extatque illius epiſtola ad Ariſtotelem, quam Aul. Gellius lib. 9. Noct. Attic. his verbis ponit. *Diis pol habeo gratiam: non tam proinde, quod natus eſt mihi filius, quam pro eo, quod eum naſci contigit, temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, vt eruditus edoctuſque abs te, dignus exiſtat, & nobis & rerum iſtarum ſucceſſione.* Hæc refert Leonardus Aretinus in quadam epiſtola. Item, Plutarchus de liberis educandis, ſic ait; *Maximum omnium longeque primarium dicturus accedo. Inquirendi ſunt præceptores filiis, quorum vita nullis obnoxia criminibus, irreprehenſi mores, & optimum ſit experimentum. Honeſtatis enim fontem, ſimul ac radicem eſſe liquet, legitimam conſequi diſciplinam.* Pauloque infra ſubdit: *Illud certe ſtultitiæ extremæ: Sunt quidam qui licet præceptorum inſcitiam cognouerint, idque prehenſerint, illis tamen ſuos commendant pueros: nonnulli placidis ipſorum vicii blanditiis. Sunt etiam qui rogantium amicorum gratiæ tribuant, qua in re ſimile quidpiam factitant: vt ſi quis ægroto laborans corpore doctum ac ſaluciferum omittens medicum, vt amici gratiam ineat, imperitum hominem deligat à quo fortaſsis in perniciem detur.*

Doctoris nota.

Philippi regis in aſciſcendo Magiſtro, diligentia.

MONITVM. III.

CONVENIT adoleſcenti ſtudioſo poſteaquam idoneum præceptorem elegerit, illum honorare, obſeruare, colere, amare, vt genitorem, & conari habere beneuolum. Ipſum interroget, vt ab eo inſtruatur, non autem vt calumnietur, & per aliquam cauillationem, aut fallaciam intercipiat eum. Hæc *Martinus de Fano* in d. epiſto-

Diſcipuli erga præceptorem partes.

Digitized by Google

epiſtola, & Card. Mediolan. in d. procœmio Clem. Non ſuperbiat ille diſcipulus cui aliquando corrigerit aliquid ſcire Doctori ignotum. nam in hoc latiſſimo prato Iuris ciuilis bos herbam, canis leporem, ciconiaque lacertam inuenire poteſt & in ſimili dicit Seneca in epiſt. 108. Præterea omnia intelligere, & omnium habere memoriam, diuinitatis eſt potius quam humanitatis: vt L. 1. §. *Si quis autem* C. de vet. Iur. enncl. Capiat vnuſquiſque exemplum ab Auguſtino dicente: *Ego Epiſcopus tot annorum ab anniculo paratus ſum doceri.* 24. q. 3. *Si habes.* Conetur præceptoris opiniones defendere, quantum poteſt exemplo Caſſii Iuriſconſulti: vt habetur in L. *qualem verſ. Caſſius* ff. *de arbitr.* cum ſimilib. Quod ſi non poteſt ex errore manifeſto, veritatem præponer, & honorabit eam. Nam ambobus exiſtentibus amicis, ſanctius eſt honorare veritatem, vt inquit Philoſophus, in Ethic.

MONITVM I.V.

Studioſitas.

CONVENIT vt omnem curam, ſtudium, & diligentiam adhibeat, DEVM & Facultatem, cui indulget, corde gerens: vt inquit idem *Martinus de Fano* in d. epiſtola, circa quæ, quicumque voluerit ad ſaturitatem multa videre legat Plin. lib. 1. Epiſt. 3. 5. 6. 9. 13. 18. 20. 21. Item in lib. 2. epiſt. 3. 5. 11. 14. 18. 19. Item in lib. 3. epiſt. 1. & 3. Sed ſuper omnia legat, & memoriæ commendet epiſt. 5. dict. lib. 3. ad Marium, quæ incipit, *Pergratum* in qua deſcribit vitam & mores Plinii maioris auunculi: quæ litteris aureis eſſet ſcribenda, non omiſſo apice. Incitaret enim animum cuiuſcunque ad diligentiam, & moueret pectora etiam duriſſima & ſaxea; quin imò ex ipſius lectione plerique qui ſe credunt diligentiſſimos, cognoſcerent manifeſte ſe eſſe negligentes. Imitetur exemplum *Pomponii* Iuriſconſulti dicentis hæc verba: Nam & *ego diſcendi cupiditate* (*quam ſolam viuendi rationem optimam in octauum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi,*) *memor ſum eius ſententiæ, quam dixiſſe ferunt Iulianum. Etſi alterum pedem in ſepulchro tenerem, adhuc tamen diſcere vellem*: vt habetur in L. apud *Iulianum*, ff. *de fideicom. libert.*

Diligentia Plinii.

Pomponi IC.

Iuliani.

Relaxatio neceſſaria.

SVBDIT *Martinus de Fano* in dicta epiſtola: Nec tantum ſtudeatis, quod triſtitia aut pectoris dolor vos affligat anxietatibus. Recipite requiem, & animum ad gaudia reuocate. Hoc fuerit ſuperfluum monere temporibus veſtris. Nam libri ſcholarium regulariter ſunt pleni puluere, quotidie circumeunt plateas, vt cum ſint benè, imò luxurioſè, induti videant, & videantur. Peſtis efficaciſſima ſtudioſis luxuria veſtium, propter quam tempus otioſè perditur; & rotæ conuerſæ ſunt in ſcabella. Scio intelligis, quid velim monere per hæc verba. Hinc Ioannes Andreas reprehendit ſcholares veſtibus Doctoris vtentes: vt eſt *Gloſſ.* in c. *ad Apoſtolicæ*, *de Priuilegio.* lib. 6. Hæc non ſunt intelligenda de nobilibus & potentibus. Vnde Cardin. Mediolan. in dicto procœmio Clement. dicit paupertatem eſſe vnam ex clauibus, per quas intramus ianuam ſapientiæ: nam paupertas luxuriam compeſcit. & Seneca dicit: *Si vis addicere, ſis pauper, aut ſimilis pauperi:* Cratis Thebani recipiens exemplum 12. q. 2. c. *gloria.* verſic. *ætatis.* Hoc intellige cum temperamento, dummodo neceſſaria adſint, vt Philoſophus x. Ehicorum docet.

Mores ſcholarium Iur.

Veſtium luxurios peſtis ſtudioſorum.

Paupertas bona comes ſtudioſi.

MONITVM V.

Non multi libri legendi.

NON curet ſcholaris in vſu multos libros habere. Nam *lectio multorum auctorum & omnis generis voluminum habet aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari oportet, ſi velis aliquid trahere, quod animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, quod vbique eſt. In peregrinatione exiſtentibus hoc euenit, vt multa habeant hoſpitia, nullas amicitias. Idem accidit his, qui nullius ingenio ſe familiariter applicant: ſed omnia curſim, & properanter tranſmittunt. Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio: Nec prodeſt cibus ſumptus qui ſtatim euicitur. Non conualeſcit planta quæ ſæpe transfertur. Diſtrahit librorum multitudo. Itaque cum legere non poſsis quantum habueris, ſatis eſt habere, quantum legas.* Sed *modo hunc librum euoluere modo illum raro eſt fructuoſum: Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt & diuerſa inquinant non alunt. Non refert quam multos; ſed quam bonos libros habeas: Lectio certa prodeſt, varia delectat.* Hæc Seneca in epiſt. II. pro maiore parte, vnde Dominus Cardinalis Florentinus in d. *Clement. de Magiſtris*, dicit, quod expedit ſcholari paucis libris vacare, vt poſſit commendare memoriæ, quæ fuerint oportuna: vtpote ſcholari, in Iure Studenti, conuenit memoriæ commendare textus & gloſſas, ſine quibus fruſtra laborat, ad ſubtilitates quas non poſſet iure probare.

Doctori expedit varia legere.

Doctor autem indiget multis libris, etſi fieri poſſet omnium qui ſcripſerunt, vt ex multis poſſit elicere veriora. Tu ſi volueris plenius videre, an expediat habere multos libros vide eundem Sen. in libr. de Beneficiis capite ſecundo, & in libr. de vita & moribus Philoſophorum in tertia parte, & Hieronymum in epiſtola 40. & Oldradum conſilio LXXXV.

Duo commentatores excellentiſſimi. Ioann. Andreas. Bartolus.

DVORVM ſolidiſſima ingenia, in quorum dictis rarius inuenitur error, tibi propono, vt illos eligas, tanquam principatum tenentes inter Commentatores Iuris: Scilicet Ioannem Andream in Iure Canonico: & Bartolum in Iure ciuili. Illi ſunt tibi colendi vltra cæteros. Ioannem Andream in Iure Canonico cæteris præferendum eſſe, ordine & emolumento, exclamat Cardinalis Florentinus in proœmio Clementinarum. dicit enim quod Sapientiam Canonicam adeo locupletauit ſuis commentis, vt à centum annis, ſimul omnes commentatores, reliqui non æquè commentauerint. Et meritò datur ei principatus, cum eius commentata textui ſunt appoſita, Sexti & Clementinarum. Recolo etiam quod ipſe idem Ioannes Andreas in addition. Specul. in titulo, *de filiis Presbyterorum*, dicit, ſibi puero fuiſſe reuelatum à quodam religioſo viro ipſum illuminaturum Ius Canonicum. Bartolum etiam in Iure Ciuili fuiſſe principem quis negabit? Huius dictis ſemper fere ineſſe clauſulam veritatis reipſa patet: vt Pontanus exclamabat Conſilio 417. Propterea in Hiſpania & Luſitania decreto Regio, & communis illarum partium, eſt ſancitum conſtitutione publica, vt alias audiui à quibuſdam auditoribus meis illarum partium, quod in caſibus in quibus requiritur contradictio doctorum, opinio Bartoli præualeat, tanquam principalioris, & ſecundum illam iudicetur. Si Hiſpani tantum deferunt Bartolo: nos Italici quid faciemus? Intrepidi ſua ſcripta curemus habere, ſcire, imitari: quia, *Bartoliſta, Optimus Iuriſta* cenſendus eſt.

MONI-

MONITVM VI.

Viſitandæ ſcholæ. Doctores audiendi.

Congrvit vtilitati Scholaris, vt Doctorem & Præceptorem ſine intermiſſione audiat. vnde *Laurentius* antiquus Doctor in Clem. 1. *de magiſt. & Guil. de monte Laud. & D. Cardinalis Florentinus, & D. Goff. Porretanus* exclamant contra ſcholares capitoſos, non intrantes ſcholas; qua quidem capitoſitate credunt plus addiſcere, quam ſi à Doctoribus doceantur; quod eſt vanum: cum ſenſus auditus aptior ſit ad percipiendum, & memoriæ tradendum, quod verbali voce traditur in ſcriptis, vel ſine: quam viſus, vel alius ſenſus. 44. diſt. *Sit rector.* Zenzelinus etiam dicit ibidem: quod requiritur inſtructio à voce magiſtra. Primo *eſt tempus tacendi, poſtea loquendi* Eccleſ. 3. & veritas prius addiſcitur à Magiſtris, poſtea docetur 26. diſt. §. *ecce. verſ. Hinc etiam Salomon.* Vnde Hieronym. ad Ruſtic. Monachum dicit, *Non ingrediaris abſque Doctore viam, quam nunquam ingreſſus es 16. q. 1. c. ſi clericatus.*

Studendum eſt gnauiter Iuris Studioſo.

Nec ſufficit, Scholarem moram trahere in Studio niſi ſtudeat 16. q. 1. c. *generaliter*, & in c. *cum ex litteris: de in integrum reſtitution.* notatur. Hinc dicit Hoſtienſis in c. fin. *de magiſtr.* & *Ioan. de Lignano* in prooemio *Clement.* quod ſcholares habitu & non actu, non ſunt appellandi ſcholares. Quin imò fortius dicit *Dominicus de ſancto Gemin.* in prooemio, Sexti: & D. Abbas in c. 1. in fin. de *Iud.* quod tales ſcholares ſolo habitu poſſunt puniri tanquam mendaces. Benè facit Gloſſ. 37. q. 5. *carcere.* & quod Doctores notant in l. qui ſub prætextu C. *de Sacroſanct. Eccleſ.* Dominus *Paulus de Caſtro* etiam exclamat contra ſcholares non intrantes continuè, in L. *frater à fratre. ff. de condict. indebit.* Viua enim vox multum imprimit: quia habet neſcio quid latentis energiæ, & inquit Hieron. in prooemio Bibliæ. Plinius etiam in quadam epiſtola Plinium nepotem exhortatur vt audiat vocem magiſtri. Ab iſtis excipiendi ſunt ſcholares prouecti, & proximi cingi: quia aliquando ruminant in ſtudio Camerario, quæ didicerunt: aut per ſe ſtudent, quæ non leguntur in ſcholis. Quiſque ſibi proſpiciat prout ſibi nouerit eſſe conſultius. Caueat tamen ne decipiatur à pigritia, vel alia cauſſa.

MONITVM VII.

Quomodo audiendus Doctor.

Scholaris diligens, & intrans, inſtitutus vt ſupra, ſeruet hunc modum: vt cum audit Doctorem, non numeret Regulas, non faciat caſtra in mari, vt dicit Gloſſ. in Lib. 1. C. *de ſtud.* Lib. 16. Rom. Deinde ſecundum *Martinum de Fan.* in dicta Epiſtola, hoc ſeruet; *vt caſum ad totum & ad quamlibet partem littera concordet: & non credat ſe intelligere, ſi aliquam particulam non intelligat ad plenum; & videat ſi lex pertinet ad rubricam: deinde ipſius caſus, & quare ſic ſtatutum fuerit, conſideret rationem: & ſoluat contraria: cauſas ſolutionis diligenter attendens, de quo fonte procedant. Curet ſibi ex ſe inuenire ſimilia: ex generalibus non inhæreat multitudini: vnam vel duas leges de generalibus, quæ melius id exprimant memoriæ commendando: & illas quaſi vnicas gemmas teneat, & amplectatur. Tempus non perdat litteram commendando memoriæ, ſed intellectui: & vbi, & quare, ſub tali rubrica ſint poſitæ contemplando ſtudeat. Demum in corde ſuo concipiat, ſi aliquem caſum audiuiſſet, vel ſenſiſſet, cui deciſio illius poſſit applicari: & illum caſum auditum quaſi præfigurationem illius legis habeat. Cæterum dum vigilat in lecto, ruminet in corde dicens, Tot leges & ſic incipientes habuimus, ex quibus in effectu id reportauimus. Aduertat etiam*

dum

dum legit legem, an ſuper illa poßit formare aliquam quæſtionem, per quam poßit legem ad inconuenient reuocare. Tandem quærat veritatem, & æquitatis & iuſtitiæ ſit ſemper amator. Hæc Martinus in Epiſtola præalleg. Sed in præmiſſis aliquando clarius loquar.

An expediat excipere ad calamum dictata.

CVM inoleuerit iſte mos dandi in ſcriptis & multiplicati ſint infiniti commentatores varie loquentes, quid fiendum? Dicet intra ſe diligens auditor, ſi recollectis inſtitero, ego confundor, ſi non iuſtandum in illis, vt quid perdimus illud tempus? malo domi ſtudere cum vno commentatore præcipuo, puta Bartolo: vel cum intrauero, nolo ſcribere. Reſpondeo ſuper omnia conſultius eſt intrare, propter impreſſionem vocis Magiſtri, vt ſupra dixi. Item ſi ſtas in ſcholis conſultius eſt ſcribere recollectos §. §. nullus enim liber eſt tam malus, quin aliquid boni habeat: vt dicit Plinius, lib. 3. epiſtol. 5. Ipſa enim ſcriptura facit te olfacere omne minimum verbum. Præterea, multo magis (vt vulgo dicitur) viua vox afficit. Nam licet acriora ſint quæ legis, altius tamen in animo ſedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis afficit, vt dicit Plinius ſecundus in Epiſtol. 3. lib. 2. Cum autem domum redieris, & volueris ſtudere lectiones, imprimis textus legas, & lectites vt imprimas. Magis enim firmum & ſtabile eſt, quod repetita probauit lectio: vt dicit text *in conſt. cordi, l. de emend. Iuſt. cod.* Caſum figurabis litteræ, & intellectui Doctorum congruentem: deinde iterum reſumatur text. & notando ſingula verba, & partes textus, poſtquam adaptaueris ad rubricam: & quæſieris rationem dubitandi, & decidendi, colliges textualia & notabilia, quæ Doctores inde eliciunt. Et coneris etiam tu ſcite euellere aliquid ex illa litera. Et hoc potiſſimum & primarium eſt, in nouitio. Et cum hoc feceris ſurgas cum intellectu, & calcules tecum, dicens: ex iſta lege in effectu habeo hoc notatu dignum: & illud commenda memoriæ: non de verbo ad verbum, ſed ſufficit in effectu & hoc ſufficeret nouitio, nec vltra: ne ſi pergat, ſentiat ſtomachum oneratum: quia fragilis hominum memoria, ſæpe dum aliquid nouum quærit, aliud iam quæſitum amittit, vt dicere ſolebat Seneca. Quod ſi intellectus tuus, & memoria ſit capax vlterioris inquiſitionis, capias gloſſas illas, & explica opponendo, vel quærendo ſecundum modum, quem dat Bartol. in l. *petens*, C. *de pactis*, & ibi dixi, & tandem calcula gloſſam, ſi aliquid habeat notatu dignum: & illud aſſigna memoriæ, & ſemper ante oculos habeas monitiones Senecæ quas vidiſti ſupra in 5. Monito tibi dato.

Vſus collectarum rerum.

CIRCA recollectarum tuarum vſum do tibi hoc conſilium, vt recollectis quæ non verſantur circa legem tuam & intellectum & notabilia, & neceſſariam declarationem legis & gloſſæ, ſed extra vagantur cum floribus variis ſingularium dictorum aliquando recollectorum, & principaliter extra rem, non inhæreas, dum es Scholaris; quouis modo iſta ſunt varia, quæ licet delectent, tamen inquinant. Et Doctores qui iſta tradunt conſultius facerent, ſi omitterent. Vnde belliſſime exclamat *Salicetus* in repetit. l. *quod te: ff. Si certum petat.* & l. *quod Nerua. ff. depoſit.* contra illos qui negligunt regulas ſcire: & implent caput ſuum caſibus ſingularibus, & peregrinis: quæ doctrina eſt fallax & periculoſa. Quando vero Doctor tuus ordinaret tibi recollectas claras, pro intellectu legis, in primis illud videat omnino nouitius, & ſuper textuali intellectu vigiliam premat, omnia perientet: reliquum quod Doctor ſubdit, & additur, vel cumulando quæſtiones, & dicta, reſeruet in aliud tempus, poſtquam erit ſolidatus in regulis, & terminis Iuris. & hoc modo recol-

Digitized by Google

recollecta proſunt, & non obſunt ſi clare traduntur, & non impertinenter, alioquin abſint omnino à te tanquam venenum.

QVOD ſi diceres, non melius eſſet ſtudere, cum Bartolo tantum? Confiteor quod Bartol. omni tempore omni perſonæ vtilis & neceſſarius eſt: ſed aliquando breuis, aliquando obſcurus, aliquando non legit legem, aliquando non habetur: Itaque impleas ſtomachum tuum bonis cibis & nutrimentis, id eſt, bonis legibus, & regulis, & bonis doctrinis communibus, ſecundum capacitatem ingenii tui. Laudo quod tu, qui iam es ſolidatus in regulis Iuris, & reali cognitione terminorum, & audiuiſti partes, quæ ordinarie leguntur, videas totum corpus Iuris cum Bartolo, & toties facias, vt Bartoli doctrinas pro viribus aſſequi coneris, & tenere eum in ſtudiis æmulaberis, licet illius ingenii adipiſci arduitatem etiam ſperare nimium eſt: quod dari, niſi à Deo non poteſt: ſicut in ſimili de Cicerone dicit Plinius lib. 4. Epiſt. 8. eius tamen Bartoli veſtigia ſemper adorabis vt de Virgilio dicit Statius in fine libri Thebaidos, ibi:

In Bartolo notanda.

——Nec tu diuinam Æneida tenta,
Sed longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Dixi, quod æmuleris Bartolum, nam ſtultiſſimum eſt ad imitandum non optima quæque proponere, vt inquit Plinius lib. 1. Epiſt. 5. & lib. VII. epiſt. 9. Cum Bartolum benè videris legas alios dignos authores ex his quos ſupra memoraui & ſemper notes & excerpas, quæ digna inueneris, vt facere conſueuerunt omnes illuſtres viri. Et tuæ memoriæ debilitatem artificio ſtili & pugillarium iuuabis. Ad id te inuitat epiſt. Plin. VIII. in libr. 3. quæ incipit, *Pergratum*. Ideo dico quod videas alios: quia quanto plures, tanto magis proficies: quia non eſt vnus, quamuis præſtet, imitandus præcipuus & ſolus: quia nunquam par fuit imitator autori. Hæc rei natura eſt. Semper enim veritate ſimilitudo minor eſt, vt dicit Seneca in Prologo Declamationum ſuarum. Præterea, ſicut terræ variis mutatiſque ſeminibus, ita ingenia noſtra, nunc hac, nunc illa mundatione recoluntur: vt inquit Plinius lib. VII. epiſt. 9. quæ incipit, *Quæris*.

Laudarem quod nouitius memoriæ commendaret *tit. de verb. ſign.* & titulum de *Reg. Iur. ff.* & regulas Iuris de quibus *in Sexto*. Singulis diebus aliquas, nam & animum recreant ipſarum varietate & plurimum conferunt. Sunt enim principales claues Iuris: quibus eſt inhærendum, tanquam Bononienſi Carocio. vt dicit Gloſſ. in *L. omnis diffinitio.* ff. de *Reg. Iuris*. Quinimò eas ignorare lata culpa eſt. Deinde, profectus, cum ruſticatur, aut peregrinatur, poteſt ſecum conferre *Dynum de Reg. Iur.* quo non puto eſſe vtilius opuſculum & magis varium. Conſulat vnuſquiſque ſibi ipſi: illum videat autorem, ad cuius cognitionem ingenium ardentius excitatur, & per cuius æmulationem credat melius legitimos aſſequi theſauros. Tempore vacationum repetat quæ audierit, viderit, legerit: & commendet memoriæ ea quæ fuerint notatu digna. Felix ille, cuius memoria fuerit bonæ fidei, quæ in promptu reddit ſibi credita, vt inquit Seneca in prologo declamationum ſuarum. Quod ſi memoria tua fuerit infidelis cuſtos, committes excepta ſtylo & pugillaribus, vt prædixi: & quicquid dixeris, audieris, egeris in die, veſperi commemorabeiis, vt inquit Cicero in libr. de *Senectute*, & ad hoc ſtudium in ſeceſſu habendum, videat epiſtolam Plinij IX. lib. 7. quæ incipit, *Quæris*.

Quid mandandum memoria nouitio Iuriſta.

Rheda Bononienſis.

Dynus.

Vacationum tempus quomodo impendendum Iuriſta.

Digitized by Google

MONITVM VIII.

Tyro Iuriſta quomodo ſe gerat. Nouus Iuſtinianus.

CONSVLO nouitio; donec *Nouus Iuſtinianus* appellatur, id eſt, durante primo anno, vt nunquam curet ad oſtentationem arguere, curet ſcire potius, quam apparere. diſcat non videri doctus, ſed eſſe quærat, iuxta conſilium moralis viri *Alberti*, cauſidici Brixienſis. Pars enim ſcientiæ eſt, ſcire quod neſcias. De omnibus ſibi ignotis diligenter interroget, quorum poſſit eſſe capax. Nam ſi non purgauerit aliquid erroneum, quod ipſum faciebat muſſare: illud inde continuo tranſiret in habitum, & faceret apoſtema, id eſt, eſſet cauſa multorum errorum. Vnde *Martialis*:

Diſcendi modus eſt, cum te neſcire videbis.
Diſce, ſed aſſidue: diſce, ſed vt ſapias.
Sumpta parum prodeſt, quæ mox emittitur eſca.
Bos quibus eſt paſtus ruminat hac eadem.

Edictalis.

Quin imo fortaſſis melius faceret, ſi ſecundo anno quo *Edictalis* vocatur ab argumentatione oſtentandi cauſa abſtineat. Illæ ſolent eſſe fructuoſæ contentiones quæ ſecreto fiunt inter collegiatos in collegiis ordinis litterarii: vt Domo ſapientiæ Senenſis, & ſimilibus, quo ſecreto genere diſputandi nihil ſyncerius, aut ſimplicius, aut melius. Refert *Aulus Gellius*, Lib. 1. cap. 9. quod cum quis exploratus à Pythagora, idoneus inuentus fuerat, recipi in diſciplinam, ſtatim iubebat certum tempus tacere: non omnes idem, ſed alium aliud tempus pro æſtimato captu ſolertiæ, ſed non minus quiſquam tacuit quam biennium. Reperi etiam, quod Hippocrates cum diſcipulos ſuſcipiebat antequam doceret, iuramentum ab eis extorquebat inter cætera, vt ſilentium, ſermonem, inceſſum, manſuetudinem, habituum morumque ſeruarent. Tertio anno, quo *Papinianiſta* vocabitur, audacter incipiat, & diſputationis genus ad vtilitatem frequenter non ad pompam. Diſputationis enim multiplex & mira eſt vtilitas, vt luculentiſſime oſtendit Leonardus Aretinus in opuſculo, quod edidit de vtilitate diſputationis. Quarto anno, quo Græco vocabulo, ab antiquitate, vocabatur *Hircos*, in proœmio *Digeſtorum*. §. *Sed quia ſolitum*, quod gloſſa tibi exponit, quaſi *ſubtiliter videns*: quod opinor dictum, quia *hircus* eſt oculorum angulus, ſecundum Seruium Grammaticum. Hinc aqud Virgilium. *Tranſuerſa tuentibus hirquis*, id eſt, oculis in hircos, hoc eſt, in angulos retortis. Vnde ſcholaris qui ſtuduit tribus annis, & inchoauit ſtudere quarto, fortaſſe ideo *hircus* dicitur, quia ſit conueniens, vt oculos habeat fixos, & ſpeculationi diu intentos, & eundem in locum directos, hoc enim facere ſolent cogitabundi, vt ſupra in Domino recolendæ memoriæ Domini Angeli de Peruſio, de quo ſupra. Vel ideo *Hircus*: quia ſicut ſanguis hirci frangit adamantem lapidem duriſſimum: Sic ſcholaris qui iam tres annos ſtuduit, omnem duram & perdifficilem materiam iam tractare poteſt. Eſt enim tempus ſpeculandi & penſitandi. Sit igitur in continuatione & colluctatione legali, vt cum opus fuerit, in corona demum hominum acri magnoque iudicio ab origine cauſiſque primis repetat, diſcernat, expendat, ponderet, colligat, concludat, & omnem hæſitationem du-

Papinianiſta.

Hircos. Hirquus.

Hircus.

Digitized by Google

dubitationemque reduntantem reſoluat : & in audientium animis aculeum relinquat : quo fiet vt in diſputando , per vſum qui eſt Magiſter egregius , fiat incomprehenſibilis , & lubricus : & ianuam famæ patefaciat per illas actiones. Radices diſciplinæ ſunt amaræ , fructus dulces ſecundum Philoſophum. Patienter igitur ferat omnem laborem : quia , *Labor improbus omnia vincit.* Quinto anno *Coloritæ* vocantur : vt in dicto proœmio Digiſtorum de his nominibus habetur. Iam enim ſciunt colorare verba caſibus legitimis , arcanis eius reſeratis : Sciunt vti legum inductionibus congruenter , quod eſt potiſſimum , vt L. *non ſolum.* §. *qui pilum.* ff. *de excuſat. tut.* *ibi* recte adaptans omnibus ſimilibus : & iſte inducendi modus imitatione maiorum potiſſime habetur , & diſputationis vſu coaleſcit : Avdi Leonardum in præallegato opuſculo de vtilitate diſputationis dum dixit. *Nam quid eſt, per Deos immortales, quod ad res ſubtiles cognoſcendas atque diſcutiendas plus valere poſſit , quam diſputatio ? vbi rem in medio poſitam , velut oculi plures , vndique ſpeculantur : vt in ea nihil ſit, quod ſubterfugere , nihil quod latere , nihil quod valeat omnium fruſtrari intuitum ? Quid eſt quod animum feſſum atque labefactatum , & ſtudia, longitudine otij, & aſſiduitate lectionis plerumque faſtidientem , magis reparet , atque redintegret , quam ſermones in corona cœtuque agitati ? vel gloria , ſi alios ſuperaueris : vel pudore , ſi ſuperatus fueris ad legendum atque perdiſcendum vehementer incenderis. Quid eſt quod ingenium magis acuat , quod illud callidius verſutiuſque reddat , quam diſputatio ? cum ibi neceſſe ſit vt momento temporis , ad rem ſe applicet , vique verborum ſe reflectat , colligat , concludat ? vt faciliter intelligi poſſit hac exercitatione exercitatum , ad cætera diſcernenda fieri velociorem.* Paulo infra ſubdit : *Itaque ego qui veſtra vtilitatis ſum auidus , quique vos quam maxime florentes in ſtudiis veſtris videre cupiam , non iniuria vobis iraſcor : Siquidem hunc diſputandi vſum , ex quo tot emanant vtilitates , negligitis. Etenim abſurdum eſt infra parietes atque in ſolitudine ſecum loqui , multaque agitare , ſi in oculis hominum , atque in cœtu , velut nihil ſapias obmuteſcis : Et quæ vnam aliquam vtilitatem in ſe habeant , ea magno labore proſequi : diſputationem vero , ex qua permultæ vtilitates proficiſcuntur , ſumma cum iucunditate , nolle attingere. Nam veluti is agricola improbandus eſt , qui cum liceret ei fundum vniuerſum excolere, ſaltus quoſdam ſteriles arat, partem vero quampiam eius fundi pinguiſſimam , atque vberrimam relinquit incultam : Sic reprehendendus eſt is , qui cum omnia ſtudiorum munera adimplere poſſet , cætera quamuis leuiora accuratiſſime obit : diſputandi vero exercitationem aſpernatur, & negligit : ex qua tot fructus colliguntur vberrimi.* Et hoc eſt quod dicere voluit Iuriſconſultus , in L. *munerum.* §. *miſta.* ff. *de munerib. & honor.* Vbi Herennius Modeſtinus , & notando, & diſputando bene & optima ratione iſta deducit.

Colorita.

Vtilitas Diſputationis.

MONITVM IX.

Tibi conſulo , vt ſi diſputaturus in corona fueris , nunquam temerarie illud onus ſuſcipias , reſpondendi de ſingulis de quibus fueris interrogatus. Licet enim Valerius Libro 8. cap. antepen. commendet Gorgiam Leontinum, ætatis ſuæ cunctos præſtantem, eo quod primus in conuentu auſus ſit poſcere, qua de re quiſque audire vellet : & ideo ei (vt idem dicit) vniuerſa Græcia in templo Delphici Apollinis ſolido ex auro ſtatuam poſuit : cum cæterorum ad id tempus auratas collocaſſet. B. tamen Hieronymus in opuſculo contra Ioannem Epiſcopum

Quomodo diſputatio ſuſcipienda.

Hieroſol. Originis ſcilicet aſſertorem, ſic inquit: *Gorgiam Leontinum cuncti Philoſophi, & Oratores lacerant quod auſus ſit publice ſella poſita polliceri reſponſurum ſe, de qua quisque re interrogare voluiſſet.* Sed de nouiſſimis agamus. Tempore quo illuſtris Dominus Bald. de Peruſio legebat Papiæ, quidam D. Philippus de Rhegio, qui fuerat doctior omnium ferè illorum Doctorum Papienſium, & apud eos erat maximæ authoritatis cum multis annis poſtea legiſſet Paduæ, rediens Papiam in principio ſui aduentus publicè pollicitus eſt, ſe velle reſpondere de quolibet, in materia vltimarum voluntatum. Dom. Baldus ibi præſens, interogauit eum dicens: vbi habemus nos quod ſubſtitutio vulgaris facta in legato, non comprehendat niſi caſum, ſi noluerit, vel non potuerit. *L. Cum proponas. C. de hæredit. inſt.* Breuiter ille D. Philippus obmutuit: & Baldus tunc aperuit librum & legit textum legis; *Pater Seuerinam. ff. de condit. & demonſtrat.* vbi erat caſus ſecundum vnam lectionem. vnde illi cathedranti reſultauit magna confuſio. Hæc refert D. Paulus de Caſtro in d. l. *Pater Seuerinam*: dicens: *Caueas à talibus actibus præſumptuoſis, quia ſolus Deus nouit omnia.*

MONITVM X.

Quid in diſputatione agendum.

CONSVLO Scholari, quod in diſputando ſolis textuum allegationibus inhæreat: non vt quidam inepti aut inexperti faciunt, qui arguendo Gloſſas allegant, & Doctores, abſque Iurium allegatione: illo enim nihil apud Doctores ineptius? Contra iſtos exclamat Gloſſa in L. *Sed licet. ff. de offic. præſ.* ſi volueris apte arguere in forma legiſtis congruente: vtaris argumentandi modis, quos edidit ſubtilis Doctor *Iacobus de Butr.* vel illis quos edidit *Albericus de Roſate*: vel illis, quos *Baldus* inſeruit *in l. conuenticulam. C. de epiſc. & cleric.* Si vero fueris reſponſalis, tunc vt facile declines omnia argumenta tibi facta, videas *Odofredum* in proœmio Digeſt. in principio, & ibi Baldum: qui mira quadam dexteritate inſtruit omnem argumentandi vim altero de tribus modis poſſe repelli & declinari. Scilicet per *aliter, & aliter.* per *aliud & aliud*, &c, per *ſecundum quid, non ſimpliciter.* Quod qualiter intelligatur, & practicè adaptandum ſit belliſſimè explicat ibi Baldus, quem omnino videas. Hæc ſi ſeruaueris, optimus quoque iudiciorum tam athleta quam gubernator euades in omni æuo locoque fœlix: vt dicit text. in dicto proœmio Digeſtorum §. *diſcipuli* Facilius hoc continget, ſi patriam propriam fueris egreſſus gratia ſtudiorum: nam in propria patria multa diuertunt vt dicit D. *Simon de Burſiano* Cardinalis Mediolanenſis in proœmio Clement. Et ſi egredi decreueris, eligas locum vbi ſint celebres Doctores, & vbi ſit numeroſa multitudo ſcholarium: prout erat Bononiæ tempore D. Azonis, quo tempore ibi erant decem millia ſcholarium, vt refert *Odoff.* in Authen. habita. C. ne *filius pro patre.* Vbi refert, quod ſemel propter multitudinem magnam, orta contétione inter ſcholares Lombardos & Theſcos, ciuitas illa fuit in magno periculo: nemo enim poterat coërcere illos: & vt facilius coerceri poſſent, in futurum de concordia tunc renunciarunt priuilegio iudicum: de quibus in dicta *Authent.* & in criminalibus ſe ſubmiſerunt Iuriſdictioni Poteſtatis.

Reſponſalis.

Peregrinandum ſtudioſo.

Quo?

Epilogus.

FACIO igitur finem. Quoad præmiſſa, licet prædicta parua ſint & talia quæ auribus & ingeniis veſtris culitiſſimis tanquam puerilia (non dubito) & diminuta videbuntur, aut fortaſſe non carentia rubore, cum & ego ipſe alterius conſilio, in præ-

in prædictis & aliis indubitanter indigeam: ſed tamen ſyncere locutus ſum, quaſi mecum loquens. vos diligentia veſtra omnem ſiniſteritatem, & ineptitudinem emendabitis, & in melius reformabitis: potiſſimè cùm omnia prædicta abſque diligenti præmeditatione ediderim.

Avdivisti in Monito 8. nomina ſtudioſorum Iuris, ſecundum annos ſtudii, *Nouus Iuſtinianus: Edictalis: Papinianiſta: Hirquus.* Scias illa non ſemper, neque vbique fuiſſe vſurpata. Olim enim, qui primo anno legibus operam dabant, dicebantur *Dupondii*, quaſi *Diobolares*, vt Cuiacius interpretatur, nomine translato à *Dupondio*, quod fuit minuti numiſmatis genus. *Dupondii.* Seneca in Controuer. *Itane peribunt decem iuuenes propter* dupondios *duos?* Et Seneca ad Lucilium epiſt 18 *Tunc, mihi crede, Lucili, exultabis, dupondio ſatur: & intelliges ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna.* Credibile eſt fuiſſe duos aſſes, aut minutiores nummos, cum in viliſſimam ſeruuli famem ſufficere inſinuet in ſequentibus Seneca: addens: Epicurum ad Polyenum ſcripſiſſe, & gloriari, non toto ſe aſſe paſci: Metrodorum, qui non dum tantum profecerat, toto. Itaque feſtiue, ridiculo nomine, primi anni *Iuriſtæ*, vt nunc vocantur *Dupondii* ſunt dicti. Fortaſſe eo modo, quo in nonnullis Academiis, initio Logices, Dialectici, qui depoſitionem Academicam non ſuſtinuerunt, appellantur Beani. *Beanus.* At Imperator honorifico magis nomine ad nobiliſſimam diſciplinam allicere volens adoleſcentes dici voluit primi anni ſtudioſos legum *Nouos Iuſtinianos*, qui titulus tamen vix, hoc tempore eſt in vſu.

Quarti anni ſtudioſi, Λῆται, vel Λυτοὶ, aut Λύται ſunt vocati. Λῆται à λάω, idem, quod *Videntes* eſſe poteſt. *Λῆται Videntes.* Λυτοὶ, idem, quod *Soluti*: vel quæſtionum Solutores. Turnebus idoneos ſoluendis quæſtionibus arbitratur: quia ratione Λύται, vel Λυτῆρες optime dicerentur.

Quinto anno, quo ſtudium Iuris finiebant, προλυτοι, ſeu προλύται nominabantur. Heſychius προλυθεὶς, quaſi παραλελυμένους interpretatur, ſolutos. Sed quomodo ergo differant à quarti anni auditoribus? An itaque ſic dicti, quaſi *Definitores* ab honore iuris dicendi?

F I N I S.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

ABailardi Error 219
Abrahami iuſtificatio ſecundi 140
Abſcondere mandata 397
Acceptilatio 24
Achan regula aurea 436
Actionum duplex genus 347
Accidentia beatitudinis 416
Actio conductoris in locatorem. } 29
Actio locatoris in conductorem. }
Actus dilectionis 166
Actus fidei, ſpei & caritatis frequentandi 369
Actus inæquales ex æquali caritate 159
Adam primus Dei operarius 146
Adam operarius paradiſi 149
Adam operatur in paradiſo 345
Adam primus hominum venditor 222
Adam quomodo vendiderit poſteritatem 222
Adam venditor, ſerpens emptor 222
Adami hæreditas labor & dolor 147
Adami ruſtica 149
Adamus non expellitur niſi poſt peccatum 185
Adam eiectus eſt è paradiſo 185
Adæ filiis operandum ſtrenuè 147
Adfectus mercenarii 55
Adfectus hominis liberalis 98
Adfectus varii ex titulo Aduocati 292
Adhortatio S. Hieronymi ne quis retro reſpiciat, poſtquam ſemel benè cœpit operari 177
Aduocatus 282
Aduocati munus honorificum 286
Aduocato gratia Iudicis proficua 292
Aduocatus amans iuſtitiæ 286
Aduocatus non ſit ſordidus 289
Aduocatus cautela 290
Aduocatus diligens. Aduocati actio 292
Aduocatus ipſe cauſſam ſuam efficacius agit 292
Aduocati affectus varii 292
Aequitas Iuris 168
Aerumnæ quæ in honoribus 379
Aes alienum omne per Chriſtum diſſoluitur 461
Agnoſcere 134
Agnoſcendus vultus pecoru 134
Ager cor 205
Ager dupliciter conducitur 206
Ager quorundam lapideſcit 212
Agilitas corporis reſurgentis 418
Agricolari 146
Alcmoes inſanit ac mergitur ob mercedem, non integre ſolutam 98
Ambulare in mandatis 398
Amor Dei 545. & 416
Amor Spiritus Sancti primum donum 320
Analogia inter paſſionem & precium 241
Animæ beatæ dotes 416
Anima accepto baptiſmo quale aruum 207
Anima ager, vinea, ſylua 205
Anima ad quos vſus locata 211
Anima via publica quæ? 211
Anima excolenda 29
Anima ſenticetum 212
Anima ſi ſe ignoret è domo ſub conditione expellitur 184
Anima principaliter concurrit ad meritum 81
Animæ defunctorum an ad beatitudinem ſtatim admittantur 73
Animarum ſalus curanda 249
Anima Deo reddenda 214
Antiochus quomodo vendiderit 225
Anticipatio ſolutionis 72
Antlia attrahitur aqua 144

Aptitu-

Digitized by Google

Aptitudo 433
Apibus inteſtinum bonis in ventre 513
Argumentum ex titulo emptionis 243
Argumenta ad vitandam ſcortationem 244
Arator Euangelicus 174
Arbitrium 24
Arbor non faciens fructum 438
Artis paſtoritiæ cur ſimilis Principatus 254
Arum tale reddendum in morte, quale factum.
Aſſecuratio 23
Poſt Baptiſmum 436
Aſſecuratio apud mercatores vſitata 532
Aſſecuratio vnde dicta 533
Aſſecuratio facta Pontifici Max. de non errando. 534.
Aſſecuratio communis fidelium 535
Aſſecurationem hypothecatam ſtabilit S. Scriptura 536
Aſſecuratio confirmatorum in gratia 540
Aſſecuratio Deiparæ *ibid.*
Aſſecuratio Ioannis Baptiſtæ 541
Aſſecuratio de remiſſione peccatorum *ibid.*
Aſſecuratio Apoſtolis facta *ibid.*
Aſſecuratio de prædeſtinatione 542
Auctarium ſupra mercedem 108
Auctores de viſitatione agentes 134
Auditores Verbi Diuini numularii 437
Augmentum gratiæ 139
Augmentum gratiæ reſpondens actibus 136
Augmentum gratiæ an detur initio operis 141
Augmentum Caritatis non differtur in alteram vitam 140
Augmentum ſtatim datur 142
Aureos montes polliceri 307
Aureolæ ſeu Laureolæ tres: Martyrum, Virginum & Doctorum 413
Amicus, Appetitus 569
Actionum humanarum genus duplex 574
Allegoria de Elcana & Anna 582
Amoris diuini effectus Vita æterna 587
Arrhabo ſpiritus 597
Arrhabo carnis *ibid.*
Affectus pii amoris 610
Amoris ſtimulus *ibid.*
Affectus gratitudinis 611
Affectus vnionis cum Deo *ibid.*
Angelorum dignitas 612

B.

Bancarothi decoctores 276
Beatitudines quid ſint 276
Benedicendus Dominus in infirmitate 181
Beniamin Eremita ſe ipſum incutis graui malo liberare noluit 180
Benefactorem lædere reſcindit donationem 324
Beneficium aſſumptionis quid ſit 616
Beneficium aſſumptionis 616
Bezæ praua interpretatio 220
Bona communia ſunt in ſocietate 269
Boni nil facere, eſt aliquid mali facere 158
Bonorum publicatio, finis ſocietatem 275
Bonum opus Dei eſt noſtrum 478
Bona opera 546
Blaſphemantes cur tam multi? 424
Blaſphemia in Deum iniuria 322

C.

Cadus 448
Cain eiicitur 186
Caluinianorum error 348
Caluinus mercedem in donum vertit 82
Caluinus in Zachæo agnoſcit opus ſupererogationis 198
Caluiniſtarum friuola ratiocinatio *ibid.*
Cambium 22.
Captiuus diaboli peccator 220
Caritatis intenſio an præſcripta 400
Caro marſupium precii redemptionis 240
Carolus Borromeus amat ſeruos, vt fratres. Idem ſeuerus in ſe, in famulos moderatus 112
Caſtitatem ſibi debet homo 457
Catholica ſententia de gratia 349
Cauſſa hominum poſtulat Aduocatum 287
Cauſſæ cur Paterfamilias humanus erga famulos eſſe debeat 115
Cauſſa non præſtandi promiſſionem 311
Cauſſa adamati à Chriſto nominis Paſtor 253
Cauſſa tres deferendi rem locatum 215
Cauſſa ſocietatis 266

Cauſſi-

Cauſidicorum ſors 102
Cenſus 22
Centuplum datur B. Germano pro eleemoſyna 421
Centuplum in vſuris Dei 412
Ceremoniæ in fide ſunt fundatæ 368
Certitudinis gradus 537
Certitudo prima ex neceßitate 537
Certitudo fidei diuinæ 542
Certitudo moralis & Humana 243
Certitudo ſine dubitatione ac formidine 243
Certitudinis fundamentum 544
Certitudinis ſigna 544
Charitatis affectus perfectior 165
Characteres ſacramentales 371
Character operatorius 371
Character non eſt ornatus inanis 371
Characteres dantur vt faciat 372
Chriſti adhortatio 218
Chriſtiani promißionis filii 305
Chriſtianus vt homini ſeruiat indignum 248
Chriſtus abſque culpa 537
Chriſtus Aduocatus 283
Chriſtus confert ſe Ieroſolymam. velut mercator. 217
Chriſtus emit & redemit 238
Chriſtus, Dominus hominum 249
Chriſtus gratuitam operam nobis impendit 290
Chriſti eloquentia 291
Chriſti ſatisfactio infinita 451
Chriſtus fideiuſſor 461
Chriſtus impeccabilis 537
Chriſto certitudo propria ibid.
Chriſto cooperandum in ſatisfactione 463
Chriſtus negociator quærens margaritas 217
Chriſtus negociator Cœli 218
Chriſti peregrinatio ad mercandum 218
Chriſtus quare redemptor 237
Chriſtus redimens ſine precio nihil tyrannicum commiſiſſet 246
Chriſti meritum cauſſa ſocietatis 266
Chriſtum abnegantium abominanda impietas 555
Chriſtus ouis, agnus 240
Chriſtus vt Paſtor præit 260
Chriſtus paraclitus 283
Chriſtus primarius Aduocatus 288
Chriſtus quomodo Aduocatum agat? 284
Chriſtus Sol iuſtitiæ 289
Chriſtus vt debitum exigit quod petit 292
Chriſtus nobis ſapientia 321
Chriſtus præit in via mandatorum 398
Chriſtus mutuo accepit panes cum vſura reddendos 409
Chriſtus quia fideiuſſor eſt debitor 520
Chriſti bona propria 520
Chriſtus quomodo peccatum 538
Chriſtus velut in libera cuſtodia 550
Chriſtus teſtis in primo aduentu 83
Chymici 152
Chyrographum dæmonis 291
Chyrographum quomodo deletum 463
Ciceroni Deus improuidus ne ſit iniuſtus 12
Circitores tartarei 485
Circumcidentes mercedem 93
Clamor mercenariorum nubes penetrat 86
Clientum erga Patronos ſtudia 294
Coadiutores Petri 134
Cœlum proponitur hominibus venale 472
Cœlorum regnum per contractum emptionis habetur 473
Cœleſtis mercator 486
Cœlum quomodo non ſit venale 477
Cognoſcere vti vxore 229
Colonus 204
Colonus animæ & Conductor Homo 204
Colonus quis? 205
Colonus partiarius 207
Colonus homo quilibet 204
Commendatio ironica Iuuentutis 555
Commerciorum fundamenta pecunia, fides 518
Commoda vitæ religioſæ 381
Commodatum 21
Commodati definitio 562
Compelli quid ſit 356
Compenſatio occulta 93
Compulſionis Euangelicæ exemplum 358
Compromiſſum 24
Comprehenſio 416
Comites liberalitatis 109
Concordia liberi arbitrii cum gratia 350
Conditio appoſita mandato ſeruanda 401
Conditio non impleta, donationem reſcindit 325

Conditio prima meriti vita æterna vt homo ſit iuſtus 473
Conductorum auaritia 183
Conducta re quomodo vtendum 209
Conducit nemo rem ſuam 37
Conducere cuilibet à Deo permiſſum 213
Conductiones mali mercenarii 155
Conducium 22
Conductor Deus fideliſſime mercedem ſoluit 29
Conducti Lex 30
Conductor prior potior iure 33
Conductio quid 26
Conductor non definit precium 37
Conductor mercedem ſoluat 214
Conductor tenetur manere in reconducta 213
Conductores plus mercedis dant grauius laboranti 160.
Conductoris induſtria 207
Conductoris primum officium eſt reddere mercedem debitam 95
Secundum, reddere ſtatim 98
Tertium reddere integre. ibid.
Conductor ſordidus 97
Coniugium ſeruile ſeruus procreat 222
Conſeruatio creaturarum 347
Conſilium Chriſti non eſt amplexus ſeruus inutilis 197.
Continua Dei laudatio 214
Contractus alterius gratia initus ad quid obliget 36
Contractus ab vna ſolum parte obligatorius 17
Cōtractus an poſtulet obligationem reciprocam 16
Contractus definitio à IC. & à Theologis data 18
Contractus ad nominatos reuocati 22
Contractus ambigui 23
Contractus dubii 23
Et quaſi contractus 24
Contractus Emphyteuticus 206
Contractus ex alieno arbitrio 35
Contractus in gratiam ſolius accipientis ſtrictius obligat 208
Contractus innominati quatuor 330
Contractus innominatus in omnibus donationibus 339
Contractus innominati & nominati. Bonæ fidei, & ſtricti iuris. Qui perficiuntur re & conſenſu. Verbis. Literis. Qui fiunt titulo gratuito, oneroſo. Qui transferunt dominium, vſum. Qui neutrum. Qui fiunt gratia accipientis: Dantis: Vtriuſque 19
Contractus innominati materia gratiæ gratis datæ 335
Contractus inter Deum & hominem 13
Contractus quomodo conſenſu perficiantur 21
Contractus ſeparati: Comuncti. Indifferentes 20
Contractus locati & conducti.
Contractus locationis quid exigit 150
Contractus omnes obligant 16
Contractus ſocietatis 206
Contractus ſpecies & diuiſio 20
Contractu emptionis liberatur genus humanū 237
Conuenimus Deum vt Debitorem 481
Conuerſio adoleſcentum ad religionem 378
Conuerſionis proceſſus 376
Cooperatio Dei cum creaturis 347
Cooperatio Dei ex lumine naturali 348
Cor depoſitum 497
Cor humanum duos non capit 33
Corporis reſurgentis impaſſibilitas 418
Corporum beatorum dotes 417
Corpus quomodo ſpirituale reſurget? 417
Corollarium mercedis cur gratia? 202
Corpore quomodo vtendum 209
Corruptio iuuentutis 555
Corus tritici 448
Cumulus meritorum 513
Currere in via mandatorum 399
Cura ſuperflua quorundam 568
Cura de mercede operariorum 82
Cuſtodire mandata 397
Craſſi Mutiani factum 402
Creare & facere Synonyma 345
Creditor 455
Credidi: *Verbum forenſe* 509
Crudelitas creditorum reprehenſa 458
Commodati obligationes 564
Prima eſt non vti re alio modo quam ad quem commodata eſt ibid.
Contra hanc obligationem peccant ocioſi. ibid.
Commodatum ſuo tempore reſtituendum 566
Commodatum vita non licet citius vendere quam ſit conſtitutum 566

Commodatum omnino idem, non deterius factum redditur 566
Commodatum ſeruari debet ne deterius fiat 567
Compenſatio damni ibid.
Commodati obligatione quæ vitanda ſint 568
Commodati tres panes 569
Commodatio quid? 573
Commodatus Deo Samuel ibid.
Conuerſio adoleſcentis 575
Chriſtus qua ratione dicatur primogenitus creaturarum 577
Commodatum ſit volo 580
Concionatorum conatus Deo commendandus ac conſecrandus 582
Contemplatiua munus ibid.
Commodandum ad Dei voluntatem 583
Confeſſio communioni præmittenda 592
Coniunctio cum Chriſto per Euchariſtiam 595
Corporis inſignis ornatus ex SS. Euchariſtia 596
Contractus matrimonialis notitia neceſſaria 609
Conſilium Dei de genere humano redimendo 612
Contractus matrimonii tempus 613
Contractus locus ibid.
Coniunctionis tempus 614
Coniugium 6. habet ſibi annexa quæ ſpectanda 615
Chriſtus non potuit æquales gratias reddere pro vnione hypoſtatica 616
Chriſti opera æqualia ad ſatisfactionem 616
Chriſti opera variarum virtutum 616
Canticum canticorum 622
Chriſtus deſtinato tempore venit 625
Conſenſus ſponſorum 625
Chriſtus in inſtanti incarnationis beatus 625
Chriſtus mundum ingrediens obedit Patri 627
Conſenſus noſter expetitur à Deo 627
Conſtantia ſponſi cœleſtis 628
Connubium noſtrum quando Deus expetat 628
Contubernium maxime optandum 628
Concordia coniugalis 630
Conſpiratio animorum & voluntatum in Matrimonio Verbi 639
Concordia voluntatum quomodo in Chriſto 631

D.

Dæmon ante lapſum Adami, nullum habuit in homines ius 221
Dæmonis poteſtati adulti & paruuli ſubditi 221
Dauid quaſi ſeruus petiit à Domino nō expell.
Dauid operarius
Debita tria
Debitor Creatori: Glorificatori: Iuſtificatori: Redemptori
Debitor Dei homo ex actione iniuſta
Item ex actione honeſta
Debitores Diaboli
Debitor dare tenetur quod debet
Debiti diuiſio
Debitor ex delicto
Debitor ex iuſtitia
Debitor homo
Debitor titulus ratione ſtabilitur
Debitor titulus ſtabilitur ex Conſiliis
Debitum honeſtatis
Debitum monachi
Debitoris miſera conditio
Debitor non eſt inferior creditore
Debita non ſoluens flagellatur
Debitorum nihil ſoluens damnatur
Debita noſtra, quæ ſunt aliorum
Debitores ſerui obærati nexi
Debitum ſoluenda pœnæ
Debita ſeuere exacta
Debitum ſex millionum
Debitoris titulus
Decipi ignaros probati metalli
Decem mna nobilis Euangelici
Declinandum non eſt neque, ad dextram n ſiniſtram
Defraudatores mercedis Diſtorti: Praui 97
Definitio emptionis
Dei Benignitas
Dei bonitas in mercede conſtituenda pro debitu
Dei Epitheta. Dator: Factor
Dei filii ſunt hæredes regni
Dei liberalitas in homines
Dei mandata accuratiſſime exequenda
Deipara Aduocata: Patrona
Denarius idem diutius & breuius labo datur 172

Delectatio Dei 416
Delectatio de ſummo bono adepto ibid.
Denarij pondus 49
Denarius diurnus idem 69
Denarius ſymbolum gratiæ ibid.
Denarius ſymbolum gloriæ 70
Denarius vnus 171
Deo ab hominibus nulla accedit vtilitas 208
Deo an aliquid commodetur 574
Deo debemus pœnam & pœnitentiam 453
Deo quam primum ſatisfaciendum 454
Deponens : Depoſitarius : Depoſitor 490
Depoſiti definitio 490
Depoſitor Deus 489
Depoſitarius homo 489
Depoſitum 516 & 21
Depoſitum corpus & animæ 513
Depoſitum corpus 515
Depoſitum Eleemoſyna 515
Depoſitum gratia 516
Depoſitum gratia ordinationis 495
Depoſitum fideles 513
Depoſitum fideles 514
Depoſitum non eſt depoſitarij 497
Depoſitum populus fidelis 494
Depoſitum prædicatio 514
Depoſitum ſecretum 491
Depoſitum vindicta 515
Depoſitum virginitas 497
Depoſitum vnde 490
Deſcriptio mandatorum 393
Deſcribitur Iouinianus 161
Deſertores ex Locatione nihil accipiunt 178
Deum deſcendere quid ſit 132
Deus ad regulat 132
Deus auctor conuerſionum 354
Deus an debitor ſibi an iuſtis 479
Deus bonus & optimus vnus 344
Deus commodator 561
Deus conductor iuſtus & liberalis 144
Deus dat gratiam ſubito 138
Deus debet vt depoſitarius: vt Fœnerator: vt Herus: vt Iudex : vt Mandator : vt Pater : vt Paterfamilias : vt Pollicitator : vt Socius 486
Deus debitor ex delicto 485
Deus debitor ex promiſſione 476
Deus debitor, homo fœnerator 440
Deus depoſitor 489
Deus donum 319
Deus eſt Dominus conductoris & mercenarii 216
Deus & Chriſtus ouium & hominum Dominus 255
Deus facit idoneos ad gratiam 377
Deus fere imo ſemper ex affectu metitur eleemoſynam 334
Deus factor æque ac dator 344
Deus fidelis & verax 585
Deus Fœnerator Vſurarius 440
Deus Imperator 486
Deus indignatur duris & efferis operarum venatoribus 114
Deus indulgens erga operarios 115
Deus induſtrii conductoris idea 132
Deus in præſtando quam promittendo largior 370
Deus in promiſſis verax 308
Deus inſtar Patris deferens filium 188
Inſtar Matris 189
Inſtar Mariti
Inſtar Patrisfamilias
Inſtar Medici
Inſtar Iudicis
Inſtar Vinitoris ibid.
Deus iudicat iuſtitiam 5
Deus iuſtiſſimus 9
Deus iuſtis debitor 478
Deus iuſtus à iuſtitia 4
Deus iuſtus omnium profanorum vox 9
Deus iuſtus prædicatur ab omni hominum genere 1
Deus locat 204
Deus merces ſubſtantialiter & cauſaliter 51
Deus minatur venditionem 225
Deus nec ſibi nec aliis debitor 477
Deus non omnes vendidit 226
Deus nulli mortalium debitor 477
Deus offert pignus & cur 585
Deus peccatis iratus vendit impios 225
Deus præmiat vltra condignum 418
Deus promiſſor, ergo debitor 477

Deus proponit commoda religionis 380
Deus ob morbum neminem priuat ſalario 179
Deus operans in creatoris amoris fomentum 358
Deus operarius 148
Deus operatur in ſuis 135
Deus quædam non exigit ab omnibus 340
Deus quid facere varios velit 351
Deus Venditor 486
Deus viſitat 132
Dexteritas Chriſti 291
Diaboli poteſtas qualis 210
Diabolus commentarienſis carcerarius 219
Diabolus Tortor 246
Diaconia miniſtrationes 439
Dies iudicii remunerationis 81
Dilectio maior quæ? 167
Diligentia paſtorum 127
Dimidiato labori reſpondet dimidiata merces 142
Diſcrimen inter locationem ſacram ac profanam 35
Diſcrimen inter habitus naturales ac ſupernaturales 143
Diſcrimen inter dominium Dei & hominum 257
Diſcrimen inter mandata Dei ac hominum 403
Diſcrimina terrarum 205
Diſpenſator locans operas 65
Diſplicent ac deſipiunt quæ quondam putabantur bona 378
Diſpoſitiones ad gratiam habitualem 376
Diſtillatoris exemplum 143
Diues pollicitis quilibet eſſe poteſt 300
Diuitias non diſtribuentes damnati 332
Diuitum quorundam opes 225
Doctores Eccleſiæ Paſtores 202
Doctoris Euangelici quatuor munera 436
Dogmatica 217
Dominii terminus 254
Dominii Dei ac hominum diſcrimen 257
Dominium q[illegible] 257
Dominium rei locatæ an ſit penes conductorem 37
Dominus & ſeruus nomina peccati 117
Dominus in infirmitate benedicendus 181
Doloſi operarij 152
Donat largiter S. Petrus quæ acceperat 337
Donatio 23
Donati Dei ob cauſſam 339
Donatio damnum illatum reuocat 324
Donatio gratuita 322
Donatio inter Deum ac hominem valida 317
Donatio inter patrem & filium nulla datur 317
Donatio quid 317
Donatio rerum omnium inualida 321
Donatio ſub conditione, ſub modo 339
Dona gloriæ 319
Dona gratiæ 318
Dona gratuita 439
Dona in alios transfundenda 338
Dona ſpiritus ſancti 370
Dona ſpiritus ſancti dantur ad faciendum 370
Donatio ob illatam iniuriam reuocatur 323
Donum concionandi quo fine in Paulo 339
Donum naturæ primum donum 318
Donum vnionis hypoſtaticæ 319
Dotes animæ beatæ 416
Dotes corporum beatorum 417
Dominium aliquarum rerum habet & quarundam tantummodo vſum 574
Deo quamdiu commodandum 583
Decretum Dei de exaltanda natura humana 612
Denunciationes ante matrimonium 613
Variæ formulæ denunciationis matrimonialis 613
Deſperantium voces 614
Domicilium nullum in mundo reperire eſt in quo pax 630
Domicilium ſponſi & ſponſæ 630

E.

Eccleſia claſsis 533
Eccleſia commodat filios 585
Eccleſiaſtici magis obligantur ad dandas eleemoſynas 352
Eccleſiaſticus Mercenarius 157
Efferi conſtringuntur 257
Egredi quid? 184
Eleemoſynam Deus ex affectu metitur 334
Eleemoſyna ex quibus danda 333
Eleemoſynæ fructus 335
Eleemoſyna non eſt donum, ſed mutuum 427
Emphyteuſis 22
Emptionis contractu liberatur genus humanum 237

Emptionis definitio 219
Emptionis ſecundus effectus non ſeruire alteri 247
Emptionis tituli effectus abdicatio voluntatis. 245
Emptionis titulo Chriſto debitores ſumus 249
Emptionis titulus ducit an modeſtiam 249
Emptoris & venditoris perſona. 219
Emptum 21
Error Abailardi 219
Epiſcopi nomen ſuggerit inſpectionem. 135
Epiſcopus ocioſus quis? 139
Euangelii Præcones 431
Euchariſtia ad fideiuſſoris memoriam inſtituta 521
Euchariſtia malè vtentis pœna 592
Excedere fines mandati 399
Exequutio mandatorum 397
Exercitatio in mandatis 395
Exigere aliquid pro fideiuſſione ſitne licitum. 521
Exquiſitio mandatorum. 396

F.

Facere mandata 398
Facere nihil boni eſt aliquid mali facere 158
Facientes quod facere debent nihil merentur 199
Facio, ſacrifico 358
Facere in anno quoties teneatur ſacerdos 359
Factio Guelphorum & Gibellinorum 294
Facultas explicandi 336
Facultates ſpirituales quomodo donanda & quomodo non 358
Fames & ſitis in anima idem ſunt 205
Famulo infirmo quid dandum 179
Famulus non expellendus ante tempus 183
Faſtus dominorum 117
Feudum 27
Fidelitas 312
Fides depoſiti 501
Fides in promiſſionibus ſeruanda 309
Fideiubere periculoſum. 227
Fideiuſſio 23
Fideiuſſio amoris magni indicium 528
Fideiuſſionis gratia quid potuerit exigere Chriſtus 521
Fideiuſſio facta pro aliquo an patiatur aliquid ideo exigere 521
Fideiuſſor Chriſtus ſemper in mente habendus 522
Fideiuſſores in Eccleſia qui 527
Fideiuſſor in emptione cæli 519
Fideiuſſor in liberatione 519
Fideiuſſor in remuneratione 519
Fiducia 292
Filii Dei ſunt heredes regni 367
Filii promiſſionis Chriſtiani 305
Filii nomine qui denotentur 577
Finis hominis 380
Finis hominis ac media ibid.
Finis locationis perpendendus 154
Finitur ſocietas dum finis eſt negociationis 275
Firmitas in bono 545
Fœcunditas telluris à Deo 408
Fœdus quid ſit 13
Fœmina circumdat virum 626
Fraudator mercenarii homicida 85
Fraudantur ſtipendio milites 90
Fraus diſcipulorum S. Auguſtini Romæ 97
Fraus & dolus nemini patrocinatur 246
Fraus hæreticorum in attollenda gratia. 349
Fraus in ſigno notanda 437
Fructus 430
Fructus commutationis ibid.
Fructus concionum ibid.
Fructus Elee[illegible]ſynæ 335
Fructus ſpi[illegible]beatitudines 381
Fructus ſpiritus Sancti 382
Fulmina Euangeliſtarum & Prophetarum 211
Fictio perſonarum 623
Fides matrimonialis 631. & 632
Fides vni data ſeruetur 631
Fides Deo debita 632
Fides Religioſorum 632
Fides Magiſtratus 632
Fides Eccleſiaſticorum ibid.
Fides cuiuslibet Chriſtiani ibid.

G.

Gabriel Conciliator, Prodromus, Metator, Procurator 614
Garritus immundorum volucrum 212
Gehennam experiri melius, quam proiici à facie Domini 187

Digitized by Google

Gemitus inenarrabiles 286
Genius 433
Genus humanum liberatur contractu emptionis 237
Gloria Deo quadrupliciter exoluenda 214
Gloria Dei tributum 340
Gloria in omnibus Deo danda 341
Gloria vnigeniti 626
Glorificare Deum & portare 247
Gloſſatoris error 288
Gratia baptiſmalis 597
Gratiæ augmentum duplex 368
Gratia Dei quomodo promerenda 573
Gratiæ gratis data materia contractus innominati 335
Gratia gratis datæ ſpecies 336
Gratiæ gratis datæ ſpecies ad tres virtutes reuocantur 336
Gratia gratis data donanda 338
Gratia actualis 376
Gratia actualis eſt operatio 355
Gratia actualis ſancta cogitationes 221
Gratia efficax non omnibus datur 188
Gratia habitualis diſpoſitiones 376
Gratia ad actiones ſupernaturales neceſſaria 348
Gratia Christi quo fine ab hæreticis extollatur 349
Gratia cur mercedis Corollarium [illegible]tur 209
Gratia datur vt facias 366
Gratia Dei in vacuum recepta quid ſit 339
Gratia excitans 356
Gratia fundamentum meriti 481
Gratia gratis data 336
Gratia gratum faciens 335
Gratia habitualis ſanctificans
Gratiæ illuminatio 356
Gratia Iudicis Aduocato proficua 292
Gratia non debetur ſeruo inutili 207
Gratia præueniens 356
Gratia proportionatur diſpoſitioni 138
Gratia ſanctificans 365
Gratia ſanctificans quid 366
Gratia ſanctificans neceſſaria ad mercedem 367
Gratia ſanctificans neceſſaria ad augendam gratiam 366
Gratia ſufficiens nulli adulto negatur 189
Gratia vtrum cum caritate eadem 367
Gratiam Dei in vacuum recipere quid 319
Gratiam habere 201
Gratiam operandi dat Dominus 198
Gratis dandum, quod gratis acceptum 336
Gratis peccator ſe Dæmoni vendit 224
Gratis empti & redempti quomodo 242
Gratis particula peccatum denotat 224
Gratitudo ex titulo emptoris 249
Gratuita opera patrocinantur Romani 289
Gregis munus 258
Guttæ ſanguinis in circumciſione 218

H.

Habilitas ad procreationem liberorum 615
Habitus naturales quomodo augeantur 143
Habituum naturalium ac ſupernaturalium diſcrimen 143
Hereditas Adami labor & dolor 147
Hæretici hoſtes meritorum 38
Hæretici operarii ſubdoli 152
Hæreticorum fraus in attollenda gratia 349
Hebræus venditus redimitur à propinquo 240
Homini proprius labor, auis volatus 32
Hominum immodica deſideria 35
Hominum infidelis promiſſio 202
Homo alienus ratio de ſe exigitur 456
Homo colonus & Conductor animæ 206
Homo commodatarius 561
Homo Creditor 487
Homo debet ſibi caſtitatem 457
Homo debet proximo miſericordiam; Deo patientiam 457
Homo debitor 447
Homo Dei debitor ex actione honeſta ibid.
Homo Dei debitor ex actione iniuſta ibid.
Homo fratri debet exemplum 457
Homo naſcitur ad laborem 146
Homo non eſt Colonus partiarius 207
Homo obligatur Deo 17
Homo quanto tempore locet operas 31
Homo quilibet Colonus 204
Homo venundatus 221
Honorarium datur Medico & Iuriſconſulto 191
Humanitatis fructus 314

Humani-

Humanitatis functiones 112
Homo quarundum rerum vſum tantum modo habet 574
Homo habet vſum ac dominium aliquarum rerum 574
Hominum fœditas 612
Humanitas inuita minime ducta 627
Humanitas non vbique 628
Humanitas Chriſti cur non ſit vbique 628
Hoſpitium ſolitariorum 628
Hoſpitium rixantium 629
Hoſpitium tumultuantium ibid.
Humanitas Verbi hypoſtaſi plenè terminata 632

I.

Ieiunium in aduentu 617
Illuminatio intellectus 353
Imago numi inſcriptio 207
Imanitas in creditoribus notata 488
Imitatio Chriſti 359
Impaſſibilitas corporis reſurgentis 418
Impietas ad culpam ſpectat 153
Impietas abominanda Chriſtum negantium 555
Improbitas quorundam adoleſcentum ſacram Euchariſtiam ſumentium 590
Inæqualitas in redditione mercedis 71
Incarnatio ſiue incorporatio connubium allegoricum 611
Incarnationis neceſſitas 452
Annus Incarnationis quotus ab orbe condito 614
Incarnationis myſterium commercium 238
Inclinatio 433
Inconfuſibilis 153
Indebitum ſolutum 24
Intellectus 281
Intellectus ad certos vſus locatus 211
Intellectus illuminatio 353
Indignitas petentis 311
Indignum vt Chriſtianus homini ſeruiat 248
Indignum vt fuerit precium redemptionis diabolo oblatum 242
Indoles naturalis propenſio 433
Induſtria augendi meritum 168
Induſtria Conductoris 207
Ingratitudo erga Fideiuſſorem 526
Ingreſſus in rem 204
Iniuria atrox in Deum 323
Iniuria in Deum blaſphemia 322
Inquilinus quomodo differat à Colono 206
Intenſio caritatis an præſcripta 400
Interrogatio pignus 551
Interpretatio examinanda 436
Inſanam ſe finxit Iſidora in Tabinenſiotarum Cœnobio 465
Inſtitores terrei 485
Iunctiua in Ioakim 84
Iocus Phocionis 307
Iouinianus deſcribitur 161
Ironica iuuentutis commendatio 555
Iter commodum ad agrum 126
Iudas exit 186
Iudæi cur apes dicti 524
Iudicium ſeuerum in præuaricatores 403
Iuramentum concionatorium 2.2
Iure Domino debemus obſequium 198
Iure non vi placuit hominem redimere 245
Iure tantum hæreditatis ad cœlum paruuli admittuntur 41
Iuris æquitas 168
Iuriſconſulto datur honorarium 191
Iuriſconſultorum merces 102
Iuris ſtudium non laxat conſcientiam 209
Ius Cæſareum contra detentores mercedis 90
Ius diuinum in homines etiam poſt peccatum 222
Ius hæreditatis 147
Ius poſtliminii 147
Iuſtificationis inſtans 138
Iuſtificationis idem proceſſus 364
Iuſtificationem præter gratiam alii etiam habitus concomitantur 139
Iuſtitia humana à Deo deriuata 4
Iuſtitia Dei quæ annuncianda 5
Iuſtitia Deo cordi eſt 7
Iuſtitia locationis 42
Iuſtitia panis & vinum 205
Iuſtitia qua Deus iudicat 4
Iuſtitiam Dei lingua meditatur 5
Iuſtitiam Deo omnes ſapientes adſcribunt 8
Iuſtitia vera 42. 43
Iuſtitia virtus principium 1

Iuſti-

Iuſtitia qualem exegerit redemptionem 246
Iuſtitiæ actus reddere poſt opus 142
Iuſti ornamenta 376
Iuſtus meretur per ſe augmentum virtutum 144
Iuſtus nouit iumentorum ſuorum animas 110
Iuuentutis corruptio 555
Incarnatio promiſſa Adæ 623
Eadem & Euæ promiſſa 623
Incarnati Verbi expectatio communis 623

L.

Labor homini proprius 32
Laborantes breuius feruentius id præſtiterunt 172
Labores magnos paruo labore non ſuſcipiunt, qui poſſunt paruo labore mereri magnum 104
Lædere benefactorem donationem reſcindit 324
Largiri quibus poßimus ac debeamus, & quomodo 333
Laudatio Dei gratuita 214
Laus Dei inn ſt is operibus 214
Lectio mandatorum 392
Lectioni ſacræ dediti 392
Lectio Martini Delrii de debito peccati 461
Leges depoſiti 493
Legis cognitio non facit perfectum 200
Lex ciuilis plus requirit à Conductore quam Deus 208
Lex diuina de locante operas 75
Lex locationis ad opera domeſtica 178
Liberandi genus humanum modus à SS. Trinitate conſtitutus 612
Liberalitas Dei in homines 329
Liberalitatis actus reddere mercedem ante opus 342
Liber reſpectu Dei nullus dicitur 256
Libertas arbitrii non fauet Pelagianis 350
Liber Creditoris 454
Liberari à morbis aliqui noluerunt 18
Liberatur genus humanum contractu emptionis 237
Liberum arbitrium non eſt inuentum philoſophicum 350
Lingua ad quid locata 209
Lingua meditatur iuſtitiam Dei 5
Linteum retributionis 54
Liuellum 23
Locare idem in ſolidum duobus nemo poteſt 32
Locantur & conducuntur res quædam ad certos vſus 209
Locata lingua ad bene loquendum 210
Non ad detractiones ibid.
Non ad iurandum 209
Non ad murmurandum 210
Locatæ omnes potentiæ ad certos vſus ibid.
Locat homo Deo quæ illius ſunt 36
Locans tenetur caſum fortuitum præſtare 153
Locatione athletica deſertores excluduntur 178
Locationis contractus acuit diligentiam 31
Locationis contractus inter Deum & hominem quando ſit celebratus 28
In Paradiſo celebratus ibid.
Nullus ab hoc contractu exceptus ibid.
Locationis contractus probat merita 39
Locationis definitio 25
Locationis finis perpendendus 154
Locationis ſacræ ac profanæ diſcrimen 35
Locationis tempus vita hominis 31
Locationis tempus præſcriptum ſeruare oportet 31
Tempus longum 31
Tempus breue 31
Locatio cum Deo homini vtilis eſt 36
Locatio cum vita finitur 32
Locatio Deo nullam adfert vtilitatem 35
Locatio inter Deum ac hominem 26
Locatio rei immobilis infra decennium 26
Locator dat beneficium 106
Locator in alieno laborans meretur 38
Locator mercede conuenta ſit contentus 33
Locator mercedis intuitu diligentius operatur 47
Locator ne duobus operas promittat 32
Locator quis 26
Locator tenetur Deo de leuißima culpa 36
Locatoris obligationes 28
Prima ibid.
Secunda 29
Locatum 22
Loquutio mandatorum 396
Lucrum 430
Ludus 23
Lutheranorum error 348

Languor generis humani 623
Liberum arbitrium in humanitate Chriſti 627

M.

Mala ex obliuione fideiuſsionis 524
Malitia peccati 445
Mancipium poteſt plus facere quam debeat 196
Manicale viſitatorum 133
Mandata cuſtodire 397
Mandata facere 398
Mandata Dei leuia 404
Mandata Dei accuratiſsime exequenda 402
Mandata Moſaica quotuplicia 406
Mandata pauca in noua lege 391
Mandata praua noua legis 390
Mandata priuata 388
Mandata quot in teſtamento veteri 390
Mandata publica 388
Mandatarius ex qua culpa teneatur 403
Mandatarii obligationes 388
Mandati interpretatio 388
Mandati memoria 390
Mandati vox in ſcriptura 386
Mandati fines excedere 399
Mandator. Mandatarius 387
Mandatorum verba ſequenda 401
Mandatorum deſcriptio 393
Mandatoris iuſſum ſcrupuloſum ſit ne ſemper ſeruandum 401
Mandatorum Dei ac hominum diſcrimen 403
Mandatorum exequutio 397
Mandatorum exquiſitio 396
Mandatorum obſeruatio 396
Mandatorum exercitatio 395
Mandatorum diuinorum conditiones 401
Mandatorum praeuaricatores 387
Mandatorum loquutio 396
Mandatorum meditatio ibid.
Mandatum 22 & 287
Mandatum an deſerere liceat 399
Mandata facere 598
Mandatum ſub conditione 389
Mandatum ſine conditione 400
Mandatum Sauli datum 402
Mandatum vetus & nouum 391
Mandatum voluntarium 404
Manſiones cœleſtes 72
Manus ad quid locata 210
Marſupium Chriſti caro 241
Martini Delrii ſacra lectio de peccati debito 461
Materia contractus do vt facias 365
Materia contractus facio vt facias 346
Materia contractus facio vt des 381
Materia contractus innominati gratia gratis data 335
Materia ſecunda vſurarum verbum Dei 435
Materia contractus Facio vt facias eſt qualibet operatio honeſta. 346
Matrimonium 23
Matrimonii tempus Aduentus 609
Mechanicis quantum dandum 98
Medicus non paciſcitur de mercede 192
Medici magis honorabiles quam Iuriſconſulti 190
Medici poſt religioſos honorandi 191
Medici vt vitae conſeruatores honorandi 191
Medici merces honor. ibid.
Medici accipiunt mercedem Ibid.
Medico datur honorarium ibid.
Medico & praeceptori plus debetur quam mercedula 105
Medicorum merces immodica 101
Meditatio continua 395
Meditatio die ac nocte quid ſit 394
Meditatio mandatorum 394
Membra ſocietatis ibid.
Memoria ſponſi 611
Mercatura ſpiritualis 489
Memoria mandati 390
Mercatores 471
Mercatoris infidelitas & negligentia 445
Mercatores male audiunt 218
Mercatores operarii 68
Mercatura quaedam ignobilis 472
Mercatorum prauum genus quotuplex 485
Mercatura periculoſa 472
Merces ex contractu debita 18
Merces Locatoris denarius diurnus 34
Merces meritum reſpicit 39
Merces conſumata 81

Merces liberalitatis 87
Merces iuſta quae? 94
Summa, infima, media 95
Merces ex conuentione & extra conuentionem 96
Merces varia ibid.
Merces Magiſtrorum ibid.
Merces imperfecta & perfecta 133
Merces imperfecta 136
Merces plena 136
Merces aeterna ad mane alterius vitae differtur 142
Merces ex iuſtitia diſtributiua 169
Merces pecuniaria in locatione 16
Merces dimidiata reſpondet dimidiato labori 142
Merces aequalis ex ſuppoſitione operis 71
Merces gratia diuina ac virtutes 533
Merces iuriſconſultorum 102
Merces Dei honor 214
Merces eſt diſtincta à gratia 201
Merces an Mechanicorum tantum 191
Merces creſcit ex operum excellentia 160
Merces omnis omnino perit deficienti 177
Merces & meritum reciprocantur 137
Mercede priuatur reſpiciens retro 173
Mercede priuantur ſine perſeuerantia laborantes 173
Mercedis in reddendo inaequalitas 71
Mercedis commemoratio excitat languentem 48
Mercedem detinere ſpecies furti eſt 89
Mercedis negata vel detenta peccatum 83
Mercedem anima praeoccupat. 80
Mercedis & operum proportio 68
Mercedis memoria grata 154
Mercedis mentio frequens 954
Mercedem accipiunt medici 191
Mercedis ſolutio differenda 83
Mercedis denegatio in aliis ingratitudo, in medicis iniquitas eſt 192
Mercedis retentio homicidio par 86
Mercenarius 154
Mercenarius agricola 63
Mercenarius corpore opus perficiens, corporalem praeſentiam exhibet 30
Mercenarius Dei internas potentias locat 31
Mercenarius dignus mercede 40
Mercenarius dat animam 84
Mercenarius ex pacto accipit exiguam mercedem 93
Mercenarius liberalis 106
Mercenarius ad certum tempus locat operas 155
Mercenarius Eccleſiaſticus 157
Mercenarius incidens in morbum quomodo tractandus 179
Mercenarius tolerandus 155
Mercenarii conditio 155
Mercenarii non nimis grauandi laboribus 109
Mercenarii iniquitatis 153
Mercenariis ſuis Deus aliquando aduerſa immittit 34
Meretur iuſtus de condigno 139
Meritum conſecutiue 144
Meritum de congruo quid requirat 138
Meritum ex conatu 354
Meritum ex interno opere penſatur 170
Meriti ſecunda conditio precium 474
Meritorum hoſtes haeretici 38
Mille Philippaeos pii & parentes minoribus 181
Miles non conducit precia 213
Milites ante miſsionem honeſtam non abeunt 177
Minatur venditionem Deus 225
Mira Deus indicit ad religionem 378
Miſericordia Dei 365
Miſericordiam homo debet proximo 457
Musca quid ſignificent 372
Modi non praeſtandi promiſſum 310
Monacho caelum non patet ob mercedem detentam 89
Monita moralia 147
Monſtra orbis 75
Morbus S. Petronillae ſaluti fuit 180
Morbus non cedit B. Poſthumius 181
Morbis aliqui noluerunt adhiberi medelam 180
Morbo non retardatur in virtutum ſtudio Polychronius 118
Mors non diſſoluit ſocietatem Dei 274
Mors quae nam diſſoluat ſocietatem 275
Moſes operarius Dei 48
Mulier ob acerbitatem in ancillas punitur 114
Multi ſponte deſerunt ſocietatem Dei 375
Mundus contractibus ſuis apponit conditiones turpes, ridiculas, impoſſibiles, at ſuis promiſſis 309

Mundus animo ficto promittit 312
Mundus mare 533
Mundus mendax & perfidus 312
Mundus ſubdolus 312
Munus gregis 289
Munus paſtoralis pars præcipua viſitatio 133
Mutatur ſors ſeruorum ac dominorum 118
Matrimonium quadruplex 610
Hiſtoricum
Allegoricum
Tropologicum
Anagogicum ibid.
Matrimonium in Sanctiſſimæ Virginis Mariæ vtero initur 614
Matrimonium ratum diſſolubile 618
Matrimonii omnis vinculum morte diſſoluitur 618
Matrimonium ratum quare ſit ſolubile
Matrimonium conſumatum inſolubile 619
Matrimonii Rati ſignificatio ibid.
Conſumati ſignificatio ibid.
Matrimonii ſacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia 619
Matrimonii vinculum relatio rationis 619
Matrimonii ſubſtantialia 625
Matrimonii connexa 625
Matrimonium ſine conſenſu 627
Matrimonium indiuidua vitæ ſocietas 628

N.

Natura omnis homino Vſuraria 434
Naturæ prima materia vſurarum 431
Negligentia adoleſcentum à ſacra Euchariſtia recedentium in cuſtodiendis oculis 590
Negligentia in cuſtodia Euchariſtiæ 591
Negocia geſta 24
Nogociatio triplex 230
Negociationis humanæ finis 264
Nihil boni facere eſt aliquid mali facere 158
Nobilior ne Medicina quam Iuriſprudentia 190
Noluerunt quidam à morbis liberari 180
Nomen Epiſcopi inſpectionem ſuggerit 135
Nuncius honoris 207
Numularii Euangelici qui? 431
Numularii Euangelici omnes homines 431
Numularius Euangelicus populus 431
Nuncii Apoſtolici 134
Nundinatores aërij 485
Nuptiæ Dei cum creaturis 610
Nuptiæ non celebrantur in Aduentu 611
Nuptiale drama 623

O.

Obligatio in omni omnino Contractu 16
Obligatio ex contractu redemptionis 219
Obligatio ex titulo promiſſionis 306
Obligatio gregis erga paſtorem 258
Obligatio hominis 207
Obligationes mandatarii 388
Obſequiorum denegatio 325
Obſequium Domino debemus 198
Obſeruatio mandatorum 396
Obſeruatio hæc an mereatur 199
Obiectum & res in SS. attenditur 166
Occaſiones quo mandato vetitæ 390
Occidens ſe peccat in Deum 564
Officium conductoris primum eſt reddere mercedem debitam 95
Secundum: reddere ſtatim 96
Tertium reddere integre 98
Opera mercenaria 64
Onagri natura ac proprietates 256
Operarij 146
Operarii doloſi 15
Operarii Deo ſunt cordi 76
Operarii diuerſarum horarum 69
Operari licet propter mercedem 49
Operari quatenus liceat propter mercedem 50
Operariis quid Deus præſtet 187
Operarii mali 153
Operari propter formalem beatitudinem 51
Operariis danda laborum intermiſſio 112
Opera bona peccatorum remunerantur 483
Opera bona ſignata gratiæ malleo 476
Operario ſæpe deeſt facultas operandi 150
Operarius Dei Dauid 47
Operarius Dei Moſes 48
Operarius fatuus 52
Operarius dignus mercede 83

Operarius inconfuſibilis 153.
Operarius meretur 39.
Operarius operari tenetur 150
Operarius vt ſtimulo vtitur formidine pœna 53
Opera ſine gratia nullius precii 265.
Operationes 440
Operationes tres ſunt quæ poſtulant omnipotentiam Dei 345.
Operatio virtutis 346
Operibus augetur gratia 368
Operibus augetur gratia & gloria 414
Operum & mercedis proportio 68.
Opes negociatorum Belgicorum 239.
Opus ex gratia & caritate proueniens. 475
Opus ſupererogationis. 193.
Ouis ſequitur paſtorem 284.

P.

Pactum diſtinguitur à contractu 16
Pactum ſanguine confirmatum 15
Panis egentibus vita eſt 85
Parabola ſeminationis 204
Paracharagnus 437
Paracleti pronunciatio 282
Participatio commodi & incommodi 269
Participatio lucri 270
Particula Gratis*: peccatum denotat.* 224
Paruuli ſolo iure hæreditatis admittuntur ad cœlum 41
Paruuli quomodo ſtipulentur in baptiſmo 553
Paſcere hedos quid? 184
Paſcere ac Dominus *cognata nomina* 254.
Paſsionem inter ac precium quæ analogia 241
Paſtor colubere ouem poteſt 260
Paſtorum diligentia 127 & 128.
Pater accepit precium redemptionis. 242
Paterfamilias 110.
Pater Paracletus 289
Paterfamilias liberalis in operarios 104
Paterfamilias manum operi admouet 125.
Patrocinandi duo modi 284
Patroni ſignificatio politica 293
Patronus & aduocatus quis 283
Patronus ſpiritus ſanctus 285
S. Paulus implet quod deeſt 269
Paulus induit perſonam alienam 221
Pauperi in neceſsitate licet accipere 332
Peccantes mortaliter renunciant ſocietati 274
Peccando quis obligatur Deo & Diabolo 246
Peccare nobis non licet quia non ſumus noſtri. 245
Peccata debita 447
Peccata in cœlum clamantia 85
Peccata vendunt 225
Peccati infinitas 449
Peccati infinitas obiectiua 450
Peccati malignitas 221
Peccator nihil 364
Peccator vendit ſe dæmoni gratis 214
Peccator venditus ſeruus peccati 226
Peccator viribus à Deo ſubminiſtratis, è cloacâ peccati ſe eripit 375
Peccator viuus redimibilis, mortuus non 461
Peccatores quomodo gratis venundati 224
Peccatores quomodo non exaudiantur 311
Peccatorum magnum debitum 449
Peccatum debitum efficit 487
Peccatum mercedis negata vel detenta 83.
Peccatum ſocietatem turbat 275
Pecunia in locatione 26
Pecuniaria negociatio 449
Pecuniam quis abſcondat 434
Pedes in quem vſum locati. 210
Phocionis iocus 307
Pelagianorum error 348
Peregrinatio Chriſti ad mercandum. 118
Perfectio duplex 377
Perfectio duplex in actu voluntatis 166.
Permutatio. 21
Perſarum reges ditionem viſitant 135.
Perſeuerantia in quolibet ſtatu neceſſaria 175
Perſeuerantia vſque in finem. 32.
Petentis indignitas. 311
S. Petrus largiter donat quæ acceperat 337
Pignus 21
Piaſti apud Polonos 294
Platonis conſtitutio de mercedis ſubtractione 90
Pœna formidine operarius vt ſtimulo vtitur 53
Pœna militum militiam deſerentium 178
Pœnam & pœnitentiam Deo debemus 453
Pœnitentia intenſio 400

Pollucri

Polliceri montes aureos 307
Polychronius in ſtudio virtutum morbo non retardatur 181
Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt 300
Populus numularius Euangelicus 431
Poteſtas diaboli qualis 220
Pondus denarii 49
Poteſtati dæmonis ſubditi adulti & paruuli 221
Praxis viſitationis quorundam compendioſa 133
Prædeſtinationem ac Iuſtificationem ſuam extra reuelationem nemo ſcit 542
Precarium 21
Præceptori ac Medico plus debetur quam mercedula 105
Præceptorum obſeruatio an mereatur 199
Præceptum fidei quando, & ad quæ facienda obliget 391
Prædium ſuburbanum commodiſſimum 124
Præmii pondere lanx cordis inclinatur 49
Præmium eſſentiale maius 161
Præſcientia ſublata tollitur prouidentia 12
Præſentia Domini 124
Prælati ocioſi qui gregi non aduigilant 134
Precium contractuum agnus vel ouis 240
Precium cuinam ſit perſolutum 241
Precium diuerſis vicibus perſolutum 241
Precium emptionis 2[illegible]
Precium eſus arboris vetitæ 222
Precium Ius dominationis deſignat 245
Pretium laboris non retinendum 77
Precium magnum 247
Precium redemptionis Pater accepit 242
Precium redemptionis fueritne oblatum Patri 242
Precium redemptionis diabolo vt fuerit oblatum indignum eſt 242
Precium ſanguinis Chriſti quibus profit 463
Procœcium antithalamus 351
Proceſſus conuerſionis 376
Proceſſus in hominum conuerſione 353
Proiicere à facie 186
Proiici à facie Dei, grauius quam Gehennam experiri 187
Proiiciuntur criminoſi 187
Promiſſa Dei maxima 304
Promiſſi mendacis exemplum 312
Promiſſa Dei cur homini non obueniant 310
Promiſſio cur à Deo facta 304
Promiſſio Dei 199
Promiſſio Dei neceſſaria ad meritum 17
Promiſſio hominum infidelis 202
Promiſſio inducit obligationem 18
Promiſſio obligat 306
Promiſſio quid ſit 301
Promiſſio ſordidorum 302
Promiſſionis filii Chriſtiani 305
Promiſſionis neceſſitas 306
Promiſſionibus fides ſeruanda 309
Promiſſionum Dei aliæ abſolutæ, aliæ conditionatæ, affirmantes aliæ, aliæ negantes 302
Promiſſis ſuis mundus conditiones impoſſibiles, ridiculas & turpes apponit 309
Promiſſoris titulus Chriſtianos ſpectat 305
Proportio operum & mercedis 68
Pronunciata S. Auguſtini 202
Prouidentiæ diuinæ oppugnatores 10
Prouidentia tollitur ſublata præſcientia 12
Publicatio bonorum finit ſocietatem 275
Primogeniti quinam? 575
Primogenitum excellentiſſimum 576
Primogenitus robuſtiſſimus 577
Primogenitus Deo commodandus 580
Primogeniti variorum 580
Primogenitus Guloſi 581
Primogenitus auari: Luxurioſi: Litteratorum: Concionatorum: Superiorum: ibid.
Primogenitus Deo commendandus 582
Pignus Chriſtus multipliciter 586
Pignus amoris effectus ibid.
Pignus amoris Chriſtus ibid.
Pignus à pugno ibid.
Pignorare, pignori opponere 587
Pignus Remunerationis ibid.
Pignus, pugillus, pugnus ibid.
Pugillus aut vola tritici quomodo explicetur 588
Pignoris duplex acceptio ibid.
Pignus creditori datur ibid.
Pignus & Hypotheca differunt ibid.
Pignus quomodo Chriſtus 589
Chriſtus pignus creditori datum ibid.

Quanta ſit in hoc pignore ſecuritas ibid.
Pignori quando filium pater poſſit apponere ibid.
Pignus obligatio dantis 590
Pignoratoris prima obligatio cuſtodia ibid.
Pignore Euchariſtia vtendi modus 591
Probitas inſignis quorundam erga SS. Euchariſtiam laudatur 592
Pignus amoris SS. Euchariſtia 594
Pignus amoris dextræ oblatio ibid.
Pignus vnionis SS. Euchariſtia ibid.
Pignus immortalitatis 595
Pignus innocentiæ ibid.
Pignus regenerationis Baptiſmus 596
Pignus Spiritus 596. & 605
Pignus promiſsionis cur dicatur Spiritus Sanctus 597
Pignus gratiæ 604
Pœnitentia informis ibid.
Pignus Religioſorum ibid.
Pignus Concionatorum 605
Peccatorum condonatio 606
Procuratio nuptialis per quem facta in myſterio incarnationis 614
Piorum vota, conatus, ſuſpiria, anxietates 622
Prophetarum promiſſa 623

Q.

Querela populi 225
Querelæ expectantium promiſſam Incarnationem 624
Querela hominis iniuſta 34

R.

Ratio doni in Spiritu Sancto 320
Ratio vir 569
Ratio pediſſequa 579
Ratiocinatio Adoleſcentis cui ſordet terra 379
Rectitudo voluntatis 417
Reconciliatio an corporis pedibus adeunda 188
Redemptionis terminus à Quo 250
Redemptionem qualemnam Iuſtitia exegerit? 245
Regula aurea Achan 436
Regnum cælorum an promiſſum Iudæis 305
Regnum cælorum emitur meritis 471
Religio vtilis, honeſta, iucunda 381
Religioſorum perfectio 215
Remiſſione peccati prius an infuſio gratiæ? 366
Rem ſuum nemo conducit 37
Rependitur cum fœnore ſeptuplum 422
Rependit Deus bonis operibus quidpiam 45
Reſpiciens retro mercede priuatur 173
Retentio mercedis homicidio par 86
Re conducta quomodo vtendum 209
Res ad certos vſus locantur & conducuntur 209
Res locata ſuo tempore reddenda 214
Rerum omnium ſocietas inter Deum & hominem 271
Res nondum exiſtens vendi poteſt 222
Res ſteriles & fœcundæ 407
Reſurrectio corporum probatur ex SS. Euchariſtia 595
Res vniuerſitas hominum 219
Ritus contractus cum Abrahamo initur 13
Ritus gentium vtendi 287
Ritus Iudaicus in emptionibus 550
Ritus Paſtorum 13
Romitus eremi cultor de morbo non redeunte dolet 180
Ruſtica Adami 149

S.

Sacerdos quoties in anno facere teneatur 359
Sacerdotis & Epiſcopi nomina ſunt officiorum 157
Sacerdotes an teneatur ex contractu 359
Sacerdotum poteſtas 338
Sacramenti nomen multiplex 601
Salaria Doctorum ampla 104
Salaria Doctorum quando numeranda 108
Salaria quæ, qualia Doctorum artium ingenuarum 99
Salaria publica Iuriſconſultorum 104
Salario Deus ob morbum neminem priuat 179
Salutationis officium 113
Samuel Deo commodatus 573
Sancti laboribus libenter dediti 156
Sanctorum communio nititur titulo ſocietatis 269

Sanguine Chriſti facta redemptio 259
Sanguine Chriſti delentur debita 454
Sanguinis guttæ in Circumciſione 218
Sanctas mentis quæ? 281
Sapientia 338
Sapientia hominis laborare 148
Sapiens aliquando non dat quod promittit 311
Satisfactio Chriſti infinita 451
Satisfacere ſufficienter 462
Satisfactio ſufficiens 453
Satisfactioni Chriſti noſtra iungenda 453
Satisfaciendum Deo quamprimum 454
Satisfaciendum Deo quomodo ibid.
Scientia 338
Scientia conditionalium 353
Scientia in Aduocato 388
Scortationis vitandæ argumenta 244
Scotus vult paſtum & panem non diſtingui ſpecie, Suarez vult diſtingui 408
Scrutatio mandatorum 396
Scrutarii carnei 485
Secreti fides ſeruanda 491
Secretorum genera 491
Securitas quid ſit 536
Securitas abſoluta 536
Securitas ex certitudine 537
Securitas omnium fidelium quæ 542
Securi de gratia & duratione beatitudinis 540
Seditiones ob mercedem dilatam 92
Semen Verbi Dei varium 212
Semen perit in via publica 212
Seminationis parabola 204
Seminator Chriſtus 204
Seminatores Apoſtoli 204
Seminatores concionatores, omnes homines 204
Sententia Senis de infirmitate 182
Sententia M. Auguſtini de libertate humana faciendi & non faciendi 350
Sermo Euangelicus Verbum abbreuiatum eſt, 391
Seruare mandata 397
Seruus Deo nullam vtilitatem adfert 199
Seruus Domino non tradendus 116
Seruus Hebræus vſque ad annum 50
Seruus inutilis quis ſit in parabola 202
Seruus inutilis an ſit mercenarius, vel mancipium 196
Serui Chriſti omnes ſunt 248
Serui ab heris tanquam patribus familias benignè tractandi 119
Serui æquè ac Domini ſunt homines 116
Serui beneficia 106
Serui habent cum Dominis corpus eiuſdem rationis, animam naturæ eiuſdem 117
Serui inutiles non ex humilitate dicere debemus 197
Seruo inutili an mercedem dare debeat Dominus 199
Seruo inutili merces data 201
Seruorum inutilitas in quo ſit 397
Simpliciora ſuperiora ſunt 205
Societas 22
Societas multiplex 262
Societas inter Deum ac hominem 262
Societas varijs modis finitur 273
Societas finitur morte 274
Societas cum Deo poſt mortem perfectior 274
Societas finitur, dum finis eſt negociationis 275
Societatis cum Chriſto initium 265
Societatis deſcriptio 266
Societatis Ieſu ſintne omnes fideles 267
Societate extorres ſunt omnes hæretici 273
Societati renunciant mortaliter peccantes 274
Societati quænam mors obſit 275
Societatem DEI multi ſpontè deſerunt 275
Societatem turbat peccatum 275
Sociorum conditiones 272
Socordia Patrisfamilias 89
Sol omnibus lucet 189
Solatium ægri ex locationis contractu 151
Solemnitas contractus montis Sina 14
Solicitudo cura indefeſſa 124
Solutio mercedis non differenda 83
Solutio debiti diuerſa 465
Solutionis tempus 75
Solui debet precium in foro militantis Eccleſiæ 476
Solum fertiliſſimum 408
Sors principalis in ſocietate 268
Sors ſeruorum & dominorum mutatur 118

Sortem

Sortem capitalem quis det 268
Spei fundamentum 292
Spes remunerationis alleuiat pondus laboris 54
Sperantis deſideria 417
Spiritus Sancti primum donum eſt amor 320
Spiritus Sanctus Aduocatus 286
Spiritus Sanctus Paraclitus 283
Spiritus Sanctus Donum 319
Spiritus Sanctus noſtrum donum 320
Spiritus quomodo puſtulet 286
Sponſalia 23
Sponſio 23
Sponſa ignorat ſuam conditionem 184
Sponſorum conſenſus 625
Stimulus diligentia 293
Stipendia litteratorum 99
Stipendio milites fraudantur 90
Stipulatio 23.& 559
Stipulatio quid? 550
Stipulatio baptiſmus 552
Stipulatio baptiſmalis an ab adultis confirmanda 554
Stipulatio baptiſmalis ad quid obliget 555
Stipulatio in diem certum 551
Stipulatio Chriſti conditionata 551
Stipulatio ex ſacra Scriptura probatur 550
Stipulatio paruulorum in baptiſmo quomodo fiat? 553
Stipulatio qualis inter Chriſtum & Deum 551
Stipulationis formula 551
Stipulatione obligatur Deus 551
Stipulationes in baptiſmo 553
Stipulationes baptiſmales ad quid obligent 554
Stipulatur cum Cacodæmone quidam Adoleſcens 556
Hæreticorum obiectio contra ſtipulationem baptiſmalem paruulorum 553
Suauitas in voluntate 353
Suburbanum prædium commodiſſimum 124
Subdoli operarii 151
Subtilitas corporis reſurgentis 418
Suppoſitum vnum in homine 81
Symbola vitæ humanæ 161
Symbola à Chriſtianis conficta 562
Symbola Diuina ibid.
Symbolum Iuridicum 562
Sacramenti nomen multiplex 601
Sacramenta religionis ſacræ Ceremoniæ, Ritus: Sigillum ibid.
Sacramentum pignus ibid.
Sacramentum oppignoratio ibid.
Sacramento pignoris ratio ineſt 602
Sacramenta gratiam conferunt ibid.
Sacramenta conferunt auxilia particularia 602
Sacramenti Confirmationis finis 603
Sacramenta auxiliorum pignora ibid.
Sacramentum ablato obice operatur ibid.
Spiritus Sanctus pronubus 614
Scientia infuſa Chriſti 626
Sponſi cæleſtis conſtantia 628
Societatem indiuiduæ vitæ quomodo Chriſtus ſeruauerit poſt aſſumptam humanitatem 629

T.

Talenta centum dantur pro nouem aureis 421
Talentorum diſtributio 430
Talentorum nomine ſignatur gratia 439
Theandricæ operationes quæ? 615
Theophylacti interpretatio de ſeruo inutili 197
Theſaurus vbi deponendus 509
Telluris fœcunditas à Deo 408
Tempus aduentus, tempus expectationis 608
Tempus ſolutionis 75
Tentatio eorum qui vocantur 183
Terrarum diſcrimina 205
Terminus redemptionis à Quo 250
Teſtificatio interni ſpiritus 544
Teſtimonium conſcientiæ 544
Timor filialis 55
Timor ſeruilis bonus 58
Timor ſeruilis ſimpliciter 56
Timor ſeruilis probatur eſſe laudabilis ex ſacra Scriptura 59
Timoris ſeruilis effectus 61
Timoris ſeruilis ſymbola 60
Tractio an motus violentus 357
Tractatur Chriſtus ab aliquibus indigniſſimè 591
Tradere idem quod vendere 214

Tranſactio 23
Trapezita boni 431
Trapezita officium 435
Trapezita probant aurum, ſpurium reiiciunt, diſcernunt inter dubium 435
Tranſmutatio in equos ac mulos 259
Tunicæ duæ quid ſignificent 331
Tunicæ duo quo modo diſtribuendæ 331
Tutelæ 24

V.

Vana gloria priuat gloria vera 52
Variè peccatur contra locatores 89
Valor guttæ ſanguinis Chriſti 239
Vendere propriè quid ſit 224
Vendere ſine precio 224
Vendi poteſt res nondum exiſtens 222
Venditum 22
Vendit Deus qui donat 223
Venditor ſecundus homo peccator: Adam primus 223
Venditus Hebræus redimitur à propinquo 240
Venditi non ſunt omnes à Deo 226
Venundati quidam vt faciant malum 223
Venditio duplex 460
Verbi diuini varia ſymbola 435
Verbum abbreuiatum ſermo Euangelicus 391
Verbum Dei ſecunda materia Vſurarum 435
Veſpera quid in parabola Euangelica 81
Veſpera tempus mortis 76
Veſperi danda merces operario 75
Vicaria ſalus perſonalis pernicies 133
Victimarum & circumciſionis ſanguis 239
Videre operarios laborantes 124
Vidua Euangelica 169
Vigilantia 124
Vigilantia paſtoris 128
Vindicta in crudeles Dominos 86
Vinea propinqua 125
Vinea quid? 29
Virgines magis amantur à Chriſto 162
Virtutes morales infuſæ 369
Virtutes Theologales tres dantur ad operandum 368
Virtutes vnius exercitio non omnes creſcunt 145
Virtutis operatio 346
Virtutum habitus creſcunt actibus illorum 144
Virtutum moralia quatuor capita 369
Violatores depoſitorum puniti 498
Vis bonæ actionis à gratia 351
Vis verbi Compello 357
Viſitatio 124
Viſitatio Dei 132
Viſitatio Epiſcoporum 132
Viſitatio maximè neceſſaria 132
Viſitatio per ipſos paſtores facienda 133
Viſitatores Apoſtoli 134
Viſio Dei 416
Vita æterna quomodo ſit merces & quomodo non 42
Vita gratis datur 362
Vita commodatum 562 & 570
Vita hominis negociatio 264
Vitæ dominium penes Deum 563
Vita nauigatio 533
Vita rerum corporearum definitio 563
Vitam offerre 167
Vita tripliciter ſumitur 562
Vita tres panes 563
Vitulus comeſtus vel epotus ab Iſraele 524
Vnio ſitne donum 319
Vniuerſitas hominum Res 219
Vniuerſitas materia contractus Do vt facias 372
Vocationum diuerſitas 351
Voces concionatorum 211
Voluntas ad certos vſus locata 211
Volucrum immundorum garritus 122
Voluptas tormentum 379
Votorum duo genera 175
Vſura 430
Vſura à voluntate 433
Vſura cum Deo cur licita? 409
Vſura ex potentiis humanis 432
Vſura immodica 413
Vſuraria negociatio 410
Vſura facultatum naturalium 434
Vſura inter homines cur illicita 408
Vſura immodica nunc canonibus ſunt abrogata & caſtigata 413
Vſura materia pecunia 410
Vſura quanam olim vſurpata 113

Vſura retribuendæ in beatitudine 426
Vſura Vſurarum 414
Vſurarum exempla ex eleemoſyna 411
Vſurarum ſecunda materia verbum Dei 435
Vſuras à Deo an liceat exigere? 407
Vſus depoſiti citra conſenſum furtum 493
Vſus vitæ penes hominem quomodo? 564
Vtilitas obſeruationis mandatorum Dei 404
Vultus pecoris agnoſcendus 134
Vxor Loth imago hominis 174
Vita ad certum vſum data 564
Vita via, rota, comœdia, Muſica 565
Vitæ commodatum non licet citius reddere quam ſit conſtitutum 566
Vita hominis media ibid.
Vitam pœnitentiis abbreuiare vtrum liceat 568
Vitam quibus modis liceat abbreuiare 568
Vitæ commodatæ finis ibid.
Vita reſtituenda ad Dei nutum 570
Voluntati non infertur violentia 574
Voluntatis actus eſt eius inclinatio 575
Voluntatis dominium in ſuos actus 575
Voluntatis infœcunda ibid.
Voluntas propria omnes rapit 578
Voluntas an ferri poßit in malum ibid.
Voluntas regina 579
Voluntas fortißima ibid.
Voluntatis actus an cõtineat in ſe fœlicitatem 579
Voluntas inſtar filii 580
Vdalrici Zwinglii error circa ſacramenta 601
Verbum diuinum inter ac humanitatem, facta eſt quadam colligatio, ſiue Aſſumptio, Vnio, Apprehenſio 615
Vnio hypoſthatica 617
Qualis ſit 617
Quotuplex ibid.
Vnio hypoſthatica Eſſentialis, Accidentalis, Subſtantialis 618
Vnio hypoſthatica maxima vnionum 618
Maxima ex inſeparabilitate ibid.
Ob terminum reſultantem 619
Vnio hypoſthatica mutua 620
Vbiquetarii 628
Verbum an alias naturas potuerit aſſumere 632

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google